Nab. 5.
6.

# IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM JENENSIS
CELEBERRIMI

# LOCORVM THEOLOGICORVM

## TOMVS DVODECIMVS

DENVO EDIDIT
VARIISQVE OBSERVATIONIBVS
ADAVXIT

## IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS.



*TVBINGAE*
SVMTIBVS IO. GEORGII COTTAE
MDCCLXXIV.



# PRÆFATIO EDITORIS.

Constitutum quidem nobis erat, sine præfatione tomum hunc ce duodecimum operis *Gerhardiani* tibi tradere, LECTOR BENEVOLE, quod nonnisi continuat id, quod in priori tomo cœptum jam erat, argumentum scilicet de *ecclesia*, cum priori parte loci *de ministerio ecclesiastico*.

Vnicum tamen paucis heic monebimus.

Ipsa docet inspectio, nos tractationi *Gerhardianae* de *ecclesia*, præter supplementum, quod in præfatione præcedentis tomi jam promiseramus, adjunxisse commentationem, quæ ad alium plane locum, illum nimirum de *sacra cœna* spectat, *vindicias*que *observationum ad locum Genes. XIV.* 18, 19. complectitur.

Occasionem huic scriptulo dedit dissertatio FRANCISCI FERDINANDI WILLII, ecclesiæ Romanæ presbyteri, quam is ann. *MDCCLXXII.* in universitate Friburgo-Brisgoica pro suprema

theologiæ laurea publice propugnavit, hacque insignitam inscriptione luci publicæ exposuit: *Christus dominus sacerdos secundum ordinem Melchisedech.*

Quum in hac ipsa dissertatione, quam nobis data opera insinuandam curavit vir iste eruditus, ea, quæ in supplementis tomi decimi de *sacrificio Missae* dicuntur, sub examen fuerint vocata, optarunt nonnulli ex lectoribus nostris, ut ea, quæ olim strictim duntaxat attigimus, uberius nunc exponerentur, atque ab objectionibus laudati WILLII vindicarentur.

Fecit id vir doctissimus nobisque amicissimus IO. FRID. ESSIGIVS, seminarii theologici, quod heic floret, olim repetens, nunc vero diaconus Canstadiensis, vir non tantum de ecclesia sed & republica litteraria præclare meritus. Perlegimus non sine animi nostri voluptate ejusdem hac de re scriptum benevole nobiscum communicatum prorsusque egregium, ac dignum illud judicavimus, quod in opere hocce *Gerhardiano* cum orbe erudito communicaretur.

De reliquis observationibus, supplemento nostro insertis, ut quidquam heic commemoremus, non opus esse arbitramur, cum præcipua earum momenta, in *conspectu*, tomo huic subjuncto, satis copiose fuerint exposita.

Atque ita vale, LECTOR BENEVOLE, nostrisque conatibus qualibuscunque porro fave.

Scripsimus in academia Eberhardino-Carolina,
quæ est Tubingæ,
d. XIX. April. A. O. R. MDCCLXXIV.

# LOCI XXIII.

## CAPUT XI.

## DE NOTIS ECCLESIAE A BELLARMINO ADSIGNATIS IN SPECIE.

### SECTIO VII.

### DE SEPTIMA ECCLESIAE NOTA VIDELICET VNIONE MEMBRORVM INTER SE ET CVM CAPITE.

§ CCXXXI.

*An unio membrorum inter se & cum capite sit nota ecclesiæ.*

Membrum *primum*. Sitne unio membrorum inter se & cum capite propria & genuina ecclesiæ nota? Respondemus 1) Ecclesiam esse *unam* ex symbolo apostolico & Nicæno confitemur, cujus unitatis rationes exposuimus superius §. XXXIV. inter quas eminet *unitas fidei & doctrinae* Eph. IV. 5. 2) Vnitas ergo *per se* non est nota ecclesiæ, sed oportet eam esse cum *fide & doctrina* conjunctam. Eph. IV. 5. *Vnus Dominus, una fides;* v. 13. *donec occurramus in unitatem fidei.* Athanasius epist. ad Antioch. *Vera duntaxat concordia est, quae est fidei. Sine qua dissensio optima, concordia perniciosissima*, ut scribit Gregorius Nazianzenus orat. I. de pace. 3) Nec quævis fidei & doctrinæ unitas est ecclesiæ nota, sed *unitas verae fidei & doctrinae*, id est, propheticæ & apostolicæ doctrinæ, ea enim sola est immotæ ac perpetuæ veritatis. Oportet igitur unitatem fidei, quæ est ecclesiæ nota, niti uno doctrinæ propheticæ & apostolicæ fundamento, unde ecclesia dicitur *superaedificata super fundamentum prophetarum & apostolorum:* Eph. II. 20. ac de cœlesti Hierosolyma dicitur, quod *murus illius habeat fundamenta duodecim & in illis nomina duodecim apostolorum agni*; Apoc. XXI. 14. inde Zach. VIII. 19. *veritas & pax* conjunguntur, imo veritas paci præponitur, ut intelligamus, eam demum pacem, concordiam & unitatem Deo probari, quæ fundamento & vinculo veritatis gaudet. Joh. VIII. 31. *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* XVII. 21. *Vt sint in nobis unum.* 4) Quamvis ergo vera ecclesia sit *una*, & vera ejus membra in una religione consentiant, ex eo tamen non potest inferri, quod ubicunque est unitas & consensio in religione, ibi statim sit vera & apostolica ecclesia. Est enim duplex unitas, docente Thoma in Eph. IV. lect. I. *una bona, altera mala, una Spiritus, altera carnis. Pietatis unitas est recte credere, impietatis unitas male credere*, ut Ambrosius alicubi loquitur. Vt Dei est una ecclesia, ita diaboli est una Babylon. *Si satanas adversus*

*se divisus est*, inquit Christus Matth. XII. 25. *quomodo stabit regnum ejus?* Vnitas erat inter eos, qui vitulum aureum fabricari postulabant. Exod. XXXII. Omnes Baalitici sacerdotes contra Eliam & Michæam conspirabant. Tempore Jeremiæ totus populus contra verum Dei cultum conspirabat. Christus communi consilio sacerdotum & seniorum ac totius populi suffragio ad mortem condemnatus est. Contra Paulum tota civitas Ephesiorum insurgebat. Post Christi adscensionem Judæi & gentiles contra Christi ecclesiam pugnabant. Hæretici licet ab aliis discrepent, tamen in una hæresi consentiunt. De antichristo prædictum Apoc. XIII. 16. *Facit omnes pusillos & magnos, divites & pauperes, liberos & servos habere characterem in dextra manu sua.* In quem locum sic commentatur Ribera Jesuita: *Significat Apostolus infinitam multitudinem eorum, qui antichristo adhaerebunt.* (utique concorditer & pacifice) Quæ omnia ostendunt, unitatem non quamvis, sed *unitatem fidei & doctrinae;* neque quamvis in fide & doctrina unitatem, sed in vera *apostolica* doctrina & vere *catholica* fide unitatem esse ecclesiæ notam. 5) Quo pertinent dicta veterum, in quibus unitatem ex fidei veritate æstimandam esse docent. Cyprianus lib. de unitat. ecclesiæ: *Ecclesiam* dicit *esse unam, sicut est unum solis lumen, etsi multi sunt radii; una arbor, etsi multi rami; unus fons, etsi multi rivuli, quia unitas servatur in origine*, ubi per originem intelligit Christum & Christi doctrinam. (*) Cum Auxentius Arianus de unitate Arianorum gloriaretur, respondit illi Hilarius lib. contra Auxent. in princ. *Speciosum quidem nomen pacis & pulcra opinio unitatis, sed quis ambigat, eam solam ecclesiae atque evangeliorum unitatem pacem esse, quae Christi est.* Postea addit: *Antichristi ministros pace sua, id est, impietatis suae unitate se factare agentes se, non ut Christi episcopos, sed ut antichristi sacerdotes.* Gregorius Nazianzen. orat. I. de pace: χρεῖσσον ἐμπαθὴς ὁμονοίας ἡ ὑπὲρ εὐσεβείας διάστασις, *Melius est dissidium pietatis causa ortum, quam vitiosa concordia.* Hieronymus epistola ad Theophilum adv. errores Joh. Hierosolym. tom. II. p. 185. *Volumus & nos pacem, sed pacem Christi, pacem veram, pacem sine inimicitiis, pacem, in qua non sit bellum involutum, pacem, quae non ut adversarios subjiciat, sed ut amicos jungat.* Augustinus cum domin. II. post octavas paschae de pace & unitate sermon. I. pacis studium diligenter commendasset, subjungit: *Sed haec pax cum bonis & Dei praecepta servantibus custodienda est, non cum iniquis & sceleratis, qui pacem inter se habent in peccatis suis. Pax Christi ad salutem sempiternam proficit, pax, quae in diabolo est, ad perpetuam venit perditionem. Pax cum bonis & bellum cum vitiis semper habendum est, mala siquidem impiorum hominum odio habenda est.* Hugo lib. III. de clausur. anim. cap. 9. *Pax alia aestimata scilicet impiorum & hujus mundi, alia simulata diaboli & haereticorum, alia imperata, scilicet ne pugnetur contra haereticos.* 6) Sic ergo contra hanc notam argumentamur: quod non convenit veræ ecclesiæ *soli*, non est genuina & propria illius nota. Vnitas per se considerata sine conjuncta veritate fidei & doctrinæ non convenit veræ ecclesiæ *soli*. Ergo non est genuina & propria illius nota. *Adsumtum* patet, quia Muhamedismus, Arianismus, Judaismus & hæreses omnes quamdam unitatem obtinent, absque ea namque non constituerent unum corpus, ecclesiam unam, jam vero hæretici in una hæresi consentientes con-

*Argumenta nostrae sententiae.*

(*) Pagani objecerunt olim christianis, *non vigere inter ipsos fidei unitatem.* Augustinus, libr. de ovibus cap. 15. *Hoc solum illis* (maledicis) *remansit, quod contra nos dicant: Quare inter vos non consentitis? Gentiles pagani, qui remanserunt, non habentes, quod dicant contra Christi nomen, dissensionem christianorum christianis objiciunt.* Clemens Alexand. lib. VII. stromat. *Primum ergo hoc adversus nos adducunt dicentes, non oportere credere propter dissensionem haeresium. Retardatur enim ac differtur veritas, dum alii alia dogmata constituunt. Ad quos dicimus, quod & apud vos Judaeos & apud eos, qui inter Graecos fuere in maxima existimatione, philosophos fuere plurimae haereses, &c.* GERH.

constituunt unum corpus atque ecclesiam unam licet falsam & hæreticam. Augustinus serm. de jejun. *Pagani colentes multos deos diversos, imo litigantes atque inter se hostili odio ardescentes, tenent tamen in iis qualemcunque unitatem, cum pariter eant ad eorum templa, diis ipsis iratis ipsi concordes sunt.* Joh. Ferus in post. serm. III. de cœn. *In omnibus gentibus major est nunc concordia, quam inter nos christianos.* 7) Addendum etiam illud, quod *unitas* fidei & doctrinæ in ecclesia in hac vita non sit *perfecta* & numeris omnibus absoluta, quandoque enim inter veræ ecclesiæ membra incidunt controversiæ, quibus sancta illa unitas scinditur. Distinguendum igitur inter unitatem *absolutam*, perfectam & dissensionis omnis expertem, quæ in ecclesia triumphante demum habebit locum, & inter unitatem *fundamentalem*, quæ in consensione *principalium* articulorum consistit, licet de nonnullis fidei capitibus minus principalibus, vel de ceremoniis adiaphoris, vel etiam de interpretatione quorumdam scripturæ locorum controversiæ incidant, ac talis est illa unitas, quæ in ecclesia militante locum habet, in ea enim nunquam reperitur tanta concordia, quin dissensionibus quibusdam sit permixta. *Ex parte enim in hac vita cognoscimus, ex parte prophetamus.* 1 Cor XIII. 9. Augustinus lib. XV. de civ. Dei cap. 5. *Boni & boni, si perfecti sunt, inter se pugnare non possunt. Proficientes autem nondumque perfecti ita possunt, ut bonus quisque ex ea parte pugnet contra alterum, qua etiam contra semet ipsum. Et in uno quippe homine caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem. Concupiscentia ergo spiritualis contra alterius potest pugnare carnalem, vel concupiscentia carnalis contra alterius spirituale, sicut inter se pugnant boni & mali vel certae ipsae concupiscentiae carnales inter se duorum bonorum nondum utique perfectorum, sicut inter se pugnant mali & mali, donec eorum, qui curantur, ad ultimam victoriam sanitas perducatur.* Quo in loco Augustinus aperit causam dissidiorum in ecclesia. Vere pii nondum sunt perfecte renovati, sed remanent in illis reliquiæ carnis, ergo non perveniunt ad exactam & perfectam mysteriorum fidei notitiam, sed in quibusdam hallucinantur ac titubant. Caro in renatis adhuc pugnat contra Spiritum, facile igitur contingere potest, accedente præsertim diaboli impulsu, ut carnalibus opinionibus indulgentes contentiones in ecclesia excitent, interim nisi accedat pertinacia ac nisi fundamentum fidei convellatur, a corpore ecclesiæ propterea non statim separantur. Id ipsum comprobant exempla: *Fratres quidam expostulabant cum Petro, quod ausus fuisset evangelium gentibus praedicare.* Act. XI. 2. *Paulus in faciem restitebat Petro non recto pede ambulanti ad veritatem.* Gal. II. 11. Inter Barnabam & Paulum incidebat παροξυσμός. Act. XV. 39. In ecclesia Corinthiorum excitata erant schismata, profanatio cœnæ irrepserat, de adiaphoris odiose contendebant, articulum de resurrectione quidam eorum in dubium vocabant &c. neque tamen Paulus toti cœtui ecclesiæ nomen propterea derogat, sed scribens ad eos adhuc adpellat ecclesiam Dei. 1 Cor. I. 2. In ecclesia Galatarum articulus de justificatione corruptelis pseudoapostolorum depravatus erat; interim quia adhuc dociles erant, ac quidam adhuc recte sentiebant, ideo cœtus Galatarum Paulus adhuc vocat ecclesias. Gal. I. 2. Agnoscit hoc ipse Bellarminus lib. IV. de eccles. mil. cap. 2 §. Tertio veræ: *Ecclesiae Corinthiorum & Galatarum, ad quas scribebat apostolus, verae ecclesiae erant, dicit enim apostolus, se scribere ecclesiis Dei, quae sunt Corinthi vel in Galatia, & tamen arguuntur Corinthii, quod docerent, non futuram esse resurrectionem, & Galatae per totam fere epistolam reprehenduntur, quod docerent, servandam esse legem Mosis cum evangelio.* Tempore Cypriani gravissima contentio erat in ecclesia de baptizandis illis, qui ab hæreticis ad ecclesiam redibant, (*) ex utraque parte stabant multi & docti episcopi utraque sententia diversarum syn-



(*) Historiam hujus contentionis copiose edisserimus in commentatione historico-theolog. *de fallibili rom. pontificis auctoritate, cap. V. §. 2. p. 200. seqq.*

odorum decretis & adprobata & improbata est, neque enim iis, qui Cyprianum sequebantur, ecclesiæ & unitatis nomen ademtum fuit ab illis, qui rectam sententiam tenebant, ac vice versa illis, qui rectam fidem tenebant, non fuit ecclesiæ & unitatis nomen ademtum ab illis, qui Cypriano & Africanis episcopis adhærebant. Tempore Cornelii inter orientales & occidentales ecclesias gravis fuit contentio de tempore celebrandi paschatis. (*) Neque tamen quispiam eorum, qui Polycarpo, Smyrnensis ecclesiæ episcopo, adhærebant, illis, qui cum Hygino, Romanæ ecclesiæ episcopo, faciebant, nomen ecclesiæ denegavit, quin imo cum Victor, Romanus episcopus, dissentientes hoc nomine excommunicaret, & ecclesias Asiaticas a corporis unitate abscindere conaretur, graviter hoc nomine ab Irenæo & aliis episcopis fuit reprehensus, nec sententia ejus ullam in ecclesia autoritatem obtinuit, ut ex Eusebio cognosci potest. Inter Basilium & ecclesiam Cæsariensem controversia fuit de ecclesiasticis cautionibus ac ceremoniis: inter Chrysostomum & Epiphanium de libris & doctrina Origenis: inter Hieronymum & Augustinum de operibus legis, ex quibus neminem justificari apostolus adserit; de simulatione Petri; de origine animæ &c. quin imo si scripta patrum pervolvantur, adparebit, patres non solum ab aliis, sed etiam a se ipsis quandoque dissentire, ut certum sit, omnimodam & numeris omnibus absolutam unitatem in hac vita non esse sperandam, ac proinde non quodlibet dissidium ecclesiæ & unitatis communionem continuo tollit.

*Argumenta Bellarmini pro unione.*

§. CCXXXII. Bellarminus, ut probet unionem membrorum inter se & cum capite esse notam ecclesiæ, I.) producit testimonia scripturæ, in quibus ecclesia dicitur *unum corpus, una sponsa, unum ovile &c.* quibus addit *symbolum Constantinopolitanum*, in quo confitemur *unam ecclesiam*. Ac paulo post, ut probet, concordiam esse signum regni Dei, adducit dictum Christi: Matth. XII. *Omne regnum in se divisum desolabitur*, & dictum apostoli 1 Cor. XIV. *Non est dissensionis Deus, sed ordinis.* Resp. nemo nostrum negat, ecclesiam esse unam, probandum vero erat, unitatem *per se & solitarie* acceptam esse genuinam & propriam ecclesiæ notam, quod nos negamus, quia inter causas, propter quas ecclesia est & dicitur una, non postremum locum obtinet *unitas fidei & doctrinae*, quod agnoscit ipse Bellarminus lib. III. de eccl. cap. 5. Vnitas ergo per se & solitarie sumta non est ecclesiæ nota, sed unitas *in fide* & quidem vera fide & doctrina; ac proinde de unitate judicandum est ex fidei veritate, sicque redimus ad notam ecclesiæ a nobis adsignatam, quod scilicet doctrinæ propheticæ & apostolicæ veritas sit vera ecclesiæ nota. Competit quidem ecclesiæ unitas, sed non soli, cum in ipso satanæ regno & in hæreticorum conventiculis quædam unitas reperiatur, sicut Christus ibidem disertis verbis regno satanæ quamdam unitatem tribuit Matth. XII. 25. proinde nec omnis unitas a Deo, nec omnis dissensio est a diabolo, sed est sancta quædam dissensio, de qua Luc. XII. 51. unitas ergo est ecclesiæ accidens, sed non statim est propria nota. Si vero unitas intelligatur cum veritate fidei & doctrinæ conjuncta, fatemur, eam esse ecclesiæ propriam, proinde etiam genuinam illius notam, sed Bellarminus hanc spiritualem & internam veræ fidei ac doctrinæ unitatem, per quam vera catholicæ ecclesiæ membra Christo capiti suo & inter se tanquam unius corporis mystici membra unita sunt, prætermittit, & ad externam quamdam unitatem nos revocat.

§. CCXXXIII. Subjicit enim II.) per *unionem cum capite accipiendam esse unionem cum pontifice Romano, ac producit testimonia quaedam patrum, utpote Irenaei lib. III. cap. 3. Cypriani lib. I. epist. 3. Ambrosii in orat. de obitu Satyri; Hieronymi in epist. ad Damas. Optati lib. II. contra Parmen. Augustini epist. CLXII. ac Leonis epist. LXXXVII. quibus evincere conatur, apud veteres conjunctionem cum Romano pontifice semper fuisse habitam pro*

(*) Exhibuimus hujus quoque controversiæ historiam *loco* modo *excitato, cap. V. §. 2. p. 196. seqq.*

*pro nota verae ecclesiae.* Resp. 1.) Ex scriptura probandum erat hoc papalis fidei principium & fundamentum, quod papa Romanus sit caput ecclesiæ, & quod conjunctio cum papa Romano sit vera ecclesiæ nota, siquidem fatetur ipse Bellarminus lib. II. de conc. cap. 12. *patrum scripta non esse fidei regulas, nec habere autoritatem obligandi.* Ac Thomas part. I. q. 1. art. 8. agnoscit, *ex dictis patrum non nisi probabiliter in articulis fidei aliquid concludi.* Jam vero 2.) in scripturis altum de hoc capite ecclesiæ Romano papa est silentium. Quæ enim ex illis de primatu Petri proferuntur, ea præterquam quod vitiose exponuntur de monarchica quadam in reliquos apostolos potestate, tam non pertinent ad papam Romanum, quam ad patriarcham Constantinopolitanum. Leguntur, quæ operose disputat Bellarminus lib. II. de pontifice Romano cap. 12. ut probet, *papam Romanum in ecclesiastica monarchia succedere Petro;* & liquido adparebit, quam inanibus & frivolis argutiis hanc *summam rei christianae* (ita enim primatum papæ monarchicum adpellat in præfatione libri de pontifice) demonstrare conetur. Non adferuntur clara & diserta scripturæ testimonia, sed incertæ tantum conjecturæ & male cohærentes conclusiunculæ. *Nemo* (inquit) *gessit se pro successore Petri, vel pro tali est habitus, nisi episcopus Romanus & Antiochenus.* Sed *Antiochenus non successit in pontificatu, quia Petrus relicta Antiochia profectus est Romam, ibique sedem fixit, & mortuus est. Ergo Romanus ei successit.* (Quasi vero is, qui pro alterius successore sese gerit, statim jure divino illius sit successor. In apostolatu nec Romanus nec Antiochenus episcopus Petro successerunt, in ministerio uterque ei successit. Quod additur, Petrum relicta Antiochia sedem papalem Romæ fixisse, ex scripturis erat probandum, non autem nude adserendum. Onuphrius in addit. ad Platinam strenue negat, Petrum relicta Antiochia Romam esse profectum, idque ex antiquis autoribus probare conatur, & tamen Bellarminus tam confidenter hoc adserit.) Tandem addit Bellarminus: *Observandum est, licet forte non sit de jure divino, Romanum pontificem ut Romanum pontificem Petro succedere, tamen ad fidem catholicam id pertinere. Non enim est idem, aliquid esse de fide, & esse de jure divino. Etsi igitur Romanum pontificem Petro succedere non habeatur expresse in scripturis, tamen succedere aliquem Petro deducitur evidenter ex scripturis, illum autem esse Romanum pontificem, habetur ex traditione apostolica Petri, quam traditionem concilia generalia, pontificum decreta & patrum consensus declaravit.* (Vbi fatetur Bellarminus, non posse ex scripturis deduci, quod pontifex Romanus Petro successerit, id quod nobis sufficit, qui scripturæ plenitudinem adoramus, ac proinde pontificem pro ecclesiæ capite agnoscere non possumus.) 3) Scriptura non solum nusquam dicit, papam Romanum esse ecclesiæ caput, sed etiam contradicit. Nullum enim alium nominat *ecclesiae caput* quam Christum, Eph. I. 22. V. 24. nec *sponsum* alium ecclesiæ constituit præter Christum, Joh. III. 29. nec ἀρχιποιμένα alium agnoscit quam solum Christum; Joh. X. 12. 1 Petr. II. 25. unde apostolica & primitiva ecclesia apostolorum temporibus proxima pontificem Romanum non agnovit pro ecclesiæ capite, sed hunc honorem uni Christo dependit, qui solus vitam & Spiritum mystico suo corpori suppeditat. 4) Olim cum pii veteres conjunctionem cum ecclesia Romana colebant, tradux fidei apostolicæ in ea adhuc servabatur, hodie vero doctrina apostolica multis corruptelis & erroribus est conspurcata. Ergo ut olim propter conservatam doctrinæ apostolicæ sinceritatem omnes ecclesiæ cum Romana debebant communicare, ita hodie propter depravationem doctrinæ apostolicæ debent ab ea secedere. Quemadmodum pontifices Romani ab antecessoribus suis Romanis episcopis seculo apostolorum proximis plurimum hodie degenerarunt: ita quoque Romana ecclesia hodierna ab antiqua sinceritate ac puritate longissime recessit. 5) Patres ad ecclesiam Romanam nequaquam provocarunt hoc animo, quod monarchicum quemdam dominatum in ecclesias reliquas ei concederent, quia *ante*

*concilium non magnus respectus ad eam habebatur*, teste Æneа Sylvio in gest. conc. Basil. sed quia constantia in fidei veritate, martyrum copia, loci splendore, & aliis prærogativis reliquas excellebat, ut ostendimus superius §. 194. membr. 6.

§. CCXXXIV. Quod enim talem quamdam *monarchicam & αὐτοκρατορικὴν* potestatem, qualem sibi Romanus pontifex hodie arrogat, pii veteres Romano episcopo haudquaquam tribuerint, ex verbis & factis ipsorum constat. Bellarminus inter patres I) producit *Irenaeum*, qui adserit, *propter potentiorem principalitatem omnem ecclesiam debere convenire ad Romanam* (*). At idem Irenæus Victori, episcopo Romano, ecclesias Asiaticas excommunicanti restitit, proinde nequaquam infallibile judicium illi adtribuit. Eusebius lib. V. histor. eccles. cap. 23. ex Irenæo hæc adducit: *Fecit Victor abscindi tantas ecclesias, quae morem sibi antiquitus traditum custodiebant, quibus cum praedecessores communionem habuerant, nec potuit Anacletus episcopus Romanus Polycarpo persuadere, ut suum pascha observandi morem ab ecclesia Romana diversum deponeret.* Ergo nec Polycarpus episcopum Romanum pro infallibili capite agnovit. Erasmus præfat. in lib. Iren. *Irenaeus, presbyter ecclesiae Lugdunensis, ad componendum illud dissidium Romam mittitur, martyrum literis mirifice commendatus, qui magna libertate Victorem reprehendebat.* Cornel. Agrippa de vanit. scient. cap. 59. *Victor pontifex omnes simul orientales & australes ecclesias a communione amputabat, cui tunc inter ceteros excellentissimos viros restitit Polycrates, Asiae episcopus; & Irenaeus Victorem pontificem tanquam pacis turbatorem acriter objurgabat.* Aut ergo Polycarpus, Polycrates, Irenæus & ecclesiæ Asiaticæ damnandæ sunt, aut concedendum, quod unio cum Romano pontifice non sit essentialis ecclesiæ.

*Dictum Irenaei.*

II.) Bellarminus producit *Cyprianum*, qui cathedram Romanam agnoscat *ecclesiae catholicae matricem & radicem, atque ab ecclesia principali unitatem sacerdotalem exortam esse* statuat. Atqui quomodo Cyprianus Romano episcopo jurisdictionem & monarchicam potestatem in reliquos episcopos adsereret, cum ne Petro quidem in reliquos apostolos eam adsignaverit? Hoc *erant utique & ceteri apostoli*, (scribit tract. III. de simpl. prælat. pag. 113.) *quod fuit Petrus, pari consortio praediti & honoris & potestatis;* idem Cyprianus Cornelio, statuenti non esse baptizandos ab hæreticis baptizatos, nequaquam sese subjecit, sed concilio Romano oppositit concilium Africanum. Bellarminus lib. III. de verbo Dei cap. 6. § Tertio seculo; *Cornelius Romae concilio habito decrevit non esse baptizandos, qui ab haereticis baptizati essent, & postea Stephanus papa idem praecepit.* Idem lib. IV. de pont. cap. 7. §. Tertia ratio; *Cyprianus in concilio LXXX. episcoporum definivit haereticos rebaptizandos, ac pertinaciter restitit pontifici Stephano, definienti haereticos non rebaptizandos, quem in epistola ad Pompejum vocavit superbum, imperitum, caecae & pravae mentis.* Cassander in consult. art. VII. *Cum Stephanus Cyprianum a sua communione repelleret, & episcopos ab illo ex Africa legatos nec ad sermonem communis colloquii admitteret, & praeciperet universae fraternitati, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax & communio, sed & tectus & hospitium negaretur &c. tamen Cyprianus in illo dissidio pacis & unitatis vinculum constantissime retinebat mente pacificus.* Censuit igitur Cyprianus unitatem catholicam locum habere citra unionem cum Romano pontifice. Quod Cyprianus *unitatem sacerdotalem ab ecclesia principali ortam esse* adstruit, id Polydorus lib. IV. cap. 6. sic exponit: *Ne quis erret, nulla alia ratione episcopalis ordo*

*Cypriani.*

(*) Hæc IRENAEI verba, quæ libr. III adv. hæres. cap. III. leguntur, de *prærogativa* ecclesiæ Romanæ *præ ceteris* ecclesiis, non tamen *potestate* sive jurisdictione *super easdem* explicanda esse, dudum monuerunt protestantes. Vid. SALMASIVM in libr. *de primatu papae* p. 65. Conferenda tamen, quæ GRABIVS in notis ad h. l. p. 201. adnotavit.

*do ab episcopo Romano profectus dici potest, nisi apud Italos duntaxat id factum intelligatur, cum perdiu ante adventum Petri in urbem Romam apud Hierosolymas sacerdotium rite institutum fuisse liquido liqueat.* Eodem modo intelligendum, quod *Romana* ecclesia sit *radix & matrix ecclesiae catholicae*, nimirum quia Roma fuit Italiæ metropolis & imperii sedes, alias simpliciter & absolute de ecclesia novi testamenti loquendo, *Hierosolyma* est mater omnium ecclesiarum. (*) Theodoretus lib. V. cap. 9. quia ex Sion *exivit lex & verbum Domini de Jerusalem* Esaj. II. 3. Alii addunt non Romam, sed unitatem per ecclesiæ catholicæ matricem ac radicem a Cypriano intelligi, sequitur enim in eadem epistola: *ut ecclesiae catholicae unitatem concorditer teneamus.* III.) Bellarminus adducit *Ambrosium*, cui sint ἰσοδυναμοῦντα *cum episcopis catholicis & cum ecclesia Romana consentire.* Atqui Ambrosius Romanam ecclesiam tunc temporis sanctam & orthodoxam venerabatur, non ut fidei dominam, sed ut sociam, libere enim ab ea dissentiebat in quæstione de lotione pedum lib. III. de sacram. cap. 1. *In omnibus sequi cupio ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, & nos recte custodimus.* Longe vero alia ratio est ecclesiæ Romanæ *hodiernae*, quam quæ fuit *antiquae*, quia quam fidem hodierna persequitur, eam antiqua olim sequebatur, proinde Ambrosius illi utpote papali tyrannide oppressæ & a puritate doctrinæ apostolicæ longissime digressæ nequaquam illum honorem tribueret, cum ne antiquam quidem absolute & in omnibus sine ulla exceptione sequi voluerit. IV.) Producitur Hieronymus, qui *cathedrae Petri communione consociari desideret, ac potestatem dicendi tres hypostases a Damaso requirat.* Atqui non de quodam dogmate, sed de vocabuli alicujus usu tunc erat quæstio, putabat enim Hieronymus in voce *hypostaseos* veneni aliquid latere. Quod igitur Damasi judicium & autoritatem ante usum hujus vocabuli requisivit Hieronymus, argumentum est fraternæ concordiæ, nequaquam vero dominationis pontificiæ, cum in causis ecclesiasticis *Damasum a se adjutum* scribat Hieronymus in epist. ad Agentiam. Quid vero de primatu pontificio statuerit, manifestum est ex ipsius verbis in epist. ad Evagrium: *Si autoritas quaeritur, orbis major est urbe.* (Roma) *Vbicunque episcopus est, sive Romae, sive Tanais, sive Eugubini, ejusdem est meriti, ejusdem sacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas sublimiorem vel inferiorem episcopum non facit. Quid mihi profers urbis consuetudinem? quid mihi objicis paucitatem, de qua ortum est superbium?*

V.) Adfertur Optatus Milevitanus, qui docet, *primam & praecipuam ecclesiae dotem esse cathedram Petri, ac Donatistas non pertinere ad ecclesiam, quia non essent cum Siricio conjuncti.* Resp. conjunctionem cum Romana ecclesia requirebat, non ut cum matre ac domina ecclesiarum reliquarum, sed ut fidei apostolicæ custode. Quod enim cum ecclesia Romana ideo coluerint unitatem, quia episcopus illius sit universale caput & monarcha omnium ecclesiarum, de eo ne γρῦ quidem exstat apud Optatum vel alios ex veteribus.

VI.) Producitur Augustinus, qui in ecclesia Romana *apostolicae cathedrae semper viguisse principatum* agnoscat. Resp. Augustinus ibidem adserit, reliquas ecclesias per literas communicatorias tunc temporis cum Romana fuisse conjunctas, sed hodie per tyrannicam oppressionem sibi omnes cupit esse subjectas, quod nec jure divino congruum, nec consuetudine illorum temporum receptum, unde recte scribit Zabarella cardinalis in c. licet. extra de electione: *Papa invasit omnia jura inferiorum ecclesiarum, adeo ut inferioris ordinis praelati pro nihilo sint, & nisi*

*Ambrosii.*

*Optati Milevitani.*

*Augustini.*

*Hieronymi.*

(*) Scilicet prima omnium ecclesiarum fuit *Hierosolymitana*, quæ eam ob rationem *mater* cæterarum recte dicitur, quia discipulis ob persecutionem Hierosolymis abeuntibus dispersisque cæteras genuit. Vid. Peaffivm in *originib. juris ecclesiast. artic.* II. *not.* (yy) p. 79.

*nisi Deus succurrat, vehementer periclitaturus est status ecclesiarum.* Adde, quod Carthaginensem ecclesiam, cui Augustinus tunc praerat, non solum cum Romana, sed etiam cum ceteris per communicatorias literas fuisse conjunctam ibidem adserat. Sic enim scribit: *Cum se videret* (episcopus Cecilianus) *Romanae ecclesiae, in qua semper apostolicae ecclesiae viguit principatus, & caeteris terris, unde evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctum.* Ceterum quod Augustinus haudquaquam suprematn in reliquas ecclesias jurisdictionem Romano episcopo concesserit, ex actis concilii Carthaginensis manifestum est. Cum enim Apiarius ab episcopis Africanis episcopatu suo Siccensi dejectus ad episcopum Romanum adpellaret, qui eum absolvendum & restituendum ecclesiae judicabat, quod factum suum fictitio quodam Nicaeni concilii canone munjebat, Africani ad patriarchales sedes Alexandrinam, Constantinopolitanam & Antiochenam nuncios ablegabant, qui exemplaria canonum Nicaenorum ex archivis illarum Africam deferrent, sed in illis canon de adpellando ad Romanum pontificem non inveniebatur, unde in concilio Africano, cui Augustinus cum aliis ducentis ac duobus patribus interfuit, conclusum fuit, neminem ad Romanum pontificem provocare licere; *nisi forte* (inquiunt) *credat quispiam, unicuilibet posse Deum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus in concilio congregatis denegare*, ex quo adparet Augustinum & episcopos Africanos unionem cum Romano pontifice tanquam cum capite & monarcha minime coluisse. In concil. Carthag. III. can. XXVI. & Hipponensi can. XXVII. statuunt, *nullum episcopum vocandum esse summum sacerdotem aut principem sacerdotum*, quos canones pontificis primatui oppositos esse nemo non videt. Quid quod in eadem epistola CLXII. in qua Romanae ecclesiae principatus cathedrae apostolicae tribuitur, de Donatistis refertur, quod in *causa Majorini ab imperatore, non a pontifice Romano judicem petierint, quod imperator illis dederit judicem, non solum episcopum Romanum, sed etiam alios episcopos, quod ab hoc judicio pontificis & episcoporum Donatistae provocarint ad imperatorem, & alios judices postularint, quod imperator alios illis dederit judices, qui post papam & priores judices causam discuterent*, quae omnia pontificis dominatui extreme adversantur. VII. Tandem producitur *Leo*, qui adserat *in Petro* *Leonis.* *apostolorum omnium summo praedicationis evangelii sacramentum principaliter a Christo collocatum esse, ut ab ipso velut capite dona sua in corpus omne diffunderet, ut exsortem se mysterii intelligeret divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.* Resp. idem Leo serm. I. in nat. apost. de Petro & Paulo sic loquitur: *Hos gratia Dei in tantum apicem inter omnia ecclesiae membra provexit, ut eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum, de quorum meritis & virtutibus nihil diversum sentire debemus discretum, quia illos & electio pares & labor similes & finis fecit aequales*; ubi non Petro, sed Christo capitis honorem & adpellationem recte tribuit. Multo minus se ipsum Leo pro capite ecclesiae venditavit, vel venditare etiam potuit, ipsius enim tempore Constantinopolitana sedes potestatem habebat parem sedi antiquioris Romae, & *in ecclesiasticis negotiis aeque magnificabatur*, juxta canonem concilii Carthaginensis, qui exstat c. renovantes distinct. 22. quem tamen canonem Romani pontificis adsentatores postea depravarunt. Vbi enim patres Constantinopolitani dicunt ὁρίζομεν, *definimus*; illi substituerunt *petimus*. Vbi Constantinopolitani dicunt & *in ecclesiasticis aeque magnificetur*, illi substituerunt, *non tamen in ecclesiasticis rebus aeque magnificetur*, quam falsitatem ipsimet pontificii coacti sunt agnoscere, in editione enim Gregoriana pro *non tamen*, repositum est, *nec non*. Ceterum quod Leo nondum obtinuerit monarchicam potestatem, patet ex eo, quod epist. XLV. Pulcheriae Augustae supplicat, ut mandet Eutychetem in remotiora loca relegari, quod epist. LXXIII. LXXIV. LXXV. Anatholium Constantinopolitanum vocat suum *coepiscopum*, quod epist.

XXIV.

XXIV. imperatori supplicat, ut concilium in Italia indicat, quod episc. LXXIII. imperatori supplicat, ut mandet Alexandrinis, ut in Dioscori locum alium episcopum eligant.

§. CCXXXV. Testimoniis Patrum addit Bellarminus experientiam. *Videmus* (inquit) *omnes illas ecclesias, quae ab isto capite* (pontifice Romano) *se diviserunt, tanquam ramos praecisos a radice continuo aruisse. Certe ecclesiae Asiaticae & Africanae, quae quondam ita florebant, ut numerosissima concilia celebrarent, & semper haberent multos homines vel doctrina vel sanctitate vel utroque Dei munere clarissimos; ab eo tempore, quo a Romana ecclesia schisma fecerunt, nulla concilia celebrarunt, nullos habuerunt homines fama sanctitatis aut doctrinae toti orbi notos, & nunc in summa ignoratione versantur.* (*) Respondemus, 1.) De statu Asiaticarum & Africanarum ecclesiarum diximus superius §. 186. quod scilicet in quibusdam articulis puriorem & sinceriorem habeant fidei confessionem quam Romana, quodque duratione, antiquitate & amplitudine neutiquam illi cedant. Lib. II. de Christo cap. 30. Bellarminus eadem ferme repetit, quod *ecclesiae Graeca post schisma nullum habuerit concilium, nullum virum sanctum, miraculis clarum, paucissimos doctos.* Et addit: *Multi comparant ecclesiam Graecam regno Samariae, quod separavit se a templo, & in captivitatem perpetuam est abductum.* Sit ergo Romana ecclesia Jerusalem & putet sibi dictum, quod exstat Ezech. XVI. 51. *Samaria secundum dimidium peccatorum tuorum non peccavit, & multiplicasti prae illis abominationes tuas.* 2.) Non qui a papa, sed qui a Christo sese separant, desinunt esse ecclesiae membra, quia caput ecclesiae non est papa, sed Christus. Joh. XV. 6. *Si quis in me non manserit, arescet ut palmes.* Eph. IV. 16. *Christus est caput, ex quo totum corpus compactum & coagmentatum crescit.* 3.) Multi a papa fuerunt divisi, qui tamen vera ecclesiae membra manserunt. (**) Victor excommunicavit Asiaticas ecclesias, quae tamen fuerunt verae ecclesiae, & habuerunt multas synodos & orthodoxos episcopos. Marcellinus idololatra (***) damnatus est a synodo Romana, ergo separavit se ab eo ecclesia

(*) Vide quoque Jacobum Grasserum de ecclesia meridionali & occidentali. GERHARDVS.

(**) Lindanus lib. IV. panopl. cap. 98. scribit, *ecclesiam Africanam ob centenariam fere separationem per centum illos annos fuisse schismaticam, atque a toto Christi corpore divulsam.* Bellarminus de matrim. cap. 15. *Graeci se jamdudum a Romana ecclesia separaverunt.* Idem lib. II. de Roman. pontif. cap. 25. art 46. in quadam object. *Ex epistolis Bonifacii II. ad Eulalium, Alexandrinum episcopum, & Eulalii, episcopi Carthaginensis, ad eundem Bonifacium colligitur, post concilium Carthaginense VI. quod erat anno Domini 409. in causa Apiarii presbyteri, per annos centum separatos fuisse Carthaginenses episcopos a communione Romanae ecclesiae, & tum demum reconciliatos subjiciente se Eulalio Romanae sedi & anathematizanti antecessores suos.* (Africani illi episcopi in suo centenario dissidio non senserunt, unionem cum Romano pontifice esse notam veræ ecclesiæ.) Respondet Bellarminus l. d. *epistolam illam Bonifacii videri sibi supposititiam*, sed alii pontificii multis probant, illam esse genuinam, & Bellarminus ipse addit art. ult. *se nihil hac in parte certi affirmare.* GERHARDVS.

(***) Idololatria, quam MARCELLINO, praesuli romano cum aliis huic tribuit GERHARDVS, in eo constitisse vulgo dicitur, quod tempore persecutionis *Diocletianae* in christianos subortae, Jovis simulachro in templo Isidis & Vestae thus adoleverit. Provocant, qui veritatem hujus historiae defendere adnituntur, inter alia ad acta *Synodi* non quidem *Romanae* (quam supra nominat GERHARDVS) sed *Sinuessanae*, quam BARONIVS ad A. CCCIII. refert. In hacce enim synodo MARCELLINVS lapsum suum agnovisse, atque episcoporum judicio se submisisse dicitur. Addunt, inter ipsos ecclesiae Rom. antistites NICOLAVM I. in sua ad MICHAELEM, Grœcorum imperatorem epistola, lapsus hujus tanquam historiae fide dignae feciss mentionem. Ast longe graviora sunt eorum argumenta, qui veritatem hujus historiae in dubium revocant. Neque enim EVSEBIVS, qui persecutionem *Diocletianam* in historia sua descripsit, neque alii scriptores coævi ullam hujus rei fecerunt mentionem. Ipse quoque AVGVSTINVS innocentiam Marcellini contra episcopos adcusantes defendit *libr. V. contra Petilianum cap. XV.* Accedit & hoc, quod concilium *Sinuessanum*, cui hæc historia unice innititur, a tota antiquitate ignoratum atque recentiori demum ætate confictum sit, prout in commentatione nostra *de fallibili pontificis rom. auctoritate cap. V. §. IX. p. 223. seqq. not. (3)* luculenter comprobavimus. Pauca quidem, sed lectu digna sunt, quæ hanc in rem scripsit cel. WAL-

sia Romana, quæ tamen fuit tunc temporis vera ecclesia. Liberius Athanasium acerrimum fidei catholicæ defensorem damnavit, quia in ejus damnationem consensit. (*) Bellarminus lib. IV. de Roman. pontif. cap. 9. *Liberius pontifex interpretative consensit in damnationem Athanasii, eumque damnari permisit, quem sciebat causa fidei persecutionem pati.* (**) Baronius tom. III. annal. anno Christi 357. p. 709. *Liberius sententiae adversus Athanasium latae subscripsit, & decreta fidei in Sirmiensi synodo scripta suscepit.* Ad Vrsacium & Valentem (Arianos) sic scribit Liberius: *Cognoscat prudentia vestra, Athanasium ab ecclesiae Romanae communione separatum esse.* (***) Atqui num propterea Athanasius desiit esse membrum ecclesiæ catholicæ? minime vero, sed per suam a capite ecclesiæ Romanæ dissensionem veram cum vero ecclesiæ catholicæ capite Christo retinuit unionem. Honorium monotheletam damnavit VI. synodus Constantinopolitana act. XIII. *Cum his simul profiti a sancta Dei catholica ecclesia simulque anathematizari praecipimus & Honorium, qui fuerat papa antiquus Romae, eo quod in omnibus Sergii* (monotheletae) *mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit.* (****) Hac separatione a capite ecclesiæ Romanæ patres Constantinopolitani communionem retinuerunt cum ecclesia catholica. Possent hujusmodi exempla plura adferri, sed de his alibi commodius agitur. *Johannem* XII. suadente clero Romano deposuit *Otho* I. imperator pietatis laude illustris: Platina in vita Johan. *Leoni* VIII. clerus populusque Romanus pontificatum abrogabant. Idem in vita Leon. *Johannem* XXIII. synodus Constantiensis; *Eugenium* synodus Basileensis ex solio papali deturbavit. Aut igitur unio cum pontifice Romano non est necessaria ad unitatem ecclesiæ catholicæ; aut illi, qui pontifices deposuerunt, ab unitate catholica fuerunt separati. 4.) Cum papa hæretico non est communicandum, qui enim exploratæ hæresi ac manifestis hæreticis adhæret, ab ecclesiæ corpore separatur. Jam vero papa potest in hæresin incidere, quod non negant quidam ex pontificiis. Bellarminus lib. IV. de pontif. cap. 2. *Secunda sententia est, pontificem etiam ut pontificem posse esse haereticum, & docere haeresin, si absque concilio generali definiat, & de facto ita aliquando accidisse. Hanc opinionem sequitur Nilus in lib. adverf. primatum papae, eandem secuti sunt aliquot Parisienses, ut Gerson & Almain, nec non Alphonsus de Castro lib. I. contra haeref. cap. 2. & Adrianus VI. in quaestione de confirmatione.* Hanc sententiam Bellarminus non audet vocare *haereticam, cum tolerentur ab ecclesia, qui eam sequuntur.* Atqui si non est hæreticum statuere, quod papa possit in hæresin incidere, utique etiam non erit hæreticum statuere, quod unio cum pontifice tanquam cum capite non requiratur ad unionem cum ecclesia catholica. Ratio *consecutionis* est manifesta, quia pontificem esse hæreticum, & communionem cum pontifice esse catholicam, sunt *ἀντιφατικά*. Cusanus lib. II. de concord. cathol. cap 17. *Cum papa est haereticus, tum unusquisque laicus tenetur se ab illo separare, & per ipsam separationem dicit illi anathema.* 5.) Pontifex potest ab ecclesia auferri salva manente ecclesiæ catholicæ unitate, ut docet Gerson in libro *de aufe-*

Walchius, theologus Goettingensis, in *der Historie der römischen Pæbste, p. 67. seqq.* edit. secund. Idem *loc. cit. p. 68.* in *not.* præcipuos auctores, qui argumentum hoc uberius pertractarunt, diligenter recensuit. Jungi tamen iisdem meretur Jac. Basnagius in *histoire de l'église tom. I. p. 364.*

(*) Tria sunt eaque diversissima crimina, de quibus Liberium adcusarunt veteres, primo quidem de communione cum Arianis inita, deinde de damnatione Athanasii, acerrimi fidei catholicæ defensoris, ac denique tertio de subscriptione confessionis Sirmiensis ab Arianis confectæ. Conferenda, quæ hanc in rem diximus in *commentatione* nostra modo adlegata §. X. *p. 225. seqq.*

(**) Athanasius ad solit. vit. agentes: *Liberius post exactum in exsilio biennium inflexus est, minusque mortis ad subscriptionem inductus.* Gerhardus.

(***) Confer. & epistolas Liberii, quarum unam ad episcopos orientales Arianos, alteram ad Vrsacium, Valentium & Hermium itidem Arianos dedit, apud Baronium tom. III. annal. ad annum 359. Gerh.

(****) Vid. si placet, *commentationem* nostram modo excitatam, *p. 273 seqq.*

*auferibilitate papae.* (*) Idem probatur ex diuturna sedis Romanæ vacantia & ex schismaticis dissensionibus Romanorum pontificum, quorum viginti enumerat Genebrardus, quem numerum auget Onuphrius. Fuerant quandoque simul tres papæ, nec, quis erat legitimus, constabat, jam vero *dubius papa habetur pro non papa*, ut disputat Bellarminus lib. IV. de Romano pontifice cap. 14. Aut igitur unio cum pontifice Romano non est necessaria ad unitatem ecclesiæ catholicæ, aut eo tempore, quo vel nullus vel incertus fuit papa, desiit catholicæ ecclesiæ unitas. 6.) Bellarminus ipse concedit, *incidere posse tempus ejusmodi, quo liceat pontifici resistere.* Ergo agnoscat incidere posse tempus ejusmodi, quo liceat ab unione cum pontifice recedere. *Connexio* est manifesta, quia majus est resistere, minus ab unione recedere, jam vero si licet majus, licebit etiam minus. *Antecedens* probatur ex libro II. de Romano pontifice cap. 29. §. Respondeo negando; *Licet resistere pontifici invadenti animas vel turbanti rempublicam, & multo magis, si ecclesiam destruere adniteretur. Licet, inquam, ei resistere non faciendo quod jubet, & impediendo, ne exsequatur voluntatem, non tamen licet eum judicare vel punire vel deponere, quod non est nisi superioris.* 7.) Concilium generale potest papam deponere. Ergo unio cum pontifice non est essentialiter necessaria ad unitatem ecclesiæ catholicæ. *Antecedens* a multis pontificiis asstruitur, videlicet a cardinale Cameracensi, Cusano, Panormitano, Gersone, Alphonso de Castro, Occamo &c. (**) Idem definitum in concilio Basileensi & Constantiensi, Bellarminus etsi statuat, *summum pontificem esse supra concilium*; fateri tamen cogitur, *in nullo generali concilio id esse definitum, ideoque ad hanc diem quæstionem superesse inter catholicos*; libro II. de concil. cap. 13. §. *Deinde.* Æneas Sylvius, postea Pius II. pontifex de gest. concilii Basileensis fol. 5. *Necesse est, ut pontifex concilio subjiciatur. In Hieronymi sententia tanquam in agro fertilissimo versor, ubi dicit, autoritas major est urbe. Magna papae autoritas, qui Romanae ecclesiae praeest, sed major est autoritas universalis ecclesiae, quae si mater est omnium, filium habet Romanum pontificem, alias vero, ut ait Augustinus, non habet Deum patrem, qui non habet ecclesiam matrem.*

*An in ecclesia Romana sit unitas vere catholica.*

§. CCXXXVI. Membrum *secundum.* Num in ecclesia Romana sit unitas vere catholica? Bellarminus ut id probet, adfert hæc fundamenta. I.) *In nostra*, inquit, *ecclesia omnes scriptores sacri mirifice consentiunt, licet fuerint homines diversi, & in locis, temporibus, ac linguis diversis scripserint, quod pro re plane divina Augustinus observat. lib. XVIII. de civitat. Dei cap. 41.* Resp. consensus ille scriptorum propheticorum & apostolicorum potius probat Romanam ecclesiam hodiernam non esse veram ecclesiam, quippe cujus doctrina in multis capitibus ab unanimi prophetarum & apostolorum consensu discedit, ut in singulis articulis controversis demonstratur. Nos longe honorificentius de sacris illis scriptoribus sentimus, quam pontificii, ut in loco de scriptura docetur. Nos fundamenta causæ nostræ in illis quærimus, & limitibus eorum contenti sumus. Pontificii ex illis solis fidem suam probare recusant, humanas traditiones & alia quædam peregrina interim adferentes. Præterea ut sancta illa unitas inter scriptores sacros locum habuit, etiamsi

1) *De consensu scriptorum sacrorum.*



(*) Insertus est hicce libellus *tom. II. oper.* Jo. Gersonii a du Pinio editorum *part. II. p. 200.* nec non Edmundi Richerii *vindiciis doctrinae majorum scholae Paris. libr. III. p. 244 seqq.* Notandum tamen, scopum hujus libelli non in eo versari, quod papa ab ecclesia penitus auferri, sed quod ecclesia eodem ad tempus carere, eumque in nonnullis casibus dignitate papali privare queat. Vid *commentat.* nostram saepius jam *excitatam p. 4. seqq.* & *p. 116.*

(**) Auctoribus supra adlegatis iisque antiquioribus ex recentioribus adjungi merentur viri in Gallia doctissimi, Jo. Launoius, Edm. Richerius, Petrus de Marca, Steph. Baluzius, Anton. Arnaldus, Jac. Benignus Bossuetus, episcopus quondam Meldensis, aliique libertatum ecclesiae Gallicanae vindices acerrimi.

non essent subjecti uni alicui pontifici; sic ad catholicam ecclesiæ unitatem haudquaquam requiritur subjectio erga Romanum pontificem, unicum visibile caput, ut Bellarminus contendit. Denique unitas illa inter scriptores sacros descendit a Spiritu sancto, cujus fuerunt amanuenses: sic illa demum est vera & catholicæ ecclesiæ propria unitas, quæ a Spiritu sancto orta in Christo per doctrinæ propheticæ & apostolicæ unitatem mentes hominum unit & constringit.

*De consensu patrum & conciliorum.*

§. CCXXXVII. II.) *Omnia legitimorum conciliorum & pontificum decreta etiam in omnibus dogmatibus inter se conveniunt, licet edita sint a diversis hominibus, diversis locis, temporibus, occasionibus & contra diversissimas, imo saepe contrarias haereses.* Resp. & concilia & pontifices in suis decretis errare posse, ac sæpius etiam erravisse, proferendo decreta & scripturis & aliis legitimis conciliis contraria, demonstrabitur suo loco. Concilium Ariminense, Seleucienſe, Sardicense II. &c. ediderunt decreta catholicæ fidei & Nicænæ synodi decretis de ὁμοουσίῳ contraria. Ephesinum II. Eutychis hæresin stabilivit. Neocæsariense can. VII. prohibuit, *presbyterum interesse convivio secundarum nuptiarum.* Nicænum can. XII. prohibuit, *eos redire ad militiam, qui cingulum abjecissent.* Arelatense II. can. II. statuit, *non esse adsumendum ad sacerdotium eum, qui in vinculo conjugii constitutus est, nisi fuerit promissa conversio*, quod pugnat cum decretis concilii Gangrensis can. IV. Concilium Laodicenum can. I. statuit, *ut secundum indulgentiam reddatur communio illis, qui secundis nuptiis juncti sunt.* Concilium Constantinopolitanum I. quod fuit generale secundum, statuit can. V. quod *primatus ecclesiasticus tribuendus sit Romano pontifici*, sed hoc pugnat cum can. XXVI. concilii Carthaginensis III. ubi statuitur, *neminem vocari debere principem sacerdotum.* Idem Carthaginense III. can. XLVII. numerat in canone libros vet. test. *apocryphos*, quod pugnat cum concilio Laodiceno can. ult. nisi *canonici* nomen late accipiatur pro libro, qui in ecclesia legitur. Concilium Toletanum I. can. XVII. statuit, *posse admitti eum ad communionem, qui habeat concubinam, modo non sit uxoratus.* Concilium Wormatiense can. III. jubet, *fures occultos explorari per sacrae eucharistiae perceptionem.* Concilium Constantinopolitanum III. quod fuit sextum generale, can. II. recipit decretum concilii Africani sub Cypriano *de rebaptizandis haereticis.* Can. LXXII. judicat, *irrita & solvenda conjugia catholicorum cum haereticis.* Concilium Nicænum II. statuit, *imagines esse colendas*, quod pugnat cum decretis concilii Constantinopolitani, ut fatentur patres Nicænæ synodi act. VI. & cum decretis concilii Francofurtensis. In concilio Romano sub Stephano VII. damnatus est *Formosus* pontifex, & omnia illius acta abrogata. Postea aliud concilium habitum fuit Ravennæ sub Johanne IX. in quo *Formosus restitutus fuit & Stephanus damnatus*, omniaque acta ejus concilii, quod sub Stephano fuit habitum, abrogata (*) Quid quod disertis verbis Platina in Stephano scribit: *Post Stephanum semper haec consuetudo servata est, ut acta priorum pontificum sequentes aut infringerent aut omnino tollerent.* (**) Plura exempla in quæstione de autoritate conciliorum adducuntur, ubi etiam refel-

(*) Scandalosas de Formosi pontificatu contentiones, exeunte seculo IX exortas, quas paucis heic commemorat Gerhardus, copiosius edisseruimus in *commentat.* sæpius jam adlegata *cap. V. §. XXIV. p. 287. seqq.*

(**) Idem Platina de illis difficilis sic scribit: *Stephanus VII. pontifex creatus tanto odio prosecutus est Formosi* (papæ) *nomen, ut statim ejus decreta abrogaverit, ac res gestas rescinderit. Romanus I. ubi pontificatum iniit, Stephani pontificis decreta & acta statim improbat, abrogatque. Johannes X. pontifex creatus Formosi causam in integrum statum restituit, adversante magna populi Romani parte &c. Is autem Ravennam profectus 74. episcoporum habito conventu & Stephani res gestas improbavit, & Formosi acta restituit. Sergius III. in Italiam rediens Formosi* (papæ) *acta ita improbavit, ut denuo ad sacros ordines admittere necesse fuerit, quos Formosus antea sacerdotali ordine dignos censuerat. Neque hanc quidem ignominiam mortuo intu-*

refelluntur ea, quæ pro palliandis conciliorum erroribus Bellarminus argute magis quam vere excogitavit. Augustinus lib. II. de baptismo contra Donatist. cap. 3. diserte scribit, *concilia regionalia & provincialia debere cedere plenariis, & inter ipsa plenaria priora a posterioribus emendari;* omnium vero autoritatem scripturæ subjicit lib. III. contra Maximin. Arian. cap. 14. *Nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense tanquam praejudicaturus proferre concilium, nec ego hujus autoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumcunque propriis, sed utrisque communibus testibus res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.*

*De consensu decretorum pontificiorum.*

§. CCXXXVIII. De pontificum *decretis* idem adserimus, quod scilicet & scripturis & aliorum pontificum decretis sæpe sint contraria. Zepherinus fuit Montanista, Marcellinus idololatra, Liberius & Felix fuerunt Ariani. Anastasius communicavit cum Photino, & Acharium hæreticum occulte revocare voluit. Vigilius fuit Eutychianus, Honorius monotheleta. Johannes XXIII. negavit vitam æternam, credidit animam hominis cum corpore mori, & exstingui ad instar animalium brutorum, dixitque mortuam semel ne in novissimo quidem die resurrecturam. Aut ergo omnes papæ illis hæresibus fuerunt infecti, aut non omnes in dogmatibus & decretis consenserunt. Gregorius de quatuor synodis, inter quas est etiam Chalcedonensis, dicit, quod *eas amplectatur ut quatuor evangelia.* Sed Leo epist. LIX. de synodo Chalcedonensi dicit, *se semper reprehendisse, quae in hac synodo decreta sunt.* Martinus statuit, *eum, qui semel post suam ordinationem in lapsum incideret, deinceps non posse ullum gradum sacerdotii adipisci.* c. Qui semel. distinct. 50. Contrarium decrevit Siricius cap. Quia. distinct. 82. *eos, qui propter peccata jubentur deponi, post condignam poenitentiam in suo ordine posse reparari.* Gregorius in epistola ad Bonifacium statuit, *si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, virum si continere nequeat, posse alteri nubere.* Contrarium statuerunt alii pontifices cap. Quoniam. lib. IV. decretal. tit. 9. de conjugio leprosorum. Nicolaus I. docet, *baptismum in nomine Christi sine expressa mentione trium personarum prolatum esse ratum* c. A quodam dist. 4. de consecrat. Contrarium docuit Zacharias itidem papa, *scilicet verum baptisma esse non posse, si vel una persona de Trinitate non nominetur,* c. In synodo. de consecr. dist. ead. Sabinianus Gregorii I. antecessoris sui libros comburi jussit, Formosi decreta abrogavit Stephanus VI. Stephani decreta & acta abrogavit Romanus I. Romani acta abrogavit Johannes. Julius, Innocentius & Cœlestinus, Romani pontifices, decreverunt, *ut viri ab uxoribus separentur, qui vel nescientes proprios filios ex lavatro baptismi suscepissent,* c. Pervenit 30. q. 1. at hoc est contrarium præcepto Christi, Matth. XIX. 6. & apostoli. 1 Cor. VII. 10. Alexander III. c. Licet de sponsa duorum dicit, *quosdam suos praedecessores judicasse, matrimonium per verba de praesenti contractum, non tamen consummatum, posse dirimi per aliud matrimonium, se tamen contrarium sentire.* Aut igitur hic, aut ejus praedecessores errarunt. (*) Onuphrius *triginta schismata* inter pontifices Romanos contigisse scri-



*intuliſſe contentus, ejus cadaver è ſepulcro tractum capitali ſupplicio, ac ſi viveret, adfixit, corpusque ipſum in Tyberim projicit tanquam ſepultura & humano honore indignum.*

(*) Vide late de pontificum diſſenſionibus differentem Empſychovium in refutat. cauſæ VI. Braunianæ p. 607. & ſeqq. Synopſis antilogiarum pontificiarum: 1.) Fingunt *homines per gratiam & ſimul per bona opera ſalvari*, cum apoſtolus hæc duo ſibi invicem opponat. Rom. XI. 6. 2.) Exagitant *imputativam Chriſti juſtitiam*, interim opera ſupererogationis aliis adplicant. 3.) Adfirmant *Chriſtum pro nobis paſſum*, & nihilominus *per bona opera nos juſtificari* adſerunt. Gal. II. 21. 4.) *Culpam peccati per meritum Chriſti deleri* dicunt, ſed *non pœnam purgatorii, cum tota vis culpæ ſita ſit in pœna.* 5.) Flagitant a peccatore *ſatisfactionem pro peccatis*, & tamen dicunt *peccata a Deo gratis condonari.* 6.) Varia *jejunia mandant*, cum nusquam alibi ſit major heluatio & deſitiæ. 7.) *Cœlibatum* jactant, & interim

scribit. Stapletonus relect. princip. fid. contr I. quæst. 5. articul. 3. *viginti quinque* schismata enumerat, atque addit, quod *omnia pariter computata non amplius conficiant quam annos centum & viginti quatuor, & menses decem.* Quasi vero hoc non sit temporis plus satis, quo Romana ecclesia fuit plane ἀκέφαλος, quia *dubius papa habetur pro non papa*, ut scribit Bellarminus lib. II. de concil. cap. 19. resp. ad 3. argum. Id ipsum agnoscit Glovianus, quando in lib. de schismate p. 181. sic scribit: *Schisma ambiguum christianum orbem concussit, quando alter pontifex Romae, alter Avenione creatur, cum uterque magno cardinalium, episcoporum, sacerdotum, principum ac populorum adsensione pontificatu defungeretur, nam cum tres simul pontifices inaugurati essent, Johannes XXIII. Gregorius XII. Benedictus XIII. tum quidem gravi schismate est ecclesia Christi dilacerata & in partes dissecta.* Quin imo ipse Bellarminus non audet hoc negare, sic enim scribit praefat. in controv. de Roman. pontif. *Non ignoratis, quas tragœdias in ecclesia imperatores excitarunt, & quasi haec parva fuissent, addidit satan Romanos pontifices contra pontifices commovere.* Atqui si pontifices contra pontifices commoti sunt, quomodo omnia pontificum decreta consentiunt? Referenda est ad hunc locum disputatio Erasmi in adnot. 1 Cor. VII. pag. 327. Si verum est, quod quidam adseverant, Romanum pontificem errore judiciali non posse unquam errare, quid opus generalibus conciliis, quid opus in concilium accersere jureconsultos ac theologos eruditos, si pronuncians labi non possit? Cur datus est adpellationi locus vel ad synodum vel ad eumdem rectius edoctum, posteaquam semel de causa pronunciavit pontifex? Quorsum adtinet tot academias in tractandis fidei causis distorqueri cum ex uno pontifice, quod verum est, audire liceat? Imo qui fit, ut pontificis hujus decreta cum illius pugnent decretis?

terim spurcissimis libidinibus omnia contaminant. 8.) *Doctos sacerdotes habere volunt*, sed indoctos ordinant. 9.) *Honestos sacerdotes habere volunt*, & interim dant ipsis efficaces causas nequitiae, nimirum opes, coelibatum, impunitatem, otium & foeditissima praelatorum exempla. 10.) *Evangelium in abusu sunt, honorant* gestantes in collo, in vero usu extreme contemnunt. 11.) Simulant se *ex sacris literis velle veritatem discere*; nec tamen fontes scrutantur. 12.) Simulant *se mundum deseruisse*; & tamen in locis amoenissimis habitant. 13.) *Vovent paupertatem*; cum jam ferme soli orbem terrarum possideant. 14.) Monachi promittunt *obedientiam*, cum avellant se ex obedientia parentum & magistratuum. 15.) Supplices *misericordiam Dei implorant*; & interim statuunt illam mendicationem esse grande meritum & supputatione lapillorum patriloquii cum Deo ex æquo contrahunt. 16.) *Indulgentias papales* certissimam peccatorum remissionem conferre docent; & tamen dubitare de condonatione jubent. 17.) Per *doctrinam dubitationis* evertunt hypothesin de salute certa ex operibus, de absolutione, de spe, de dilectione Dei. 18.) Docent *hominem praeceptis Dei integram obedientiam praestare posse*, quoad substantiam praecepti, non quoad intentionem praecipientis, cum intentio praecepti nihil aliud sit, quam plena perfectio praecepti. 19.) *Efficaciam missarum in liberandis ex purgatorio animabus* jactant; & interim adfirmant plurimas animas majorum, quibus tot missae coemtae sunt, in purgatorio desudare. 20.) *Matrimonium dicunt esse sacramentum*, & tamen ecclesiasticis personis matrimonio interdicunt, eo quod sanctitati minus conveniat. 21.) *Sanctos* docent *fuisse humilimos*, & contra fingunt, eosdem tam ambitiosos, ut se templis & aris dignos censeant, & pro opitulatoribus coli suasque reliquias & imagines adorari velint. 22.) Jactitant, *se in conciliis regi a Spiritu sancto*; & tamen non curant a Spiritu sancto inspiratam scripturam. 23.) Garriunt multa *de infusis qualitatibus*, cum totus eorum christianismus in externis ritibus sit situs. 24.) *Religionem difficilimam & impossibilem faciunt*, quia hominem propriis suis operibus coram Deo justificari volunt; eandem facilimam faciunt, quia externam disciplinam habent pro justitia coram Deo valente; originale peccatum in renatis peccatum esse negant, de gratia Dei dubitare jubent, quod omnibus nobis est innatum; omnia collocant in externis ritibus & ceremoniis, quas facile est praestare, *sacramenta* dicunt *esse salutaria etiam sine bono motu utentis*; dicunt *id omne esse Deo gratum cultum, quod quis facit bona intentione*; indicunt satisfactionis loco opera ludicra, qualia sunt: curare aliquot fieri missas; dare eleemosynam duobus vel tribus diebus, aliquot Pater noster aut ave Maria demurmurare &c. denique si quis nulla plane habeat bona opera, eum dicunt nihilominus per indulgentias, *missas monachorum & sanctorum merita & opera supererogationis* salvari posse. 25.) *Religionis curam* committunt papae & episcopis, qui nihil minus quam pietatem & religionem curant. GERHARDUS.

tis? Vt enim taceam de Formoso, nonne papa Johannes XXII. & Nicolaus decretis totis inter se pugnant, (*) idque in his, quæ videntur ad fidei negotium pertinere? Quorum alter Nicolaus III. pronunciavit *judicialiter*, ut illorum ore loquar, *Christum & apostolos nihil habuisse nec in commune, nec privatim*; (c. exiit de verborum significatione in sexto) alter (Johannes) contra pronunciat habuisse. (c. cum inter extr. de verborum significatione.) Id ex ipsorum extravagantibus licet cognoscere, sed propius ad id, quod hic agimus, facit, quod Innocentius III. ac Cœlestinus de matrimonio dirimendo prorsus pugnantia definierunt, quorum hic jus facit alteri conjugum iterare matrimonium, si alter fuerit in hæresin prolapsus. Innocentius negat, quemadmodum legimus libro decretalium IV. tit. de divortiis cap. Quanto. Nec illic dissimulat Innocentius, quemdam prædecessorem suum secus statuisse, Cœlestinum indicans, ut adparet glossema, declarans Cœlestini super hac re constitutionem olim exstitisse in decretalibus libr. III. titulo de conversione infidelium in fine. Ideo magis verisimile est, quod is titulus paucissimis conflet capitibus, ut intelligas esse decurtatum. (Huc pertinet, quod Alphonsus de Castro lib. I. contra hæres. cap. 4. refert, *se decretum illud Cœlestini vidisse.*) Præterea Pelagius, ut exstat in decretis distinctione 31. cap. *ante triennium* constituerat, ut hypodiaconi Siciliæ ab uxoribus abstinerent, quas ante constitutionem legitime duxerunt. Id decretum velut iniquum & cum evangelico pugnans præcepto retractat & abrogat Gregorius, ejus nominis primus, qui Pelagio successit, statuens, *ut in posterum nemini ad eum ordinem pateret aditus, nisi vovisset castitatem. Ceterum durum & iniquum esse, ut ad castitatem cogatur, qui non voverit castitatem, nec ulla culpa commeruerit, ut eo debuerit compelli.* At quod hic iniquum videtur Gregorio, non visum est iniquum Innocentio III. loco, quem modo adduximus, qui ita respondet iis, qui objiciebant, *præter æquum videri, conjugem relictum suo jure privari sine culpa, præsertim cum contumelioſior sit in Christum, qui baptizatus recidit in hæresin, quam qui natus ethnicus recusat ad Christi professionem converti.* Ad hæc seculis aliquot hanc sententiam amplexa est ecclesia Mutinensis, ut qui contraxisset cum Barbara verbis legitimis & ex animo, sed non intercedente coitu, postea contraheret cum Cornelia & coitum adjungeret, cogeretur priore relicta posteriori convivere. Id palam rescindit Innocentius, Romanus pontifex, ex diametro, quod ajunt, diversam pronuncians sententiam, videlicet priorem esse legitimam uxorem, quod cum posteriore sit actum, adulterium esse, non matrimonium, ut proditum est libro decretalium epistolarum IV. tit. 4. cap. *Tuas dudum* & ejusdem tituli cap. *Licet.* Alexander III. indicat suo rescripto, fuisse statutum ac definitum aliquando à prædecessoribus suis, id est, Romanis pontificibus, quod in Mutinensi ecclesia damnat Innocentius &c. ut non commemorem interim, quod in causa fidei schola Parisiensis aliquando publicitus improbarit Romani pontificis sententiam, eumque ad palinodiam compulerit, si qua fides historiis. Hæc omnia Erasmus Leonis X. pontificis Romani, dilectus filius. Quæ vero a Bellarmino adferuntur ad palpabiles illas pontificiorum decretorum contradictiones palliandas & excusandas, primo statim intuitu sui infirmitatem demonstrant, & diligenter expenduntur a Guil. Witakero in controv. de pontif. Rom. quæst. VI.

*De consensu pontificiorum.*

§. CCXXXIX. III.) *Nunc omnes catholici toto orbe dispersi de omnibus dogmatibus fidei idem sentiunt, nec possunt aliter sentire, cum subjiciant sensum suum sensui unius & ejusdem summi pastoris ex cathedra Petri cum consilio aliorum pastorum ecclesiam diri-*

(*) Decretis hisce papæ Joannis XXII. & Nicolai III. inter se pugnantibus occasionem dedit inepta Franciscanorum de paupertate contentio, cujus historiam edidit Raynaldus in *annal.* Scripta vero, quæ hæc controversia peperit, recensuit b. Buddeus in *isag. hist. theol. ad theologiam universam tom. I. p. 648.*

*dirigentis.* Iisdem fere verbis Fr. Costerus in ench. controvers. cap. de ecclesia gloriatur: *Catholici omnes ubivis terrarum sub uno capite Romano pontifice, cui omnes parent & principes & reges, ut Christi vicario, eandem fidem constanter retinent, idem dicunt, idem sentiunt, idem credunt per omnia, & nec in minimo quidem religionis articulo discrepant.* Resp. (*) Concedimus vero in regno pontificio esse hodie externam quandam unitatem, sed veram illam internam in fide catholica & in Christo unitatem illi competere negamus. Matthæus Flacius Illyricus scripsit librum de sectis, dissidiis & dissensionibus pontificiorum, in quo septem species papisticæ concordiæ statuit. 1.) Prima est *satanica* orta ex diabolo, qui modis omnibus præcavet, ne regnum illud sui vicarii dissolvatur. Si enim *satanas in se ipsum divisus esset, quomodo staret regnum ejus?* Matth. XII. 25. Luc. XI. 18. Inde multi cardinales & episcopi, multi etiam ordines monachorum, licet vehementer inter se dissentiant, sibique infensissimi sint, tamen dissensiones suas premunt & occultant, ne quid detrimenti capiat pontificium illud regnum, cujus subditos sese profitentur. 2.) Secunda est *politica*, cum ideo consentiunt homines, quia se subjiciunt nutui & voluntati unius monarchæ: sic scriptores pontificii judicio unius pontificis omnia sua subjiciunt, a clarissima scripturæ luce in gratiam illius discedentes. Thomas in lib. IV. sent. distinct. 27. quæst. 3. artic. 1. disputans de quæstione: *An doctus, pius & idoneus, sed bigamus, qui non proprie sed canonice, hoc est, papistica fictione talis est, ob viduam unicam olim ductam, in sacerdotem aut episcopum electus promoveri possit?* postquam pro affirmante parte firmas rationes & manifesta scripturæ dicta protulit, tandem in partem negantem concedit, addita hac sola ratione, quia *papa in decretalibus contrarium dixerit & praeceperit.* Gabr. Biel cum in lectionibus super canonem missæ lect. LVII. multis argumentis confirmasset, *indulgentias papales non prodesse animabus purgatorii*, tamen post librum evulgatum videns bullas Sixti IV. & Innocentii VIII. pontificum, qui *recta dabant indulgentias defunctis*, priorem sententiam retractavit, referente Molinæo. Omnes episcopi arctissimo juramenti vinculo pontifici Romano tenentur obstricti, propter quod ne minima quidem in re ipsi contradicere audent, nec in conciliis liberas habent linguas, unde Æneas Sylvius Pius II. dictus, ut refertur in paralipomenis Vrspergensis ad capitulum Moguntinum scripsit: *Peccare episcopum contra juramentum papae praestitum, si contradicat ei etiam vera loquendo.* Idem Sylvius in lib. de gestis concilii Basileensis commemorat querelam patrum illius concilii longe verissimam & adhuc hodie repetendam: *Episcopi qui debent ecclesiae corruptelas tollere, videtis quam pauci nobiscum sunt, & quam terrenam faciem potentis* (pontificis) *extimescunt!* 3.) Tertia unitatis species est *belluina seu pecuina*, cum homines nihil de religione intelligunt, sed instar gruum, aliorum opinionem sequuntur, atque ea vera esse censent, quæ vulgo sunt recepta. Talis unitas plerisque laicis in regno pontificio competit, illi enim sine ullo examine & scrutinio recipiunt, quæ a monachis & sacrificulis ipsis proponuntur, neque enim scripturarum lectio illis conceditur, sed jubentur audire pastores suos ordinarios, quidquid tandem

(*) Ante Lutheri tempora homines docti & intelligentes conquesti sunt de erroribus doctrinae, de multiplici abusu & superstitione, quae in ecclesiam irrepserunt. Videatur scriptum scholae Parisiensis *de periculis ecclesiae*, compositum circa annum Domini 1389. *Speculum aureum* papae, ejus curiae, praelatorum & aliorum spiritualium, scriptum ante annos fere 200. Item Francisci Petrarchae, Jo. Baptistae Mantuani, Joh. Pici Mirandulani, Laurentii Vallae, Hieron. Savanarolae Italorum; Guilielmi Occam, Roberti Barns Anglorum; Johannis Wesseli, & abbatis Spanheimensis Germanorum; Johannis Gersonis Galli *de vita spirituali animae, potestate ecclesiae & auferibilitate papae*; Marsilii Patavini tractatus *de translatione imperii* & liber *de defensione pacis*; Antonii de Rosellis *de potestate papae & imperatoris*; Alberici de Rosati & Petri Ferrariensis commentarii passim; *Confutatio primatus papae* a Gregorio Heymburgensi ante annos 170. conscripta & alia innumera. GERHARDUS.

dem proponant. Hinc Bellarminus lib. I. de clericis cap. 7. disputat, *debere quidem populum discernere verum prophetam a falso, sed non alia regula, quam adtendendo, an is, qui praedicat, dicat contraria iis, quae dicebantur a praedecessoribus iis, quae dicuntur ab aliis ordinariis pastoribus, praesertim ab apostolica* (Romana) *sede & ecclesia principali.* Ibidem concludit: *Cum pastor ordinarius & aliquis alius, qui praedicat, non vocatus contraria docent, quod debeat omnino populus pastorem suum potius sequi, quam illum alterum, qui non est pastor, etiamsi forte contingeret, ut pastor erraret.* Huc pertinet carbonarius ille, qui tentatus a satana & de fide sua interrogatus respondebat, *se credere, quemadmodum ecclesia credit*, cumque instaret diabolus, & quæreret, *quaenam esset ecclesiae fides?* respondebat, *ecclesiam credere id, quod ipse credat*: uti etiam mercator ille Placentinus, (quem tantopere commendat Gregorius de Valentia in analysi de eccles. pag. 205. ut scribat, *Deum nihil omnino habiturum, quod in tremendo illo judicio ipsi opponere possit*,) qui statuebat, *velle se pontificiam potius, quam Lutheranam amplecti religionem, ob id inprimis, quia illic compendio quodam discere posset veritatem, videlicet si adfirmet, quod pontifex adfirmat, neget, quod ipse negat, hic vero si Lutheranus fieri vellet, catechismum sibi discendum & scripturam esse scrutandam &c.* 4.) Quarta unitatis species est *iscariotica*, quando homines muneribus & præmiis corrupti idem sentiunt, atque hæc causa multos in unitate papali detinet. Refert Sleidanus lib. VII. histor. proverbio olim jactitatum fuisse, quod *pauper & tenuis Lutherus multos locupletaverit, eo quod ejus impugnatores ampla honoraria a papa & episcopis acciperent, ac plurimos defendere oleum & chrisma, ut ipsi discedant uncliores.* Cui ignotum est, Eccium mercede fuisse conductum, ut contra Lutherum scriberet? Erasmus itidem muneribus solicitatus est, ut calamum adversus eum stringeret, sed respondit, *majorem esse Lutherum, quam ut contra ipsum insurgere velit.* Cur adhuc hodie tantopere reluctantur, ne constitutio pacificationis Passaviensis, (quod salva existimatione, dignitate & regimine a pontificia fide ad Augustanam confessionem cuilibet imperii statui transire liceat) ad episcopos extendatur, quod ipsi quoque suos episcopatus retinere debeant Augustanæ confessionis doctrinam amplectentes, nisi quia verentur, ne id regno pontificio fraudi sit? Refert Æneas Sylvius, *multos concilii Basileensis patres in partes Eugenii papae praemiis ac muneribus adductos fuisse.* Jacobus Almainus in libris contra Cajetanum editis inter alia scribit, *multos valde praedicare autoritatem papae, non propterea, quod ipsi ita sentiant, sed tantum, ut hisce adsentationibus gratiam papae sibi concilient, & beneficia ecclesiastica ad se trahant.* (*) 5.) Quinta species est concordia *tyrannica & servilis*, quando minis, persecutionibus & carceribus prohibentur homines aliter sentire. Sic in papatu ne mutire quidem licet contra papæ tyrannidem ac scelera, contra abusus, superstitiones & idololatriam. Videatur liber germanicus de tyrannico Hispanicæ inquisitionis mysterio Joachimi Beringeri, editus Ambergæ anno 1611. & tractatus Petri Asili jurisconsulti de tyrannide Romanorum pon-

(*) In chronico cujusdam Carthusiani Colonienſis, titulo: *Fasciculus temporum*, ante multos annos edito in anno Christi 1044. sic habetur: *De pluralitate beneficiorum, quae circa haec tempora nimis invaluisse videtur & deinceps continuata, multumque dolenda ambitione praelatorum, & simoniaca labe quam plurima scripta patrum habentur detestantia abusiones istas. Et nota, quod facile inventi sunt pauperes clerici & doctores, qui pluralitatem beneficiorum & pompam ecclesiasticorum reprehenderunt, donec offerret se occasio participandi, qua accepta communiter avaritia excaecavit eos. Fertur de quodam magistro magnae literaturae, qui valde sublimiter disputavit contra divitias praelatorum & fastum eorum, quasi omnino sic vivere non liceret; haec cum nunciata domino papae fuissent, plausibiliter respondit, demus ei bonam praeposituram, & haec & illa beneficia, & bene pacatus erit. Factum est ita. Et ecce protinus sententiam mutavit dicens: Nunquam intellexi hanc materiam praeter modo, quippe qui de inope dives, de contemtibili repente gloriosus adparuerat.* GERHARDUS.

pontificum, editus Francof. anno 1594. Cum in comitiis Norinbergensibus anno 1523. a statibus Romani imperii postularetur ac sedulo urgeretur, ut in Germania christianum liberumque institueretur concilium, & ut omnes episcopi & prælati juramenti obstrictione a papa liberarentur, quo alioquin prorsus serviliter ei obstricti tenerentur, & vice versa contrario juramento promovendæ veritatis publicique boni citra ullius respectum severissime obligarentur, legatus pontificis ægerrime illud ferens, prorsusque recusans dixit: *id nihil esse aliud, quam colligare manus pontifici.* In oratione synodica Tridenti 4. Septembris anno 1562. in sess. IV. coram patribus concilii nomine regis Galliæ recitata sunt hæc puncta: *Nostra, patrumque nostrorum & avorum memoria synodos indictas fuisse, episcopos convenisse, maximos in Germania atque Italia conventus peractos fuisse scimus. Vix tamen ullus aut perexiguus inde fructus christianitati constitit. Nolo subtilius in causas inquirere, nolo rumores ventosque colligere, hoc certe praetermittere non possum, quod vereor, ne nimis ad rem pertineat, quod minus legitima minusve libera dicuntur fuisse concilia. Qui aderant, ad voluntatem alterius semper loquebantur, aut potius adnuebant, qua re nulla in judiciis perniciosior, nullave capitalior esse potest.* Sed non obstante gravissima illa Gallici oratoris admonitione nihilominus papalis illa tyrannis in Tridentino concilio dominata est, qua de re audiamus Vergerium, testem oculatum, qui in epistola ad regem Poloniæ pag. 119. sic scribit: *Ego nullam aliam ob causam fui ex synagoga illa rejectus, nisi quia cum in Germania, ut duorum paparum internuncius aliquamdiu fuissem, & causam hanc utcunque intelligerem, suspicio erat, me rem totam probe nosse & ejus ingenii esse, ut facile finerem mihi a nonnullis episcopis persuaderi, ut contra papam voce praeirem, & veluti viam sternerem, propter istam duntaxat suspicionem ejiciebar &c. Ejiciebatur post me alius quoque, nempe Jacobus Nachiantes Fossae Clodiae episcopus. Cum enim legeretur decretum tertiae sessionis, pie & summa modestia dixit, sibi dura videri verba, mutuata scilicet ex cap. ecclesiasticarum distinct. 11. in quibus dicebatur, eodem pietatis affectu ac reverentia suscipiendas ac venerandas esse eas, quas papistae vocant traditiones, qua ipsummet evangelium; nihil enim esse, quod cum evangelio conferri ullo modo possit, at duntaxat propter hoc jussus est a legatis Tridento discedere & Romam petere, si forte papa vellet illi ignoscere, quod tam fuisset temerarius, quod decreto ab ipsomet papa Romae condito ausus fuisset contradicere.* Pag. 122. *Nullum decretum, nullus canon fuit in sessionibus concilii Tridentini lectus, qui e Roma missus non fuerit, cogebantur vero miserrimae illae creaturae, mox ubi illud audissent recitari, adnuere capite mitrato, & demisse pronunciare, placet, tametsi sentirent vulnerari eorum conscientiam, vel quod aliquando non intelligerent, quid id esset, quod adprobarent, nam plerique eorum erant valde rudes & indocti, vel quod ignorarent, esse contra verbum Dei, saltem aliqui.* 6.) Sexta species unitatis est concordia *Herodiana*, siquidem pontificii non consentiunt in omnibus, sed in uno illo extremo, quando contra protestantes agendum, perinde ut olim Herodes ac Pilatus inter se vel maxime discordes, de Christo tamen e medio tollendo consentiebant. Constat ex historiis, multas viguisse dissensiones inter pontifices, cardinales, episcopos, prælatos, monachos &c. Jesuiticam societatem reliqui monachorum ordines extremo odio prosequuntur, neque id injuria, quia *generatio unius est corruptio alterius*, dum Jesuitæ reliquos monachos velut ignavum pecus fucos e pristinis suis alvearibus expellunt, & sedes eorum occupant, perinde ut vulpeculæ meles e cavernis suis graveolente stercorum nidore expellunt, qua similitudine illustrissimus meus princeps dominus Johannes Casimirus, ducum Saxoniæ senior, in colloquio cum episcopo Bambergense Johanne Philippo a Gebsattel aliquando utebatur. 7.) Septima denique unitatis species est *extrinseca & accidentalis*, non in interiore religionis unitate, sed in ceremoniarum, rituum & externi cultus con-

for-

formitate consistens. Pontificii namque licet de variis fidei articulis acerrimas contentiones & dissensiones foveant, tamen ceremoniarum similitudine speciem quamdam unitatis utcunque præ se ferunt, ut rectissime ob id scripserit Lutherus in lib. contra regem Angliæ tom. II. lat. fol. 513. *Sub papa est quidem pompa externa unitatis, sed intus non nisi confusissima Babylon.*

*Dissensiones fidei pontificiæ generales.*

§. CCXL. Dissensiones illas pontificias fidei unitatem discerpentes idem Flacius in libro antea citato dispescit in *generales* & *speciales*. *Generales* vocat, quæ concernunt ipsum corpus doctrinæ pontificiæ, quod fuit diversis temporibus læpius variatum atque immutatum, nec eandem semper obtinuit faciem. Tales diversas ac variantes pontificiæ theologiæ formas numerat quinque. 1.) Prima est theologia *Lombardica* orta circa annum 1150. cujus in articulo justificationis summa erat confusum quoddam chaos ex gratia & nostris operibus. Fuit hæc Lombardica theologia in multis capitibus purior, quam papistica hodierna, ut ex quatuor libris sententiarum demonstrari potest, unde etiam Parisienses toties ad marginem notant: *Hic magister non tenetur.* 2.) Secunda est theologia *scholastica* centum fere annis post Lombardi cam orta, cujus in articulo justificationis summa erat, nudis humanis operibus, sed tamen secundum mandata Dei factis, justificationem & salutem obtineri. Sunt autem distincti scholasticorum ordines a se ipsis plurimum discrepantes, inter quos eminent *Thomistae*, *Scotistae*, *Occamistae &c.* (*) Wesselus, theologus Parisiensis, conqueritur, *sententiarios adeo invicem esse discordes & dissentientes, ut vix ex numero eorum unus atque alter reperiatur, qui in una & eadem sententia constanter consentirent.* Idem agnoscunt Rossensis contra Lutherum & Ambrosius Catharinus, archiepiscopus, concilii Trident. adsessor, in scriptis contra Dominicum a Soto editis. Ludovicus Vives in comment. lib. XVIII. de civitat. Dei cap. 18. *Disputant theologi, an potentia creandi possit communicari creaturae, de quo multa Thomas, cujus argumenta nititur infirmare Scotus, ut sua confirmet, quae labefactare conatur Occamus, ut sua figat. At ista quoque Petrus Aliacensis luxat, usque adeo vel ludunt in re seria, vel adfectibus & factionibus suis cogunt rem cœlestem subservire.* Nec dissimulant hoc Lombardus & scholastici. Sic enim Lombardus lib II sent dist. 30. lit. E. *De peccato originali scholastici doctores varie senserunt.* Dionysius Carthusianus lib. I. sentent. distinct. 2 quæst. 2. *Quaestio de distinctione divinorum adtributorum est una ex principuis difficultatibus theologicae facultatis, de qua inter doctos famosos invenitur dissensio, inquisitio & concertatio, Thomamque valde laniat Ægidius, aliique in utrosque feruntur.* 3.) Tertia est theologia *monastica*, cujus summa in articulo justificationis hæc fuit, salutem sperandam ex indulgentiis papalibus, ex operibus supererogationis, ex ἐθελοθρησκείαις, unde populo inculcarunt, imagines esse adorandas, fiduciam in sanctos collocandam, peregrinationes ad sancta loca suscipiendas, fraternitates monachales, missas funebres, vigilias emendas &c. legenda sanctorum & conficta miracula in concionibus extulerunt. 4.) Quarta est theologia *interimistica*. Cum enim per lucem evangelii palpabiles illi errores manifestarentur, papicolæ cautiores fieri cœperunt, & crassiora illa dogmata vel abjecerunt vel palliarunt, unde libellus metaxycus admittit nos justificari fide in Christum, sed per caritatem formata; concedit per solum Christi meritum nos salvari, sed addit bona opera ad salutem esse necessaria; concedit, missam non esse sacrificium propitiatorium, sed addit esse adplicatorium, per quod meritum Christi jamdudum adquisitum nobis adplicetur. 5.) Quinta est theologia *Jesuitica hodierna*, quæ scholasticis & superio-

(*) Sorboniſtae in Thoma non pauca dogmata damnarunt, ut patet ex iis, quae in fine magistri sententiarum de erroribus Parisiis damnatis adduntur. Vide exemplar Lombardi Colonienſe anno 1576. apud viduam Johan. Bircmanni cum privil caes majest. impressum, f. 479. 480. 481. 482. 483. in quibus antilogiae in articulis fidei, item erronea & haeretica Thomae Aquinatis dogmata condemnantur. GERHARDVS.

rioris ævi scriptoribus pontificiis in multis contradicit, nec tamen sibi ipsi constat in omnibus fidei articulis. Summa ejus est in doctrina de justificatione, quod justitia *habitualis* coram Deo valens consistit in habitu infuso, justitia vero *actualis* in meritis operum.

*Speciales.*

§. CCXLI. *Speciales* pontificiorum & jesuitarum dissensiones revocari possunt ad hæc duo capita, quod quædam concernant *religionis principium*, quædam vero *articulos fidei reliquos* ex principio illo deductos. Principium theologiæ unicum est verbum Dei in canonicis veteris & novi testamenti libris propositum. Sed quinam sint libri vere canonici, nondum convenit inter pontificios. Concilium Tridentinum sess. IV. libris canonicis adjungit *Tobiam*, *Judith*, *Sapientiam*, *Ecclesiasticum*, *duos Maccabaeorum*. Sed Cajetanus cardinalis Hieronymum e canone illos excludentem sequitur. Benedictus Arias Montanus, quem papa Gregorius XIII. filium suum adpellat, in bibliis hebraicis cum interlineari interpretatione excusis & a theologis Lovanienſibus adprobatis de illis sic judicat: Ecclesia *orthodoxa Hebraeum canonem secuta inter apocryphos recenset*. Idem statuunt Antoninus archiepiscopus part. III. tit. 18. cap. 5. Dionysius Carthus. in com. in Genes. Franc. Picus de fide & ordine credendi theor. V. Erasmus in symbolo catech. IV. p. 153. &c. unde Pererius præfat. in lib. XVI. comment. in Daniel. pag. 742. diserte scribit, *multos catholicos nobiscum censere libros illos controversos apocryphos*. Sixtus Senensis lib. I. biblioth. Stapletonus lib. IX. princ. fidei doctr. cap. 6. alios vet. test. libros dicunt *protocanonicos*, alios *deuterocanonicos*, utique ergo non erunt omnes æqualis autoritatis. Papa Adrianus c. Sextam dist. 16. canonizavit synodum Constantinopolitanam VI. sed in hac synodo confirmatur concilium Laodicenum, quod libros illos ex canone removet. Pistorius in prima motiva apostasias Badensis pag. 34. adcusat Lutherum, *quod duos posteriores Esdrae e bibliis evulserit*. Genebrardus in chronol. p. 90. *quartum librum Esdrae ad canonem pertinere contendit*. Sed Bellarminus lib. I. de verbo Dei cap. 20. *& tertium & quartum Esdrae apocryphos esse* agnoscit, quin etiam addit, *contineri in quarto Esdrae quaedam fabulosa ac rabbinorum Thalmudistarum somnia*, quod repetit lib. II. de verbo Dei cap. 1. Sic librum Baruch extra canonem esse agnoscit Joh. Driedo lib. I. catalog. script. cap. 4. ad difficult. 11. & Canus lib. XII. locor. cap. 6. dicit, *non adeo exploratе & firmiter in sacrorum numero ab ecclesia illum esse repositum*; sed Bellarminus lib. I. de verbo Dei cap. 8. contendit esse canonicum. Supplementum Esther Sixtus Senensis lib. I. biblioth sect. 3. secutus Lyranum e canone rejicit, sed reliqui pontificii autoritatem canonicam illi tribuunt. Apocrypha capita Danielis, videlicet historiam Susannæ, Belis & draconis Hieronymum secuti repudiant Joh. Driedo lib. I. catal. script. cap. ult. Ludov. Vives in lib. XVIII. Augustinus de civ. Dei cap. 31. Sixtus Senensis lib. I. biblioth. sect. 8. sed reliqui pontificii pro canonicis ea acceptant. Tertium & quartum Maccabæorum esse extra canonem, agnoscunt pontificii plerique omnes, sed Fr. Turrianus pro canonibus apostolorum lib. I. cap. 11. vehementer suadet *tertium Maccabaeorum in canonem recipi*. Quin imo Bellarminus ipse sibi in quæstione de libris canonicis vet. test. fortissime contradicit. Fatetur enim lib. I. de verbo Dei cap. 7. *Esdram constituisse canonem Hebraeum*, quem lib. II. de verbo Dei c. 2. adnumerat *prophetis*. Quicunque igitur sub anathematis fulmine pro canonicis libris haberi jubent illos libros, quos Esdras in canonem non recepit, illi prophetiæ autoritati contradicunt. Patres concilii Tridentini & Bellarminus hoc faciunt; ergo. Ad textum Hebræum in vet. & ad textum Græcum in nov. test. a vulgata versione Latina provocari posse, negant patres concilii Tridentini, quos sequuntur Jesuitæ. Sed in jure canonico cap. ut veterum dist. 9. expresse illud præcipitur. Id ipsum multis argumentis comprobant Ludov. Vives in lib. XIV. Augustinus de civit. Dei cap. 8. in lib. XV. cap. 13. Benedictus Arias Montanus

unus

unus ex patribus concilii Tridentini in præfat. super opus biblicum; Erasmus a Leone X. dilectus filius adpellatus, in versione & adnot. nov. test. Maldonatus in comment. ad cap. VIII. Matth. *Existimo Latinam nostram vulgatam esse in hoc loco ex Graecis corrigendam.* Franc. Lucas præfat. adnot. in bibl. *Ridiculum est hoc quorundam responsum, vulgatam Latinam authenticam esse, nec esse ex Hebraeis & Graecis corrigendam.* Fontes Hebræos *corruptos* esse statuunt Lindanus lib. I. de opt. gen. interpr. cap. 2. Canus lib. II. loc. cap. 13. (*) Contrarium ostendunt Ioh. Isaacus, Bened. Arias Montanus, Andradius &c. Disputat Bellarminus & quidem recte lib. III. de verbo Dei cap. 3. *ex solo sensu literali scripturae sacrae peti posse argumenta efficacia, cum certum sit, illum sensum, qui ex verbis immediate colligitur, esse sensum Spiritus sancti.* Sed cardinalis Cusanus epist. II. & III. de communione sub una specie ad Bohemos contendit, *scripturas esse ad tempus adaptatas & varie intellectas, ita ut uno tempore secundum currentem universalem ritum exponerentur, mutato ritu iterum sententia mutaretur, ac mutato judicio ecclesiae mutatum esse & Dei judicium.* Scripturam esse perfectam, hoc est, continere ea omnia, quæ ad fidem & mores pertinent, communiter negant Jesuitæ; sed præter perspicua scholasticorum dicta ex Thoma, Scoto, Cameracensi, Durando, Bonaventura, Biele &c. pro perfectione scripturæ adducta, ipsimet recentiores pontificii calculum suum nostræ sententiæ addunt. Cajetanus in 2. Tim. III. *Scriptura utilis est ad doctrinae redargutionem &c. ut perfectus sit homo Dei, hoc est, integer, constans ex omnibus requisitis ad perficiendum hominem Dei.* Costerus in enchir. pag. 48. *Non inficiamur praecipua illa fidei dogmata ad salutem omnibus necessaria perspicue satis comprehendi in scripturis.* Bellarminus lib. IV. de verbo Dei cap. 11. *Dico illa omnia scripta esse ab apostolis, quae sunt omnibus necessaria, & quae ipsi palam omnibus vulgo praedicaverunt.* Jesuitæ in colloquio Ratisb. edit. Spir. anno 1602. §. 216. ad locum Augustini ex libro de unit. eccles. cap. 16. a nostris adductum aperte adnotarunt, *se paratos esse ex sola scriptura suam ecclesiam adversus Lutheranos demonstrare, imo articulos fidei ex sola scriptura sufficienter defendi posse adversus eos, qui ecclesiae & conciliorum autoritatem non admittunt.* Pari ratione Pistorius jactitat, *se ex sola scriptura sacra cum Lutheranis disputare, ac errorum eos convincere velle;* sed huic contradicit Eccius, qui coram Wilhelmo, Bavariæ Duce, in comitiis Augustanis fassus, *ex patribus quidem Lutheranam religionem quodammodo refutari posse, sed non ex scriptura,* ut refertur tom. V. oper. germ. Lutheri fol. 35. unde etiam Alb. Piggius lib. I. de eccles. hier. cap. 4. certamen illud improbat. *Si hujus* inquit *doctrinae* (scilicet cum Lutheranis non esse disputandum ex scripturis) *fuissemus memores, meliore sane loco res nostrae essent, sed dum ingenii ostentandi & eruditionis gratia cum Luthero in certamen scripturarum descenditur, excitatum est hoc, quod prohdolor videmus, incendium.* Traditiones tum ad fidem tum ad mores pertinentes *pari pietatis adfectu & reverentia cum libris scriptis suscipiendas* esse decretum est in concilio Tridentino sess. IV c. 1. Sed Jacobus Nachiantes, Fossæ Clodiæ vel Clugiensis episcopus, in ipso concilio Tridentino dixit, *verba illa sibi dura videri, nihil enim esse, quod cum evangelio conferri possit.* Vergerius epist. ad regem Polon. fol. 119. ac Stanislaus Hosius cardinalis disputat, *primum locum obtinere scriptum evangelium, proximum vero traditiones.* Scripturarum lectione laicis interdicendum esse, plerique pontificii censent, sed aliter visum est Claudio Espencæo, theologo Sorbonico, comment. in Tit. II. & 2. Tim. III. *Aliqui* (inquit) *existimant scripturas difficiliores esse,*



(*) Praeter binos istos scriptores, quos supra memorat Gerhardus, sunt complures alii ex ecclesiae Romanae doctoribus, qui fontes ebraeos a Judaeis corruptos esse statuunt, quorum nomina legi possunt in laudatiss. Gerhardi nostri *confess. cathol. libr. II. p. 79. & 102.* itemque in Jo. Morini *exercit. bibl. libr. I. exercit. I cap. II.* Ex recentioribus pontificiis hanc classem augent Pavl. Pezronivs, Clavd. Frassenivs, Nic. Serarivs, Clavd. Capellanvs, alii.

*se, quam ut debeant laicorum manibus conteri, sed aliter visum est patribus vet. & nov. testamenti.*

§. CCXLII. Scripturam sacram esse unicum & proprium theologiæ principium, pontificii non agnoscunt, sed *ecclesiae*, hoc est, ut ultima analysis ostendit, *pontifices Romani* autoritatem principii loco habent. Verum enim vero ne in hoc quidem principio omnes consentiunt. Disputat enim Bellarminus lib. IV. de pontif. Rom. cap. 2. de judicio pontificis, an sit certum atque infallibile, quatuor esse diversas sententias: *Prima, pontificem etiam ut pontificem, etiamsi cum generali concilio definiret aliquid, posse esse haereticum in se, & docere alios haeresin, & de facto aliquando ita accidisse.* Hanc sententiam nobis (quos *haereticos* vocat homo totus haresibus immersus) tribuit. (*) *Secundam* sententiam tribuit illis, qui statuunt, *pontificem etiam ut pontificem posse esse haereticum, & docere haeresin, si absque generali concilio definiat, & de facto ita aliquando accidisse. Hanc opinionem* (inquit) *tuetur Nilus in libro suo adversus primatum papae, eamdem secuti sunt aliquot Parisienses ut Gerson & Almain in libris de potestate ecclesiae, nec non Alphonsus de Castro lib. I. cap. 2. contra haereses & Adrianus VI. papa in quaestione de confirmatione, qui omnes non in pontifice, sed in ecclesia sive concilio generali tantum constituunt infallibilitatem judicii de rebus fidei. Tertia sententia est, pontificem non posse ullo modo esse haereticum, nec docere publice haeresin, etiamsi solus rem aliquam definiat.* Ita Alb. Piggius lib. IV. Hier. eccles. cap. 8. *Quarta sententia est, pontificem sive haereticus esse possit, sive non, non posse ullo modo definire aliquid haereticum a tota ecclesia credendum.* Postea addit de singulis hisce sententiis ἐπιχρισιν. *Prima*, inquit, *est haeretica, secunda non est proprie haeretica, nam adhuc videmus ab ecclesia tolerari, qui illam sententiam sequuntur, tamen videtur omnino erronea & haeresi proxima: tertia probabilis est, non tamen certa: quarta certissima est & adserenda.* Atqui si non est haereticum statuere, *pontificem etiam ut pontificem posse esse haereticum*, ubi manet certitudo illius principii, in quod fides pontificia ultimo resolvitur, quod judicium Romani pontificis sit infallibile? Huc pertinet, quod libr. ejusd. cap. 7 §. 2. disertis verbis scribit Bellarminus, *non esse omnino certum* (in ecclesia Romana) *an possit nec ne esse haereticus pontifex.* Itemque quod lib. II de pontif. cap. 30. operose disputat, *an papa haereticus deponi possit*, ubi quinque opiniones catholicorum enumerat. Atqui si est ex numero τῶν ἀδυνάτων pontificem fieri haereticum, quo fine quæso disputatur, *an papa haereticus deponi possit?* Perinde enim hoc est, ac si quis disputet, an angeli sancti in peccatum prolapsi cœlo exturbari possint, cum post confirmationem in bono non possint in peccatum prolabi, ideoque frustra quæratur, an cœlo exturbari possint. Ceterum ut de infallibili pontificis judicio, ita quoque de autoritate ejusdem supra concilium nondum conveniunt. *Majorem esse concilii quam papae autoritatem* statuunt Cameracensis & Gerson in libris de potestate ecclesiæ, Occamus lib. VI. part. I. Cusanus lib. II. de concord. cathol. cap. ult. Alphonsus de Castro lib. I. contra hæres. cap 8. ac Sorbona Parisiensis, (**) quinimo ipse Æneas Sylvius, postea pontifex Pius II. lib. I. de gestis concil. Basil. fol. 5. diserte scribit: *Necesse est, ut pontifex concilio subjiciatur. In Hieronymi sententia tanquam in agro fertilissimo versor, ubi dicit, autoritas orbis major est urbe. Magna papae autoritas, qui Romanae praeest ecclesiae, major est autoritas universalis ecclesiae, quae si mater est omnium, filium habet Romanum pontificem, alias vero non habebit Deum Patrem, quia non habet ecclesia ma-*

(*) Sed ipse Tostatus defens. part. II, cap. 30. scribit: *Papa potest errare in fide & operibus & effici haereticus, ut in Marcellino, Liberio & Johanne XXII. adparet. Neque sequitur: papa condemnat aliquam propositionem tanquam haereticam, ergo est haeretica.* GERHARDUS.

(**) Plures scriptores pontificios, idem statuentes, laudavimus supra in *not.* ad §. *CCXXXV. p. 11.*

*matrem.* (*) Contra vero *papam esse supra concilium* probare conantur Canus lib. V. loc. cap. 5. Piggius lib. VI. de eccles. hierarch. cap. 13. Cajetanus in pecul. tract. Turrianus libr. defens. locor. script. pag. 294 (**) ubi scribit: *Statuere, quod concilium sit supra papam, est repugnare naturae, nihilque aliud quam partem toti praeferre.* Vnde expressis verbis fatetur Bellarminus libr. II. de concil. cap. 13. *usque ad hanc diem quaestionem ea de re superesse inter catholicos.* Atqui si papae judicium est fidei principium, si in papa infallibilitas formaliter & principaliter quaerenda, utique certum esse debet, quod sit supra concilium, quippe cui infallibilitatem unice impertit & communicat. Si vero nondum certum est, papam esse supra concilium, utique judicium papae non potest esse principium fidei. Denique pontifici competere summam jurisdictionem ac potestatem in temporalibus, negant Marsilius Patavinus in defensore pacis, autor oneris ecclesiae cap. 20 §. 6. Alber. Rosates in lexico verb. *electio.* Petrus Ferrarienſis in forma libelli act. confels. verb. plenam, Petrus de Vineis, cancellarius Friderici secundi in epistolis, Michaël Vleurunnus Pampilonenſis in tract. de regim. mundi ad imperatorem Carolum V. Hieron. Venderamus in adsert. contra detractores reipublicae Venetae &c. Contrarium statuunt Francilcus Bozzius, qui de temporali ecclesiae monarchia quinque libros scripsit & in publicum edidit Coloniae anno 1602. Mariana de Rege libr. I. cap. 2. Martinus Becanus in scriptis contra regem Angliae, quae publico Parisiensis scholae decreto sunt condemnata. Bellarminus lib. V. de pont. cap. 6. distinctione utitur: *Pontifex ut pontifex etsi non habet ullam mere temporalem potestatem, tamen habet in ordine ad bonum spirituale summam potestatem disponendi de temporalibus rebus omnium christianorum.* Sed hanc Bellarmini opinionem publicis scriptis refutavit Barclaius, qui in libr. de potestate papae cap. 13. pag. 101. scribit, *se ex patribus ordinis Jesuitici intellexisse, quod Sixtus V. aegerrime tulerit, a Bellarmino doceri, non nisi indirecte convenire pontifici potestatem temporalem, indeque parum abfuisse, quin omnia illius opera, quae haeresin hodie summo successu oppugnant, censura pontificia cum magno ecclesiae detrimento* (scilicet) *abderentur.* Certe Sixtus ipse hanc Bellarmini distinctionem aperte refellit, quando in bulla contra Henricum III. Franciae regem adserit, *se supremam in omnes reges ac principes universae terrae, tunctosque populos, gentes & nationes non humana sed divina institutione sibi traditam potestatem obtinere.*

§. CCXLIII. Nec minor dissensio in reliquis articulis. In articulo *de persona Christi* Jesuitae plerique omnes scholasticos secuti statuunt, *Christum esse mediatorem tantum secundum humanam naturam.* Lombardus lib. III. sent. dist. 19. Bellarminus lib. V. de Christo c. 3. Pistorius in hodeg. p. 161. adpellat *blasphemiam, si Christus secundum utramque naturam statuatur mediator.* Sed Claudius Espencaeus episcopus

comm.

(*) Anno 1409. *Quidam cardinales & episcopi, 124. theologi, 300. jurisconsulti Pisis concilium congregarunt, & quia eo tempore erant duo pontifices, quorum unus Avenione in Gallis sedebat, Benedictus scilicet XIII. alter vero Romae in Italia sedem constituerat, Gregorius scilicet XII. concilium Pisanum utrumque tanquam haereticum & seditiosum deposuit, inque eorum locum Alexandrum V. elegit, quem priores a concilio depositi haereticum declaraverunt.* Nauclerus anno 1409. Hic jam difficilis oritur quaestio: an alteruter a concilio depositorum, an Alexander V. fuerit verus pontifex? Si prius, Alexander V. erit haereticus ac schismaticus, & successores ejus habebunt ordinationem ab haeretico, adeoque successio erit interrupta. Si posterius, concilium erit supra papam. Basileense concilium itidem *deposuit duos pontifices de sede Romana vulturum instar digladiantes* & eorum loco elegit Felicem V. anno 1431. Constantiense concilium tempore Sigismundi imperatoris *tres deposuit pontifices*, Johannem XXIV. Gregorium XII. Benedictum XIII. & elapso demum biennii ac sex mensium decursu Martinum eorum loco elegerunt. GERHARDUS.

(**) Praeter auctores supra commemoratos fuerunt & alii, qui ut pontifici Romano studium suum & observantiam probarent, eundem conciliis superiorem esse, comprobare annisi sunt. Eminent ex iis PHIL. LABBEUS, JO. MORINUS, JAC. PERRONIUS, cardinalis, COELESTINUS, marchio DE SFONDRATI, ANTON CHARLAS, EMANUEL A SCHELSTRATE, MATTH. PETITDIDIERIUS, alique.

comm. in 1. Tim. II. in tract. de Christo mediat. c. 2. & 5. hunc errorem & argumenta, quæ pro illo stabiliendo adferuntur, late & exacte refellit, ac Suarez in Thomam tom. I. quæst. 1. art. 2. disp. 4. sect. 5. ostendit, *sibi omnino displicere modum loquendi, qui negat Christum & sibi & toti Trinitati pro nobis satisfeciſſe, cum sit aperte contra scripturas, & adducit dictum apostoli*, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, *ubi* (inquit) *sicut Deus dicitur esse in Christo ratione divinae naturae, ita ratione ejusdem dicitur reconciliasse mundum sibi.* In articulo de *electione* Bellarminus lib. II. de grat. & lib. arbit. cap. 9. Franciſc. Suarez & quidam alii negant, *praedestinationem ad gloriam factam esse ex praevisis meritis*, unde & distinguunt *inter voluntatem praedestinantem & exsequentem.* Sed Becanus in theol. scholast. part. I. tract. 1. c. 14. p. 146. contra sententiam illam late disputat concludens, *Deum efficaciter elegisse aliquos ad gloriam ex praevisis meritis*, ac pro hac opinione præter antiquos adducit Piggium, Osorium, Ruardum, Driedonem, Eccium, Turrianum, Stapletonum, Ludov. Molinam, Gregorium de Valentia, Vasquez &c. Anno 1614. Jacob. Hackerus, professor theologiæ in academia Friburgensi edidit tractatum de prædestinatione, in quo disputationem Andreæ Vrciani de eadem materia a tredecim diversorum ordinum fratribus & patribus subscriptam refellit, & in quatuor elementa, videlicet mendacia, hæreses, antilogias ac sermonis sordes resolvit. Bellarminus lib. I. de grat. & lib. arbit. c. 12. & 13. ex scripturis, patribus & ratione probare conatur, *Deum largiri nonnullis gratiam sufficientem ad eorum conversionem, quae non est efficax ad eos convertendos.* Sed Paulus Bennius in lib. de efficac. gratiæ Clementi VIII. dedicato c. 14. contra illam distinctionem late disputat: *per inconsiderantiam* (inquit) *isthaec Jesuitis permiserunt nostrates theologi quidam, atque in varias salebras incaute inciderunt. Nam dicere per sufficientem gratiam habere nos posse tantum, actu vero converti haberi ab efficaci, nil aliud est quam posse fine posse largiri & pugnantia loqui.* Adducit etiam pro sua sententia Ozorium & Johan. Antoninum Delphensem, qui concilio Tridentino interfuit. In articulo de *imagine Dei* Bellarminus libr. de gratia primi hominis c. 2. & plerique omnes Jesuitæ statuunt, *imaginem Dei consistere in essentialibus animae facultatibus, mente, voluntate ac memoria: similitudinem vero in qualitatibus animae, quod intellectus illuminatus fide, memoria confirmata spe, voluntas caritate.* Sed hanc sententiam refellit Pererius libr. IV. in Genes. pag. 474. atque ex immotis scripturæ fundamentis probat, *& imaginis & similitudinis nomine* idem intelligi. In articulo de *peccato originis* multas fovent dissensiones: Jac. Faber in V. Rom. docet, *nos nihil ex Adamo trahere, nisi obligationem ad mortem.* Alb. Piggius controv. de pecc. orig. & Ambros. Catharinus libr. de lapsi. hom. & pecc. orig. c. 6. statuunt, *peccatum originis non habere veram peccati rationem, sed esse tantum reatum, quo posteri primorum parentum propter transgressionem illorum primaevam sine aliquo vitio proprio & inhaerente naturae pravitate devincti teneantur.* Ruard. Tapperus in art. de pecc. orig. scribit: *In parvulo recens nato nihil invenio, quod vere & proprie peccati rationem habeat.* Cornelius canonicus Colon. tom. II. animadv. disputat, *peccatum originale non esse proprie peccatum, cum non sit defectus perfectionis necessariae ad beatitudinem &c.* Qua in parte sequuntur quosdam ex scholasticis. Durandus n. in lib. I. sent. dist. 30. q. 2. disputat, *peccatum originis esse merum reatum, nulloque modo culpam dici posse vel debere.* Occamus in dial. in c. 2. ait, *se, si non impediretur autoritate patrum, dicturum, peccatum originale nihil esse nisi non acceptationem divinam propter aliquod demeritum praecedens in alio.* Sed Pelagianam illam opinionem refellit Bellarminus lib. V. de amiss. grat. & statu peccati c. 6. ubi quam mollissime eam vocat *minus rectam.* Andradius lib. III. defens. Trid. fatetur, *admodum illustres theologos* (pontificios) *adhuc laborare in explicatione peccati originalis, quia concilium Tridentinum*

*num cum definiret peccatum originis vere esse peccatum, illius tamen propriam rationem consulto silentio involvit.* An peccatum originis in quadam positiva qualitate consistat, *de eo inter catholicos* (pontificios) *adhuc disceptari* agnoscit Bellarminus lib. V. de amiss. gratiæ & statu pecc. c. 15. *An b. Maria speciali quodam privilegio a labe originalis peccati fuerit immunis*, de eo plurimum apud ipsos disceptatur, (*) ut ostendit concertatio inter monachos ordinis Dominicani & Franciscani anno 1370. Antoninus part. III. tit. 24. cap. 11. §. 315. *Brigitta revelationem* (ut adserit) *habuit, virginem Mariam conceptam sine originali peccato. B. Catharina de Senis non, ut creditur, minoris sanctitatis & canonizata habuit revelationem in contrarium.* Catharinus narrat, cum in concilio Trident. de hac quæstione deliberatum esset, aliis aliud esse visum, atque interim, dum patres ea de re consultant, a Magistro sacri palatii & aliis theologis editum fuisse librum cardinalis de Turrecremata contra incontaminatam b. virginis conceptionem scriptum, illum paulo post Catharinus aspero & prolixo scripto refutavit. Jod. Clichtovæus duos libros edidit de immaculata puritate conceptionis b. Mariæ, quam septendecim argumentis probare nititur. Bellarminus lib. IV. de amiss. gratiæ & statu pecc. cap. 15. dicit, *non haberi apud catholicos pro re certa & explorata ac fide catholica tenenda, b. virginem fuisse sine peccato conceptam.* Sed obstat illi determinatio concilii Basileensis, quam presse urget Biel lib. III. sent. dist. 3. q. 1. art 2. In articulo de *peccatis actualibus* nondum per omnia consentiunt. Communis Jesuitarum schola statuit, *quaedam peccata esse sua natura venialia.* Sed hoc improbatur Gersoni de vita spirit. lect. I. Bieli lib. IV. sent. dist. 16. q. 2. art. 1. Rossensi acerrimo Lutheri adversario. In articulo de *libero arbitrio* quoad doctrinam de efficacia gratiæ non conveniunt. Becanus de auxil. gratiæ part. II. c. 3. thes. 6. disputat, *causam, quod gratia Dei non semper sit efficax, neque omnes convertantur, esse in libero arbitrio, esse enim in viribus humanis gratiae vel adsentiri vel non. Qui ergo vi liberi arbitrii gratiam illam acceptet, eum converti, qui vero non acceptet, illum non converti, proinde si quaeratur prima radix, quare haec gratia sit efficax, illa inefficax, recurrendum esse ad liberam cooperationem voluntatis.* Sed dissentit aperte a Becano Bellarminus lib. I. de grat. c. 12, & 13. ubi refellit eos, qui statuunt, *gratiam ideo sortiri effectum, quia voluntas humana cooperetur, addita ratione, quia sic fidelis ab infideli per liberum arbitrium discerneretur, & fidelis coram infideli gloriari posset, quod est contra 1. Cor. IV. 6.* In articulo de *justificatione* multis modis dissentiunt, sive theoriam sive praxin respicias, ut late ostendimus in tract. de justificatione § CCXVIII. sub finem tomi VII. locorum. De *dubitatione* publicis scriptis disceptarunt Ambrosius Catharinus & Dominicus Sotus. Imputationem justitiæ plerique omnes Jesuitæ negant & vocant *putativam justitiam;* sed Stapletonus lib. VII. de justific. cap. 9. & Vega libr. XV. de justificat. c. 20. p. 712. agnoscere coguntur, *catholicos aliquos pios & doctos viros statuisse, nullum alium esse justitiae conservandae modum, quam si justitia Christi nobis imputetur.* Meritis operum plerique omnes patrocinantur, sed Vega opusc. de meritis quæst. IV. agnoscit, *multos catholicos meritum omne negasse.* Septenarium sacramentorum numerum communiter propugnant, sed Gregorius de Valentia libr. de numero sacr. cap. 3. & cap. 7. agnoscit, *non esse in eo universalem pontificiorum consensum. Catholici* (inquit) *alii negant matrimonium, confirmationem, alii extremam unctionem esse univoce sacramentum.* (**) In articulo de *cœna* quot contradictiones occurrunt? in

(*) Monumenta, quæ celeberrimæ huic controversiæ in ecclesia Rom. olim acriter agitatæ lucem quandam adfundunt, more suo diligenter recensuit celeberr. Jenensium theologus, Jo. Georg. Walchius in *bibliath. theolog. selecta. Vol. II. cap. V. sect. XVIII. §. XVI. p. 1021. seqq.*

(**) Ambrosius Catharinus, archiepiscopus Minoriensis, & Dominicus de Soto, theologus Hispanus, Carol

in quæstione de transsubstantiatione, de communione sub una specie, de consecratione &c. *Cælibatum* jure divino sacris ordinibus adnexum esse statuunt Clichtovæus libr. de continent. sacerd. cap. 4. Torrensis, Pererius, Michael Medina &c. alii vero contra disputant *non jure divino, sed ex ecclesiae consuetudine & decreto id esse;* Cajetanus in opusc. tom. I. tract. 27. Dominicus Sotus lib. VII. de justit. q. 6. art. 2. Joh. Caspar. Rulandus tit. XVI. Bellarminus lib. I. de cler. cap. 18. & lib. I. de matrim. c. 21. Costerus in enchir. c. 15. Petrus a Soto in confut. confess. Wirtemberg. &c. Æneas Sylvius postea pontifex Pius II. reliquit hoc dictum: *Sacerdotibus magna ratione ademtum esse conjugium, majori autem restituendum videri*, referente Platina & Sabellico. Conjugium etiam *quoad vinculum* per adulterium dissolvi statuunt Erasmus in adnot. 1. Cor. VII. Cajetanus in lib. proprio & in XIX. Matth. Ambrosius Catharinus lib. V. adnot. &c. sed concilium Trident. sess. VIII. sub Pio IV. can. 7. & Bellarminus ejus hyperaspistes statuunt contrarium. (*) In articulis reliquis quam graves foveant dissensiones, & quomodo in singulis fere controversiis nostram vel inscii vel veritatis vi coacti propugnent sententiam, suo expositum fuit loco & sequentibus etiam articulis ostendetur. Videatur liber Flacii de dissensionibus, sectis ac dissidiis pontificiorum, in quo late demonstrat, *multos pontifices cum ecclesiis orientalibus & Africanis litigasse, non paucos contraria decreta statuisse, nonnullos a fide resiliisse, aliquot schismata in ecclesia Romana contigisse, multa concilia sibi ipsis adversari, ordines monasticos raro consentire, Thomistas, Scotistas, Occamistas in plurimis dissidere, monachos mendicantes maxima certamina excitasse, discordare Lombardum & Gratianum, quorum ille theologiam conscientiariam, hic judiciariam scripsit, reformationes a pontificibus promissas esse, quae testes sint rixarum & corruptelarum, doctrinam papisticam sibi ipsi in multis contradicere &c.* Hæc omnia Flacius. (**) Videri etiam potest de hoc argumento liber Pappi, in quo collegit contradictiones doctorum Romanæ ecclesiæ ex Bellarmino, papa non papa Osiandri, apologia catholica Mortoni, de papatu se ipsum destruente Hunnii &c. Bellarminus ad objecta monachorum ac scholasticorum dissidia utcunque respondet, *nomina Benedictinorum, Franciscanorum, Dominicorum desumta esse non ab autore doctrinae, sed ab institutore severioris disciplinae, Thomistas & scholasticos Scotistas* dicit *non dissentire in rebus, quae ad fidem pertinent: se & sua subjicere ecclesiae Romanae definitioni omnes catholicos, ideo in rebus fidei omnes convenire.* Resp. 1.) Ostendimus superius

roli V. confessor, complures annos libris partim Romæ, partim Venetiis, partim Antverpiæ excusis de primariis & plane necessariis articulis nempe de *certa fiducia gratiae Dei* vel *dubitatione*, de *praedestinatione*, de *originali peccato*, de *libero arbitrio* & *induratione peccatoris* atrociter digladiati sunt. Idem archiepiscopus Catharinus scripsit etiam contra Cajetanum cardinalem, & in ejus opusculis 204. errores tanquam impios & antichristianos refutavit. Franciscus Torrensis objicit Catharino, *quod negarit legem Mosis esse legem Dei, & neget Pauli praecepta esse Christi praecepta, idque cum quorumdam veterum seductorum haeresi habeat commune.* Vicissim in libro adv. Torrensem, Catharinus Torrensem inter alia adcusat, quod *adserat cælibatum ministrorum ecclesiae catholicae esse praeceptum de jure divino scripto sancitum, teneri episcopos, presbyteros, diaconos, hypodiaconos, continere se perpetuo a suis uxoribus, quas ante habuerunt, idque praecepto Christi per Christum & apostolos praedicato & ab ipso scripto. Erravit igitur* (inquit Catharinus) *universus scholasticorum cœtus & b. Thomas, qui docuit ex statuto tantum ecclesiae esse debitum continentiae &c.* GERHARDVS.

(*) Catharinus in libr. contra Torrensem adfirmat, *jejunium quadragesimale non esse juris divini, & Thomam citat, qui universaliter dicit, ex statuto ecclesiae factum esse jejunii determinationem &c.* At contra Torrensis in lib. de residentia ministrorum, jejunium quadragesimale censet esse juris divini. GERH.

(**) Singuli fere episcopatus sua propria breviaria, missalia, suas peculiares ceremonias, agenda, imo etiam proprios sanctos, festa, cultus & idola habuerunt, & etiamnum habent, ac secundum illorum diversitatem diverso ab aliis modo religionis cultum exercent. Quot monachorum ac monialium ordines? cuivis ordini sunt sui servatores ac mediatores, suæ propriæ vestes, regulæ, ceremoniæ, peculiares sancti, missalia, breviaria, agenda & libri ceremoniales præscripti. GERHARDVS.

rius Dominicanos & Franciscanos de conceptione b. Mariæ discordes fuisse. Præterea monachi ordinis sui regulas observant sub opinione cultus & meriti, ac in suis illis electitiis operibus quærunt justitiam & salutem, tot igitur inter illos sunt diversæ de justificatione opiniones, quot ordines. Adde, quod ordines reliqui a Jesuitarum doctrina & moribus plurimum dissideant. 2.) Dissensiones scholasticorum verlari etiam in rebus fidei, si non directe, tamen per indirectum, multis exemplis ostendi potest. 3.) Pontificii scriptores licet se & sua judicio Romanæ ecclesiæ subjiciant, hoc tamen nequaquam efficit, quo minus sentiant id, quod sentiunt, hoc est, quo minus invicem opinionibus dissentiant, sed arguit præpostlerum erga Romanum pontificem obsequium, quod in illius gratiam repudient ac damnent ea, quæ ex clara sacrarum literarum luce cognoverunt.

*An in evangelicis ecclesiis sit vera unitas?*

§. CCXLIV. Membrum *tertium.* Num in ecclesiis evangelicis sit vera unitas? Negat hoc Bellarminus lib. IV. de eccles. cap. 7. §. *denique:* duobus potissimum argumentis: 1.) *Constat* (inquit) *ex Friderico Staphylo in libro de concordia discipulorum Lutheri, Lutheranos vix dum natos dividi cœpisse in anabaptistas, confessionistas & sectarios, & rursum singulas sectas in alias atque alias usque ad 34. & hoc quidem tempore Staphyli, nunc autem numerantur fere 110. diversissimae sectae ab uno Luthero prodeuntes.* Idem nobis objicit Canisius in præfat. lib. Vegæ de justif. *Protestantes se hydram ostendunt, nec unius sunt labii, ut prophetae verbis utar.* Resp. 1.) Staphyli apostatæ calumnias & convicia non debuisset nobis iterum Bellarminus obtrudere, cum iisdem vixdum in lucem editis solide & nervose nostri responderint. (*) 2.) Ab Anabaptistis & aliis sectariis Augustana confessio ecclesias nostras disertis verbis separat, qua igitur fronte Bellarminus in societatem nostram illorum errores ac sectas compingit? 3.) De sectariis dicimus cum apostolo 1. Joh. II. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* (**) 4.) Id ipsum potuisset objici, & vere etiam objectum fuit a gentilibus ecclesiæ apostolicæ, hoc est, ab apostolis plantatæ, de qua Paulus Act. XX. 30. ad Ephesinos episcopos dicit: *Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Refert Clemens Alexandr. lib. VII. Stromat. fol. 155. *Judaeos & gentiles tunc temporis valde exagitasse ecclesiam christianam hac potissimum calumnia, quod christiani inter se ipsos dissideant, ac nulla inter eos sit concordia &c.* Erant enim illo tempore plusquam 20. hæresiarchæ, quorum quisque suos cœtus ecclesiasticos & scholasticos habebat, in quorum numero doctissimi viri reperiebantur. *Hoc* (inquit Clemens d. l.) *adversus nos adducunt Judaei, dicentes non oportere credere propter dissensiones haereseon, retardatur veritas, dum alii alia docent; ad quod dicimus, quod apud vos Judaeos & illos Graecos plurimae fuerunt haereses, nec tamen dubitarunt alii, philosophicae se tradere disciplinae. Oportere esse haereses, praedictum est a Domino, & fieri non potest, ut non fiat, quod praedictum est esse futurum, hujus causa est, quod quidquid est pulcrum, sequitur momus &c.* Postea similitudinibus quibusdam respondet isti objectioni: *Si adpositus est fructus verus & maturus, alius fructus ex cera quam maxime similis, num propter similitudinem abstinendum est ab utroque? & quomodo, si una est via regia, &*

D 2 *aliae*

(*) *Quod si praeter scandalum tot sectarum ne inter praecipuos quidem reformationis duces per omnia potuit convenire, cur adeo miremur? homines utique erant, via, quam insistebant & in qua verum cupide quaerebant, angusta, solet autem iter angustum vixos transeuntium concitare, cum illa diffusa & patens via elogio scripturarum damnata ne populos quidem colitdat. Quid? nonne in seculorum omnium historia ecclesiastica simile potest observari? nonne Basilius magnus & Gregorius Nazianzenus, ut alios taceam, ejusmodi querelis & epistolas & alia sua scripta complerunt? &c.* Casaubonus in praefat. exercit. ad annal. Baronii. GERHARDVS.

(**) Vide omnino Lutherum tom. VI. Jen. germ. f. 315. b. ubi ex ipla ecclesia haereticos ortos docet, & tom. VII. Jen. fol. 127. ubi utitur similitudine a corpore humano ducta. GERHARDVS.

*aliae multae, ex quibus quaedam etiam ferunt in praecipitium, aliae in fluvium, aut in mare profundum, non dubitabit quisquam in viam ingredi ob dissensionem, sed quaerit regiam: ita non est propter dissensiones a veritate discedendum, sed exactius & diligentius inquirendum.* Idem adparet ex Chrysostomo, qui hom. XXXIII. in Act. p. 679. edit. Gr. sic scribit: *Quid respondebimus gentibus? Venit gentilis ac dicit: Vellem fieri christianus, sed nescio, cui adhaeream, multae inter vos sunt pugnae, seditiones ac tumultus, nescio quod dogma eligam, quod praeferam. Singuli dicunt, ego verum dico, cui credam nescio, cum ego scripturarum sim ignarus, & illi utrinque idem praetexunt. Sane hoc multum pro nobis, nam si quidem diceremus, nos rationibus credere, merito turbareris, sed cum scripturas accipimus, & illae simplices sunt ac verae, facile tibi fuerit judicare, si quis illis consentit, christianus est; si quis contra illas pugnat, procul est ab hoc canone &c.* Et postea: *Sit autem quis nulli omnino dogmati addictus, si etiam ille dicat, id quod tu de christianis dicis? Tanta multitudo hominum est, & varia habent dogmata, nam ille quidem ethnicus est, alius autem Judaeus & iterum alius christianus, nullum dogma amplecti oportebit, quia inter se pugnant &c.* Fuerunt Nicaeae post symbolum editum, qui, licet se Arianorum hostes profiterentur, intestinis tamen dissensionibus unitatem fidei non parum lacerabant, quos Constantinus imperator gravissimo sermone compescuit apud Theodoretum lib. I. c. 7. Augustinus, qui quarto post natum Christum seculo floruit, 88. haereses in ecclesia excitatas commemorat in libr. ad Quodvultdeum. Idem ante Augustinum fecerunt Philastrius & Epiphanius. Agnoscit hoc ipse Bellarminus; sic enim scribit lib. I. de concil. cap. 10. *Tradit Isidorus, ante Constantini magni tempora ecclesiam Christi in diversas sectas fuisse divisam.* Quod si ergo apostolicae & primitivae ecclesiae unitatem minime labefactavit, quod ex ea egressi sunt Hymenaeus, Philetus, Cerinthus, Nicolaitae, Simoniani &c. quomodo sectarum origo ecclesiis nostris fraudi esse poterit? haec est fortuna ecclesiae omnium temporum, *ut sint in ea schismata* & oriantur haereses, 1. Cor. XI. 19. ubi bonum semen, ibi diabolus superseminat errorum & corruptelarum zizania; Matth. XIII. 25. ubi ovile, ibi grassantur lupi rapaces. Act. XX. 29. Regerit Bellarminus, *hoc esse discrimen inter divisionem haereticorum ab ecclesia & divisionem ab aliqua haeresi, quod in ecclesia inveniatur certa regula componendarum controversiarum, id est, sententiae summi pontificis vel concilii plenarii, ideo vel non oritur ex doctrina ecclesiae dissensio, vel si oriatur, mox scissura resarcitur. At apud haereticos non est ulla regula finiendarum controversiarum, quisque enim vult esse judex aliorum seque aliis praeponit.* Resp. ex Chrysostomo hom. XIII. in 2. Cor. VII. circa fin. ἔχομεν ἀκριβῆ ζυγὸν ἁπάντων καὶ γνώμονα καὶ κανόνα τῶν θείων νόμων τὴν ἀποφασιν. Scriptura sacra est unica, immota & adaequata fidei regula, ut alibi late demonstratum fuit, quod huic regulae in dogmatibus congruit, acceptamus, quod non congruit, respuimus. Quod vero haeretici ac schismatici regulae illi ac judicio Spiritus sancti sese non subjiciunt, id nequaquam probat, hanc regulam esse imperfectam atque insufficientem, cum nec ipsius pontificis vel concilii sententiae sese subjiciant. Neque in hac vita exspectandum tale judicium, quo haereses omnes sopiantur & aboleantur, tale enim in die decretorio novissimo demum succederet, quinimo ne quidem per pontificis vel concilii sententiam haereses plane sopiri possunt; agnoscit hoc ipse Bellarminus, unde lib. II. de concil. c. 19. col. 129. ad objectionem: *Si ecclesia habet malum pontificem, erit sine remedio*, sic respondet: *Non est mirum, si manet ecclesia sine remedio humano efficaci. Quandoquidem non nititur salus ejus praecipue humana industria, sed divina protectione, cum ejus rex sit Deus &c.* Quemadmodum igitur miraculo quodam per scissum rete copiosa piscium multitudo concludebatur Luc. V. 6. sic in ipsis haeresium scissuris unitas ecclesiae militantis conservatur, & ad vitae aeternae portum homi-

homines adducuntur. Merito autem miramur, quod Bellarminus pontificis & concilii sententiam hoc loco disjungat, cum alibi disputet, *infallibilitatem judicii residere in solo pontifice, & concilia etiam generalia nullam habere autoritatem, nisi a pontifice confirmentur.* Quod si ergo sibi constare voluisset, solius pontificis vel in concilio vel extra concilium judicantis sententiam debuisset unicam fidei regulam statuere, at quam irregularis, incerta & falsa sit ista regula, suo loco demonstratum fuit.

§ CCXLV. II.) *Idem autores haeretici secum non consentiunt, quae est certissima nota falsae doctrinae. Lutheri contradictiones innumeras collegit Johan. Cochlaeus in septicipite, ubi ad finem adjecit, 36. varias sententias unius Lutheri de uno articulo, qui est de communione sub utraque specie. Confessionem quoque Augustanam, quam omnes pro sacrosancta habent, ita immutarunt, & varie ediderunt, ut nesciant ipsi, quae sit vera confessio, teste Andrea Fabricio Leodio in harmonia.* Et postea: *Inter confessionistas Lutheranos rigidi & molles gravissime contendunt, ut adparet ex libris Wigandi & Illyrici contra Georgium Majorem & Philippum Melanchtonem & horum contra illos. Praeterea inter ipsos rigidos quaestio gravissima orta est de peccato originis, nam Illyricus contendit peccatum originis esse substantiam, cui contradicunt Wigandus, Hesshusius & alii. Denique ex eadem provincia Saxonica intra decem annos prodierunt contradictoriae sententiae publico nomine editae. Nam in synodo Dresdensi anno 1571. exposa est sententia Brentii, Illyrici & aliorum de persona Christi, & tamen illam ipsam sententiam a se damnatam anno 1580. in libro concordiae publice receperunt &c.* Resp. 1.) Pleraeque illae, quae Luthero objiciuntur contradictiones, sunt veræ & constantis sententiæ depravationes, ut contra calumnias Cochlæi, Nasi, Pistorii, Vngersdorffi &c. a nostris abunde fuit demonstratum. Negari certe nequit, Lutherum in illa sententia, quam de fidei articulis in Augustanæ confessionis delineatione, in articulis Smalcaldicis, in catechismis majore & minore, in confessione majore &c. exposuit, ad finem usque vitæ constanter permansisse. Si in scriptis prioribus quædam occurrunt, quæ cum posterioribus de purgatorio, de communione sub una specie, de invocatione sanctorum &c. minime conveniunt, meminerimus, ipsum Lutherum in præfat. tom. I. lat. huic cavillo jamdudum satisfeciss. *Ante omnia* (inquit) *oro pium lectorem, & oro propter Dominum nostrum Jesum Christum, ut ista legat cum judicio, imo cum multa miseratione. Et sciat, me fuisse aliquando monachum & papistam insanissimum; cum istam causam adgressus sum, ita ebrium, imo submersum in dogmatibus papae, ut paratissimus fuerim omnes, si potuissem, occidere, aut occidentibus cooperari & consentire, qui papae vel una syllaba obedientiam detrectarent &c. Ita invenies in istis meis scriptis prioribus, quam multa & magna humiliter concesserim papae, quae posterioribus & istis temporibus pro summa blasphemia & abominatione habeo & exsecror. Dabis ergo hunc errorem, pie lector, vel ut ipsi calumniantur, antilogiam tempori & imperitiae meae.* Et postea: *Haec ideo narro, optime lector, ut si lecturus es opuscula mea, memor sis me unum fuisse ex illis, qui ut Augustinus de se scribit, scribendo & docendo profecerint, non ex illis, qui de nihilo repente fiunt summi, cum nihil sint neque operati neque tentati, neque experti.* Idem monet Nicol. Amsdorffius in præfat. tom. I. sic scribens: *Cum dissimilitudo scriptorum Lutheri non modo adversariis calumniandi occasionem praebeat, sed etiam pios & candidos lectores interdum offendat, necessaria admonitio hoc loco recitanda est, ut & hostes evangelii ἀντιλογίας ex scriptis Lutheri colligere desinant, & pii majore judicio & candore in his legendis versentur. Quantum igitur aurora a luce meridiana distat, tantum discrimen est inter libros Lutheri a principio scriptos, qui primo tomo continentur, & eos, quos aliquanto post edidit, &c.* eo adcommodat sententiam Salomonis Prov. IV. *Justorum semita similis est luci, quam aurora spargit,* ac subjicit, *quod lux Spiritus sancti subinde clarior &*

*firmior in mente Lutheri facta sit &c.* Nimirum Lutherus profundissimo superstitionum & errorum papalium cœno ita immersus erat, ut primis statim annis ex eo plene eluctari minime potuerit. Qui plura desiderat, legat gravissimum Lutheri responsum, quod antilogiarum compilatoribus opponit in articulis Smalcaldicis tom. VI. Jen. germ. p. 510. & in lib. de concil. & eccles. tom. VII. Jen. germ. p. 234. 2.) Objectum de variatione confessionis August. solide refellitur in præfatione formulæ concordiæ electorum, principum & statuum evangelicorum nomine scripta & ab iisdem subscripta. *Ne* (inquiunt) *adversariorum nostrorum calumniis de ingenio suo confictis, quibus jactant, ne nobis quidem constare, quae sit vera & genuina August. confessio, aliqui se turbari sinant, sed ii, qui nunc in vivis sunt, & posteritas etiam diserte & firmiter doceantur ac certior reddatur, quaenam illa pia confessio sit, quam & nos & ecclesiae ac scholae nostrarum ditionum omnibus temporibus professae & amplexae fuerint: post sinceram & immotam verbi Dei veritatem solam primam illam Augustanam confessionem imperatori Carolo V. in celebribus illis comitiis Augustanis anno 1530. exhibitam, solam (dicimus) nec ullam aliam amplecti nos velle, luculenter testamur: cujus exempla in archivis antecessorum nostrorum excellentis memoriae, qui ipsi Carolo V. in comitiis illis eam exhibuerunt, repositа, per fide dignos homines, ne quid ad adcuratissimas rationes diligentiae in nobis desideraretur, cum eo, quod imperatori ipsi exhibitum est, & in S. R. imperii archivo adservatur, conferri voluimus, & certi sumus nostra & latina & germanica exempla per omnia sibi invicem respondere &c.* Non imus inficias, variatam esse Augustanam confessionem, sed mutatio illa haudquaquam facta est electorum, principum ac statuum eidem addictorum vel decreto vel consensu, sed privato unius hominis ausu, quinimo elector Saxoniæ per Pontanum hoc nomine Philippum Melanchthonem redarguit, ut refertur in historia Augustanæ confess. p. 220. edit. Magd. anno 1584. ac in colloq. Ratisbon. anno 1541. (cui ipse Philippus Melanchthon interfuit) verba illa in mutata confessione omissa: *Et improbant secus docentes*, restituta sunt, unde etiam confessores evangelici in omnibus imperii comitiis publice testati sunt, se nullam aliam quam invariatam illam Carolo V. imperatori Augustæ oblatam confessionem amplecti, cujus rei testimonium ipsis datur in autonomia Burckhardi p. 286. unde etiam in conventu Naumburgensi anno 1561. non *privatam* illam a Philippo Melanchthone variatam & interpolatam, sed *publicam* imperatori Carolo V. communi evangelicorum statuum nomine oblatam confessionem subscripserunt, & imperatori Ferdinando obtulerunt. Faceſſat igitur calumnia, quod ne ipsi quidem confessores sciant, quæ sit vera confessio. 3) Controversiæ inter theologos August. confessionis quondam excitatæ Dei gratia per *formulam concordiae* sunt sopitæ & sublatæ. Fraudes etiam Calvinianorum, quibus in synodo Dresdensi usi fuerant, singulari Dei providentia patefactæ sunt, quo nomine Deo potius agendæ erant gratiæ, quam quod pristinas contentiones & turbatum olim ecclesiæ statum odiose nobis quisquam objicere velit.

*Unitas ecclesiarum evangelicarum triplex.*

§. CCXLVI. Vere omnino gloriari possumus, nos in doctrina illa, quam ex sacris literis ab initio reluscescentis evangelii didicimus, immota & invariata adhuc persistere, adeoque triplicem ecclesiis nostris unitatem vindicare possumus. Prima est *canonica*, qua scilicet cum canonicis vet. ac nov. test. libris nostræ, quam profitemur, doctrinæ per omnia convenit, nondum enim ab ullo pontificio ullius erroris in fidei articulis ex scriptura sacra convinci potuimus, quin imo præstantissimi scriptores pontificii agnoscere coguntur, ex scriptura sacra nostram confessionem everti minime posse. Altera est *ecclesiastica*, qua scilicet cum scriptoribus ecclesiasticis, quos patres vocant, præsertim illis, qui apostolorum temporibus proximi fuerunt, doctrinæ nostræ convenit; parati enim sumus, in singulis articulis controversis evidentia & per-

perspicua ex patribus testimonia pro nostra sententia adferre. Tertia est *symbolica*, qua scilicet communi consensu amplectimur doctrinam in libris symbolicis ecclesiarum nostrarum, in Augustana confessione, ejusdemque apologia, in catechismis Lutheri, in articulis Smalcaldicis & in formula concordiæ comprehensam, cui si quis nomen suum dare recusat, eum pro fratre in negotio fidei & confessionis haudquaquam agnoscimus. Hæc ecclesiarum nostrarum unitas pontificiorum unitati multis modis præferenda, illa enim est *interna & essentialis* in fidei & doctrinæ unitate consistens, hæc vero magna ex parte est duntaxat *externa & ceremonialis* in qualicunque ceremoniarum conformitate hærens, vigentibus interim gravissimis de rebus fidei dissensionibus: illa est *christiana ac libera*, quia nemo apud nos minis vel persecutionibus cogitur, ut doctrinam nostram amplectatur: hæc vero est *simulata & coacta*, negari enim nequit, multos sub papatu ex metu periculorum aliud profiteri, quam in corde sentiunt: illa nititur immoto verbi Dei fundamento, ideoque est *stabilis & immota*: hæc vero mutabili papæ judicio & instabili traditionum arena nititur, ideo est *instabilis & incerta*. Nec potest Bellarminus ipse inficias ire, in dogmatibus fundamentalibus, de quibus cum pontificia cohorte nostris ecclesiis intercedit controversia, unitatem & consensum nosmet tueri. Audiat sua ipsius verba lib. I. de verb. Dei c. 10. *Omnes protestantes sex illos libros, quos apocryphos vocant, ut Tobiae, Judith, &c. negant pro canonicis esse habendos;* libr. II. de verbo Dei c. 10. *Mirifice inter se consentiunt, negantes vulgatam latinam translationem habendam esse pro authentica;* lib. ejusdem cap. 2. *Omnes omnia ad textum Hebraeum & Graecum examinari volunt;* lib. IV. de verbo Dei c. 3. *Docent omnes, omnia ad salutem necessaria in scripturis expresse contineri;* lib. I. de verbo Dei cap. 15. *Omnes in eo conveniunt, quod oportet sacras scripturas in linguis vernaculis omnibus legendas tradi.* Præfat. de Roman. pontif. *Clamant omnes, Romanum pontificem ut pontificem in haeresin esse prolapsum.* Lib. I. de justif. cap. 12. *Protestantes inter se conveniunt, cum dicunt, nulla re alia justificationem adprehendi quam sola fide.* Lib. de confirm. c. 1. *Negant protestantes fere omnes, confirmationem esse univoce sacramentum.* Lib. V. de euch. cap. 20. *Vehementer iis omnibus placet hic articulus, eucharistiam esse sub utraque specie laicis communicandam.* Libr. I. de sacr. extrem. unctionis cap. 1. & libr. I. de matrim. cap. 1. *Negant omnes protestantes extremam unctionem & matrimonium esse sacramenta proprie dicta.* Lib. V. de sacram. in genere cap. 2. *Docent omnes, characterem sacramentalem nulla scriptura aut ratione probari.* Libr. I. de amiss. gratiæ cap. 8. *Docent omnes Lutherani, nullum esse peccatum veniale ex sua natura.* Præfat. de eccles. triumph. *Cultum imaginum omnes protestantes aversantur.* Lib. V. de amiss. grat. cap. 5. *Communis est eorum sententia, concupiscentiam sua natura esse peccatum in renatis.* Lib. de clericis cap. 19. *Voto continentiae ordinibus adnexo repugnant omnes.* Præfat. in lib. I. de monachis: *Omnes in vitam monasticam uno ore invehuntur.* Lib I. de purgat. cap. 2. *Invocationem defunctorum omnes reprehendunt.* Lib. IV. de pœnit. cap. 4. *Omnes communi consensu negant purgatorium, suffragia & indulgentias pro defunctis.* In his & aliis articulis nos omnes universos, unanimiter, uno ore, communi consensu, vehementer, mirificeque convenire agnoscit Bellarminus, eccur igitur fidei unitatem ecclesiis nostris h. l. detrahit?

*Quid de dissensionibus in nostra ecclesia statuendum.*

§. CCXLVII. Non negamus, diaboli malitia & hominum pro tervia dissensiones quandoque in ecclesiis nostris excitatas esse & adhuc excitari posse, sed illæ nec unitatem fidei in cordibus piorum labefactant, nec doctrinæ veritatem suspectam reddunt, quin potius fidei unitas & doctrinæ veritas ex illis confirmatur. 1.) Ex eo enim, quod diabolus tantopere oppugnat hanc doctrinam per varias hæreses, non sine causa colligimus, quod sit diabolo maxime adversa, ideoque verissima; ex eo, quod diabolus doctrinam nostram

tanto

tanto conatu oppugnatam expugnare non potuit, non sine causa colligimus, quod sit divinæ & immotæ veritatis. Diabolus omnes idololatras & hæreticos vinculis suis tenet constrictos, 2. Tim. II. 26. cur igitur discordias inter eos excitaret, & regnum suum labefactaret? Pios vero a cognitione veritatis per discordias abstrahere conatur, ut progressum evangelii impediat. 2.) Ex eo, quod pii ac fideles doctores contra falsas doctrinas tanto zelo pugnant, haud immerito colligitur, quod sint Spiritus sancti organa, & quod doctrina ipsorum sit verissima. Proprium hoc est fidelium doctorum, quod omnia satanæ excrementa, a quocunque demum in ecclesiam invecta sint vel invehantur, ex ecclesia quam mundissime purgare satagunt, unde nec ad minimas corruptelas, si quasdam deprehendunt, vel ad horam connivent. In luce etiam pulviculi, in tenebris ne quidem ingentes trunci conspiciuntur. 3.) Quæ humana est infirmitas & hujus vitæ imperfectio, facile contingere potest, ut quis a veritatis tramite paululum aberret, vel propter sermonis ἀκυρολογίαν & perversum aliorum intellectum a veritate aberrasse videatur, atque hoc nomine alii sinceri doctores acri zelo contra ipsum commoveantur. Cumque hoc sit præcipuum satanæ studium, ut sinceritatem doctrinæ contaminet ac corrumpat, ac doctoribus ecclesiæ dissidium immittat, facile profecto evenire potest, ut aliquis πικρισμὸς ac παροξυσμὸς, adeoque triste aliquod contentionis incendium subito inter illos oriatur. 4) Causa quorumdam dissidiorum in nostris ecclesiis non tam nostris doctoribus, quam ipsis pontificiis tribuenda. Vt enim non sunt adcusandi medici, qui de curando vulnere aliquantulum dissentiunt, sed illi potius, qui vulnus inflixerunt: sic theologorum dissidium, quod circa restitutionem doctrinæ apostolicæ & sanationem vulnerum ecclesiæ ortum est, non tam doctoribus illis, quam pontificiis, qui tam graviter ecclesiam adflixerunt, & tot erroribus doctrinam contaminarunt, tribuendum est. Vergerius dial. I. contra card. Hosium fol. 154. ad hanc rem illustrandam tali utitur similitudine: *Succidit quispiam ingentem sylvam, radices exstirpavit, terram aratro saepius subegit, ac probe comminuit, mox optimum semen in eam projecit, quod enatum est feliciter, crevit ac maturuit: verum quid? una cum frumento enata sunt zizania, (ut fieri solet, praesertim si sint novalia) quae possunt quidem evelli & a frumento segregari, sed labore ac studio opus est. Laudandus nihilominus, qui bonos agros, illic ubi erat sylva, magnis laboribus & aerumnis fecit, bonumque frumentum seminavit, non vituperandus, quia videtur fuisse origo & causa, ut zizania enata fuerint, quae tamen omni studio curat a frumento segregare. Sic laude, non vituperio digni sumus, cum superstitionum, idolomaniarum & blasphemiarum, quae in nostris ecclesiis creverat, sylvam adjuti a Deo securi verbi succiderimus ac exstirpaverimus, purum autem evangelium ibidem seminaverimus. Quod si aliquae malae doctrinae in perversis quorumdam mentibus interea enatae sunt, non sumus vituperandi.* Ibidem fol. 155. *Vis dicam, unde sint sectae & haereses? a papa & ejus clientibus. Nam cum is sua tyrannide impediat, ne autoritate principum & magistratus possit ubique fieri ecclesiarum ad normam evangelii reformatio, populi autem interea esuriant bonum Dei verbum, inde multi incidunt in clancularios praeceptores, a quibus malam, proh dolor! doctrinam hauriunt.*

## SECTIO VIII.

## DE OCTAVA ECCLESIAE NOTA, QVAM BELLARMINVS ADSIGNAT, QVAE EST SANCTITAS DOCTRINAE.

*An doctrinae sanctitas sit nota ecclesiae.*

§. CCXLVIII. Membrum *primum.* Sitne sanctitas doctrinæ nota ecclesiæ? Bellarminus lib. V. de eccl. cap. 11. id adstruit sequenti ratiocinatione: *Vera ecclesia non solum est catholica, apostolica, una, sed etiam sancta, ut habet*

*bet symbolum Constantinopolitanum. Constat autem sanctam dici ecclesiam, quia professio ejus est sancta, nihil continens falsum quoad fidei doctrinam, nihil injustum, quoad doctrinam morum.* Resp. ecclesiae sanctitas nec solum nec principaliter ex sanctitate professionis dependet, sed 1.) ex causa *efficiente principali* Christo, qui eam *sanctificat* Eph. V. 26. 2.) Ex causa *instrumentali*, tum *offerente & exhibente*, hoc est, verbo & sacramentis, tum *recipiente & adprehendente*, hoc est, fide. Vocatur enim *vocatione sancta*, 2. Tim. I. 9. *in veritate verbi sanctificatur*, Joh. XVII. 17. *mundatur lavacro aquae in verbo*, Eph. V. 26. *& fide purificatur.* Act. XV. 9. 3.) Ex causa *formali*, videlicet imputata per fidem Christi sanctitate. 1. Cor. I. 30. 4.) Ex causa *finali*, quia tendit ad sanctitatem, quae in hac vita inchoatur, in futura perficitur. Luc. I. 75. Eph. I. 4. Augustinus in Psal. LXXXV. ecclesiam esse sanctam dicit, *quia accepit gratiam sanctitatis, gratiam baptismi & remissionis peccatorum.* Vide superius §. XXXIV. Quod professionis sive doctrinae sanctitatem adtinet, ea aestimanda est ex conformitate cum sancto Dei verbo, sive quod idem est, cum sacris literis. Cum enim haeretici non minus quam orthodoxi doctrinae sanctitatem sibi vindicent, atque ut in vita, ita quoque in doctrina, externam sanctitatem mentiantur, non potest nisi ex sanctis scripturis discI, quaenam doctrina sit vere sancta a *sancto sanctorum*, hoc est, ab ipso Deo profecta. Sic ergo semper redeundum ad nostram notam superius adsignatam. Si enim doctrinae sanctitas est ecclesiae nota, multo magis ipsa doctrina erit nota, sic ergo omnis quaestio redit ad doctrinam, de cujus puritate & sanctitate non nisi ex sacris literis statui potest. Et hac ratione non negamus sanctitatem doctrinae, hoc est, doctrinam sanctam & puram cum sacris literis congruentem esse ecclesiae notam, sed Bellarminus, modo sibi constare velit, non potest doctrinae sanctitatem statuere propriam & infallibilem ecclesiae notam, sic enim scribit lib. IV. de eccles. cap. 2. §. sed dices; *esse potest pura doctrina ab omni errore in falsa ecclesia, nam schismatici puri, ut quondam Luciferiani & Donatistae, integram habent doctrinam, & tamen sunt extra ecclesiam.* Inde sic argumentor: doctrina ab omni errore pura est etiam sancta, quod ἐνδηλον. Atqui doctrina ab omni errore pura potest esse in falsa ecclesia. Ergo sancta doctrina sive, quod idem est, sanctitas doctrinae potest esse in falsa ecclesia. Vlterius, quod verae & falsae ecclesiae commune est, non potest esse genuina & propria verae ecclesiae nota. Atqui sancta doctrina sive, quod idem, sanctitas doctrinae est verae & falsae ecclesiae communis ex hypothesi Bellarmini. Ergo sancta doctrina non est genuina & propria verae ecclesiae nota.

*An doctrina ecclesiae Romanae sit sancta?*

§. CCXLIX. Membrum *secundum.* Num doctrina ecclesiae Romanae in articulis controversis sit sancta? Bellarminus id confitenter adserit. *Ecclesia nostra catholica* (inquit, hoc est, Romana) *nullum errorem, nullam turpitudinem, nihil contra rationem docet, etsi multa supra rationem, proinde sola est absolute sancta, eique soli convenit, quod in symbolo dicimus: Credo sanctam ecclesiam. Quam rem ostenderunt adversus paganos Justinus in utraque apologia. Tertullianus apologet. cap. 30. Arnobius lib. I. II. & III. contra gentes, Minutius Felix in Octavio, Augustinus in libris de civitate Dei. Contra paganos autem & haereticos omnes idem adcuratissime ostendit b. Thomas in libris contra gentes.* Resp. ecclesiae catholicae vere sic dictae doctrinam esse sanctam, idque a veteribus contra paganos luculenter demonstratum esse facile concedimus, sed quid hoc ad ecclesiam romanam, quae ab integritate & puritate apostolicae ac primitivae ecclesiae jampridem longissime recessit? Definit Bellarminus doctrinae sanctitatem ex eo, quod nullum errorem, nullam turpitudinem, nihil contra rationem contineat. Non instituemus hac vice rigidum examen illius definitionis, quod vix sustinere posset, cum sanctitati proprie & directe non error, sed turpitudo sit opposita, cumque contra rationem aliquid doceri ambigue dictum sit,

ut postea adparebit, sed ex hypothesi illius definitionis ostendemus, Romanæ ecclesiæ hodiernæ non posse hanc notam, videlicet doctrinæ sanctitatem tribui, cum errores, peccata & paradoxa quamplurima contineat.

*Errores ecclesiæ Romanæ.*

§. CCL. Errores ecclesiæ Romanæ sive papalis (hanc enim nomine ecclesiæ Romanæ intelligimus, non autem cœtum fidelium, quem Christus sub medio papatu imo in ipsa Roma sibi adhuc colligit) in singulis articulis alibi enumeravimus, & ex immotis scripturæ fundamentis confutavimus. Hac vice juxta symboli apostolici articulos digito tantum indice præcipuos errores ostendemus. Primus articulus est: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli ac terræ.* Contra hunc articulum pontificia ecclesia pugnat. 1.) Dum negat *fidem esse fiduciam misericordiae divinae* propter Christum peccata nobis remittentis & paterno amore nos complectentis, contra vero propugnat dubitationem. Concilium Trident. sess. VI. cap. 12. 2.) Dum adserit, *non ex fide, sed ex facti[illegible]us duntaxat conjecturis nobis constare, quod sit Spiritus sanctus, qui nos moveat*, cum Deum vocamus Patrem nostrum. Bellarminus lib. III. de justif. cap. 11. 3.) Dum statuit, *fidem etiam in sanctos ponendam.* Concilium Trident. sess. XXV. de invocat. 4.) Dum docet, *caritatem esse fidei formam.* Cens. Colon. p. 89. 5.) Dum negat, *fidem esse notitiam & adsensum*, imo *melius eam definiri* statuit per *ignorantiam quam per notitiam.* Bellarminus lib. I. de justif. cap. 7. 6.) Dum negat, *promissionem evangelii de misericordia Dei in Christo & gratuita peccatorum remissione esse proprium fidei justificantis objectum.* Ruard. Tapperus in explic. art. IX. pag. 75. Pistorius in disp. de justif. th. 19. 7.) Dum statuit, *veram in Christum fidem cum peccatis mortalibus consistere posse.* Concilium Trident. sess. XVI. cap. 15. 8.) Dum docet, *gentiles habere potuisse fidem justificantem ex naturali Dei cognitione.* Andradius explicat. orthod. lib. III. p. 290. 9.) Dum propugnat *fidem generalem & implicitam*, qua quis cum carbonario profitetur, se credere, quod credit ecclesia. Gregorius de Valent. in anal. de eccles. p. 205. 10.) Dum negat *hominem justificari sola fide absque operibus legis.* Concilium Trident. sess. VI. de justificat. can. IX. 11.) Dum Trinitatem depingit *in forma unius hominis habentis tres facies*, ut constat ex praxi; 12.) dum negat *Dei nomen esse Deo proprium.* Corn. Mussus tom. II. pag. 545. 13.) Dum contendit, *mysterium Trinitatis non nisi admissis traditionibus demonstrari posse.* Imm. a Vega in oppugnatione Samosat. p. 10. Pistorius in epit. colloq. Emmering. 14.) Dum negat, *Deum solum esse creatorem*, quia secundum Lombardum lib. IV. sent. dist. 5. §. 3. *potestas creandi communicari potest creaturae*, & sacrificuli in missa dicuntur *creatores sui creatoris.* Gabr. Biel lect. XLVIII. sup. can. missæ; 15.) dum adserit *praeter Deum aliquid posse esse aeternum*, quia secundum Thomam part. I. q. 46. art. 2. & Ariminensem lib. II. sent. dist. 1. art. 1. q. 3. *nihil repugnet, quamvis creaturam esse ab aeterno;* 16.) dum *justitiae & misericordiae divinae perfectionem* negat, neque enim perfecta justitia est, quæ humanis satisfactionibus imperfectissimis adquiescit, neque perfecta misericordia, quæ tantum supplet, quod meritis hominum deest; 17.) dum quidam Romanæ ecclesiæ alumnus, Augustinus Steuchus, in cosmop. docet, *cœlum ab aeterno exstitisse, non autem in tempore creatum fuisse.* Secundus articulus: *Et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum Dominum nostrum.* Hunc articulum papalis ecclesia corrumpit: 1.) dum negat *Christum secundum humanitatem per & propter unionem personalem esse Deum.* Gregorius de Valent. in defens. disput. contra fundam. ubiquit. p. 42. 2.) dum *realem idiomatum divinorum communicationem* adsumtæ naturæ factam explodit. Bellarminus lib. III. de Christo cap. 1. Busæus contra Gerlachium &c. 3.) dum negat *Christum esse mediatorem secundum utramque naturam.* Bellarminus lib. V. de Christo cap. 2. 4.) dum negat *Christum esse unicum mediatorem nostrum*, cui adjungit sanctos, cumprimis b. virginem. Duræus in constat. resp. Witakeri ad rat. IX. p. 641. Bellarminus

lib. I.

lib. I. de sanct. beat. c. 20. 5.) dum negat *Christum esse perfectum nostrum salvatorem*, cui adjungit operum humanorum merita; concilium Trident. sess. VI. can. 16. ac statuit Christum esse quidem universalem salutis nostrae causam, sed *nec totalem nec integram*, cum alias causas in hoc genere causae accedere oporteat. Biel lib. III. sent. dist. 19. conclus. 5. 6.) dum officium Christi propheticum, sacerdotale & regium multis modis labefactat. Prophetico Christi officio detrahit, dum *traditiones hominum & decreta papae verbo Christi exaequat*, contra vero negat *perfectam salutis doctrinam ex vet. & nov. test. scriptis peti posse*. Concilium Trid. sess. IV. de can. script. dum ex Christo *novum legislatorem* facit. Concilium Trident. sess. VI. can. 21. Sacerdotali Christi officio detrahit, dum per sacrificulos *in missa ipsum adhuc quotidie Deo Patri offerri statuit*. Concilium Trident. sess. XXII. c. 1. & can. 2. catech. Rom. part. II. c. 4. *ac dum sanctos ut mediatores intercessionis* Christo adsociat. Eccius in enchir. prop. 15. p. 155. Regio Christi officio detrahit, dum papam *ejus vicarium* constituit & *monarchicum in ecclesiam dominatum* eidem tribuit. Bellarminus lib. IV. & V. de Rom. pontif. Tertius articulus: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.* Hujus articuli integritatem Romana ecclesia contaminat, 1.) dum *Mariam sine peccati originalis labe conceptam esse* statuit, & sic honorem soli Christo debitum cum Maria communicat; Concilium Tridentinum sess. V. in adpend. ad can. 5. Bellarminus lib. IV. de statu peccati c. 15. 2.) dum *Christi corpus non semel duntaxat in utero Mariae virginis formatum, sed panem per consecrationem in missa adhuc quotidie in illud transsubstantiari* docet. Concilium Trident. sess. XIII. c. 4. & can. 1. Quartus articulus: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad infernos.* Hunc articulum labefactat papana ecclesia, 1.) dum statuit, Christum passione & morte sua *pro originali duntaxat peccato* satisfeciisse; Thomas Aquinas tom. XVII. operum opusc. 58. de sacram. altar. cap. 1. 2.) dum negat, *Christum in passione vere sensisse iram Dei & dolores infernales;* Bellarminus lib. IV. de Christo cap. 8. 3.) dum adserit, *satisfactionem per sufficientiam* (ita adpellat satisfactionem Christi, eamque a satisfactione secundum *efficientiam* distinguit) *non mereri nomen perfectae satisfactionis;* Tapperus tom. I. art. 6. de satisfactione p. 241. 4.) dum statuit, *Christum pro culpa duntaxat, non autem pro poena satisfeciisse;* Bellarminus lib. IV. de poenit. cap. 1. 5.) dum negat, *patres ac fideles vet. test. virtute passionis ac mortis Christi statim post mortem in paradisum translatos*, contra vero in limbum detrusos esse statuit; Catech. Rom part. I. cap. 2. Petrus a Soto in meth. confess. fol. 28. 6.) dum adserit, *Christum nobis sua passione & morte primam tantum gratiam, hoc est, infusionem caritatis meruisse;* Biel lib. III. sent. dist. 18. 7.) dum statuit, *Christum morte sua operibus nostris hoc promeruisse, ut sint meritoria ac satisfactoria;* Concilium Trid. sess. VI. can. 32. Costerus in enchir. c. 7. de merit. oper. p. 293. 8.) dum opus redemtionis *inter Christi passionem ac Mariae dolores dividit;* Taulerus in libello pass. edito a Laur. Surio Lugduni pag. 158. *Duo hic altaria Patri praeparata, unum in corpore Christi, alterum in corde Mariae.* 9.) dum negat Christi satisfactionem per passionem ac mortem fuisse *absolute necessariam* ad remissionem peccatorum & salutem nobis impetrandam; Petrus Tartaretus in IV. sent. dist. 15. fol. 524. 10.) dum Christum *secundum animam ad infernum* descendisse docet, ut patres ex limbo liberaret. Fab. Incarn. in scrutin. sacerdot. part. I. tract. 5. fol. 81. Bellarminus lib. IV. de Christo cap. 7. Quintus articulus: *Tertia die resurrexit a mortuis.* Hujus articuli sinceritati repugnat, 1.) quod Christum resurrexisse propter justificationem nostram, ita exponitur a Bellarmino lib. II. de justif. cap. 6. *resurrectionem Christi esse exemplar renovationis & regenerationis internae, ac nostram justificationem per id constitui potius in renovatione interna, quam in remissione peccatorum.* 2.) Per doctrinam *de meritis humanorum operum* revera occultatur & negatur

Christi resurrectio. Cum enim fructus resurrectionis Christi sit nostra coram Deo justitia in fide Christi consistens, ideo quotquot merita humanae justitiae propugnant, re ipsa Christi resurrectionem negant, perinde ut apostolus pronunciat Phil. III. 18. *pseudo apostolos*, qui negabant in solo Christo esse nostram coram Deo justitiam quærendam, esse *inimicos crucis Christi.* 3.) Superstitiosum est, quod *peregrinationes* instituuntur ad sepulcrum Christi opinione cultus & satisfactionis. Sextus articulus: *Adscendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis.* Huic articulo detrahit ecclesia papalis, 1.) dum negat, *solum* Christum ad dextram Patris sedentem esse nostrum mediatorem & intercessorem, sed *sanctos* illi conjungit; Lombardus lib. IV. sent. dist. 45. lit. F. 2.) dum negat, per collocationem Christi ad dextram Patris ipsi secundum humanam naturam datam *esse omnem potestatem in cœlo ac terra, ut praesens omnibus creaturis adsit, & potenter ubique dominetur.* Bellarminus lib. III. de Christo cap. 16. Septimus articulus: *Inde venturus est judicaturus vivos & mortuos.* In hunc articulum ecclesia Romana impingit: 1.) dum Christum *secundum merita operum judicaturum*, docet Ruard. Tapperus tom. II. art. 8. pag. 17. 2.) dum *ipsum diem adventus ad judicium praecise definit*, exactis scilicet tribus annis cum dimidio ab antichristi adventu. Bellarminus lib. III. de pont. cap. 8. *a morte antichristi usque ad diem judicii numerant 45. dies*; Vega in apol. Gregorius de Valent. tom. IV. oper. disp. 11. q. 2. Octavus articulus: *Credo in Spiritum sanctum.* Hunc articulum labefactat ecclesia papalis, 1.) dum *judicio Spiritus sancti* in scripturis loquentis non adquiescit, sed judicium papæ illi præfert, imo diserte negat, *Spiritum sanctum judicare posse haereticos per scripturas*; Gretserus in colloq. Ratisbon. 2.) dum fingit *infallibilem Spiritus sancti adsistentiam Romano pontifici promissam*, unde in decretis suis errare nequeat; Catechismus Rom. part. I. cap. 10. 3.) dum *internum Spiritus sancti testimonium* & obsignationem de gratia Dei in cordibus piorum elidit dubitationis dogma stabiliendo; Concilium Trident. sess. VI. c. 9. 4.) dum scripturam sacram, authenticas & publicas Spiritus sancti tabulas, vocat *imperfectam, insufficientem, obscuram, ambiguam, regulam Lesbiam, literam mortuam, nasum cereum &c.* Censura Colon. p. 221. Petrus a Soto in defens. de uno præsente judice ecclesiæ p. 1087. &c. Nonus articulus: (Credo) *sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.* Hujus articuli sinceritatem contaminat ecclesia Romana; 1.) dum negat, *ecclesiam proprie esse congregationem sanctorum*; Concilium Constant. sess. XV. 2.) dum sibi *soli* ecclesiæ *catholicae* nomen arrogat; Costerus in apol. contra Gomar. p. 224. 3.) dum statuit, *ecclesiam esse cœtum hominum ita visibilem & palpabilem, sicut est cœtus populi Romani vel regnum Galliae aut respublica Venetorum*; Bellarminus lib. III. de ecclesia milit. cap. 2. 4.) dum *ecclesiae caput & sponsum* statuit *Romanum pontificem*; Bellarminus præfat. lib. de pontif. 5.) dum ecclesiæ nomine *solum Romanum pontificem intelligit*; Thom. Bozius de eccles. lib. & potest. lib. I. cap. 6. 6.) dum docet, *illum cœtum non esse ecclesiam, nec partem ecclesiae, qui Romanum pontificem non agnoscit pro capite.* Bellarminus lib. III. de eccles. cap. 5. sub finem: *Nemo potest etiamsi velit subesse Christo & communicare cum ecclesia militante, qui non subest pontifici*; 7.) dum negat *praedicationem evangelii & administrationem sacramentorum esse veras ecclesiae notas*, contra vero alias substituit communes & accidentarias notas; 8.) dum docet *majorem esse autoritatem ecclesiae*, hoc est, ut docet analysis, papæ Romani, *quam scripturae*, hoc est, ipsius Dei in scripturis loquentis; Conf. Petricov. cap. 15. fol. 18. 9.) dum docet, *ecclesiam tempore apostolorum fuisse rudem, informem & in infantia constitutam, nunc vero longe splendidiorem*; Costerus in enchir. pag. 71. 10.) dum negat, *ecclesiam errare posse.* Bellarminus lib. III. de eccles. cap. 14. Articulus decimus: *Credo remissionem peccatorum.* Hunc articulum depravat ecclesia Romana; 1.) dum negat, *pios de remissione peccatorum*

*torum certos esse posse*; Concilium Trid. sess. VI. can. 13. Bellarminus lib. I. de justif. cap. 9. §. *deinde*: sic scribit: *Articulus de remissione peccatorum in symbolo apostolico non docet specialem & absolutam benevolentiam, sed benevolentiam generalem, & quae suis conditionibus non caret, cum ex baptismi perceptione dependeat.* Et postea: *Itaque sensus articuli non est, credo aut confido mihi remissa esse peccata, sed credo & confiteor, in ecclesia catholica esse donum remissionis peccatorum.* 2.) dum docet post hanc vitam *in purgatorio* quædam peccata remitti. Costerus in enchir. controv. cap. 16. prop. 5. At peccatum ibi remittitur, ubi committitur; 3.) dum *remissa culpa negat remitti pœnam*; Catechismus Rom. part. II. c. 4. pag. 54. 4.) dum *satisfactiones nostras & nostra merita* ad peccatorum remissionem requirit, adeoque bona opera & sacramenta *ex opere operato* remissionem peccatorum conferre statuit; Fab. Incarn. in scrutin. sacerdot. part. I. tract. 1. fol. 31. 5.) dum *judiciariam peccata remittendi potestatem* sacerdotibus tribuit; Concilium Trident. sess. XIV. cap. 1. 6.) dum ex merito Christi & meritis sanctorum parat thesaurum *indulgentiarum*, cujus dispensationem soli pontifici adsignat &c. Articulus undecimus: (Credo) *carnis resurrectionem.* Hunc articulum Johannes XXIII. pontifex Romanus, ecclesiæ Romanæ caput & sponsus, ac in decretis suis infallibilis, penitus negavit, testibus patribus concilii Constantiensis sess. XI. tom. II. concil. p. 160. *Specialem fidem resurrectionis ad vitam fideles justificatos habere* negat Costerus in apol. I. contra Gomarum pag. 228. Articulus duodecimus. *Et* (credo) *vitam aeternam.* Hunc articulum itidem negavit Johannes XXIII. pontifex. Ac labefactatur illius integritas a pontificiis: 1.) dum negant *fideles certos esse posse ac debere de vita aeterna consequenda*; Censura Colon. p. 92. 2.) dum audacter determinant, *quae aureolae* quibus electis olim in vita æterna dandæ sint, *ac fructum tricesimum* conjugatis caste viventibus, *sexagesimum* viduis continentibus, *centesimum* virginibus adsignant, ut constat ex scholasticis; 3.) *dum infantes piorum ac fidelium casu quodam necessitatis a baptismo exclusos regno cœlorum privant & in limbum inferno proximum detrudunt*; Sonnius lib. II. demonstrat. tract. 4. cap. 2. Atque hos errores contra fidei articulos in symbolo apostolico propositos ecclesia papalis complectitur. Quod si eodem modo reliquos doctrinæ cœlestis articulos percurrere velimus, ingens errorum pontificiorum chaos deprehenderetur: videatur liber Heshusii de sexcentis erroribus pontificiorum, Wolfg. Platzii lucus succisus errorum papalium, Gabr. Povelus de antichristo lib. II. cap. 19. & seqq. qui tamen cum judicio discretionis legendus.

§. CCLI. Peccata, quæ ecclesiæ Romanæ doctrina fovet, juxta præcepta decalogi enumerabimus. Contra *primum* præceptum regnat in papatu 1.) *atheismus*, non quidem manifestus, sed occultus. Est autem atheismus *occultus*, quando quis tres personas in una divina essentia agnoscit, interim tamen per consequentias necessarias partim ex aliis doctrinæ aut fidei capitibus, partim ex ratione colendi Deum deductas evertit, id quod bene erat confessus Stapletonus part. I. orat. p. 418. *Est atheismus non solum nullus aut plurium deorum cultus, sed etiam ipsius veri atque unius Dei non verus, non legitimus cultus.* Hujus atheismi reos agimus pontificios, dum enim merita & satisfactiones humanas propugnant, *misericordiae & justitiae divinae* perfectionem obliquе negant, ut superius fuit ostensum. Præterea *qui negat Filium, nec Patrem habet*; 1. Joh. II. 23. at pontificii negant Filium, dum communicationem divinorum idiomatum Christo in tempore datorum ad carnem referre reformidant, sicque *in societatem ab Ario rapiuntur*, ut docet Leo epist. XI. dum negant, *Christum esse mediatorem secundum utramque naturam*, & hac ratione infinitam meriti efficaciam tollunt: dum Christo in prophetico & regio officio adjungunt papam, quem vocant *ecclesiae suae caput ac sponsum*, eique tribuunt potestatem ferendi leges per universam ecclesiam, determinandi infallibiliter con-

*Peccata ecclesiæ Romanæ.*

troversias, præcipiendi angelis, absolvendi subditos a juramentis, quibus magistratui sunt devincti &c. in officio sacerdotali adjungunt Christo copiosissimam turbam sacerdotum, qui quotidie modo incruento pro peccatis mortuorum ac viventium in sacrificio missæ Christum offerant: Christo unico mediatori & intercessori adjungunt multos sanctos, quorum meritis & intercessione confidendum esse docent. Merito Christi conjungunt merita sanctorum & opera supererogationis, quem thesaurum per indulgentias papales dispensari fingunt; docent, Christum esse novum legislatorem &c. Quæ omnia probant, pontificios negare Filium, hoc est, doctrinam de officio Christi horribiliter corrumpere: proinde nec Patrem habent. 2.) *Idololatria*, eaque multiplex. Invocantur enim sancti non solum ut intercessores, sed etiam ut opitulatores ac quandoque ardentius quam ipse Deus, qua ratione committunt ἁγιολατρείαν. Bodinus in meth. histor. c. 5. *Antonius a plerisque in Italia & Gallia Narbonensi ardentiore voto, certe majore metu colitur, quam Deus immortalis.* Lud. Vives in lib. VIII. de civ. Dei c. 27. *Multi christiani in re bona plerumque peccant, quod divos divasque non aliter venerantur quam Deum. Nec video in multis, quod sit discrimen inter eorum opinionem de sanctis & id, quod gentiles putabant de suis diis.* Cassander in consult. art. XXI. *Multi in intercessionibus sanctorum plus quam in Christi meritis fiduciae ponunt, Christum matri substituentes.* Mariam in precibus vocant *Dominam suam, reginam, quae praesit Filio, mediatricem, vitam ac spem suam*, eamque invocant, *ut ab hoste protegat, & in hora mortis suscipiat*, qua ratione committunt Μαριολατρείαν. Imagines quasdam adorant cultu latriæ; Thomas part. III. qu. est. 25. art. 3. sic committunt εἰκονολατρείαν. Corn. Agrippa de vanit. scient. cap. 57. *Dici non potest, quanta idololatria alatur apud rudem populum per imaginum cultum.* Panem eucharisticum in processionibus adorant etiam extra usum a Christo institutum, ac totum sacramentum adorant, quod constat non solum re cœlesti, corpore scilicet & sanguine Christi, sed etiam re terrena, pane scilicet & vino, sicque committunt ἀρτολατρείαν. Angelis honorem adorationis deferunt, & hac ratione committunt ἀγγελολατρείαν. Ligno crucis deferunt cultum latriæ, sicque committunt σταυρολατρείαν. Fiduciam cordis ac spem salutis defigunt in bonis operibus, peregrinationibus, jejuniis, eleemosynis, indulgentiis, operibus supererogationis, cultibus electitiis, veste Franciscana, cucullis monasticis &c. qua ratione itidem committunt idololatriam, siquidem fiducia cordis & spes salutis in sola Dei misericordia & Christi merito collocanda. Reliquias sanctorum religiose venerantur, eas osculando, coram illis procidendo, peregrinationes ad eas instituendo ad gratiam apud Deum promerendam, sicque committunt σκελετολατρείαν. Pontifici Romano & nomen Dei & honores divinos deferunt, qua ratione committunt παπολατρείαν. Aug. Steuchus tom. III. lib. II. de donat. Const. cont. Vallam f. 230. *Audis summum pontificem a Constantino deum adpellatum, & habitum pro deo. Hoc videlicet factum est, cum eum praeclaro illo edicto decoravit, adoravit uti Deum, uti Christi & Petri successorem, divinos honores ei, quoad ejus potuit, contulit, velut vivam Christi imaginem veneratus est.* (*) Bellarminus in præfat. lib. de summo pontifice dicta scripturæ *de lapide pretioso*, quæ soli Christo competunt, ad pontificem transfert. Joh. Andradius c. ad honorem de aut. & usu pallii. Hostiensis c. Quanto de transl. episc. & Panormitanus c. licet. de elect. scribunt, *papam & Christum facere unum consistorium, & excepto peccato papam quasi omnia posse, quae potest Deus, & a nemine judicari posse.* Præterea cum non solum idololatria sit, *quando id, quod non est Deus, colitur divine*, sed etiam *quando verus Deus colitur non divine*, hoc est, modo in verbo præscripto, quisquis namque alia ratione Deum colere instituit, quam

(*) Paul. Æmilius lib. VII. refert, quod papa legatos Siculos hanc venerabundos sibi adclamare permiserit: *Sancte pater, qui tollis peccata mundi, miserere nostri, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* GERH.

quam in verbo præscripsit, is non verum Deum, sed idolum cordis sui adorat & colit, ideo ad idololatriam pontificiam merito etiam referuntur variæ ἐθελοθρησκείαι, quæ maximam cultus partem in regno pontificio absolvunt, teste Durando. 3.) *Apostasia a fide* 1. Tim. IV. 1. *Spiritus manifeste dicit, quod in novissimis temporibus quidam discedent a fide, ἀποστήσονται τῆς πίστεως, adtendentes spiritibus erroris & doctrinis daemoniorum*, v. 2. *in hypocrisi loquentium mendacium & cauteriatam habentium conscientiam*, v. 3. *prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit &c.* id vero in papatu compleri, viva praxis ostendit. 4.) *Haereses*, ostendimus enim superius, papatum esse sententiam, ἐπιτομὴν & ἀνακεφαλαίωσιν variarum hæresium. (*) Contra *secundum* præceptum regnat in papatu; 1.) *magia*, eaque multiplex. Viget enim illic *magia divinatrix*, μαντική, qua revelante diabolo res futuræ & occultæ cognoscuntur. Responsa quærunt & accipiunt a statuis, quas certis sanctis adtribuunt. Sylvester II. habuit figuram ænei capitis, quod instar oraculi in dubiis negotiis consuluit. Gregorius VII. Hildebrandus dictus, ex pane consecrato contra imperatorem adversarium suum responsa quæsivit, quæ cum aliquando non redderentur, in ignem illum conjecit. Alexander VI. e poto per errorem veneno, quod ex ipsius jussu optimatibus quibusdam propinandum erat, lethaliter ægrotans, ministrum Modenam in conclave suum secretius misit, ut libellum deauratum, in quo magia conscripta erat, adferret, quo de fine vitæ suæ consuleret Deum suum. Minister offendit satanam sedentem in pontificia sede, habitu pontificali indutum ac dicentem: *Ego sum papa.* Lipsius de idolis virginis Hallensis & Aspricollis scribit, quod responsa dederint & homines consilium eorum postulantes erudierint. Huc pertinet *steganographia* Trithemii, qua consilia clancularia per deferentes spiritus occulte sibi invicem communicare possunt, qui eam norunt. Item adjuratio spirituum sive animarum adparentium, quæ quomodo, quibusve ceremoniis instituenda sit, docet Wierus lib. I. de præstigiis daemonum c. 13. ex Jacobo de Chusa. Deinde viget in papatu *magia praestigiatrix* in fascinationibus & illusionibus sita. Quando enim defunctorum animas adparentes adjurant, tunc illæ de suo, quem in purgatorio igne sustineant, cruciatu conqueruntur, postulant suffragia, certum numerum missarum, jejuniorum, eleemosynarum &c. quæ omnia sunt meræ præstigiæ diaboli. Quando obsessi aqua lustrali adsperguntur, vel exorcismi super illos decantantur, diabolus illudit spectatoribus ac se torqueri illis næniis simulat. Huc pertinent illusiones & fascinationes satanicæ per confictа miracu-

(*) Peccatur quoque in papatu circa *dilectionem Dei*: Toletus lib. IV. de instr. sacerdot. cap. 9. *Quantum ad intentionem, quae consistit in fervore & vehementia quadam ipsius actus, non tenemur sub praecepto, Deum plus diligere omnibus.* Contra Deut. VI. 5. Matth. XXII. 37. Luc. X. 27. Deinde circa *fiduciam in Deum.* Thesaurus præconiorum Mariæ cap. 52. ex Anshelmo de excell. virg. cap. 6. *Velocior nonnunquam in periculis salus est memorato nomine Mariae, quam invocato nomine Christi.* Item: *Deus regni sui quod misericordia & judicio constat, dimidium, hoc est, misericordiam transtulit in Mariam, altera regni parte, id est, judicio & severitate vel sibi retenta vel translata in Filium, ut si quis forte a Patre terreatur, quia severus est, aut a Filio, quia judex est, is matrem intueatur, & ad eam confugiat, quia medicina est & misericors.* Vid. Cassandrum in consult. art. 21. cap. de merit. interces. sanct. Rob. Holcotum in lib. sent. lect. XXXVI. Bernhardinus in suo Mariali Alexandro VI. dedicato part. III. serm. lit. V. *Confidenter unusquisque adpellet ad illam.* (Mariam) *Nam licet ad illam adpellare, si quis a Dei justitia se gravari sentiat, quod significatum fuit Hesth. V. ubi dicitur, quod cum rex Assuerus Judaeis iratus esset, regina Hester ad ipsum placandum accessit, cui rex ait, etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, dabitur tibi. Ista ergo imperatrix figuravit imperatorem coelorum, cum qua Deus regnum suum divisit. Cum enim Deus habeat justitiam & misericordiam, justitiam sibi in hoc mundo exercendam retinuit, & misericordiam matri concessit, & ideo si quis sentit se gravari a foro justitiae Dei, adpellet ad forum misericordiae matris ejus.* Vide Gabr. Biel in can. lect. LXXX. lit. c. Contra Hebr. IV. 14. VII. 25. IX. 11. Rom. V. 1. Eph. II. 18. 1. Tim. I. 15. 1. Joh. II. 1. GERHARDVS.

racula, qualia multa in papatu fuerunt edita. Denique viget in papatu talis *magia operatrix*, quæ ope & colluſione diaboli mirificos effectus edit. Sic ſacrificuli diabolum ex obſeſſis ejiciunt, ſpectra ex domibus abigunt, mirabilia quædam operantur, ſponte ſcilicet cedente diabolo, & mirificos illos effectus producendo, ut in idololatria & ſuperſtitione homines confirmet. Iſengrinius in libro de Maria in veteri Oetinga refert, P. Caniſium puellam quandam obſeſſam peculiari plane modo a dæmone liberaſſe. Juſſit adferri curioſam illam Mariæ virginis in veteri Oetinga ſtatuam, & a tergo capiti puellæ eam impoſuit, tunc ſatanas illico exclamavit: *Dimitte me o meretrix, & quid me tam virulenter calcas?* ſed Caniſius coegit dæmonem, ut hoc convicium reſorberet, ac laudes Mariæ diceret, ſepties terram oſcularetur, Chriſtum adoraret, quinquies orationem dominicam, totiesque ſalutationem angelicam recitaret, quibus omnibus rite peractis egredi juſſus ſæpius ingeminavit: *Vae, vae, vae mihi miſero, intra viginti annorum ſpatium nullus daemoniorum tantis tormentis ſubjectus fuit, quantis ego.* Hafenmüllerus in hiſt. Jeſuit. c. 8. p. 296. ex Turriano refert, quod aliquando Romæ fœmina quædam a diabolo obſeſſa Ignatium Loyolam ſecuta ſit & clamarit: *Tu ſolus me liberare & juvare potes.* Tunc Lojolam recitaſſe verſum Virgilii:

*Speluncam Dido, dux & Trojanus eamdem,*

qua voce audita dæmonem mulierem proſtraviſſe, ac egredientem clamaſſe: *O fili Loyola, tu ceu leo me ad ſpeluncam inferni abire cogis, ſed rogo te, ne me aeternae ſpeluncae injicias.* Poſtea Ignatium illi dixiſſe: *Vade, quocunque volueris, modo nullum amplius hominem obſideas*, ac ſtatim dæmonium magno cum ſtrepitu egreſſum eſſe. Solent etiam in expulſione dæmonum ab obſeſſis adhibere ſignum crucis, adſperſionem aquæ benedictæ, pulſum campanarum, incenſum cereorum, admotionem reliquiarum &c. At quis non videt hunc modum expellendi dæmones ab apoſtolico plurimum differre, & colluſionem vel certe illuſionem diaboli in illis expulſionibus intercedere. 2.) *Abuſus nominis divini* per multiformes exorciſationes & adjurationes; item olei, ſalis, aquæ, herbarum & aliarum rerum conſecrationes, quæ nihil aliud ſunt quam horrendus nominis ac verbi divini abuſus, fingunt enim ſine omni mandato, promiſſione & exemplo illis conſecrationibus & exorciſationibus novam quamdam eamque ſpiritualem δύναμιν creaturis conferri, ut docent conſecrationum formulæ in pontificiali ac ceremoniali. Oleum infirmorum benedicitur his verbis: *Exorcizo te, immundiſſime ſpiritus, omnisque incurſio ſatanae & omne phantaſma in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti, ut recedas ab hoc oleo, ut poſſit effici unctio ſpiritualis ad corroborandum templum Dei vivi, ut in eo poſſit Spiritus ſanctus habitare per nomen Dei Patris omnipotentis & per nomen dilectiſſimi filii ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Et poſtea: *Emitte, quaeſumus, Domine, Spiritum ſanctum paracletum de cœlis in hanc pinguedinem olivae, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem mentis & corporis, ut tua ſancta benedictione ſit omni hoc unguento cœleſtis medicinae perunctio tutamen mentis & corporis ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemque aegritudinem mentis & corporis, unde unxiſti ſacerdotes, reges, prophetas & martyres, ſit chriſma tuum perfectum nobis Domine a te benedictum permanens in viſceribus noſtris, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Chriſma ſic benedicitur: *Exorciſo te creatura olei per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram & omnia, quae in eis ſunt, ut omnis virtus adverſarii, omnis exercitus diaboli, omnisque incurſio & omne phantaſma eradicetur & effugetur a te, ut fias omnibus, qui ex te ungendi ſunt, in adoptionem filiorum per Spiritum ſanctum in nomine Dei Patris omnipotentis & in caritate Jeſu Chriſti filii ejus, Domini noſtri, qui cum eo vivit & regnat Deus in unitate Spiritus ſancti.* Et poſtea: *Te precamur Domine ſancte Pater, omnipotens aeterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum, ut creaturae hujus pinguedinem ſancti-*

*sanctificare tua benedictione digneris, & sancti Spiritus ei admiscere virtutem cooperante Christi Filii tui potentia, a cujus nomine sancto chrisma nomen accepit, unde unxisti sacerdotes, reges, prophetas & martyres tuos, ut spiritualis lavacri baptismo renovandis, creaturam chrismatis in sacramentum perfectae salutis vitaeque confirmes, ut sanctificatione unctionis infusa, corruptione primae nativitatis absorpta, sanctum uniuscujusque templum acceptabili vitae innocentiae odore redoleſcat, ut secundum constitutionis tuae sacramentum regio & sacerdotali, propheticoque honore perfusi vestimento incorrupti muneris induantur, ut sit his, qui renati fuerint ex aqua & Spiritu sancto, chrisma salutis, eosque aeternae vitae participes & cœlestis regni faciat esse consortes.* Neve quid impietatis ac superstitionis desit, pontifex inclinato capite postmodum salutat chrisma dicens: *Ave sanctum chrisma.* Vide plura exempla talium exorcisationum & incantationum in apol. confess. Wirtemb part. I. cap. de baptismo pag. 478. Pertinet huc consecratio campanarum, de qua late egimus tom. IX. Lector. cap. de baptismo §. CLXVII. Item quod *evangelium Johannis* chartae inscriptum collo adpendunt ad febris, epilepsiae & aliorum morborum remedium, quod *characteribus & verbis sacris* ad morborum medicationes abuntur; quod *superstitiosas suas ceremonias* & errores scripturae dictis male detortis probare nituntur &c. Cumprimis huc referendum, quod monachi Franciscani linguas suas ad maledicendum venales exponunt, & conducti ab iis, qui hostem habent, quem velint perditum, *psalmum CIX. recitant*, propheticum Spiritus sancti oraculum exsecrabili malitia profanantes. 3.) *Perjuria.* Pontifex sibi arrogat potestatem absolvendi subditos a juramento magistratui praestito ac rescindendi juramenta vera & legitima. Cum vero talem potestatem divinitus sibi traditam neutiquam obtineat, fit doctor & autor perjuriorum. Azorius lib. V. instit. moral. cap. 15. p. 127. *Canonicus quidam invehitur in pontificem Gregorium, quod tempore magni schismatis, antequam pontifex crearetur, juraverat publico & solenni ritu sese abdicaturum pontificia potestate. Postea vero pontifex electus noluit pontificatum deponere. At potest pontifex Romanus se ipsum solvere a voto & jurisjurandi religione & lege, modo debita subsit causa.* Sic ergo non solum alios, sed etiam se ipsum a juramento absolvere potest pontifex, nimirum ut ludat juramentis, sicut pueri astragalis. Ostendit vero eventus absolutionem a juramento etiam hosti praestito per pontificem factam Deo haudquaquam fuisse approbatam. Agrippa de vanit. scient. c. 61. *Eugenius pontifex ob violatum Turcae jusjurandum christianam rempublicam in tot funestissima bella conjecit, ac si non etiam hosti esset fides servanda.* Vt autem pontifex perjuriorum autor, ita episcopi ipsius hac in re egregie patrissant. Titulares enim illi episcopi, qui ad peregrinum aliquem episcopatum ordinantur, jurant, se eo quamprimum profecturos & illius loci homines conversuros, mox tamen ab illo juramento per pontificem absolvuntur. Recensetur ille lusus in libro, qui continet causas recusati concilii Tridentini p. 38. *Vbi ordinati sunt, festinant eo versus sedulo. Verum ubi ad primum aut secundum lapidem progressi sunt, occurrunt eis tabellarii, qui adferunt a fide dignissimis ejus loci hominibus literas indicantes, rem esse plane impossibilem & extremi periculi plenissimam, quam tentent. Quid ergo cothurnati illi ac mitrati patres in tam inopinato tristique casu facerent? Redeunt toti conturbati denuo ad sanctissimum patrem, qui omnibus difficultatibus promtum remedium de sua potestatis plenitudine, sacroque omnium jurium scrinio pectoris adferre potest. Exponunt tristes incurva cervice praeclarissimam suam voluntatem, pulcherrimum conatum, ac iter jam susceptum. Exponunt quoque quid compererint de periculis, & impossibilitate rei. Adlegant leges, quod ad impossibilia nemo obligetur, sicque tandem pontifici persuadent, ut a praestito juramento ipsos absolvat.* Ex quo adparet, titulares illos episcopos scientes ac volentes perjurium committere, jurant enim se facturos, quod in animum nunquam serio re-

ceperunt. Refert Flacius in refut. invect. Bruni p. 38. *omnes ordinandos aut sacris initiandos examinari initio ab episcopo aut ejus suffraganeo. Facto examine progreditur examinator ad altare, & solenniter jurat, omnes illos initiandos esse idoneos aetate, moribus & scientia, cum plerique etiam, Erasmo teste, sint indoctissimi, moribus corruptissimi & saepe etiam aetate adhuc immatura.* Sic ergo examinatores illi pontificii lucelli causa scientes ac volentes pejerare non erubescunt. Hæretico non esse servandam fidem etiam jurejurando confirmatam docent, ut praxis in concilio Constantiensi ostendit, qua ratione iterum perjuriorum autores fiunt. Exigunt a monachis & monialibus juramentum, quo se ad perpetuam continentiam obstringant, cum ne millesimus quidem ex illis dono isto sit instructus. Docent *aequivocationibus* uti in juramentis, hoc est, artem perjurii profitentur. Toletus lib. IV. de instruct. sacerd. cap. 21. *Tenetur homo aliquando secundum mentem aliorum jurare, id est, uti verborum significatione communi, quamvis non semper teneatur ad hoc, sed aliquando licet uti aequivocatione, & decipere audientem, non semper, sed quando judex contra justitiam petit juramentum, licet uti aequivocatione & jurare secundum suam mentem, contra mentem judicis, ut puta quaerenti judici, feciftine illud? respondeat, non feci, intelligendo inter se, ut dicam tibi, vel hoc tempore, vel quid simile. Et si vir uxorem petat, an sit adultera, ista respondere potest, non fum, quantumvis verum fuerit, intelligendo, ut tibi revelem. Sic qui cogitur jurare alterum in sponsam accepturum, intelligendo, si postea placuerit. Et a latronibus comprehensus juraverit, se postea daturum centum aureos, ut liberetur, & aequivoce jurans, inter se dicens, si postea libuerit, tunc non tenetur solvere. Sic a custode injuriose detentus, ut dimittatur, jurans se rediturum postea, potest uti aequivocatione, & non tenetur redire.* Molanus tract. II. cap. 4. concl. 3. *Si quis a magistratu interrogetur, num cantarit aut audierit missam in loco hoc vel illo, potest respondere quod non, imo & jurare, cum non ea de causa ibi sit, ut judici id aperiat.* Gregorius de Valentia tom. III. p. 1346. æquivocationes illas vocat *prudentem defensionem.* Martinus Azpilcueta Navarrus dicit, *eas fundari in insigni illo facto Francisci*, quod recitat in c. Humanæ aures c. 22. q. 5. c. 2. num. 11. p. 348. & in manual. confess. tom. III. cap. 12. n. 8. p. 58. &c. Sacerdotes Wisbycenses in epist. ad catholicum generosum: *Ars est nostrorum Jesuitarum, ut in juramentis suis magistratus illudant, cum a magistratibus quaeritur, esne sacerdos? tum sacerdoti licebit* (inquiunt) *respondere, non sum talis, sed addita hac intentione intus in animo concepta, non ore prolata, qualem me esse cupitis, aut, ut narrem tibi, aut aliquid simile &c.* En perjuriorum doctores & autores! 4.) *Honoris divino nomini solummodo debiti ad creaturas translatio.* In juramentis magistratui præstandis non solius Dei, sed etiam nomina *sanctorum mortuorum* usurpantur, qua ratione divinus honor illis tribuitur, quod pejerantem punire possint. Confessiones peccatorum non solum Deo, sed etiam *b. Mariae virgini, angelis, apostolis, martyribus & omnibus sanctis* faciunt. Defendunt baptismum illum, qui fit *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti & b. Mariae virginis.* Guido in manipul. curatorum cap. 3. Costerus in apolog. I. contra Gomarum p. 231. (*) Contra *tertium* præceptum

(*) Peccant insuper contra secundum præceptum docendo, preces ignotas plus sæpe valere ad devotionem, & plus facere ad ædificationem quam cognitas. Anglo-Rhemenses in 1. Cor. XIV. 13. *Non dubitamus, quin Deo sit gratius & conducibilius in omnibus necessitatibus & conventibus sui totius christiani populi precari in lingua latina quam in vulgari, licet unusquisque in particulari non intelligat, quid loquatur; tamen planum est tales preces non minore cum consolatione, Spiritus non minore cum tædio, non minori devotione & adfectu, imo sæpius majori fieri quam alias illas, quæ fiunt lingua nota.* Pugnat hoc cum 1. Cor. XIV. 2. usque 20. Huc refer illud Azorii: *Pro obstinate malis & sceleratis orandum est, at pro hæreticis & schismaticis non est orandum.* lib. IX. instit. cap. 31. §. *Sexto quæritur.* Contra 1. Tim. II. 1. *Orate pro persequentibus*; Matth. V. 44. Christus pro inimicis oravit, Luc. XXIII. 34. at nulli magis hostes & inimici ecclesiæ quam hæretici. GERHARDUS.

ptum viget in papatu: 1.) *Sabbati profanatio*, neque enim sanctificationem sabbati constituunt in verbi auditu, lectione, meditatione, eucharistiæ juxta Christi institutionem administratione, inque sabbatismo animæ interno, sed in *ceremoniis externis* ludicris & superstitiosis, videlicet in spectandis missis, in demurmuratione precularum in lingua ignota, in processionibus, candelarum accensionibus, statuarum & reliquiarum venerationibus &c. Neque solum in praxi sed etiam in theoria sabbati profanationem docent. Toletus lib. IV. instruct. cap. 24. *Homo tenetur sub mortali ad sanctificandum festum, sed non tenetur ad bene sanctificandum.* Cap. 25. *Licet iter facere audito prius sacro & venari, licet studere super lites propter pecuniam, licet carnes vendere, animalia occidere ad victum propter pecuniam, licet in solennitatibus construere loca pro spectaculis, quando non possunt fieri nisi in festo. Denique pontificis aut episcopi licentia licet in festo operari.* Azorius lib. VII. instit. moral. cap 7. *Mos non est improbandus, quo vidua pro dignitate personae post obitum viri causa luctus domi se continet ad annum, nec missam audiat.* 2.) *Festorum multiplicatio*, quæ in honorem sanctorum instituuntur, & in quibus sancti invocantur, statuæ illorum circumgestantur, reliquiæ illorum ad veneretionem religiosam ostentantur &c. 3.) *Baalitismus* ac boatus ille in templis, sacellis, basilicis & monachorum claustris, quo lingua ignota plerumque psalmi non intellecti decantantur, ac tribuitur huic decantationi ad certas horas restrictæ cultus ac meritum, cum tamen nec ex fide procedat, nec in solius Dei honorem instituatur, nec seriam adtentionem habeat conjunctam. Docet enim Aquinas libr. IV. sent. distinct. 15. quæst. 4. artic. 2. *Sufficere dicentem preces horarias intentionem generalem habere servitium divinum dicendi, ceterum non referre, quamvis animus ejus ad alia divagetur.* 4) *Scripturae contemtus*, eam enim vocant *imperfectam, obscuram, materiam litis, literam mortuam*, comparant illam *naso cereo, gladio Delphico, vaginae vacuae &c.* ab ejus lectione laicos arcent, qua ratione non solum in ipsum Deum scripturæ autorem injurii sunt, sed etiam veram sabbati sanctificationem, quæ potissimum in meditatione verbi consistit, & pietatis profectum impediunt. Prodeat testis hujus rei domesticus Claudius Espencæus, theologus Parisiensis, in 1. Tim. (*) *Ubi verbum negligitur, nec auditur, fidem ibi perire necesse est, id quod hodie proh dolor omnibus locis cernimus, ut ad tempora adpropinquare videamur, de quibus Dominus:* Putas Filius hominis veniens fidem inveniet in terris? *qualiter in hac tempestate legatur sacrae scripturae canon, satis est manifestum, ubi ex desuetudine & indevotione ministris ecclesiasticis sacra in fastidium venerunt.* 5.) *Doctrinae cœlestis depravatio.* Pontifex, cardinales & episcopi a docendi munere plerique omnes abstinent, si qui vero ex illis, præsertim Jesuitæ & quidam monachi docere præsumunt, non proferunt viva Dei eloquia, sed aniles nugas de vitis sanctorum, traditiones humanas, convitia contra doctrinam evangelii, commendant superstitiones & cultus idololatricos &c. Contra *quartum* præceptum docetur in papatu 1.) *contemtus parentum.* Docent enim liberos parentibus inconsultis imo repugnantibus posse monasticam vitam suscipere, ab ipsorum visitatione, congressu & colloquiis abstinere, & hac ratione ἀμοιβὰς ac pietatis officia jure naturali & divino ipsis debita non reddere, quo adcommodant illud Hieronymi ad Heliodorum: *Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine*



(*) Titulus hujus libri, in quo haud pauca veritatis testimonia deprehenduntur, ita se habet: *commentarii & digressiones in priorem epistolam ad Timotheum.* Prodiit hicce liber, a doctoribus non tantum protestantibus, sed & ecclesiæ Rom. additis plurimum laudatus, primum Lutetiæ *MDLXI.* fol. & *MDLXVIII.* 8. postea vero operibus Espencaei, quæ Parisiis MDCXIX. fol. prodierunt, fuit inser-

tus. Plura de viro hoc celeberrimo, & propemodum ad cardinalis dignitatem a *Paulo* IV. P. R. elevato, legi possunt in du Pinii *bibliotheque des autheurs ecclesiast. tom. XVI.* p. 105. & in Niceronii *memoires, tom. XIII.* p. 201. Jungi merentur ex nostris b. Weismannus in *introduct.* in *memorabilia hist. sacrae nov. test. tom. I.* p. 1342 *seqq edit. secundae* & b. Buddeus in *isagoge ad theol. universam* p. 1718.

*trine & scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater jaceat, percalcato perge patre, solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Bellarminus libro II. de monachis cap. 36. *Licet filiis invitis parentibus transire ad religionem*, (vitam monasticam) *postquam ad annos pubertatis, id est, aetatis suae 14. pervenerunt, nisi parentes in tali necessitate sint, ut non possint sine auxilio filiorum vivere.* Qualem vero ἀστοργίαν haec doctrina cordibus liberorum erga parentes inserat, ejus rei exempla vide apud Hasenmullerum in histor. Jesuit. cap. 5. Docent insuper *matrimonia liberorum praeter, imo contra parentum voluntatem contracta esse rata.* Toletus libr. V. instruct. sacerd. cap. 1. *Potest filius uxorem ducere se dignam invitis parentibus sine peccato mortali.* Pontifex non solum liberos ab obedientia erga parentes absolvit, sed etiam filios adversus parentes armat. Paschalis II. Henricum V. jussit gladium stringere adversus parentem Henricum IV. quem instinctu papae in vincula conjecit, & ad mortem usque detestando scelere in carcere detinuit. 2.) *Contemtus magistratus.* Pontifex cum suis episcopis & clericis ab obedientia magistratus politici nefarie & contra expressum Dei verbum Rom. XIII. 1. sese avulsit, dominatum politicum contra regulam Christi Luc. XXII. 26. sibi arripuit, unde se effert supra imperatorem, reges ac Principes, & vindicat sibi summum jus Romani imperii, juramentum fidelitatis ab imperatore exigens, quin imo negans sine suo consensu & inauguratione quemquam imperii gubernacula capessere posse. Ceremoniale Romanum lib. III. sect. 7. titul. de reverentiis, quae papae exhibentur: *Caesar ut primum videt papam, detecto capite illum genu terram tangens veneratur, & iterum cum adpropinquat ad gradus sedis, genu flectit & papae pedes osculatur.* Sect. 5. titul. de ingress. urbis. *Caesar tenet stapham, quoad papa equum adscenderit, & accepto equifreno per aliquot passus ducit equum papae. Quodsi papa non equo, sed sella veheretur, tunc imperator vel rex, si adsunt, debent ipsam sellam suis humeris portare.* Lib. I. cerem. sect. 2. titul. ordo processionis. Sic ergo summus in terris magistratus officium statoris sive constablii papae exhibere cogitur. 3.) *Seditio adversus magistratum.* Docent enim, papam subditos a juramento, quo magistratui suo tenentur obstricti, absolvere posse, nimirum si magistratus ad nutum & arbitrium pontificis sese accommodare nolint. Bellarminus libro V. de Romano pontifice cap. 6. *Pontifex Romanus suo jure potest principes seculares excommunicare, & aliquando si ei ita visum, regnis suis privare.* Id ipso facto saepius demonstrarunt. Gregorius VIII. cap. Nos sanctorum. 15. q. 6. *Nos sanctorum praedecessorum nostrorum statuta tenentes eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, apostolica autoritate a juramento absolvimus, & ne sibi fidelitatem observent, omnibus modis prohibemus.* Pius V. in bulla adversus Elisabetham, Angliae reginam: *Volumus & mandamus, ut adversus reginam haereticam & excommunicatam subditi arma capessant* Inde communis schola concludit, *principibus a papa excommunicatis nullam a subditis deberi obedientiam* Dominicus Bannes in commentariis super Thomam II. 2. quaest. 12. articul. 2. *Post latam sententiam declarativam de crimine haeresis, injuste princeps possidet regnum aut principatum, & exercet jurisdictionem in subditos, tenenturque subditi eximere se ab ejus obedientia,* (nota) *& bellum gerere contra illum, si vires suppetant. Ex hac conclusione sequitur,* (pergit Bannes) *primo excusandos esse Anglicanos & Saxonicos fideles, qui se non eximunt a potestate superiorum, nec bellum contra illos gerunt, quoniam communiter non habent facultatem ad haec bella gerenda contra principes, & imminent illis gravia pericula;* ubi singulariter observa ex hypothesi doctrinae pontificiae, subditis non solum licere, sed ipsos etiam *obligari*, ut obedientiam legitimo suo magistratui detrectent, si is a papa excommunicetur. Wilhelmus Rossaeus de vindiciis reipublicae christ. adversus reges impios & haereticos p. 156. disputat, *subditos jure posse resistere tyranno*, & addit,

*omnem*

*omnem regem haereticum* (qui Romanæ ecclesiæ placita non agnoscit in omnibus) *esse simul tyrannum.* Jesuitæ Parisienses contra Henricum III. Valesium pronunciarunt, *licere populo salva conscientia contra magistratum haereticum, cui religione obstrictus sit, se armare, unire, ac eum cum adhaerentibus persequi juxta constitutionem Innocentii IV. in concilio Lugdunensi.* cap. 1. de homicid. in 6. & cap. ult. de pœn. Notum est, qui Romæ plausus excitati, qui pæanes decantati fuerint, cum de regis Galliæ Dominicani (rectius dixeris dæmoniaci) monachi venenata sica ex insidiis obtruncati cæde nuncium esset adlatum, cujusmodi oratione parentaverit ipsi Sixtus V. in purpuratorum senatu 2. Septembr. anno 1589. in qua horrendum illud facinus laudibus in cœlum, aut etiam supra cœlum effert, omnibus heroum ab omni ævo rebus præclare gestis præfert, tandemque cum adorando incarnationis mysterio confert. Et quidni? cum juxta Immanuelem a Saa in aphorismis confessorum in voce clericus: *Clerici rebellio in regem non sit crimen laesae majestatis, quia non sit subditus regni.* Idem in voce princeps: *Rex potest per rempublicam privari regno ob tyrannidem, & si non faciat officium suum, & cum est aliqua causa justa, & eligi alius a majore parte populi, quidam tamen solum tyrannidem causam putant.* Ex quibus hypothesibus Jesuiticis concludit autor orationis ad regem christianissimum (qui se vocat catholicum & adsessorem parlamenti) pag. 31. *Si papa potest reges excommunicare, & bonum est factum ac meritorium, si quis post vibratum fulmen papale eos occiderit, continuo sequitur, martyrium ferri potius constanter oportere, quam in causa esse, cur ii tradantur morti, qui iter ad vitam aeternam ostenderint, hae propositiones catena quadam inter se connexae sunt.* Conjungatur vero etiam praxis Jesuitica. Sicarii enim illi, qui regibus Galliarum & Angliæ insidias struxerunt, confessi sunt, a Jesuitis se instructos & edoctos, quod cædes regum hæreticorum a papa excommunicatorum sit meritoria. Vide catechismum Jesuiticum, (*) & librum Marianæ (**), Witakerus in respons. ad epist. Campiani in princ. simile exemplum commemorat. *Suspensus est* (inquit) *superioribus diebus sacrificus quidam Everardus e seminario Remensi in Angliam emissus, qui in carcere clare atque adfirmate adseveravit adstantibus atque audientibus sedecim honestissimis viris, proditionem in principem* (hæreticum) *non esse peccatum in Deum.* Idem licet oblique & indirecte propugnat Becanus in libris adversus regem Angliæ editis, qui propterea decreto Sorbonæ Parisiensis sunt prohibiti. Et quid multis? Petrus Matthæus jurisconsultus singularis encomii loco illud de Jesuitis commemorat, quod *reges ac principes haereticos e medio tolli* posse statuant, sic enim scribit in libro, qui continet decretales pontificias a Gregorio IX. usque ad Sixtum V. sub decretalibus Pauli anno 1545. *Dum superseminat inimicus homo zizania, adsunt divino pneumate asciti patres societatis Jesu, qui Petri sedem illustrant, in Lutherum arma divini eloquii parant,*

F 3

(*) In hocce *catechismo* artes Jesuitarum breviter quidem sed adcurate describuntur. Prodiit opusculum primum gallice, hac inscriptione insignitum: *catechisme des Jesuites*, Villefranche MDCII. 8. MDCLXXVII. 12. postea vero germanice, sub tit. *catechismus, oder gründlicher Bericht von der Lehre und Leben der Jesuiten*, Freistad. MDCIII. 8. Vt editionem latinam, belgicam aliasque taceamus. Autor ejus habetur Stephanvs *Pasquier.* Vid. Placcii *theatrum anonymorum p. 308.*

(**) Respicit hoc Gerhardvs ad Jo. Marianae, Jesuitæ Hispani, librum *de rege & regis institutione* inscriptum, qui Toleti ann. *MDXCVIII.* in lucem publicam prodiit. In hocce enim libro auctor adsere haud dubitavit, licere cuicumque privato principem, si in haeresin prolapsus sit, vel aliam quamcunque ob rationem graviorem, ferro perimere. Copiose perniciosam hanc Marianae doctrinam edisseruit, eandemque examini subjecit Petr. Baelivs in *diction. hist. & crit.* tom. III. voce *Mariana p. 529. not.* (c) Idem *loc. cit. p. 530, 531.* de hocce viro ejusque libro sequentem in modum scribit: *il expose les Jesuites, & sur tout en France, a mille sanglans reproches, & à des insultes très mortifians, que l'on renouvelle tous les jours, qui ne finiront jamais — & qui paroissent d'autant plus plausibles, qu'il fut imprimé avec des bonnes approbations &c.*

*rant, tyrannos adgrediuntur, lolium ab agro dominico evellunt &c.* Mercurius Gallo Belgicus tom. II. lib. XX. *Arnoldus ab academia Parisiensi ad hoc munus designatus litem Jesuitis intendit, adcusationis articulus secundus fuit, eos votum suscipere obediendi suo generali, qui si dixerit, interfice regem Franciae, eundum est.* In publicis concionibus laudarunt factum Jacobi Clementis, regis Henrici III. interfectoris. 4.) *Officii, quo parentes ac liberi, domini ac servi, maritus & uxor sibi invicem tenentur obstricti, turbatio.* Papalis enim ecclesia non solum permittit, sed etiam laudat, si uxor, liberi, servi vocationem suam deserant, & peregrinationes ad loca sanctorum suscipiant. Erasmus in 1. Tim. V. p. 473. *Paulus dicit, si quis suorum curam non habet, infideli est deterior, scilicet qui hoc officii non praestat suis, quibus naturae vinculo jungitur, quod ethnici quoque instinctu naturae praestant. At hodie summa habetur pietas, si quis domi relictis liberis & uxore, aut etiam grandaevis parentibus vel Hierosolymas abeat, vel in monasterium abdat se sibi victurus, aut fortassis etiam ventri.* Contra *quintum* praeceptum defenduntur in papatu: 1.) *Insidiosae regum & principum internectiones*, illorum scilicet, qui ad pontificis nutum sese adcommodare nolunt, ut praxis superioris seculi multis exemplis comprobavit. 2.) *Caedes illorum*, qui a synagoga Romana secessionem fecerunt. Quot bella jam inde a principio reformationis gesta, quot rivi sanguinis christiani propter religionem effusi? 3.) *Carnificina conscientiarum* per leges confessionis & enumerationis singulorum peccatorum, per doctrinam de satisfactionibus, de dubitatione, de purgatorio. 4.) *Caedes infantum* vel in utero, vel statim in ipso partu enecatorum a monachis, monialibus & clericis perpetrata. Tertullianus de vel. virg. c. 14. p. 195. *Difficile mulieri semel fit, quae fieri timet, quaeque jam facta potest virginem mentiri sub Deo, quanta item circa uterum suum audebit, ne etiam mater detegatur? Scit Deus, quot jam infantes & perfici & perduci ad partum integros duxerit debellatos aliquamdiu a matribus. Facilime semper concipiunt hujusmodi virgines & felicissime pariunt & quidem similimos patribus. Haec admittit flagitia coacta & invita virginitas.* Barlette, praedicator olim in Galliis, in serm. fol. 262. col. 2. *O quot luxuriae! o quot sodomiae! o quot fornicationes! Clamant latrinae latibula, ubi sunt pueri suffocati. Vtinam haberemus aures apertas, & audiremus voces puerorum in latrinis suffocatorum & in fluminibus &c.* 5.) *Pharisaica legis de non occidendo perversio.* Toletus lib. V. de instruct. sacerdotali cap. 6. §. tertia causa; *Cum quis motu repentino correptus, adeo ut non sit rationis compos, alium occiderit, peccato mortali liber est.* Cap. 9. *Cum homo profert verbum contumeliosum, non ex plena deliberatione non est mortale peccatum, vel si adsit plena deliberatio, tamen sit inter personas parvi momenti, ut inter mulierculas.* Lib. IV. cap. 13. *Cum homo ira aliqua vel alia animi passione non advertens verba, quae proferebat, protulit blasphemiam, non est peccatum mortale, nisi homo adsuetus sit blasphemare.* Contra *sextum* praeceptum in papatu (*) 1.) permittuntur *lupanaria* contra expressum Dei mandatum; Deut. XXIII. 17. quin imo pontifex *censum annuum a meretricibus* exigit, Sleidanus lib. XII. comm. Dum Tridenti concilium celebrabatur, conscripta sunt Romae viginti quatuor millia scortorum. 2.) Clericis potius *concubinatum* quam conjugium permittunt. Campegius ad Argentinenses legatus in comitiis Augustanis dixit,

(*) Quot scurrae, cynaedi, adulteri, scortatores & sodomitae in coenobiorum Angliae visitatione facta anno 1538. ab Henrico VIII. rege proditi & deprehensi, quot infantum misere occisorum ossa & capita fuerint monstrata, quot nefanda dictu & horrenda cogitatu facinora fuerint comperta, de eo videatur praefatio ad lectorem Joh. Balaei praefixa actis Rom. pontificum. Erasmus in XIX. Matth. *Scortari licet, uxorem ducere non licet, si profitentur concubinam, sunt catholici sacerdotes, sin uxorem dici malint, in ignem conjiciuntur.* Papa Clemens *scortationem* publice adprobavit, & *mulieres communes esse* voluit in epist. decret. V quae extat. c. dilectissimis fratribus 12. q. 1. *Adulterium* numerant inter leviora crimina. GERHARDVS.

dixit, *scire se episcoporum hunc esse morem, ut accepta pecunia scortationem suis permittant. Quod vero sacerdotes fiant mariti, multo esse gravius peccatum, quam si plurimas domi meretrices alant.* Sleidanus lib. IV. histor. anno 1524. Quam sceleratam vocem repetunt Eccius, Piggius, Hosius & Costerus. (*) Claudius Espencæus in comm. cap. 1. Titul. *Turpissimum est, quod officiales permittunt, clericos cum concubinis meretricibus & pellicibus cohabitare, liberos procreare sinunt, accepto ab iis certo quotannis censu, atque adeo alibi a continentibus; nam habeant, ajunt, si velint.* De eadem injuria graviter conqueritur Cassander in consult. articul. XXIII. *Fatendum est, graviter a posteris peccatum esse, qui cœlibatus legem pro tempore utilem, multis in laqueum verterunt, cum juvenes nondum sibi exploratos temere ad ministerium ecclesiasticum admiserunt, & cum illi castitatis onus sibi impar esse sentirent, illi potius impuros quosdam concubitus dissimularunt, & quodammodo probarunt, quam ut finerent humanam constitutionem eorum gratia mutari, qui eam sine offensione divinae legis observare non poterant. Quare nimis rigida hujus constitutionis exactione abominanda in ecclesia scandala exstitisse videmus &c.* 3.) *Laqueis votorum* multis datur occasio immunditiæ, mollitiei & aliorum nefandorum delictorum. Carolstadius in præfat. libri de cœlib. & monach. Witeberg. anno 1521. editi. *Vtinam demissa vox in aurem quaedam tibi loqui posset, horreres certe illa, quae auditores & judices peccatorum, quos nunc confessores vocant, a confitentibus didicerunt, & me docuerunt dedocenda magis quam docenda.* Et postea: *Opinantur se non delinquere, cum in cuniculis & cellis & solitudine haud scio quid efficiant confricatione &c. at perpetrant seminis jactu crimen & fornicatione & adulterio incomparabiliter pejus.* (**) 4.) Permittunt matrimonia *in gradibus ipsa lege Dei prohibitis* Lev. XVIII. Bellarminus lib. I. de matrim. c. 27. 5.) *Connubia post votum contracta* judicant esse irrita. Maldonatus in summ. quæst. 12. artic. 5. *Quidquid senserint multi antiqui autores, an sit verum matrimonium post votum, illud nunc certum est, matrimonium contractum ab iis, qui votum fecerunt solenne castitatis, non esse verum, quia in concilio Toletano virgines post votum nuptae, non solum adulterae, sed etiam incestae dicuntur.* Atqui contrarium a Cypriano & Augustino disertis verbis asseritur. 6.) Statuunt per *votum solenne* dirimi matrimonium; Bellarminus libro I. de matrimonio cap. 21. Item propter *haeresin* dissolvi matrimonium, statuit Cœlestinus III. pontifex. 7.) In *conjugii* sanctam Dei ordinationem multis modis sunt injurii. Censura Colon. pag. 71. *Matrimonii doctrina impudicitiae janua aperitur, ac animis libidinis faces subministrantur.* Bellarminus lib. I. de clericis cap. 18. & 19. *Actus conjugalis totum hominem reddit carnalem & ineptum ad divina, & ne sanctorum quidem conjugium sine pollutione quadam & turpitudine exerceri potest.* Costerus in enchir. cap. 15. *Conjunctionem conjugalem ex se tam fœdam & immundam esse* dicit, *ut sanctificatione sacramenti indigeat, quo sanctificetur.* Item, *animam hominis per illud ad inferiora deprimi, ut minus idoneus sit cœlestia meditari ac tractare.* Can. VII. distinct. 34. *Si quis non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur;* ubi glossa notat: *Luxuria quandoque plus juris habet, quam castitas, quia castus repelleretur, sed fornicator non.* 8.) *Sodomiam*, exsecrabile illud scelus publico scripto prædicavit Johannes de la Casa, (***) archi-

(*) In enchir. art. de cœlib. §. Nona propositio. Armandus in epistola ad Chamierum *Costeri propositionem* dicit *esse doctrinae Christi & apostolorum, omnibus conciliis & patribus maxime consentaneam.* GERHARDVS.

(**) Bellarminus de monach. cap. 30. & cap. 34. *Magis peccat, qui post votum nubit, quam qui fornicatur, majus enim malum est post votum nubere quam adsidue fornicari.* Jesuita Fabricius Romæ dixit Hasenmullero: *Ego mallem sodomiam exercere quam contra papæ mandatum inire matrimonium.* GERH.

(***) Communis equidem fama est, CASAM *de sodomiæ* laudibus librum scripsisse. Sed defensionem hujus viri in se suscepit MENAGIVS in suo *anti-Bailetto*, varia-

que

archiepiscopus Beneventanus, edito Venetiis anno 1550. apud Trojanum Nave, ut refert Carol. Molinæus in orat. Tubingæ habita anno 1554. Sixtus IV. ad instantiam quorundam cardinalium potestatem illis dedit tribus mensibus æstivis sodomiam exercendi. Contra *septimum* præceptum in papatu 1.) *furta & fraudes* excusantur. Maldonatus in summ. quæst. VIII. artic. 3. *Pauperes non faciunt furtum, cum pressi extrema necessitate rem alienam capiunt, quia res tum proprie non est aliena, sed communis vitae periclitantis, nec necessitas extrema est, quae jam fere non potest admittere remedium, ut cum pauper exhalat animam, sed cum vix alia ratione potest subveniri.* Molanus tractat. II. cap. 7. conclus. 1. prop. 6. statuit, *furtum in re minima non committi.* Toletus instruct. sacerdotali tract. de septem peccat. cap. 49. *Is qui justo pretio non potest vendere vinum vel propter iniquitatem judicis vel propter emtorum malitiam, qui conveniunt inter se, ut pauci emant, ad pretium remittendum; tunc possit minuere mensuram, aut paululum aquae miscere, ac vendere pro puro vino & pro completa mensura justum exigendo pretium, dummodo non dicat mendacium; quod si dicat, non erit mortale peccatum.*(*) 2.) Pontifex *maximam imperii partem* ad se rapuit, suprenum in omnia regna imperium & jus ab uno ad alium ea transferendi sibi vindicat, episcopatus & abbatias eo modo sibi adpropriavit, ut *pallium* investituræ signum administratores eorum magna pecuniæ vi emere cogantur, indulgentias magno ære vendit, & multis modis simoniam exercet. 3.) *Clerici papales in avaritia fictis verbis de populo negotiantur* 2. Petri II. 3. vendendo missas, vigilias, indulgentias &c. deliciantur & luxuriantur de eleemosynis ecclesiæ, neque quidquam officio ecclesiastico dignum agunt. *Monachi*, pigri ventres, pauperum sudores absumunt. 4.) *Sacrilegium ποτηριοκλεψίας* e sacra cœna propagnatur, vigent furta spiritualia, clerici enim absulerunt *clavem scientiae;* Luc. XI. 52. laicis consolationem & institutionem ex scripturæ lectione & meditatione exspectandam eripuerunt. Contra *octavum* præceptum in papatu 1.) *publica & notoria mendacia* defenduntur. *Donatio Constantini* merum est figmentum, quod jam olim explosum a cardinali Cusano, Antonino archiepiscopo, Ænea Sylvio pontifice &c. *Legenda sanctorum* scatent fabulis ac mendaciis, unde Ludovicus Vives autorem eorum dicit fuisse *hominem ferrei oris & plumbei cordis.* Reliquiæ sanctorum maxima ex parte sunt fictæ & commentitiæ, unde Erasmus scribit, *tantum ligni crucis diversis in locis ostentari, ut vel oneraria navis illius pondus ferre nequeat.* De eadem fraude, quæ in reliquiis committitur, graviter etiam conqueritur Cassander in consult. Miracula pleraque sunt conficta & constant impostoris. Vide centurias mendaciorum papisticorum apud Ranscherum & Flacium contra invectivam Pemni.(**) 2.) *Scripta supposititia & spuria* pro genuinis venditantur, utpote liturgia Jacobi, canones apostolorum, decretales epistolæ pontificum, libri Dionysii Areopagitæ, Hippolyti, Abdiæ Babylonii &c. 3.) *Genuina veterum scripta depravantur*, quibusdam additis, quibusdam subtractis, ut constat ex indicibus expurgatoriis. Canones concilii Nicæni falsarunt, ut primatum suum stabilirent, uti constat ex actis concilii Carthaginensis. 4.) *Convitia & calumniae* mendacissimæ

(*) Contra Rom. III. 8. 1. Thess. V. 15. Prov. XX. 22. Rom. XII. 16. GERHARDUS.

(**) Toletus in instruct. sacerd. cap. 21. 22. 23. *Licet aliquando uti æquivocatione, & per juramentum decipere audientem. Exempli gratia: si vir uxorem interroget, an sit adultera, ista potest dicere & jurare non sum, quamvis verum fuerit, intelligendo, ut tibi revelem,* contra Hebr. VI. 16. unde ipse Maldonatus in Luc. XXIV. 36. *Quisquis fingendo alium fallere conatur, etiamsi aliquid praeterea significare velit,* (hoc est uti æquivocatione) *haud dubie mentitur, alioquin nullum esset mendacium, quod ista ratione defendi non posset.* Illa mulier bis hoc modo constituitur ac evincitur adultera, corporis videlicet stupro & mentis mendacio. *Ut enim castitas corporis, sic veritas mentis est virginitas,* docente Augustino in enchir. cap. 22. adeoque sicut illa violatur adulterando, sic haec mentiendo, GERHARDUS.

ciffimæ in evangelii confeſſores projiciuntur. Lutherus in præfat. art. Smalc. *Fuit apud nos Witebergae doctor quidam ex Galliis miſſus, qui nobis palam indicabat, regi ſuo certo certius perſuaſum eſſe, apud nos nullam eſſe eccleſiam, nullam politiam, nullum conjugium, ſed promiſcue omnes pecudum more vivere pro arbitrio.* Alphonſus, cæſaris cancellarius Hiſpanicus, Auguſtæ in comitiis ad Melanchthonem dixit: *Longe aliter, Philippe, in Hiſpaniis de vobis fama tulit, quam ex confeſſione veſtra intelleximus. Multi nobis perſuaſerunt vos negare Trinitatem, de Chriſto & Maria impie loqui, ſacramenta corrumpere, cœnam dominicam convivii profani more adminiſtrare, magiſtratum contemnere, libidines ſtabilire.* Quin imo in ipſis illis comitiis maleferiati quidam pontificii Carolo V. imperatori & reliquis imperii ordinibus perſuadere conabantur, *in noſtris eccleſiis ſimpliciter prohiberi diſciplinam & omnem carnis mortificationem, ac publice defendi haereſin Jovinianorum*, quam calumniam poſtmodum retricare voluit Johannes a Daventria ſcribens in refutat. Auguſtanæ confeſs. *Lutheranos ſtatuere, quod tum demum vere ac plene utantur libertate chriſtiana, ſi carnem nunquam adfligant, ſi nunquam jejunent, ſi ſeſe ſupra modum & ſupra naturae vires omnis generis cibis etiam diebus feſtis infarciant, & ventrem diſtendant*, ut videre eſt in harmonia Andreæ Fabricii pag. 435. Gregorius de Valent. in anal. p. 213. calumniatur, *apud Lutheranos ita eſſe omnia comparata, ut in eorum religionis ratione vix aliquod chriſtianae diſciplinae ſignum ſit reliquum, quo eos ab ethnicis nulla veri Dei cognitione imbutis diſcernere queas.* Bellarminus libr. IV. de juſtificatione cap. 1. contra conſcientiæ ſuæ teſtimonium probare conatur, *operum neceſſitatem a nobis negari.* De Luthero ſparſerunt rumorem integro ante ipſius mortem anno, *quaſi miſere perierit, & corpus ejus a diabolo ſit abreptum*, quod mendacium Lutherus ipſe confutavit tom. VIII. Jenenſ. german. fol. 206. 207. 5.) *Judicum injuſtitia* oblique adprobatur. Toletus lib. V. inſtruct. ſacerdotali cap. 56. *Cum in judicio probatur aliquis eſſe nocens, quem judex in privata ſua perſona innocentem eſſe novit, quamvis ſint in hac quaeſtione variae opiniones, tamen communior & verior eſt, quod judex licite poſſit damnare innocentem.* Maldonatus in ſumma quæſt. VII. artic. 3. *Non peccat judex, ſi aliquem damnat ſecundum legem, licet ipſe ſciat eum eſſe innocentem.* Contra *nonum* ac *decimum* præceptum papalis religio docet *concupiſcentiam interiorem* non eſſe peccatum, qua ratione phariſaica perſuaſio de perfecta legis impletione & meritis operum ſtabilitur. Johannes a Daventria in refutat. articuli II. Auguſtanæ confeſs. in harmonia Fabricii p. 22. *Non praeceptum eſt carni nec animae ſenſitivae, ſed intellectivae non concupiſces, quod illa non poteſt non concupiſcere carnalia. Si enim carni praeciperetur, non concupiſces, perinde hoc eſſet, ac ſi Deus ſoli & lunae praecepiſſet, ne lucerent, ignine, arderet, aquae, ne deſtueret, lapidi funda emiſſo, ne decideret.* Toletus lib. V. inſtruct. ſacerd. cap. 13. *Si quis deſideret habere pollutionem ob bonum finem, ut ob ſanitatem, aut ad levandas tentationes carnis, quibus interdum adfligitur, non eſt peccatum.* (*) Sed quid contra ſingula decalogi præcepta eccleſiæ

(*) Contra Exod. XX. 17. Deut. V. 21. Rom. VII. 7. 1. Cor. VI. 9. *Mollities*, definiente Toleto, *eſt voluntaria ſeminis emiſſio absque copula. Cum aliquis motu repentino correptus alterum occidit, etiam cum intentione occidendi, a peccato mortali liber eſt.* Toletus in inſtruct. ſacerd. lib. V. cap. 6. § Tertia cauſa. Item, *cum quis repentina ira correptus profert verbum contumelioſum in proximum, ſi non adeſt deliberatio, non peccat mortaliter, nec etiam licet adſit deliberatio, dummodo ſit aut de re levi, aut inter perſonas parvi momenti, aut inter mulierculas, quae ſaepe rixari ſolent, & multa convitia invicem jaculari, aut inter ſervos & famulos.* Idem ibidem cap. 9. §. Primus eſt & ſeqq. Item: *Cum homo ira aliqua vel alia motus paſſione profert in Deum blaſphemiam, non peccat ſemper mortaliter.* Ibidem lib. IV. cap. 13. §. circa peccatum. Contra Matth. V. 22. *Qui dixerit fratri raca, fatue, reus erit gehennae.* Exod. XX. 13. *Non occides.* Lev. XXIV. 16. *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* GERHARDUS.

clesiæ & religionis papalis peccata commemoramus, cum in totum decalogum multis modis sit injuria, quando scilicet docet, 1.) legem Dei talem præcipere obedientiam, quam homo renatus *perfecte* præstare & per eam vitam æternam *promereri* possit. Concilium Trident. sess. VI. cap. 11. 2.) Præceptum diligendi Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima &c. esse *doctrinale*, non autem *obligatorium* in hac vita. Stapletonus lib. VI. de justificat. cap. 10. Bellarminus lib. III. de monach. cap. 13. 3.) Lege Dei non prohiberi *omnia peccata*, sed quædam, eaque enormia esse peccata, de quibus lex omnino silet. Andradius explicat. orthodox. lib. V. p. 381. 4.) *Preces in specie pro inimicis* non esse præcepti, sed consilii; neminem obligatum esse ad salutandum inimicum causa amicitiæ; pro hæreticis & schismaticis non esse publice orandum. Azorius libr. IX. instit. moral. c. 31. 5.) Hominem *ex puris naturalibus* Deum diligere posse super omnia. Gabr. Biel lib. III. sent. dist. 27. quæst. unic. art. 3. Cochlæus in XVIII. art. confess. August. 6.) Hominem *plus posse facere* quam Deus præcepit, adeoque opera supererogationis præstare. Bellarminus lib. IV. de justif. cap. 13. 7.) Dum præcipuum discrimen legis & evangelii, videlicet, quod lex promittat vitam sub conditione perfectæ obedientiæ: evangelium vero *gratis* propter Christum credentibus salutem offerat, prorsus tollit. Censura Colon. pag. 195. 8.) Dum negat *peccatum originis* a lege adcusari. Ruard. Tapperus tom. I. art. 2. p. 37. 9.) Dum pontifex gloriatur, se *contra præcepta decalogi* dispensare posse. Angelus de Clavilio in summa indictione, papa. Nicol. Bœrius conf. XX. num. 26. &c.

*Contra rationem an aliquid credendum?*

§. CCLII. Ostendimus hactenus falsam esse Bellarmini gloriationem, quod ecclesia Romana nullum errorem, nullamve turpitudinem doceat, quod adtinet tertium, videlicet *nihil contra rationem in eadem doceri*, ad id respondemus: 1.) Normam fidei & veritatis in ecclesia non esse principia rationis vel regulas philosophiæ, sed scripturam sacram. 2.) Falsum esse, quod simpliciter Bellarminus h. l. adserit, *mysteria & articulos fidei esse supra rationem duntaxat, non autem contra rationem.* Sane si ratio in sua sphæra se contineat, nec in secreta mysteriorum divinorum sese intromittat, sed reverenter de summis fidei mysteriis usurpet illud: *Quae supra captum meum posita, de illis ex meis principiis non praesumam judicare;* si inquam ratio talem se præstet, fatemur articulos & mysteria fidei non esse contra rationem. Sed si, quod sæpe contingit, ratio de mysteriis fidei ex suis principiis & juxta philosophiæ regulas judicare ac pronunciare præsumat, si efferat se supra dominam suam theologiam instar Agaris refractariæ, tunc certe fidei mysteria sunt non solum supra rationem, sed etiam contra rationem, ut ex articulo de Trinitate personarum in una divina essentia, de resurrectione mortuorum, de præsentia corporis Christi in cœna &c. oppido conspicuum. 3.) Distinguendum igitur est inter rationem *sibi relictam ac solutam*, quæ sine freno discurrit ac suis fertur logismis, quæ judicat ac statuit ex suis principiis, quæ sunt communes notiones, sensus, experientia &c. & inter rationem *per verbum Dei refrenatam* & sub obsequium Christi redactam, quæ judicat ac statuit ex proprio theologiæ principio, videlicet ex verbo Dei in scripturis sacris proposito. Mysteria fidei non sunt contra rationem scilicet respectu posteriore consideratam, sunt autem contra rationem scilicet respectu priore consideratam. 4.) Quidam illud sic efferunt, quod distinguendum sit inter rationem *renatam* & *non renatam*, sed ut plena sit illa distinctio, necessario addendum, quod renata ratio, quando ex suis principiis oppugnat articulos fidei in scripturis diserte traditos, eatenus non amplius agat ut renata ratio, perinde ut renatus homo, quando cognatam carnis corruptionem secutus peccato contra conscientiam indulget, eatenus non amplius agit ut renatus, imo desinit esse renatus, qua de re tom. I. loc. de interpretat. scriptur.

ptur. §. CLXXIV. latius egimus. 5.) Vt ergo ratio in articulis fidei dupliciter considerari potest, ita quoque παράδοξον rationi oppositum duplex statui potest. Aliud enim paradoxum opponitur rationi non renatae ex suis principiis judicanti, id quod in mysteriis fidei non magnopere adtendendum, cum in articulis fidei propter paradoxum humanae rationis non sit a litera discedendum: aliud vero paradoxum opponitur rationi renatae ex principio theologiae proprio, ex verbo scilicet judicanti, atque illud in mysteriis fidei adtendendum est, cum & rationis & fidei, hoc est, rationis principia fidei amplectentis iisque arcte inhaerentis respectu sit paradoxum. Distinctionis hujus fundamentum traditur in sequentibus scripturae dictis: Gen. XVIII. 14. הֲיִפָּלֵא מֵיְהוָה דָּבָר *an difficilis res erit Domino?* ut vertit Arias Montanus. *Numquid abscondetur quidquam a Domino?* ut vertit Vatablus. *Numquid Deo quidquam impossibile?* ut reddit Lutherus. פָּלָא est *separatum & divisum* vel a cognitione & intelligentia, vel ab actione & viribus hominum, ut nec ratione illud adsequi nec viribus praestare possint. Sensus igitur divini oraculi est, si vel maxime aliquid supra captum humanae rationis ac supra vires humanas positum sit, non tamen Deo illud est difficile, nedum impossibile, quia Deus *plus potest praestare, quam nos intelligimus*, Eph. III. 20. פֶּלֶא nomen est *mirabile & occultum*. Sensus igitur est, si vel maxime hominibus aliquid videatur mirabile & paradoxum, Deo tamen illud non est mirabile & occultum. Zach. VIII. 6. *Sic dixit Dominus exercituum:* יִפָּלֵא *si mirabile vel difficile paradoxum & impossibile hoc videtur in oculis populi illius, num etiam in oculis meis erit* יִפָּלֵא *mirabile ac paradoxum?* Luc. I. 34. cum Maria Θεοτόκος admirabunda quaereret, quomodo virgo viri nescia parens fieri possit? Angelus ipsi respondet: v. 37. ὅτι οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα, q. d. licet apud homines impossibile videatur, & rationi absonum sit, virginem sine virili semine concipere ac parere, tamen apud Deum hoc non est impossibile vel absurdum. Matth. XIX. 26. Christus itidem sic distinguit, quod *apud homines quaedam sint impossibilia*, id est, quod ipsorum judicio multa sint ἀδύνατα, ἄτοπα καὶ παράδοξα, sed apud Deum omnia esse possibilia. Luc. V. 26. cum Christus divino miraculo paralyticum sanaret, populus dicit: *Vidimus hodie παράδοξα*, quae scilicet sint supra captum rationis posita; eadem vox de miraculis divinis usurpatur Sap XVI. 17. XIX. 5. Eccles. XLIII. 30. ac παράδοξον τῆς σωτηρίας Sap. V. 2. adpellatur coelestis illa beatorum gloria, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit, quaeve in cor hominis non adscendit.* Esa. LXIV. 4. 1. Cor. II. 9.

*Paradoxa ecclesiae Romanae.*

§ CCLIII. His ita praemissis dicimus, in ecclesia Romana talia paradoxa proponi, quae sint generis posterioris, videlicet quae & fidei & rectae rationi a Spiritu sancto per scripturas illuminatae, iisdemque inhaerenti adversentur. Possent illius generis paradoxa quamplurima recenseri, sed hac vice sequentibus contenti erimus. 1.) Paradoxum est in articulo justificationis, quod pontificii negant *meritum Christi per fidem nobis imputari posse*, & tamen adserunt, *merita sanctorum & opera supererogationis a monachis praestita nobis communicari posse.* 2.) Paradoxum est, quod statuunt, *gentiles per legem naturae sine Christi cognitione salvos fieri potuisse*, cum ipsi gentiles in perpetuis dubitationibus de Deo, de immortalitate animae, de salute aeterna fluctuaverint. 3.) Paradoxum est, quod *infinito & perfectissimo Christi merito sanctorum merita, ac perfectissimae satisfactioni Christi nostras satisfactiones conjungunt.* 4.) Paradoxum est, quod statuunt, *nos nostris operibus Deo jam ante debitis infinitum bonum, videlicet vitam aeternam promereri posse*, cum recta ratio doceat, ne quidem panis frustulum nos posse promereri. 5.) Paradoxum est, quod statuunt, *legem Dei perfecte a nobis impleri, & opera supererogationis praestari posse*, cum cujusvis pii conscientia & recta ratio doceat, multiplices quotidie lapsus in via bonorum operum

rum a nobis committi. 6.) Paradoxum est, quod statuunt, *fieri posse, ut pontifex diabolicis artibus operam navet*, & tamen negent, *papam errare posse;* quod statuunt, *papam errare posse, ut privatam, non autem ut publicam personam; errare ipsum posse in praemissis, sed non in conclusione; errore facti, non juris; in temporalibus, non in caelestibus.* 7.) Paradoxum est, quod statuunt, per *indulgentias contingere plenissimam omnium peccatorum indulgentiam*, ut habet bulla jubilaei anno 1600. & tamen eos, qui indulgentias emerunt, adhuc in purgatorium ablegant. 8.) Paradoxum est, quod statuunt, *satisfactiones a confessariis impositas paenitentibus esse utilissimas*, & tamen commendant indulgentias, quae sunt istarum satisfactionum remissiones. 9.) Paradoxum est, quod statuunt *etiam pueris presbyteratum & episcopatum conferri posse.* 10.) Paradoxum est, quod *monachi paupertatem vovent*, cum omni rerum abundantia affluant. 11.) Paradoxum est, quod disputant, a *conjugio ministros ecclesiae arcendos*, ne curis rerum secularium distrahantur; cum tamen episcopi seculares principatus administrent. 12.) Paradoxum est, quod papam statuunt *Christi successorem & Petri vicarium;* cum tamen regnum papae a regno Christi, doctrina & mores papae a doctrina & moribus Petri δὺς διὰ πασῶν dissideant. 13.) Paradoxum est, quod statuunt, *crucem adorandam esse cultu latriae*, interim tamen disputant, humanam Christi naturam non nisi ὑπερδουλείας cultu venerandam. 14.) Paradoxum est, quod commendant *fidem implicitam & carbonariam*, cum fides in scripturis definiatur, quod sit γνῶσις ac σύνεσις. 15.) Paradoxum est, quod sacra peragenda statuunt *lingua ignota ac peregrina*, &c.

*An doctrina evangelica rum ecclesiarum sit sancta?*

§. CCLIV. Membrum *tertium.* Num doctrina ecclesiae nostrae vere sit sancta? Adfirmamus hoc sequenti syllogismo: quaecunque doctrina ad solius Dei & Christi mediatoris gloriam spectat, contra vero humanum fastum & arrogantiam deprimit, illa est vere sancta. Doctrina evangelica ad solius Dei & Christi mediatoris gloriam spectat, contra vero humanum fastum & arrogantiam deprimit. Ergo est vere sancta. *Major* probatur ex Joh. VIII. 49. ubi Christus dicit, *se honorare & glorificare* per suam doctrinam *Patrem caelestem*, atque ex eo doctrinae suae veritatem & sanctitatem probat. Nec dubitari potest, illam doctrinam esse sanctam, quae connatum hominibus fastum deprimit, cum sincera humilitas sit fundamentum vere sanctitatis. *Minor* confirmari potest multis specialibus exemplis. In articulo de *scriptura sacra* damus Deo gloriam bonitatis, quod in scripturis revelaverit nobis omne suum de salute nostra consilium, & gloriam sapientiae, quod ipse ut mentis ac linguae artifex clare ac perspicue locutus sit, inde etiam sacras literas velut omnipotentis Dei ac regis omnium regum decreta veneramur, & majestatem earum praedicamus, &c. Pontificii negant scripturae perfectionem & perspicuitatem, exaequant ei humanas traditiones, quae ignominia in ipsum Deum scripturae autorem redundat. In articulo de *Christo* agnoscimus Christum esse unicum mediatorem, redemtorem, ac salvatorem nostrum, a quo etiam firma cordis fiducia unice pendemus ac pendendum esse docemus. Pontificii hunc honorem ex parte transferunt ad sanctos, quorum intercessione & meritis confidere docent, quin & ad nostra opera, per quae vitam aeternam nos promereri posse statuunt. In articulo de *praedestinatione* beneficam Dei erga omnes voluntatem praedicamus, quod scilicet serio velit omnes homines salvos fieri, & hoc nomine Filium suum toti mundo redemtorem miserit, ejusque beneficia in verbo evangelii omnibus offerat. Pontificii vero praesertim Jesuitae cum Calvinianis absolutum electionis decretum propugnant, per quod benefica illa Dei erga omnes voluntas negatur. Scholastici praevisionem meritorum statuunt electionis causam. In articulo de *imagine Dei* docemus, primum hominem esse a Deo conditum justum, sanctum & rectum ad Dei imaginem, quae complectitur sapientiae lucem in mente, conformitatem cum

lege

lege Dei in voluntate & omnium animæ virium rectitudinem. Jesuitæ contra disputant, in primo homine considerato in puris naturalibus fuisse concupiscentiam malam & odio dignam, repressam tamen per originalis justitiæ frenum ac per eandem obtectam, ne in actum erumperet. Item concupiscentiam illam malam ex materiæ cognitione ortum ducere, neque tamen ex intentione autoris naturæ, sed præter ejus intentionem ex materia consecutam esse, quæ omnia derogant divinæ omnisapientiæ, & omnipotentiæ & bonitati, ut suo loco demonstratum fuit. In articulo de *peccato originis* statuimus, omnes omnino homines, solo Christo excepto, posti protoplastorum lapsum nasci originali peccato obnoxios. Pontificii excipiunt b. virginem, quidam etiam Johannem baptistam & Franciscum, qua ratione honor soli Christo debitus cum aliis communicatur. Concupiscentiam in renatis adhuc reliquam cum scriptura peccatum proprie dictum adpellamus, quæ doctrina de reliquiis peccati in renatis inflectit eos ad veram humilitatem, ut agnita adhærente infirmitate & imperfectione coram Deo sese vere humilient, ad seriam orationem, ut pro peccatorum remissione quotidie ingemiscant; ad timorem filialem, ut in solius Dei misericordia propter Christum promissa omne perfugium constitutum habentes ab opinione perfectionis & gloriatione de justitia propria abducantur; ad patientiam sub cruce, ut memores quotidianorum lapsuum paternæ castigationi sese reverenter submittant; ad veram contritionem & quotidianam pœnitentiam, ut concupiscentiis carnis resistant; ad promtitudinem ignoscendi proximo, ut ad veniam faciles sint, qui se venia indigere noverint; ad contemtum mundi & voluptatum mundanarum, ut hos pravæ concupiscentiæ fomites fugiant; ad studium audiendi verbi, per quod interior homo roboratur, exterior vero debilitatur ac mortificatur; ad certitudinem de inhabitatione Spiritus sancti, cum luctam illam carnis & spiritus non nisi renati & illi, qui sunt Spiritus sancti templa, sentiant: denique ad desiderium vitæ æternæ, in qua perfectam renovationem & plenariam a peccato liberationem cupide exspectant. Pontificii vero negantes concupiscentiam illam in renatis adhuc reliquam esse peccatum, fomenta præbent pharisaicæ persuasioni de justitia & perfectione operum, inque exercitiis pœnitentiæ, fidei, orationis, patientiæ, &c. homines reddunt remissos. In articulo de *libero arbitrio* conversionem hominis soli Deo adscribimus, quæ doctrina bonitatem Dei amplificat. Pontificii extollunt liberi arbitrii vires in spiritualibus, & opus conversionis inter gratiam Dei & voluntatem humanam dividunt. In articulo de *lege* docemus, perfectam & omnibus numeris absolutam legis impletionem in hac naturæ infirmitate ne quidem a renatis præstari posse, quæ doctrina gloriationem humanam de propriæ justitiæ perfectione plane deprimit, neque ullo modo in Deum legis autorem injuria est, ut calumniatur Bellarminus libr. IV. de justific. c. 13. rat. 3. sic scribens: *Si lex esset impossibilis, sequeretur, Deum omni tyranno crudeliorem esse & stultiorem, quippe qui ab ipsis etiam amicis tributum exigeret, quod nemo solvere posset, & leges ferret, quas sciret a nemine observari.* Distinguendum enim inter naturam *institutam* & *destitutam*. Deus recte exigit a natura, quod ei dedit, & quod sibi juste debetur, licet homo propria culpa ἀδυναμίαν id præstandi sibi adtraxerit, ut pulcre ostendit Anshelmus libr. de concept. virgin. cap. 28. Pontificii contra docentes, renatos non solum legem Dei perfecte implere, sed etiam opera quædam supererogationis præstare posse, superbæ de perfectione gloriationi causam præbent. In articulo de *evangelio Christum* statuunt fuisse legislatorem, & sic novum Mosen ex eo formantes, detrahunt ipsi gloriam, quam Spiritus sanctus illi tribuit, quod *missus sit ad evangelizandum pauperibus, ad alligandum contritos corde, ad praedicandam captivis libertatem & vinctis apertionem;* Esaj. LXI. 1. Luc. IV. 18. quod *diffusa sit gratia in labiis ejus;* Psalm. XLV. 3. quod *Dominus dederit ei eruditam linguam ut sciat dicere in tempore sitibundo verbum.* Esaj. L. 4. &c. Nostræ vero ecclesiæ discrimen legis

& evangelii exacte retinentes, Christo gloriam debitam tribuunt & contritis conscientiis firmam consolationem praestant. In articulo de *paenitentia* pontificii de perfectione contritionis, de merito confessionis & de necessitate propriae satisfactionis disputantes remissionem peccatorum fide propter solius Christi meritum gratis nobis contingere negant, qua ratione Christi gloriam imminuunt, hominibus vero de suorum meritorum ac satisfactionum virtute gloriandi materiam praebent. Nostrae vero ecclesiae remissionem peccatorum non meritis nostrae contritionis, confessionis & satisfactionis, sed gratis propter solius Christi meritum credentibus contingere docentes, Christi gloriam extollunt, hominum gloriationem deprimunt. In articulo de *justificatione* & *bonis operibus* docemus, gratis nos justificari fide in Christum sine operibus legis, bona opera esse fructus fidei ac Spiritus multis nominibus Deo debitos, meritum autem aliquod proprie dictum illis tribui posse, totis viribus negamus, qua ratione iterum Christi salvatoris nostri gloria extollitur, hominum vero gloriatio excluditur, ut merito dixerit Staupitius, ordinis Augustiniani vicarius, ad Lutherum sub reformationis initium: *Hoc mihi valde placet, quod haec doctrina, quam praedicas, gloriam & omnia soli Deo tribuit, hominibus autem nihil, jam vero Deo non potest nimium gloriae ac bonitatis tribui*, referente ipsomet Luthero tom. IV. oper. Jen. latinor. fol. 23. in Galat. I. Pontificii contra *de meritis congrui & condigni* disputantes in gratiam Dei & meritum Christi sunt injurii. *Deest enim gratiae, quidquid meritis deputatur*, ut pie scribit Bernhardus serm. LXVII. in Cant. col. 696. In articulo de *sacra caena* docemus, juxta institutionem Christi fideliter ab omnibus observandam, corpus Christi mediante benedicto pane manducari, sanguinem Christi mediante benedicto vino bibi. *Separatim comestio nominatur* (scribit Andreas Fricius libr. IV. de emend. reipubl. christ. c. 19.) *separatim bibitio ab illa sapientia, cui omnis sapientia humana de inseparabilitate sanguinis vivi a carne viva cedere debet, non enim hic disputandum est ex rationibus humanis, sed voluntas Christi intuenda, &c.* Pontificii vero disputationibus suis de concomitantia ad stabiliendam *ποτηριοκλεψιαν* excogitatis *justificant Christi sapientiam*; Matth. XI. 19. figmento de sacrificio missae, derogant honori unici illius sacrificii propitiatorii in ara crucis a Christo praestiti, quo *consummavit in aeternum sanctificandos*. Hebr. X. 14. Possent hujus generis complura in medium adduci & ex iisdem principiis contra Calvinianos & Photinianos doctrinae nostrae veritas ac sanctitas demonstrari, sed hoc loco contenti erimus illis, quae in medium sunt adlata, ex quibus de reliquis facile judicari potest.

*Argumenta Bellarmini contra nostrae doctrinae sanctitatem.*

§. CCLV. Bellarminus demonstraturus, foveri a nobis exploratos rectaeque rationi contrarios errores, primum recenset *varias easque absurdas opiniones paganorum, philosophorum antiquorum, Muhamedanorum, Judaeorum, haereticorum antiquorum puta Gnosticorum, Carpocratianorum, Montanistarum, Manichaeorum, Donatistarum*; & nihil nobis cum illis satanae monstris vel erroribus illorum commercii, ideo ex eo nihil quidquam contra nostras ecclesias concludi potest, nisi probetur nos eosdem vel certe similes absurdos & exploratos errores in nostris ecclesiis fovere. Quomodo vero id probat Bellarminus? *Sectarii nostri temporis*, inquit, *docent, omnem hominem justificari sola fide speciali, qua quisque certo credit, se propter Christum coram Deo esse justum, quod cum quolibet paradoxo comparari potest, non enim id est supra vel praeter rationem, sed plane contra rationem. Quaero enim, cum incipio credere me esse justum, vel sum justus vel injustus. Si justus, igitur non justificor per fidem, qua credo me esse justum, quia ista fides est posterior mea justitia. Si injustus, ergo ista fides est falsa; ergo non fides divina justificans, nisi dicamus homines justificari per mendacium. Praeterea Lutherani omnes maxime spiritum precum & invocationem extollunt, & tamen haec*

*haec fides tollit orationem dominicam, nam si credo me nullum habere peccatum, mentior, si cum hac fide dico*: dimitte nobis debita noſtra. *Praeterea Calviniani* (imo & Lutherani) *Anabaptiſtas omnino damnant, nec cenſent poſſe eos juſtificari nec ſalvari, niſi convertantur a ſuis erroribus, & tamen ſciunt, Anabaptiſtas certo credere ſe eſſe juſtos, ergo coguntur dicere eos ſimul eſſe juſtos & non juſtos.* Reſp. 1.) Sententia noſtra de gratuita juſtificatione per fidem in Chriſtum nititur perſpicuis & immotis ſcripturæ fundamentis, ut ſuo loco demonſtratum fuit. Quid manifeſtius pronunciatis illis apoſtolicis Rom. III. 28. *Statuimus juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Gal. II. 16. *Scientes, quod non juſtificetur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti, & nos in Chriſtum credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti & non ex operibus legis?* Quod ſi ergo vel maxime rationi humanæ hæc noſtra de juſtificatione ſententia adverſaretur, ex eo tamen veritati ejus nihil decederet, quia de myſteriis fidei non ex ratione, ſed ex Dei verbo judicandum. 2.) Num vero contra omnem rationem pugnat, alium pro alio ſatisfacere, ac per hanc ſatisfactionem alterum ab obligatione debiti liberari? Homines coram Dei judicio ſunt debitores, amiſerunt enim concreatam juſtitiam & integritatem in primo parente, ac fœnus hoc originale propriis debitis quamplurimis auxerunt, unde denotantur per *ſervum, qui Domino ſuo decem millia talentorum debet.* Matth. XVIII. 24. Filius Dei incarnatus patitur ſibi eam ſummam transſcribi, ac noſtri loco perfectam ſatisfactionem præſtat, *exſolvit, quod non rapuerat;* Pſalm. LXIX. 5. hanc Chriſti ſatisfactionem homo pœnitens fide amplectitur ſibique adplicat, firmiter ſtatuens, ſe propter Chriſtum in gratiam a Deo recipi, propter Chriſti perſolutionem debita peccatorum ſibi remitti & coram Dei judicio a culpa & pœna abſolvi. Ecquid in hac noſtra ſententia cum verbo Dei & recta ratione pugnat? 3.) Pontificiorum vero opiniones, quod infinitæ & perfectiſſimæ juſtitiæ Dei noſtris operibus jam ante debitis, inquinatis & imperfectis ſatisfieri poſſit, quod merito Chriſti noſtra merita ſint conjungenda, quod operibus noſtris vitam æternam infinitum illud bonum promereri poſſimus, quod merita ſanctorum & opera monachalia nobis adplicari poſſint, quod alius homo nudus pro nobis ſatisfactionem præſtare poſſit, &c. & verbo Dei & rectæ rationi directe adverſantur. 4.) Argutiæ Bellarmini, quas contra noſtram de juſtificatione per fidem ſententiam adfert, facilem habent explicationem, & alibi videlicet in tract. de juſtif. tom. VII. locorum cap. XIX. §. CXLV. & ſeqq. latius ſunt expoſitæ. *Cum credo* (inquit) *me eſſe juſtum, vel ſum juſtus vel injuſtus.* Reſp. τὰ πρὸς τὶ ἅμα φύσει. In promiſſionibus evangelicis offeruntur nobis Chriſti beneficia, inter quæ eminet juſtitia coram Deo conſiſtens, hæc beneficia fides amplectitur, ſibique adplicat, qua ratione homo fit juſtus coram Deo, hoc eſt, peccata illi remittuntur, & Chriſti juſtitia ipſi imputatur. Ergo in disjuncto Bellarmini eſt ἔλλειψις, datur enim tertium, ſcilicet vel fio juſtus. Auguſtinus lib. 83. quæſt. 76. *Quod ſi cum crediderit, mox de hac vita diſceſſerit, juſtificatio fidei manet cum illo, &c.* Si captivo cuidam libertas ex gratia promittatur, cum hac conditione, ſi eam amplecti velit, quamprimum illam gratiam amplectitur, ſtatim liberatur. Idem de fide ſpeciali nobiſcum docet Bernhardus ſerm. I. de adnunc. *Si credis peccata tua non poſſe deleri, niſi ab eo, cui ſoli peccaſti, & in quem peccatum non cadit, bene facis, ſed adde adhuc, ut credas, quia per ipſum tibi peccata donantur, ſic enim arbitratur apoſtolus gratis juſtificari hominem per fidem.* 5.) *Fides illa ſpecialis* (inquit Bellarminus) *tollit orationem dominicam.* Reſp. minime vero, *quia juſtificati fide pacem habemus, & cum fiducia ad thronum gratiae accedimus.* Rom. V. 1. Peccatorum remiſſionem quotidie ex Chriſti inſtituto petimus, quia ſcimus peccatum in carne adhuc habitare, nosque eo quotidie per illud ad lapſus ſolicitari, ſæpius etiam ad lapſus impelli; interim fide ſtatuimus, per Chriſtum nobis contingere peccatorum remiſſionem & ſordium adhærentium per ſan-

sanguinem ipsius ablutionem. Non credimus, nec credere debemus, nos non habere peccata; sed credimus & credere debemus, per Christum nobis remissa esse & quotidie remitti peccata. Quærimus autem a Bellarmino, quomodo absque illa fide speciali, quam hisce argutiis oppugnat, Deum in oratione dominica patrem adpellare possint? quærimus etiam qua fronte adserant, se meritis operum vitam æternam impetrare posse, cum panem quotidianum emendicare a Christo instituantur? quærimus insuper, quare gloriari ausint de operibus supererogationis, cum se debitores esse profiteantur, condonationem debitorum suorum petentes? quærimus denique, quo ore adferant suas satisfactiones, cum remissionem peccatorum in oratione dominica petere doceantur? Ad isthæc omnia aperte & sine fuco nobis respondeat Bellarminus, antequam nostram de fide justificante sententiam cum oratione dominica pugnare fingat. 6.) *Anabaptistae* (inquit Bellarminus) *certo credunt, se esse justos, & tamen ob errores suos a Lutheranis damnantur.* Resp. breviter, fides justificans est non solum fiducia, sed etiam notitia & adsensus, qua ratione *objecti* loco habet verbum Dei in scripturis propheticis & apostolicis propositum. Quotquot igitur exploratos & fundamentales errores contra Dei verbum amplectuntur, & pertinaciter propugnant, quod faciunt Anabaptistæ, in illis fides justificans non potest habere locum. Quæ de proprio quodam Lutheranorum errore, *de fide scilicet infantum baptizatorum* Bellarminus addit, ea late discussa sunt in tract. de baptismo §. 226. quo lectorem remittimus. Quæ de Anabaptistarum & Calvinianorum erroribus subjungit, ad nos non pertinent, cum ab utrisque Augustana confessio nos sejungat.

## SECTIO IX.

## DE NONA ECCLESIAE NOTA, QVAM BELLARMINVS ADSIGNAT, QVAE EST EFFICACIA DOCTRINAE.

*An efficacia doctrinae sit nota ecclesiae?*

§. CCLVI. Membrum *primum.* Sitne efficacia doctrinæ genuina & propria ecclesiæ nota? Bellarminus hoc probat ex eo, *quod sola ecclesia habeat veram doctrinam non solum immaculatam, sed etiam convertentem animas*, Psalm. XVIII. *& sermonem vivum penetrantem usque ad divisionem animae & spiritus.* Hebr. IV. *Contra vero philosophi antiqui nunquam vel vicina oppida ad leges suas trahere potuerunt, ut docet Athanasius de incarn. verbi & Theodoretus libr. de legibus, quia verba eorum non erant verba viva sed mortua, non Spiritus Dei, sed spiritus hominum. Muhamedani traxerunt quidem multos, sed terrore armorum, non vi & efficacia doctrinae, docent enim in Alcorano cap. 18. & 19. bello cogendos homines ad fidem. Haeretici nunquam leguntur convertisse ullos ethnicos aut Judaeos ad fidem, sed solum pervertisse christianos, quod notat Tertullianus de praescript.* Resp. 1.) Efficacia doctrinæ duplici modo intelligi potest, *vel* quod multis persuadeat & a multis recipiatur, *vel* quod homines ad Deum salutariter convertat. Si efficacia doctrinæ *priore* sensu accipitur, tunc non est nota ecclesiæ, quia etiam falsæ doctrinæ quandoque multis persuadent, & a multis recipiuntur. Si *posteriore* sensu doctrinæ efficacia accipitur, fatemur in sola ecclesia vigere illam doctrinam, quæ homines salutariter ad Deum convertit, sed illa efficacia non potest perpetuo æstimari a multitudine eorum, qui doctrinam illam recipiunt; *nunquam enim tam bene agitur cum rebus humanis, ut meliora pluribus placeant,* juxta sententiam Senecæ. Homines ad errores recipiendos natura magis proclives sunt, quam ad veram doctrinam, sicut ad vitia magis inclinant quam ad virtutes, adeoque *falsa facilius amplectuntur quam vera*, ut scribit Stapletonus

pletonus libr. VIII. de princ. fidei doctrin. c. 2. *Proni sunt homines ad descensum, ad viam latam & facilem, quam haeretici aperiunt*, ut hoc loco Bellarminus fatetur. 2.) Hæreticæ doctrinæ quandoque magis sunt efficaces, id est, a pluribus recipiuntur, quam cœlestis veritas: 1. Reg. XXII. 22. *Spiritus mendax est in ore omnium prophetarum*, quibus solus Michæas sese opponit. *Ibis* (inquit Dominus ad spiritum illum mendacem) *& praevalebis. In vet. test. infiniti prope homines adhaerebant falsis prophetis, & tamen inde non poterat colligi, vel ipsos a Deo missos, vel eorum vaticinia divinitus fuisse inspirata*, scribit disertis verbis Becanus libr. de ecclesia quæst. III. concl. 11. num. 124. Quomodo igitur efficax persuasio in se ac per se erit nota veritatis? 2. Thessal. II. 9. *Adventus antichristi est κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει*, &c. v. 10. *pro eo quod caritatem veritatis non receperunt ut salvi fierent*, v. 11. *propterea mittet illis Deus ἐνέργειαν τῆς πλάνης* (NB.) *ubi efficax persuasio* antichristianis erroribus tribuitur. Apoc. XIII. 8. *adoraverunt bestiam omnes, qui inhabitant terram.* De pseudo-apostolorum doctrina conqueritur apostolus 2. Tim. II. 17. quod *serpat velut gangraena; & III. 13. Mali homines ac seductores proficient in pejus, errantes & in errorem mittentes.* Gal. III. 1. errores conferuntur *fascino*, quo miseri homines efficaciter dementantur. Justinus libro de monarchia Dei ab initio ostendit magnam esse efficaciam idololatriæ & pravæ consuetudinis in animis gentilium. *Cum principio* (inquit) *natura humana conjunctionem sapientiae & salutis ad cognitionem veritatis atque unius ejusdemque omnium Domini cultum accepisset, invidia obiter subingressa ad simulacra fingenda excellentem hominum amplitudinem evertit, & longinquo tempore prolixa durans consuetudo errorem pro multis tanquam vernaculum quiddam & verum per manus tradidit*, &c. Tertullianus de præscript. adv. hæreticos cap. 1. *Vane ergo & inconsiderate plerique hoc ipso scandalizantur, quod tantum haereses valeant, quantum sint.* Cap. 2. *Quia scandalizantur, ideo mirantur, quod tantum valeant, quasi ex aliqua veritate veniant. Mirum scilicet, ut malum vires suas habeat, nisi quod haereses apud eos multum valent, qui in fide non valent.* Chrysostomus sive autor operis imperf. in Matth. homil. XIX. de hæreticis dicit, *ecclesias etiam regentes palam cum libertate subvertunt, & sic multiplicati sunt ex diverso, ut christiani vagi potius videantur quam illi.* Vincentius Lirinensis adv. hæres. cap. 7. dicit, *universum jam pene mundum saeva repentinae haereseos tempestate perculsum.* Arianismus diluvii instar totum fere orbem olim occupaverat, ut ostendimus superius. *Muhamedismus* quantum accepit incrementum, non solum vi armorum, sed etiam ipsa τῆς πλάνης ἐνεργείᾳ? Certe enim in principio non poterat armis propagari; qui hodie illi adsentiuntur, opinantur se cœlesti veritati credere. Quomodo igitur efficacia doctrinæ potest esse genuina & propria ecclesiæ nota, cum errores & hæreses sint quandoque efficaciores, id est, a pluribus hominibus recipiantur? 3.) Falsum est, quod Bellarminus absolute & simpliciter adserit, *haereticos nunquam convertisse ullos ethnicos aut Judaeos ad fidem;* & quod Lessius in consult. pag 42. ex eo colligit, *illam esse veram religionem, ad quam facta est gentium conversio*, quia negari nequit, ad religionem Judaicam, qualis erat tempore adventus Christi in carnem, factam esse multarum gentium conversionem. Matth. XXIII. 15. Christus de pharisæis & scribis testatur, *quod circumiverint mare & aridam, ut facerent unum proselytum.* Act. II. 5. *Erant in Jerusalem habitantes Judaei viri religiosi ex omni natione, quae sub cœlo est.* Nihilominus judaica religio illo tempore fuit valde corrupta & depravata. Tempore Valentis imperatoris Gothorum gens a paganismo ad Arianismum per Vlphilam & alios ministros Arianos fuit conversa, referente Freculpho in chronico tom. II. libr. IV. cap. 20. Bellarminus ad hoc exemplum sic excipit: *Gothos ab Arianis non esse conversos sed deceptos, voluisse enim Gothos fieri christianos, & hoc nomine petiisse episcopos, sed ab imperatore missos esse Arianos:*

deinde addit, *majorem partem illorum Gothorum fuisse christianam.* Atqui hoc nobis sufficit, quod Gothi ab Arianis fuerint decepti, ex eo enim constat non omnem religionem esse veram & incorruptam, ad quam gentiles convertuntur. Nec probari potest ex historia ecclesiastica, majorem partem Gothorum jam ante fuisse christianam, cum a Socrate libr. IV. c. 27. & Sozomeno lib. VI. cap. 37. ante illam conversionem dicantur *barbari*, & belli occasione christianorum doctrina eis primum innotuerit. Praeterea *ecclesiarum Graecarum* confessionem multi ex Muhamedismo & gentilismo olim receperunt, neque tamen pontificii concedunt, eam esse catholicam. 4.) Denique si efficacia doctrinae est nota ecclesiae, stabit nostra sententia, quod vera doctrina propheticis & apostolicis libris conformis sit nota ecclesiae, siquidem de efficacia illa doctrinae judicandum est ex scripturis sacris, cum non omnis efficacia arguat doctrinae veritatem & sinceritatem, nisi vim & facultatem salutaris ad Deum conversionis habeat conjunctam, alias enim erit potius ἐνέργεια τῆς πλάνης, quam ἐνέργεια τῆς θείης ἀληθείας.

*An doctrina Romanae ecclesiae sit efficax?*

§. CCLVII. Membrum *secundum.* Num doctrina Romanae ecclesiae salutarem illam conversionis efficaciam conjunctam habeat? Bellarminus triplicem conversionem gentilium adfert, de qua distincte pronunciandum. *Primo* loco ponit *conversionem gentilium per apostolos factam*, quam Augustinus libr. XXII. de civitate Dei cap. 5. merito inter *miracula* praecipua numerat, erant enim apostoli numero pauci, externa specie contemti, humanae potentiae & eloquentiae viribus destituti, ac nihilominus totum terrarum orbem praedicatione evangelii ad Christum converterunt. Sed quid haec conversio gentilium ad ecclesiam Romanam hodiernam adtinet? Facta est ista per praedicationem & doctrinam apostolorum, a qua ecclesia Romana hodierna in multis ac praecipuis quibusdam capitibus discessit. Nostra vero doctrina est illa ipsa, quam apostoli praedicarunt, quod ex scriptis ipsorum demonstrare parati sumus. *Secundo* loco enumerat Bellarminus *conversiones gentilium factas seculis posterioribus per Gregorium, Kilianum, Bonifacium, Adelbertum, Vincentium, &c.* Resp. conversiones illae, quae post sextum ecclesiae seculum factae sunt, omnino distinguendae sunt ab illis, quae factae fuerunt per apostolos & viros apostolicos prioribus ecclesiae seculis. Tunc enim videlicet post sextum ecclesiae seculum labefactari coepit doctrinae puritas, superstitionibus paulatim irrepentibus & fermento traditionum humanarum doctrinae apostolicae admixto. Interim tamen quia potuit Deus etiam per corruptum ministerium filios & filias spirituales sibi generare, ac quia tempore Gregorii, Kiliani, Bonifacii nondum fuit tanta doctrinae corruptio, quanta postremis temporibus consecuta est, ideo conversio illa gentilium non definit esse opus divinae benignitatis, *ac pretiosum a vili* semper est separandum. In eo quoque conversiones illae posterioribus seculis factae discrepant a conversionibus per apostolos & apostolicos viros prioribus seculis factas, quod potius metu armorum ac violentia belli, quam efficacia doctrinae fuerint factae. Bonifacius enim Thuringos terrore armorum convertit, ut ex chronico Isenacensi commemoratur cent. VIII. eccles. hist. cap. 10. Carolus magnus funestis bellis Saxones ad fidem christianam pertraxit, &c. Praeterea gentes illae, quas per Gregorium, Bonifacium, &c. ad ecclesiam Romanam conversas esse Bellarminus adserit, jam ante erant christianae. De Britannia testatur Polyd. Virgilius lib. I. de rer. invent. cap. 1. quod *opera Josephi Ariminensis provinciarum omnium prima evangelium publice receperit.* Gilfridus lib. VIII. de gestis Britann. refert, *eo ipso tempore, quo Augustinus monachus in Britanniam missus est a Gregorio, christianismum viguisse, cum fuerint in ea septem episcopatus & unus archiepiscopatus.* Sic per Kilianum Francos, per Bonifacium Thuringos ad fidem conversos esse, Bellarminus adserit, sed *Germanicarum ecclesiarum* meminit Tertullianus & ante illum

illum Irenæus, ac *Thomam in Germania praedicasse*, autor est Hieronymus in catal. *Tertio* loco producit Bellarminus *conversionem Indorum ac aliorum novi orbis populorum*, de qua quid statuendum sit, superius late exposuimus §. CLXXXVIII. memb. 4. Bellarminus conversioni gentilium ad Muhamedismum hoc opponit, quod *terrore armorum fuerit facta*, atqui id ipsum etiam de Indorum conversione testantur Ludovicus Granadensis, Petrus Martyr & alii complures, quorum testimonia adduximus superius. Idem conversionis modus circa Maranos & hæreticos ab inquisitoribus in Hispania & alibi observatur, sic enim scribit Corn. Agrippa de vanit. scient. c. 96. *Inquisitores nostri jurisdictionem suam in pontificum decretis fundatam crudelissime exercent, unam Romanam ecclesiam, quae, ut dicunt, errare non possit, sibi scopum fidei praefigunt, non aliud quaerendo expostulantes, quam si credat in Romanam ecclesiam, quod si quis opinionem suam defendere conetur, respondent, cum haereticis non argumentis & scripturis, sed igne & fasciculis decertandum, &c.* Nisi obstaret hæc inquisitio Hispanica, prohibitio librorum evangelicorum, imo ipsius scripturæ sacræ legendæ, plusquam tyrannica proscriptionis, exsilii & direptionis facultatum comminatio, nullum esset dubium, quin papalis religio in multorum cordibus exstingueretur, contra vero evangelicæ veritatis lux iisdem adfulgeret; ἐπεισάγματος loco addit Bellarminus, *quod singulis annis aliqui Judaeorum & Turcarum tum Romae tum alibi convertantur & baptizentur.* At hæ sunt conversiones *particulares* quarumdam personarum, quales etiam in nostris ecclesiis per Dei gratiam aliquam multæ in diversis locis fiunt. (*)

*An doctrina evangelicarum ecclesiarum sit efficax?*

§. CCLVIII. Membrum *tertium*. Num nostrarum ecclesiarum doctrina salutarem conversionis efficaciam habeat conjunctam? Bellarminus hoc ἀποτόμως negat. *Lutherani* (inquit) *vix unum aut alterum converterunt, cum tamen comparent se cum apostolis & evangelistis, & habeant in Germania plurimos Judaeos & in Polonia ac Hungaria vicinissimos Turcas.* Resp. 1.) Ex negatione actus *secundi* non potest inferri negatio actus *primi*. Si nostri homines paucos vel nullos converterunt, non id tribuendum ipsi doctrinæ, quippe quæ cum apostolica est eadem, sed personis tum concionatorum, quibus Deus non adnumeravit eamdem fidei ac donorum cum apostolis mensuram, tum auditorum, qui semen evangelii in agro cordium suorum recipere noluerunt. Sic ecclesiæ doctores, qui apostolorum tempora secuti sunt, non tam multos converterunt, quam apostoli, neque tamen quidquam ex eo doctrinæ veritati decedit. (**) 2.) Quæcunque conversiones per prædicationem apostolicam olim factæ sunt, eæ per doctrinam, quæ in nostris sonat ecclesiis, factæ sunt, est enim illa omnino eadem cum doctrina apostolorum. Si Bellarminus id negatum eat, descendat nobiscum in arenam, & ex solis scriptis evangelistarum & apostolorum, quibus propter ὁμογένειαν etiam prophetarum scripta accensenda sunt, de doctrinæ veritate disputet. 3.) Per lucem evangelicæ veritatis



(*) Gloriationi insuper de annua Judæorum & Turcarum conversione opponimus illud Erasmi adnot. in Matth. XXIII. *Fortassis & hoc ad mores nostros pertinet, qui magnum quoddam existimamus, Judæum ad baptismum pellexisse. Non quod hoc non sit optandum nobis omnibus, ut omnes Judæi resipiscant, at quod quidam ex ea re suæ gloriæ consulunt, nec ea via pelliciunt, qua oportet, & pellectum non ea docent, quæ veri sunt christianismi. Nam qui fieri potest, ut alios reddamus christianos, nisi prius fuerimus ipsi christiani? fit igitur aliquoties, ut pro scelerato Judæo sceleratiorem habeamus christianum, cujus rei vel Hispaniæ testes esse possunt: Et sunt qui novo exemplo armis christianos faciunt sub religionis ampliandæ prætextu, suis opibus suæque ditioni consulentes. Nihil agetur his rebus, nisi negotium animo pure christiano suscipitur.* GERHARDVS.

(**) Bellarminus sibi ipsi contradicit, nam primo dicit, *hæreticos nunquam convertisse ullos ethnicos aut Judæos ad fidem, sed solum pervertisse*, cap. 12. art. 1. sed ibidem art. ult. *Lutherani vix unum aut alterum converterunt.* Atqui *si unum aut alterum* id est valde paucos converterunt, ergo saltim aliquos converterunt. Et si aliquos, falsum est *illos nunquam ullos convertisse.* GERHARDVS.

ritatis superiori seculo reaccensam integræ provinciæ & regna integra ab antichristi dominatu sunt avulsa, id quod Bellarminus intelliget, si reditus ærarii papalis, quales fuerint ante annos centum, & quales hodie sint, computare velit. An ulla veritatis specie negari potest, magnam fuisse doctrinæ evangelicæ efficaciam, quod frustra renitentibus ac fremententibus pontificibus ac dynastis tanta in multis provinciis adquisiverit incrementa?

*Vir sine vi ferri, vi verbi & inermibus armis,*
*Vir sine re, sine spe contudit orbis opes.*

Ad propagationem religionis nostræ nec violentia nec fraudulentia utimur, neque enim dissentientes a nobis carceribus, proscriptionibus, direptionibus, &c. terremus, nec blandientibus honorum, divitiarum & dignitatum promissionibus eos solicitamus, quos ad eam amplectendam invitamus, sed solius doctrinæ efficacia conversiones ad nostram ecclesiam fiunt. 4.) Elucet etiam efficacia doctrinæ evangelicæ ex eo, quod in angoribus conscientiæ ac tentationibus solidam & efficacem consolationem suppeditet, ac in mortis agone mentes hominum sustentet ac roboret, ex quo principio Christus ipse Joh. VIII. 51. doctrinæ suæ veritatem comprobat. Exempla hujus rei vide tom. VIII. locor. tract. de bonis operibus §. CVII. circa finem. 5.) Quod si omnino a nobis exigat Bellarminus, ut gentilium conversionem ad nostras ecclesias factam esse monstremus, remittimus illum ad Islandiam, Gronlandiam, Laponiam, Livoniam, &c. in quibus regionibus evangelii prædicatione multa hominum millia ab ethnica idololatria ad verum Deum sunt conversa. Conjunge ea, quæ superius §. CLXXXVI. ex historiis sunt adlata.

## SECTIO X.

## DE DECIMA ECCLESIAE NOTA, QVAM BELLARMINVS ADSIGNAT, QVAE EST VITAE SANCTITAS.

*An vitæ sanctitas sit nota ecclesiæ?*

§. CCLIX. Membrum *primum.* Sitne vitæ sanctitas genuina ac propria ecclesiæ nota? (*) Negantem defendimus sententiam. Aut enim intelligitur sanctitas *interna* aut *externa.* Interna sanctitas consistens in vera fide & interiore renovatione Act. XV. 9. non patet hominum conspectui, Rom. X. 10. proinde non potest esse visibilis ecclesiæ nota. Bellarminus lib. III. de eccles. cap. 10. *Nemo potest certo scire, qui sunt vere justi & pii inter tam multos, qui justitiam & pietatem exterius prae se ferunt, cum certum sit, multos ubique esse hypocritas & falsos fratres.* Externa sanctitas non potest esse ecclesiæ nota. 1.) Quia non est ecclesiæ propria. Idem libr. V. de libr. arbitr. c. 10. *Certum est, ex operibus ipsorum hominum, qui nos docent, non posse cognosci doctrinam, cum opera interna non videamus, externa autem sint communia utrisque & propterea comparantur vestimentis ovium, quibus lupi quoque se tegunt. Itaque Dominus, quoniam sciebat non posse discerni doctrinam ex opere, cum saepe mali bene doceant, sic monuit: Quae dicunt,*

(*) Smalcius in refut. D. Franzii pag. 278. *Nemo infallibiliter scit, quisnam vitam in melius convertat, vel vere pie vivere satagat, cum virtus facile simulari possit.* Vnde concludit, *falsum esse, quod ex consideratione vitae solidum judicium dari possit, quaenam gentes sint vera ecclesia.* Contra vero Socinus in libr. quod evangel. cap. 3. sub fin. *Peccata, quae in nostris ecclesiis perpetrantur, licet non adprobentur, satis tamen causae esse, ob quam se ab illis pietatis studiosus segregare debeat, praesertim ubi alii sunt coetus hominum Christum Jesum colentium, qui sibi ejusmodi non permittunt.* Piscius *inter salutaris doctrinae in coetibus Photinianorum sonoris* notas refert studium pietatis. *Negabis* (inquit p. 116. contra Camp.) *apud nos esse ecclesiam? jam igitur evidentiores salutaris doctrinae notas, circumstantias, effecta consule, uti sunt pietas ad doctrinam Christi conformata, caritas, patientia, benignitas, temperantia, justitia & alii salutares doctrinae fructus.* GERHARDVS.

*dicunt, facite, secundum autem opera illorum nolite facere.* De hæreticis dicit apostolus: 1. Tim. IV. 2. quod *in hypocrisi loquantur mendacium*, 2. Tim. III. 5. quod *habeant speciem pietatis*, 2. Cor. XI. 13. quod *transfigurent se in apostolos Christi*, & addit: *Si ipse satanas transfigurat se in angelum lucis, quid mirum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiae?* Col. II. 18. quod *ambulent in humilitate & religione angelorum.* Christus de pharisæis testatur Matth. XXIII. 14. quod *longas orationes praetenderint:* v. 27. quod *fuerint similes sepulcris dealbatis, &c.* De Novatianis sive Catharis, & Donatistis constat, quod mirificam sanctitatem simulare consueverint. De Catharis testatur Augustinus de hæresibus, ad Quodvultd. c. 38. quod *propter munditiem odioso illo nomine sese adpellaverint.* De Manichæis scribit lib. I. de morib. eccles. cath. c. 1. quod *sanctitate morum multos deceperint.* De Pelagianis scribit Hieronymus tom. II. libr. III. adv. Pelag p. 308. quod *per nimiam sanctitatem securamque justitiam audacter sibi bona cælestia vindicarint.* Origenis *sanctitatem* mire commendat Vincentius Lirinensis adv. hæres. c. 23. & tamen Bellarminus lib. IV. de eccles. c. 9. eum facit *haeresiarcham.* De Donatistis scribit Alphonsus de Castro lib. adv. hæres. tit. *Ecclesia*, quod *sanctitatem adeo professi fuerint, ut ecclesiam esse negarent, ubi malorum communione boni commacularentur.* De Anabaptistis & Photinianis notum est, quod glorientur se vitam sanctam & apostolicam agere. 2.) Non est ecclesiæ perpetua. Quandoque enim multitudine scandalorum, quandoque vero furore persecutionum ecclesiæ sanctitas ita obnubilatur, ut non sit publice conspicua. Tempore ante diluvium proximo flagitia publica & notoria *inter Dei filios*, id est, in ecclesia visibili grassabantur. Elias conqueritur, *filios Israel dereliquisse pactum, destruxisse altaria, occidisse prophetas, seque relictum esse solum.* Notæ sunt querelæ Esa. LII. Jer. L. Ezech. XXXVI. & aliorum prophetarum de auditorum suorum impietate. Eusebius memorat maximam illam persecutionem a Diocletiano excitatam, *propter depravatos christianorum mores, maxime vero ecclesiasticorum, qui inter se certantes, tyrannidem potius quam sacerdotium sapere videbantur*, divinitus esse immissam. Costerus in ench. tract. de ecclesia §. *Cœtus igitur*; disputat, *tempore passionis Christi in sola virgine Maria viguisse sanctitatem*, quod in apol. part. II. c. 3. sic exponit, *viguisse quoad externum judicium.* Quæ igitur tunc fuit publice conspicua in ecclesia vitæ sanctitas? 3.) Non est nota infallibilis, quia antichristus cum sua synagoga itidem simulat sanctitatem, Dan. XI. 38. *Deum Maozim in ipsius loco venerabitur, & Deum, quem ignoraverunt patres ejus, colet auro & argento &c.* Apoc. XIII. 11. *Bestia de terra adscendens habebat cornua duo similia agno.* Apoc. XVII. 4. *Erat mulier illa amicta purpura & cocco & inaurata auro & lapidibus pretiosis & margaritis, habens poculum aureum in manu sua &c.* Vt meretrix sese virginem mentitur, & externo in splendore commendare nititur: sic antichristus cum sua synagoga externo hypocriticæ sanctitatis splendore sese commendabit. Neque id negant pontificii, licet pontificem suum esse illum antichristum negent. Pererius lib. XIV. comm. in Daniel. *Antichristus futurus erit callidissimus, & variis artificiis utetur ad homines decipiendos, principio eos, qui studebunt pietati & religioni, capiet specie & simulatione sanctitatis, castitatis, abstinentiae, pietatis.* Et Hippolytus testatur, *antichristum fore hypocritam.* Acosta de temp. novissi. c. 20. *Erit in eo composita ad decipiendum sanctitatis simulatio, quae solet homines parum cautos externa specie vehementer adlicere, erit enim vel primus eorum, qui in hypocrisi loquuntur mendacium, habentes speciem quamdam pietatis.* 4.) Patres nunquam statuerunt, doctores ex ipsorum vita, sed ex doctrinæ genere judicandos. Ergo vitæ sanctitas in doctoribus non est certa & infallibilis ecclesiæ nota. Dictum Christi Matth. VII. 20. *Ex fructibus cognoscendos esse falsos prophetas*, de falsa doctrina veteres intelligunt, quæ explicatio confirmatur ex Luc. VI. 45. Vincentius Lirinensis adv.

hæres. c. 36. dicit, *haereticos divinae legis sententiis quasi quibusdam velleribus obvolvere se, sed tamen ex fructibus, hoc est, ex falsis interpretationibus lupos agnosci posse.* Theophylactus in cap. VII. Matth. χρηστολογίαν προβάλλονται (οἱ ψευδοπροφῆται) καὶ βίον ὑποκρίνονται σεμνὸν, ἀλλ' ἔσωθεν ἐσὶ τὸ ἄγκιστρον ἔνδυμα δὲ προβάτε καὶ ἡ πραότης ἣ τινι χρῶνται τινες χηματιζόμενοι διὰ τὸ κολακεύειν καὶ ἐξαπατᾶν. Hieronymus in VII. Matth. super verba: *Qui veniunt in vestitu ovium.* Specialiter *de haereticis hoc intelligendum, qui videntur continentia, castitate, jejunio, quasi eadem pietatis veste se circumdare, intrinsecus vero habentes animum venenatum, ut simpliciorum fratrum corda decipiant.* Eodem modo exponunt autor imperf. operis in Matth. hom. XIX. Theodoretus lib. III. hæret. fabul. in princ. &c. De Tatiano hæretico scribit Epiphanius lib. I. tom. III. hæres. 46. *quod praetextu continentiae & continentium morum nequitiosam vitam duxerit.* Hieronymus lib. III. apolog. contra Ruffinum: *Quis unquam catholicorum in disputatione sectarum turpitudinem ei, adversus quem disputat, objecit?* (at hoc solenne est pontificiis contra nos disputantibus) Justinus in dial. cum Tryph. p. 241. *Non ita, ut principes populi vestri, vivimus, quos probro incessit Deus verbis hujusmodi:* Principes vestri socii furum, diligentes munera &c. *Quod si quos etiam inter nos tales esse scitis, non continuo ea de causa scripturas & Christum maledictis proscindite.* Chrysostomus hom. IV. in Matth. *Omnes species justitiae, quas habet servus Dei in veritate, habere possunt servi diaboli in similitudine, habet diabolus suos castos, jejunos, eleemosynarios: & simplices homines, qui boni veri & simulati differentiam non norunt, dum quaerunt bonos viros, incurrunt in seductores diaboli.* Idem homil. LXXXVIII. in Matth. circa finem: *Cum illos* (gentiles & Judæos) *saepissime dogmatibus vicerimus, improbam multorum vitam nobis objiciunt, eorum qui nobiscum vivunt, vulnera, animi* videlicet *morbos proferunt &c.* Autor operis imperf. hom. XLIX. *Conversatio christianorum aut omnium aut multorum olim erat sancta, nunc autem aut tales, aut pejores facti sunt christiani, quales sunt haeretici ac gentiles, proinde qui vult agnoscere, quae sit vera Christi ecclesia, unde cognoscat nisi tantummodo per scripturas.* Augustinus epist. CXXXVII. *Hic mos est haereticorum* (ut hodie Bellarmini & aliorum pontificiorum) *crimina objicere doctoribus, cum non possint reprehendere doctrinam.* Et *tamen etiam ipsi* (inquit) *cum maritata aliqua invenitur adultera, nec proficiunt uxores suas, nec adeusant matres suas. Cum autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsitatis sonuerit vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur.* Et postea concludit: *Ne objiciatis haereticis, nisi quia non sunt catholici, ne similes eis sitis, qui non habendo, quod in causa suae divisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere adfectant, & ea ipsa plura falsissime jactant, ut quia ipsam divinae scripturae veritatem, qua ubique diffusa Christi ecclesia commendatur, criminari & obscurare non possunt, homines, per quos praedicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quidquid in mentem venit, possunt.* (Viva hæc est descriptio calumniatorum apud pontificios, qui ecclesiæ nostræ doctores inauditis calumniis gravant.) Pergit Augustinus: *Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis & in ipso edocti estis. Ipse quippe fideles suos securos facit etiam de dispensatoribus malis mala sua facientibus & bona ejus loquentibus ubi ait: Quae dicunt, facite; quae autem faciunt, facere nolite.* Idem lib. I. de moribus eccles. cathol. c. 34. *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando ecclesiae catholicae maledicere definatis vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet.* Lib. de catech. rudib. c. 25. refert, *paganos propter impietatem quorumdam christianorum doctrinam evangelii fuisse calumniatos.* (*) 5.) Consensus adversariorum accedat. c. Ego solis dist. 9. *Alios ita lego quantali-*

(*) Idem epist. CXXXVI. *Doctores possunt loqui vera, & tamen male vivere.* Idem in quæst. ex utroque testam.

*talibet sanctitate polleant, ut non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt &c.* ubi glossa; *non esse considerandum quis dicat, sed quid dicatur*, in quam sententiam adlegat Thomam II. 2. quæst. 70. art. 3. Acosta lib. II. de procur. Indor. sal. c. 18. *Illud multum a b. Augustino commendatum in catechizandis rudibus documentum adcurate servetur, ut admoneantur ii, qui fidem suscipere parant, ne religionem nostram ex nostris hominibus metiantur, sed ex ipsius potius aequitate & sanctitate.* Stapletonus disertis verbis concludit lib. I. de princ. doctr. c. 19. *sanctam esse ecclesiam, sed sanctitatem non esse ecclesiae notam.* (*) Huc referendum illud Bellarmini tract. de indulg. in adpend. ad librum de summo pontif. c. 22. *Bocatius taxat quidem clericorum & monachorum turpitudines, sed ex hoc non sequitur, ut propterea religio & doctrina ipsa videatur esse falsa.* Addit insuper, *hanc impietatem sacerdotum potius argumentum esse veritatis fidei, quae Romae colitur, quia nec pagani nec mali mores possint illam sedem subvertere.* Sic ergo impietas sacerdotum Bellarmino est argumentum veritatis fidei, adeoque etiam ecclesiæ, sed hoc loco contrarium pronunciat, id est, ex uno ore calidum & frigidum efflat.

*Argumenta Bellarmini sanctitatem vitae esse notam ecclesiae.*

§. CCLX. Demonstraturus enim vitæ sanctitatem præsertim in autoribus seu primis patribus religionis esse notam ecclesiæ adfert primo loco *patriarchas, prophetas & apostolos;* secundo *doctores, qui contra singulas haereses dimicarunt;* denique *institutores ordinum religiosorum, quos constet omnes fuisse sanctos, castos, pios, sobrios: contra vero ethnicorum doctores fuisse vel poetas leves, vel philosophos superbos, Muhamedo nihil incontinentius fingi potuisse, haeresiarchas plurimis vitiis fuisse coopertos, omnibus autem communem esse superbiam, id quod specialibus quorumdam exemplis demonstrat.* Resp. 1.) Quod Bellarminus patriarchas, prophetas & apostolos cum institutoribus ordinum religiosorum conjungit, in eo magnam illis injuriam facit, illi enim fuerunt immediate a Deo vocati, vera sanctitate conspicui, & habuerunt privilegium non errandi: hi vero, ne quid gravius dicam, fuerunt superstitiosi, qui contra expressum apostoli interdictum schismata in ecclesiam introduxerunt, ut unus dicat: *Ego sum Franciscі, alter, ego sum Dominici &c.* 1. Cor. I. 12. 2.) Imo ne quidem cum doctoribus sive patribus primitivæ ecclesiæ comparari debent patriarchæ, prophetæ & apostoli, cum & illi immediata vocatione & privilegio infallibilitatis destituantur. Augustinus epist. XIX. ad Hieron. *Non arbitror te sic velle legi tuos libros tanquam prophetarum aut apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est.* 3.) Quæ vero hæc consequentia: patriarchæ, prophetæ, apostoli & doctores ecclesiæ fuerunt sancti. Ergo sanctitas est ecclesiæ nota? Num omne, quod est in doctoribus ecclesiæ, statim erit nota ecclesiæ? num ex vita potius quam ex doctrina judicabimus de doctoribus? at hac ratione efficitur, doctrinam a Juda proditore propositam fuisse falsam, contra vero doctrinam pseudo-apostolorum, qui se transfigurabant in Christi apostolos, fuisse veram. 4.) Eccle-

stam. cap. 102. *Quis sit iste, cujus causa me despicis, nescio, ego ad eum in causa accessi, quia tuus dicebatur amicus. Te quaesivi, te desideravi, tibi credidi, de homine nihil speravi. Quare ergo mala ejus mihi obsint, quem nescirem, nisi te quaesivissem? Si bona ejus mihi possent proficere, justum videretur forte, ut & mala ejus obessent mihi. Sed sicut bona ejus, si dubie credidissem, nihil prodessent mihi, ita & mala ejus nihil obesse mihi debent bene credenti. Ego enim verbis ejus fidem dedi, quae a te data dicuntur.* GERHARDVS.

(*) Idem in promt. cathol. VII. post. pentec. loc. 4. *Haereticorum fructus, ex quibus cognosci debent, nec sunt aliqua vera, quae docent, nec sunt semper ipsa opera, quae faciunt sive bona, sive mala,* (mala enim non semper ex ipsa haresi, sed aliquando ex personae improbitate proveniunt) *sed sunt partim dogmata ipsa haeretica falsa & impia, quae singulis haereticis sunt propria, & a singulis architectis proprie inventa; partim etiam quaedam mala opera haereticis propria & ex ipsa haeresi radice pullulantia.* GERHARDVS.

Ecclesiæ doctores fuerunt sancti, interim tamen suis adhuc laborarunt nævis ac infirmitatibus, quidam etiam ut Noachus, Lothus, Aaron, David, Petrus in enormes lapsus inciderunt, ar num propterea doctrina ipsorum desiit esse vera? 5.) Si ex sanctitate patriarcharum, prophetarum & apostolorum de ecclesia judicandum, nostra potius quam Romana ecclesia laudem illam sibi vindicat. Nostra enim ecclesia insistit doctrinæ patriarcharum, prophetarum & apostolorum, nos doctores illos sequimur & *consanguinitate doctrinae* ipsis conjuncti sumus: Pontificii vero ab integritate doctrinæ propheticæ & apostolicæ jam olim recesserunt, ut alibi demonstratur. 6.) Ethnicorum doctores & hæresiarchas fuisse superbos non negamus, interim ex eo confici nequit, sanctitatem vitæ in doctoribus esse notam ecclesiæ, fieri enim potest, ut etiam catholicus doctor sit superbus, & ut hæreticus doctor superbiam suam occultet, quo modo igitur occultum illud vitium potest esse visibilis nota falsæ ecclesiæ? Hærearchæ semper obtendunt, se studio promovendæ gloriæ divinæ & salutis humanæ dogmata illa proponere, contra vero ambitionem & superbiam suam sedulo premunt, quomodo igitur ex superbia illorum occulta de doctrina fieri potest judicium?

*An vitæ sanctitas Romanæ ecclesiæ doctoribus competat?*

§. CCLXI. Membrum *secundum.* Num vitæ sanctitas doctoribus Romanæ ecclesiæ tribui possit? Bellarminus hic provocat *ad patriarchas, prophetas & apostolos, ad primitivae ecclesiae doctores & ad ordinum religiosorum institutores.* Sed plane ἀπαιδεύτως, quia nec prophetæ, nec apostoli, nec primitivæ ecclesiæ doctores amplexi sunt dogmata papalia, quæ nos ex scriptis illorum oppugnamus, ergo non possunt dici doctores sive patres ecclesiæ papalis, quin imo ne quidem tempore Antonii, Augustini, Basilii, a quibus fingunt ordines quosdam monasticos institutos, tantæ fuerunt doctrinæ cœlestis corruptelæ, quales hodie in Romana ecclesia regnant. Franciscum, Dominicum, Benedictum &c. superstitiosos fuisse concedimus, sed vere sanctos fuisse negamus. Quod si vel maxime tam sancti fuissent quam apostoli imo angeli; (sicut de Francisco in libro conformitatum (*) impresso Bononiæ anno 1589. dicitur, quod *Franciscus fuerit plusquam Johannes baptista*; f. 24. quod *fuerit melior apostolis*; f. 39. quod *Filius Dei per omnia eum sibi similarit*; f. 5. quod *natus sit in lucem gentium*; f. 17. quod *meritis similis sit angelis & archangelis*; f. 247. quod *omnes virtutes sanctorum vet. & nov. test. in Francisco positae fuerint unitive & conjunctim*; f. 5. quod *in eo passio Christi in genere humano sit renovata.* f. 144. &c. De Dominico scribit Antoninus archiepiscopus, quod *plures mortuos excitaverit, quam ipse Christus*, quod *potestas cœlestium, terrestrium & inferorum sit ipsi communicata*, quod *facilius per ipsum eatur ad Christum quam per Paulum*, quod *trinam disciplinam de manu propria non chordula sed catena ferrea susceperit, usque ad sanguinis effusionem, unam pro suis culpis, quae minimae erant, pro in purgatorio existentibus aliam, pro iis, qui in mundo versantur, tertiam &c.* (part. III. tit. 23. c. 1. §. 1. & seqq.) tamen ipsorum doctrina judicanda fuisset ex verbo. Gal. I. 8. *Sed si vel nos apostoli, vel angelus de cœlo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Apage igitur immania illa pronunciata verba Dei e diametro con-

(*) Integer titulus impii hujus ac detestabilis libri ita se habet: *liber conformitatum S. Francisci cum Jesu Christo.* Scripsit eundem Barthol. Albizius, Franciscanus Pisanus, edidit que ann. *MCCCLXXXV.* plaudentibus sodalibus suis. Plura de hocce libro ejusdemque auctore adnotarunt Baelius in *dict. hist. & crit. tom. II. p. 1274.* not. (k) Niceronius in *memoires pour servir à l'histoire des hommes illustres, tom. XXXVI. p. 149.* Clement in *bibliotheque curieuse hist. & crit. tom. VIII. p. 443.* atque ex nostris Schelhornius *tom. III. amoenit. litterar. p. 160.* J. A. Fabricius in *bibliothb. latina medii ævi, tom. I. p. 131.* Moshemius in *institut. hist. eccles. ast. p. 579.* J. G. Walchius in *bibliothb. theol. selecta, tom. III. p. 599. seqq.* aliique. Excerpta ex hoc libro, qui *Alcoranus Franciscanorum* appellari solet, confecit Erasmus Alberus, quæ sæpius variisque linguis typis sunt exscripta.

contraria, quod *ex laterali Christi vulnere Franciscus exilierit*; lib. conf. f. 247. quod *Franciscus primo vita, demum passione factus sit ad imaginem & similitudinem Jesu Christi crucifixi*; fol. 13. quod *stigmatis quinque vulnerum suorum servet a morte aeterna viros, qui a tempore illius usque ad finem mundi vixerunt & vivent.* Bernhardus in rosar. part. II. serm. 27. pag. 224. quæ nunquam persuaderi nobis patiemur, licet Franciscus fuerit tam sanctus, quam aliquis e cœlo angelus, ac licet adhuc alii tres Pontifices sub hæreseos pœna stigmata illa Francisci ab omnibus credi juberent, quod jam ante factum a Gregorio IX. (*) Alexandro V. & Nicolao III. denique licet mille alii cum Bonaventura in legenda b. Francisci statuant, *Francisco mortuo stigmata a pluribus fuisse agnita clavis in ea immissis*, cui contradicit Matthæus Paris, qui eo ipso tempore, quo Franciscus obiit, floruit, in hist. Henrici III. regis Angliæ p. 329. negans ulla prædictorum vulnerum in latere vel pedibus sive manibus remansisse stigmata. (**)

*Sanctitas urbis Romæ.*

§. CCLXII. Intueamur vero tantopere deprædicatam ecclesiæ Romanæ sanctitatem in curia & urbe Romana, in pontifice tanquam capite, cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, sacerdotibus, monachis, Jesuitis & laicis non a nostris, sed a suis ipsorum scriptoribus potissimum, vel ex iis, quos suos esse contendunt, delineatam. De corruptissimo Romanæ curiæ & urbis statu notæ sunt totius orbis querelæ. (***) In revelat. extravag. Brigittæ c. 51. *Christus ad quemdam archiepiscopum dicit: inquire ulterius & audi, qualis est dispositio Romanae curiae, quae sedes mea esse deberet. Sicut enim in sede quatuor sunt columnae sustentantes, & medium quoddam, in quo sedes quiescit: sic in sede mea, quam summis pontificibus reliqui, deberent esse quasi quatuor columnae, humilitas scilicet, obedientia, justitia ac misericordia, & medium, scilicet divina sapientia cum divina caritate. Sed haec mutata est & adsumta nova sedes, in qua est superbia pro humilitate, propria voluntas pro obedientia, amor pecu-*

(*) Fuerunt equidem, qui Gregorio IX. P. R. adprobationem publicam impii istius libri *de conformitatibus S. Francisci* tribuere haud dubitarunt, sed ejusmodi adprobationem minime esse probabilem, ex vero pronunciavit b Weismannvs in *introduct. in memorabilia eccles. nov. test. tom. I. p. 1048.* edit. secundæ; qui & hoc addit, speciosius argumentum participationis peccati ex tolerantia & negligentia contra Coeffetaevm Rivetvm & ex eo Baelivm urgisse. Addimus & hoc, Lvcam Waddingvm in *annalibus minorum tom. VIII. & IX.* nonnullas pontificum litteras produxisse in medium, quibus fidem huic historiæ de *stigmatibus* Francisco ab ipso Christo impressis, habendam esse præceperunt.

(**) Licet complures sint, qui negent, *stigmata* seu formas quinque vulnerum majorum Christi in corpore Francisci remansisse, nolimus tamen eorum nos adsociare partibus, cum haud pauci iique idonei testes hujus rei fidem nobis faciant. Nulli tamen dubitamus, ipsum Franciscvm, virum maxime superstitiosum, quin rationis ob cerebrum morbo debilitatum inopem, ista sibi vulnera inflixisse, ut Christo servatori evaderet similis, perpetuamque perpessionum ejus memoriam hac ratione conservaret. Nam, prout recte observat b. Moshemivs, „moris erat hac „ætate, ut qui cæteris sanctiores videri vellent, ipsi „stigmatibus ejusmodi sese notarent, quo imaginem „quandam mortis Christi, oculis & animis præ„sentem semper haberent. Ad quam consuetudinem „rude ac imperitum sacrarum litterarum sæculum ver„ba S Pavli *Gal. VI. 17.* trahere solebat. Et ma„gnus *sanctorum stigmaticorum* index ex *actis san„ctorum* aliisque monumentis hujus & sequentis se„culi colligi potest." Vid. laudatissimi viri *institut. hist. eccles. antiquae & recentioris*, & quidem in hist. *sec. XIV. part. II. §. XXI. not. (m) p. 579.*

(***) Platina, pontificis bibliothecarius, in vita Bonifacii V. pag. 81. *Instant nunc Turcae terra ac mari, ut nos tanquam cuniculos ex his ecclesiae latebris eruant. Sedemus otiosi, alter alterum exspectantes, quasi hoc malum universae reipublicae christianae non immineat. Exspectant sacerdotes, ut a secularibus hoc tantum bellum & tam necessarium sumatur. Exspectant item seculares, ut presbyteri tuendae religionis causa pecunias in sumtus pollicentur & subministrent bellicos, nec in pejores usus effundant, quemadmodum facere plerique consuevere, pecunias eleemosynis & sanguine martyrum comparatas in aurea & argentea vasa & praegrandia quidem fundentes parum de futuro soliciti, Dei, quem tantum utilitatis gratia colunt, & hominum contemtores.* Gerhardvs.

*pecuniae pro justitia, ira & invidia pro misericordia. Medium autem, vocari sapiens & magister ad mundum. Ecce sic inversa est & immutata mea sedes.* Vide similes querelas lib. I. cap. 41. & 56. lib. III. c. 27. &c. (*) Adrianus VI. (cujus utpote pontificis judicium hac in re certum & infallibile) in instructione Francisco Cheregato, episcopo Aprutiensi, legato ad conventum Norinbergensem data anno 1523. *fatetur a planta pedis ad verticem usque capitis nihil esse sani in toto corpore ordinis ecclesiastici;* referente Sleidano lib. IV. fol. 82. comm. Verba instructionis sic habent: *Dices, nos ingenue fateri, quod Deus hanc persecutionem ecclesiae suae inferre permittit propter peccata hominum maxime sacerdotum & ecclesiae praelatorum. &c. Propterea, ut ait Chrysostomus, salvator noster curaturus infirmam civitatem Hierosolymam, ingressus est prius templum, ut peccata sacerdotum primo castigaret, instar boni medici, qui morbum a radice curat. Scimus, in hac sancta sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis & omnia denique in perversum mutata. Nec mirum si aegritudo a capite in membra a summis pontificibus in alios inferiores praelatos descenderit. Omnes nos declinavimus, unusquisque in vias suas, nec fuit jamdiu, qui faceret bonum, non fuit usque ad unum &c.* (**) Qui sint illi abusus, per species postea expositum fuit Paulo III. a delectis ad hanc rem cardinalibus. Editum enim est a Vergerio Argentinae in anno 1555. consilium de emendanda ecclesia, conscriptum a Johanne Petro Caraffa, Neapolitano cardinali Theatino, qui postea sub Pauli IV. nomine creatus pontifex, datum Paulo III. pontifici & subscriptum a quatuor cardinalibus, duobus archiepiscopis, episcopo, abbate & magistro sacri palatii, in quo illi sic loquuntur: *Abusibus tanquam pestiferis morbis ecclesiam Dei jam pridem laborare, praesertim curiam, manifestum est, quibus effectum prope, ut paulatim ac sensim ingravescentibus his pestiferis morbis magnam ruinam traxerit. Principium horum malorum inde fuisse dicunt, quod pontifices nonnulli praedecessores Pauli III. coacervaverint sibi magistros ad desideria sua, non ut ab eis discerent, quod facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id, quod liberet. Ex hoc fonte,* inquiunt, *sancte pater, tanquam ex equo Trojano irrupere in ecclesiam Dei tot abusus & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem salutis fere laborasse, ac manasse harum rerum famam ad in-*

(*) Eadem Brigitta, quae floruit anno Christi 1370. papam vocat *animarum interfectorem, ovium Christi dispersorem & laceratorem*, dicit *eum abominabiliorem Judaeis, immitiorem Juda, injustiorem Pilato, pejorem & deteriorem ipso Lucifero. Sedem papae* dicit *demergendam in profundum, sicut lapidem ponderosum, adsessores ejus arsuros in igne sulphureo & inextinguibili.* Vetustus quidam Iermocinator in XVII. Apoc. sic describit Romanam sedem: *Romana civitas meretrix adpellatur. Romana civitas versa est in scoriam. Ante omnia sapientes sunt, ut faciant malum, bonum enim facere nesciunt, inimici sunt terrae & caelo, impii in Deum, temerarii in sancta, seditiosi ad invicem, aemuli in vicinos, inhumani in extraneos: hi sunt qui subesse non sustinent, praesse non negaverunt, superioribus infideles, inferioribus insupportabiles, inverecundi ad petendum, ad negandum frontosi, importuni ut accipiant, ingrati ubi acceperunt, docuerunt linguam suam loqui grandia, cum operantur exigua: largissimi adulatores, mordacissimi detractores, simplicissimi dissimulatores, maligissimi proditores, cum qua fornicati sunt reges terrae, id est, terreni principes Deum relinquentes & ipsi servientes.* Adlegat Itampot. Dominicus Brixiensis episcopus, libellum quem ad Pium II. titulo *reformationis curiae Romanae* scripsit, molli tamen cubito rem adtigit, utpote qui in eodem luto cum aliis haeserit. Catalogus testium verit. lib. XIX. fol. 1862. *Caesar Sigismundus paraverat reformationem quamdam, quae vulgari sermone impressa exstat, qua voluit in Constantiensi concilio papae ejusque spiritualium superbiam, pompam & simonias nonnihil reprimere, & cum quidam dicerent, oportere incipere a Minoritis, respondit ille, non a Minoritis, sed a majoritis, sed admodum callide a papa deceptus, pius-que ejus conatus elusus fuit.* Catalogus lib. XIX. f. 1876. Conferatur Marsil. Patavinus apud Wolfium tom. I. p. 616. GERHARDUS.

(**) Confer Goldastum tom. I. const. imp. part. II. fol. 29. fascic. rerum agendarum Colon. editum. Claud. Espencaeum in com. Tit. 1. p. 69. & 70. GERHARD.

*infideles usque; credat sanctitas vestra scientibus, quod ob hanc praecipue causam christianam religionem derident, adeo ut per nos, per nos inquimus, nomen Christi blasphemetur inter gentes &c.* Et postea: *Primus abusus est ordinatio clericorum & praesertim presbyterorum, in qua nulla adhibetur cura, nulla diligentia, quod passim quicunque sint imperitissimi, sint vilissimo genere orti, sint malis moribus ornati, sint adolescentes, admittantur ad sacros ordines & maxime ad presbyteratum, hinc innumera scandala, hinc contemtus ordinis ecclesiastici, hinc divini cultus veneratio non tantum diminuta, sed prope jam exstincta &c. Alius abusus est, isque maximi ponderis, in collatione beneficiorum ecclesiasticorum, maxime curatorum & inprimis episcopatuum, in quibus usus invaluit, ut provideatur personis, quibus conferuntur beneficia, & non gregi Christi & ecclesiae. Alius abusus est in permutationibus beneficiorum, quae fiunt pactionibus, quae omnes sunt simoniacae, nulloque respectu habito nisi lucri. Alius abusus est, quod plures modi inventi, quibus beneficia testamento legentur, quod filii presbyterorum habent parentum beneficia &c. Alius abusus est in exspectativis & reservationibus beneficiorum, quod cardinalibus conferuntur episcopatus non unus tantum, sed plures, cum tamen officium cardinalis & episcopi sint incompatibilia. Abusus & ille corrigendus, ne episcopi primum & prae omnibus aliis, deinde ne curati abessent a suis ecclesiis & parochiis, nisi ob gravem aliquam causam, sed residentiam facerent. Per Deum immortalem quis miserabilior viro christiano conspectus esse potest christianum orbem peragranti, quam illa solitudo ecclesiarum? Omnes fere pastores recesserunt a suis gregibus, commissi sunt omnes fere mercenariis. Abusus etiam est, quod tot reverendissimi cardinales absint ab hac curia, nec aliqua in parte faciant quidquam ejus officii, quod spectat ad cardinales &c. Alius abusus magnus & minime tolerandus, quo universus populus christianus scandalizatur, est ex impedimentis, quae inferuntur episcopis in gubernatione suarum ovium, maxime in punitis viis eximunt se mali homines, praesertim clerici a jurisdictione sui ordinarii, deinde si non exemti, confugiunt statim ad poenitentiam, vel ad datariam, ubi confestim inveniunt viam impunitati, & quod pejus est, ad pecuniam praestitam. Hoc scandalum, beatissime pater, tantopere perturbat christianum populum, ut non queat verbis explicari. Tollantur, obtestamur sanctitatem tuam per sanguinem Christi, quo redemit suam ecclesiam, tollantur hae maculae, quibus si daretur quispiam aditus in quacunque hominum republica aut regno, confestim aut paulo post in praeceps rueret. Alius abusus corrigendus est in ordinibus religiosorum, quod adeo multum deformati sunt, ut magno sint scandalo secularibus, exemploque plurimum noceant. Conventuales ordines abolendos esse putamus omnes, non tamen ut alicui fiat injuria, sed prohibendo, ne novos possint admittere &c. Alius abusus turbat christianum populum in monialibus, quae sunt sub cura fratrum conventualium, ubi in plerisque monasteriis fiunt publica sacrilegia cum maximo omnium scandalo &c. Abusus magnus & perniciosus est in gymnasiis publicis, praesertim in Italia, in quibus multi philosophiae professores impietatem docent, imo in templis fiunt disputationes impiissimae, & si quae sunt piae, tractantur in eis coram populo res divinae valde irreverenter &c. Alius abusus est in fratribus seu religiosis apostatis, qui post votum solenne a sua religione recedunt, impetrantque, ne teneantur gerere vestem sui ordinis, imo nec vestitum habitus, sed tantum vestem honestam clericalem &c. Alius abusus est in quaestuariis Spiritus sancti, S. Antonii aliisque hujus generis, qui decipiunt rusticos & simplices, eosque innumeris superstitionibus implicant &c. In hac urbe Roma meretrices ut matronae incedunt per urbem seu mula vehuntur, quas adsectantur de media die nobiles familiares cardinales clericique. Nulla in urbe vidimus hanc corruptionem, praeterquam in hac omnium exemplari, habitant etiam insignes aedes, corrigendus est hic abusus. Sunt etiam in hac urendis scelestis & corrigendis. Nam primo mul-*

*be privatorum civium odia & inimicitiae &c. Te speramus electum, ut nomen Christi jam oblitum a gentibus & a nobis clericis restituas, in cordibus & in operibus nostris aegritudines sanes, oves Christi in unum ovile reducas, amoveasque a nobis iram Dei & ultionem eam, quam meremur, jam paratam, jam cervicibus nostris imminentem.* (*) Hæc delecti illi cardinales. (**) Franc. Petrarcha in dial. de Romanæ curiæ evitatione Romam vocat *aulam superbiae, gulae sepulchrum, luxuriae palum, cunctorumque malorum progeniem.* Idem epist. XVI. *Nulla Romae pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reverentia, nullus timor, nihil sancti, nihil aequi, nihil justi, omnia ibi mendaciis plena, penetralia templorum, judicum subsellia, pontificum sedes.* (***) Epist. XIX. *Romae quid faciam, ut videam bonos mergi, malos erigi? reptare aquilas, asinos volare? vulpes in curribus, corvos in turribus, columbas in sterquilinio, liberos lupos, agnos in vinculis, Christum exsulem, antichristum dominum, Beelzebub judicem? Quis eversos mores reformabit, quis colliget sparsas oves? quis pastores erroneos arguet? Quidquid uspiam perfidiae & doli, quidquid inclementiae, superbiaeque, quidquid impudicitiae effrenataeque libidinis audivisti aut legisti, quidquid denique impietatis & morum pessimorum sparsim aut habet aut habuit orbis Romanus, terrae, totum istis cumulatum videas, acervatimque reperias.* (***) Nicolaus Florentinus, referente

(*) Quam vero reformationem pontifices susceperint, vel potius quomodo vana & inani spe reformationis mundum ludificati fuerint, late exponit Claudius Espencæus in comm. ad Tit. 1. a. pag. 65. ad pag. 91. & ex eo Mayerus de vuln. eccl. Rom. p. 99. GERH.

(**) Erasmus in epist. ad Steuchum: *Fieri potest, ut in Germania sint, qui non temperent a blasphemiis in Deum, sed in hos horrendis suppliciis animadvertitur. At ego Romae bis auribus audivi quosdam abominandis blasphemiis debacchantes in Christum & in illius apostolos, idque multis meum audientibus, & quidem impune.* Ubertinus a Casali: *Hodierna ecclesia dicitur nova Babylon, quae est meretrix magna, quia verus cultus & amor sponsi Jesu Christi est turpiter adulteratus, & spiritus justorum hujus temporis supra modum opprimitur in praedominio Babylonis, & velit nolit, in multis meretricis ejus actibus servire compellitur, ideoque magna pericula nos exspectant hoc tempore.* Nicolaus de Clemangiis in epistolis, *ecclesiam Romanam* vocat *domum latronum, non secus ac olim templum flagello repurgandam.* Idem: *Ecclesia Romana quid est aliud, quam ambitionis, cauponationis, latrocinii, officina? venalia sacramenta, venales ordines, venalis ecclesia ipsa, quin & missae & corporis Christi administratio venalia. Nundinatio est illa publice, prostibulum, lupanar, synagoga, imo Babylone ipsa detestabilior.* Vide cumulum ejusmodi querelarum apud Polanum in symph. catholica p. 770. De generali illa morum corruptione & universali omnium statuum pollutione, quae spiritualis alicujus lepræ ac funestæ tabis instar & caput & membra Romanæ ecclesiæ infecit, vide Gersonem in operibus suis passim, Brigittam in revelationibus, Vincentium Ferrariensem in prognostico, Petrum de Alliaco in libr. de reform. ecclesiæ, Nicol. de Clemangiis in bibliotheca patrum, Walterum Mapes in poematibus, Maillardum & Menottum in sermonibus, Holkot lect. CLXXXII. in lib. Sapient & alios complures. Quadringentis abhinc annis *Bernardinus*, Morlanensis monachus, a Possevino in adpar. sacr. in adpendice priori ad tom. I. lit. B. celebratus, tres de *contemtu mundi* libros artificiosis rythmis conscripsit, in quibus impietatem ecclesiæ Romanæ a capite ad calcem depingendo, primum quidem generatim omnibus statibus adulteria, ebrietatem, ambitionem, dissimulationem, fraudes, furta, homicidia; dein speciatim clero ignorantiam, negligentiam, sodomiam, simoniam, aliaque scelera objicit; tandem Romam ingressus foeditatem Romanæ Babylonis tam clare toti mundo ob oculos ponit, ut dubium alicui videri possit, majorne sit illius impietas, an hujus *παρρησία*. Jacobus Junterbeck, Germanus, Chartusianus anno 1460. Avisamentum scripsit ad papam pro reformatione Ecclesiæ, teste Possevino, Adp. sacr. tom. II lit. I. GERHARDUS.

(***) Idem epist. XVII. *Vides Romae populum non modo Christi adversarium, sed quod est gravius, sub Christi vexillo rebellantem Christo, militantem satanae.* Epist. XVIII. *Veritas ibi* (Romæ) *dementia est, abstinentia vero rusticitas, pudicitia probrum ingens, denique peccandi licentia, & quo pollutior, eo clarior vita.* Ibidem; *Futurae vitae spes omnis quaedam fabula, & quae de inferis narrantur, fabulosa omnia, resurrectio carnis & mundi finis & Christus ad judicium venturus inter naenias habentur.* GERHARDUS.

(***) Claudius Espencæus in epist. ad Titum digress. 2. p. 69. *Innocentii VIII. regularum scholiastes, modo cameram Apostolicam pecuniarum matrem* adpellat, *modo venalia Romae omnia ex Jugurtha Salustiano agnoscit, modo multa statui concedique est-*

te Wolffio praefat. partis II. lection. memorab. *Quod si haec tam diligens cura divini cultus a reipublicae christianae principibus observata esset secundum primam institutionem & praecepta ejus, qui illam nobis tradidit, longe majori felicitate ac pace frueremur in orbe terrarum christiano, nunc cum nusquam minus vel pietatis vel religionis sit, quam in iis hominibus, qui Romae viciniores habitant, eaque christianae religionis caput censeatur, facile conjicere potes, christianum orbem magnopere periclitari. Quod si quis etiam diligenter consideret eum religionis cultum, qui nostra aetate jam in usu est, eumque conferat cum prima christianae religionis institutione ac veris fundamentis, is non potest illius interitum non metuere, vel divinam ultionem non formidare, imo omnis Italiae infelicitas ex eo redundat, quia Romana ecclesia nequaquam secundum christianae religionis praecepta vivit, sed ea adulterat atque corrumpit.* Johan. Francisc. Picus, comes Mirandulanus, in orat. ad Leonem X. & concilium Lateranense habita anno 1512. *Apud plerosque religionis nostrae primores, ad quorum exemplum componi atque formari plebs ignara debuisset, aut nullus, aut certe exiguus Dei cultus, nulla bene vivendi ratio atque institutio, nullus pudor, nulla modestia, justitia vel in odium, vel in gratiam decl[illegible]vit, pietas in superstitionem pene procubuit, palamque in omnibus hominum ordinibus sic peccatur, ut saepenumero virtus probis viris vitio vertatur, vitia autem loco virtutum honorari soleant ab his, qui suorum criminum quasi septa & tanquam moenia inauditam petulantiam & diuturnam impunitatem esse putaverunt.* Johan. Staphileus, Siburiensis episcopus, in orat. habita ad auditores Rotae 15. Maji anno 1528. de excidio urbis Romae, quod anno proxime praecedente contigerat: *Nos, nos, qui hujusce sumus professionis, nostra insuper propria damna sentimus, qui domesticam hujus urbis jacturam fecimus, nos inquam, reverendi patres, integerrimos, gravissimosque collegas nostros amisimus. Sed unde hoc quaeso? nempe quia omnis caro corruperat viam suam, eramus omnes cives & inhabitatores non Romae urbis sanctae, sed Babylonis urbis peccatricis, de qua impletum est temporibus nostris verbum Domini in Esaia:* Quomodo facta est meretrix civitas fidelis &c. *Ne quisquam arbitretur vaticinium hoc prophetae jamdudum fuisse impletum in eversione Babylonis & Jerusalem, animadvertendum censeo, juxta ecclesiasticam veritatem futura fuisse praesentia prophetis, quasi jam futura jam praesentia cerneret oculis mentis &c. Hoc ipsum declarat nobis propheta subjungens:* Derelinquetur filia Sion & desolabitur sicut in vastitate hostili. *Hanc filiam Sion Johannes apostolus in apocalypsi interpretatur non Jerusalem, sed Romanam prorsus, quod ex illius descriptione in aperto est.* Mulier, *inquit*, quam vidisti, est civitas magna, quae habet regnum, *quod de spirituali regno vult intelligi*, super reges terrae. *Dicit illam sedere super septem montes, quod proprie Romae convenit, quae ob hoc ab antiquis potissimum dicta est septicollis &c. dicit praeterea plenam esse nominibus blasphemiae, matrem immunditiae, fornicationum & abominationum terrae, haec quippe verba demonstrationem urbis hujus magis specificam non exigunt, cum haec flagitia etsi ubique fere regnent, hic tamen sedem & imperium habeant.* Aonius Palearius, Verulanus, in act. adv. pontific. Rom. testim. XX. *Scorta ubique publica, ita ut Romae superioribus annis censa sint meretricum publicarum capita ad decem millia, earum quaestus portionem quamdam sibi pendi jubent, sicut & a Judaeis pontifices, quod faenerari impune permittant, centesimam*

I 3 *exi-*

*pecuniae indirecte extorquendae causa non dissimulat & magnam scilicet sedis apostolicae liberalitatem plumbum dantis, aurum exigentis.* Ibidem: *Sed & hoc vel pueris notum, quibus impune legitur ex Mantuano ecloga V. & IX.*

*Si quid Roma dabit, nugas dabit, exigit aurum.*
*Verba dat, heu Romae nunc sola pecunia regnat.*
*Hoc est Roma viris, avibus quod noctua.*
Scilicet captatrix.

Pag. 78. *Ante auditum Lutherum Raphael Volaterranus, hoc est, Ieatus, idque Romae, scribebat, sacerdotia tribui mercedis loco, spiritualemque thesaurum quaestui haberi ac negotiationi.* GERH.

*exigunt. Acerbissimae vero exactiones, crudelissimi dominatus, simoniae, doli, Spiritus sancti venditiones & emtiones & cetera abominanda, sic Romae regnant, ut qui Spiritum Christi habent, liquido videant scriptum in fronte curiae Romanae: Babylon magna mater fornicationum & abominationum terrae.* Claudius Espencæus in comment. Tit. 1. *Vbi sub sole major malorum omnium licentia, clamor, impuritas, ne dicam insania & impudentia* (quam Romæ?) *talis & tanta, ut credat nemo, nisi qui viderit, neget nemo, nisi qui non viderit. Missam faciam omnium temporum ab Hieronymi usque seculo querimoniam, eccujus fuit hoc distichon?*

*Vivere qui sancte cupitis, discedite Roma,*
*Omnia cum liceant, non licet esse pium.*

*Certe quidem theologi & monachi & quidem Itali Mantuani, & ausus est homo nihil minus quam Lutheranus, idem aliis verbis comprehendere: Petri domus marcescit luxu &c.* Ante hos omnes Bernhardus libr. I. de considerat. ad Eugenium papam col. 1014. conqueritur, *ad curiam Romanam de toto orbe confluere ambitiosos, avaros, simoniacos, sacrilegos, concubinarios, incestuosos & quaeque ejusmodi monstra hominum, ut ipsius autoritate vel obtineant honores ecclesiasticos, vel retineant, sicque papam servire iniquitati.* Bernhardus Monclanensis libr. III. de contemtu mundi pag. 86.

*Roma dat omnibus omnia, dantibus omnia Romæ*
*Cum pretio, quia juris ibi via, jus perit omne,*
*Vt rota labitur, ergo vocabitur hinc rota Roma,*
*Quæ solet ubere fruge fragrescere sicut aroma,*
*Roma nocens nocet, atque viam docet ipsa nocendi.*

*Sanctitas Romanorum pontificum.*

§. CCLXIII. De pontificum Romanorum vitiis omnium scelerum generibus plerumque refertissimis legantur Platina, Nauclerus, Baleus, Johan. Stella, Robertus Barns, Zegedinus, Nigrinus &c. Panormitanus scribit, *multos pontifices ejusmodi vitam agere, ut verisimile non sit, illos vel resurrectionem mortuorum vel vitam aeternam credere.* Georg. Gothardus, canonicus Paris. adv. Heerbrand. p. 116. *Hoc etiam te scire volo, me in adserenda pontificum Romanorum dignitate non tam personas quam officium spectasse, neque omnium pontificum defensionem suscipere, cum plerosque vitam turpem ac flagitiosam duxisse, luce sit clarius.* (*) Ægidius Corrocetus, Italus, de Raphaele Vrbinate pictore refert, quod reprehensus aliquando fuerit a cardinalibus, *quod Petri & Pauli facies insolito rubore praeter decorem expressisset*, ipsum vero respondisse, *apostolos illos rubore suffusos erubescere vicariorum suorum scelera nefaria intuentes.* Johan. Stella, sacerdos Venetus, in chronico multa plurimorum paparum pessima facta recenset, & concludit suam historiam his verbis: *Fateor atque Deum meum testor, me non falsa scripsisse.* Cotterus in enchir. cap. 3. *Fatemur fieri posse, ut Petri successor idola colat, apud se forte de fide non recte sentiat, adeoque diabolicis artibus operam navet.* Bellarminus in præfat. lib. de pontif. Rom. τὰ σκληρὰ μαλθακῶς proferens scribit: *Permisit ad extremum Deus, ut etiam quidam parum probi pontifices aliquando hanc sedem tenerent & regerent, quales sane fuerunt Stephanus VI. Leo V. Christophorus I. Sergius III. Johannes XII. aliique non pauci, si vera sunt, quae de eorum vita & rebus gestis apud historicos eorum temporum scripta leguntur.* Ac postea: *Nos agnoscimus & fatemur, vitia pontificum fuisse non pauca &c.* Atque ut in specie pontificum facinora insigniora ex parte enumeremus; quidam infames fuere: 1.) *magia.* Refert enim Benno, quod quinque papæ se totos consecrarint satanæ, Sylvester II. Benedictus IX. Johannes XX. Johannes XXI. Gregorius VII. Nauclerus & Platina testantur, *omnes papas a Sylve-*

(*) Erasmus in chiliad. Sileni Alcibiadis p. 543. *An magis convenit Iulios, Alexandros, Crœsos & Xerxes, nihil aliud quam magnos latrones, imitari Christi vicarium quam ipsum Christum unicum ecclesiæ ducem & imperatorem? &c.* in encom. moriæ ad finem: *Nullos esse ecclesiæ hostes perniciosiores, quam impios pontifices, qui & silentio Christum sinunt abolescere, & quæstuariis legibus adligant, & coactis interpretationibus adulterant, & pestilente vita jugulant.* GERHARDVS.

*Sylvestro II. usque ad Gregorium VII. inclusive fuisse magos.* De Sylvestro II. prius Gereberto dicto in specie commemorat Platina, quod ambitione & diabolica dominandi cupiditate impulsus pontificiam dignitatem adjuvante diabolo consecutus sit, hac tamen lege, ut post mortem totus illius esset, cujus fraudibus tantam dignitatem erat adeptus, quo nomine etiam diabolo homagium fecerat, teste Arnoldo Albertino de agnos. adsert. cathol. & hæret. quæst. IX. num. 12. Benedictus IX. antequam crearetur pontifex, magiæ beneficio in sui amorem quascunque vellet, mulierculas poterat pellicere. De Gregorio VII. refertur, quod quando manicas excuteret, ignis scintillarum in morem exilierit. (*) Johannes XII. diabolum in alea invocavit, eique vinum libavit. Paulus III. cum Asculano insigni mago magnam habuit familiaritatem. (**) 2.) *Seditione adversus magistratum.* De Gregorio VII. refert Benno, quod Henrico III. imperatori insidias vitæ struxerit & quidem in loco sacro. De Alexandro III. referunt Funcius in chron. Nauclerus generat. XIV. Johannes Stella in Alexandro III. pag. 27. quod Fridericum Barbarossam, quia ei morem in bello protrahendo non gessisset, excommunicaverit, eique fulmine excommunicationis turbato ac perterrito diem dixerit, quo se Venetiis in summo templo ad pedes ejus supplex provolveret, quo facto papa pede imperatoris collo impositio adclamari a suo clero sibi jussit: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Cum vero generosus Friderici animus indignitate rei permoveretur, palam audiente pontifice dixit: *Non tibi, sed Petro*; sed pontifex plusquam tyrannice reclamavit: *Et mihi & Petro.* (***) Consulantur vero historiæ, quomodo pontifices sese gesserint erga Henricum IV. quem papa Gregorius VII. excommunicavit, & contra eum Rudolphum, Suevorum ducem, concitavit, qui amissa in prælio dextra justas perfidiæ suæ pœnas dedit, referente Vrspergensi anno 1080. Helmoldo, Crantzio &c. erga Henricum V. contra quem Romam profectum, ut imperator renunciaretur, papa Paschalis II. seditionem movit, ut imperatorem ipsum de vita & fortunis suis dimicare oportuerit: erga Philippum, quem itidem papa Innocentius III. excommunicavit, ac principibus interdixit, ne imperium ei traderent: erga Othonem IV. quem anathemate percussum privari imperio præcepit: erga Henricum VII. contra quem edidit decretum, in quo omnia regna christiani orbis Romanæ hierarchiæ subjicere conatur. c. Pastoralis Clementin. libr. II. tit. 11. de sent. & re judic. 3.) *Scortationibus, adulteriis,*

(*) Aventinus lib. V. annal. p. 460. recitat decretum episcoporum ex Gallia, Italia & Germania congregatorum, in quo Gregorium VII. vivis depingunt coloribus: *Quoniam Hildebrandus falsus monachus, magus, divinaculus, somniorum prodigiorumque est conjector, male de religione christiana sentit. Primus pontificatum maximum contra morem majorum invitis omnibus bonis emit, & contra voluntatem nostram orbis terrarum dominum retinere conatur. Berengarii antiquissimi erroris symmystes & discipulus, conjuratus est hostium reipublicæ atque sacrosancti imperii cæsaris christianissimi, qui fecit pacem ei ejusque sociis ultro obtulit, saluti corporis & animæ insidiatur, vitam imperiumque pervertere conatur, jus divinum humanumque pervertit, falsa pro veris docet, sacrilegia, periuria, mendacia, homicidia, incendia velut bene facta indulget, collaudat, ad hæc perpetranda classicum canit, tyrannum perfidum suo more tutatur, discordias inter fratres, amicos, cognatos serit, lites nutrit, turer conjuges divortia facit, suavis homo sacerdotes, qui uxores habent legitimas, sacrificos esse pernegat, interim tamen scortatores, adulteros, incestuosos aris admovet, quidquid usquam pacis christianæ fuerat, labefactavit.* Gerhardvs.

(**) Profluxit hinc *epicuræa securitas.* Concil. Basil. sess. XI. sub fin. tom. IV. conc. Venet. f. 294 de Johanne XXIII. sæpe & sæpius coram diversis prælatis & aliis honestis ac probis viris pertinaciter diabolo suadente dixit, adseruit, dogmatizavit, vitam æternam non esse, neque aliam post hanc, quin imo dixit & pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore extingui & mori instar brutorum animalium, dixit mortuum semel esse etiam in die novissimo minime resurrecturum. Idem Johannes XXIII. art. 5. dicitur vitiorum sex, infamiæ speculum ac diabolus incarnatus. Gerhardvs.

(***) Sunt tamen ex ipsis protestantibus, quibus hæc traditio, si non plane falsa, saltim suspecta & dubia videtur: ex quibus Jo. Burc. Maivm nec non C. A. Heumannvm hcic nominasse sufficiat.

*riis, inceſtibus.* Sergius III. ex Marozia Johannem XII. poſtea papam ſpurciſſimus adulter genuit; Luitprandus Ticinenſis libr. III. de geſtis imperat. c. 12. Johannes XIII. in adulterio deprehenſus & confoſſus eſt. Sigeb. anno 963. Lando I. inter meretrices majorem vitæ ſuæ partem exegit. (*) Johannes VIII. papa mulier ſcortationi operam dedit, concepit ac peperit. Innocentius VIII. ſedecim filios ſpurios ex diverſis mulieribus ſuſcepiſſe ſcribitur, unde Marullus:

*Octo nocens pueros genuit totidemque puellas,*
*Hunc merito poterit dicere Roma patrem.*

Johannes XXIII. in concilio Conſtant. adcuſatus eſt, quod cum uxore fratris ſui & cum monialibus inceſtum commiſerit, quod virgines ſtuprarit, & cum conjugatis adulteria perpetrarit. (**) Sixtus IV. fuit ſodomita, & conceſſit illud flagitium familiaribus cardinalibus tribus æſtivis menſibus Junio, Julio & Auguſto exercendum. Wolffius tom. I. p. 836. Idem teſte Corn. Agrippa lupanaria utrique Veneri erexit, unde tale ei poſitum fuit epitaphium referente Weſſelo lib. de indulgent.

*Sixte jaces tandem, deflent tua buſta cinædi,*
*Scortaque, lenones, alea, vina, Venus.*

Alexander VI. cum Lucretia filia ſua inceſtum commiſit, quam & filius pontificis, Lucretiæ frater, inceſtuoſo concubitu polluit, hinc epicedium:

*Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, ſed re*
*Thaïs, Alexandri filia, ſponſa, nurus.*

Accius Sannazarius p. 30. Paulus III. cum nepte ex ſorore Laura Farneſia in inceſtu a marito ejus, Nicolao Quercæo, deprehenſus pugione notatus eſt. Idem ante ſuum pontificatum Alexandro VI. ſororem ſuam Juliam Farneſiam ſtuprandam tradidit, ut cardinalis & epiſcopus Hoſtienſis fieret. Sed quid multis? *Totam pontifici ſcholam fidemque naſcentem, vegetam excute & ruentem, nil hic comperies niſi lupercos, lupercale, lupos, lupas, lupanar.* Ac ut Mantuanus canit:

\- - - *Petrique domus polluta fluente*
*Marceſcit luxu, &c.* - - - - - -
\- - - - - *Roma eſt jam tota lupanar.* (***)

4.) *Caedibus ac bellis.* Cruentiſſima enim præ-

(*) Gregorius VII. familiariter uſus eſt Mathilde. Clementem V. Urſpergenſis vocat *publicum fornicatorem.* De Innocentio VIII. narrat Volaterranus: *Pontificum omnium primus erat, qui novum & ipſe exemplum introduceret, palam liberos nothos jactandi ac ſoluta omni antiqua diſciplina divitiis eos omnibus cumulandi.* Vide plura ejuſmodi exempla apud Hoe in Apoc. II. p. 270. GERHARDVS.

(**) Æneas Sylvius (Pius II. poſtea dictus) quid de ſe ipſo ſcribat, vide epiſt. XLV. & XCII. Paulus Jovius de Leone X. in ipſius vita pag. 192. *Non caruit ſodomiæ infamia, quod parum honeſte non nullos adamare & cum his tenerius ac libere jocari videretur. Sed demus aliquid humanitati Leonis ut in ſumma licentia fervidæ ætatis ac proſperæ valetudinis æſtum ægerrime ſuſtinenti. Deinde alia ſunt vitia principis, alia hominis. Julius III. tanquam Jupiter Ganymedem nomine Innocentium foviſſe, ac Hieronymi Mutii ſodomiam defendentis apologiam pro tanto ſcelere adornatam adprobaſſe ſcribitur.* Sleidanus lib. XXI. Vergerius, Balæus cent. VIII. c. 27. adpend. Pius IV. fornicationibus adeo erat deditus, ut in decrepita etiam ſenectute libidinem certis potionibus in ſe promovere ſtuderet, & tandem libidinum atque mangueurræ æſtu ſuperatus animam profundere cogeretur. Benedictus IX. magicis artibus obtinuit, ut quibuscunque vellet fœminis ultro amplexum ejus deſiderantibus & tanquam avidis vulpeculis cadaveroſam eſcam inquirentibus potiri poſſet. Sabellicus Volaterranus, Benno, Platina &c. Onuphrius in Alexandro VI. *Mulieribus maxime addictus, ex quibus quatuor filios & duas filias tulit. Omnium præcipua fuit Vannocia Romana, quam a formæ venuſtate & morum illecebris miraque demum facunditate in minore fortuna legitimæ prope uxoris loco habuit.* GERHARDVS.

(***) Quid quod a perjurio etiam non liberi? *Paſchalis II. Henrico V. imperatori jurejurando ſeſe obſtrinxit, jus inveſtituræ ſacerdotum cum anulo & baculo Henrico & ejus ſucceſſoribus integrum eſſe debere, atque in teſtimonium veritatis fideique ſervandæ vinculum hoſtiam conſecratam in duas fregit, & unam ipſe comedit, alteram Henrico dedit hiſce verbis: Sicut pars hæc vivifici corporis diviſa eſt, ita diviſus ſit a regno Chriſti Domini noſtri, qui pactum hoc violare tentaverit.* Sigonius lib. X. de regno Italiæ. *Sed vix Henricus V. ab urbe diſceſſerat, ſtatim Paſchalis II. pontifex contra ſuum actum venire, & teſtimonio propriæ vocis reſiſtere cœpit, jusque inveſtituræ Henrico confirmatum adenis, & anathemate præterea impera-*

lia cum multorum millium christianorum internecione gesta sunt a Gregorio VII. Paschali II. Eugenio IV. Gregorio IX. & cumprimis Julio II. cujus opera plus *sanguinis uno die hausit terra, quam ipse cum combibonibus vini in toto pontificatu,* quique clavibus Petri in Tybrim projectis exercitum adversus hostem ecucens dixisse fertur:

*Cum Petri nihil efficiant ad prælia claves,*
*Auxilio Pauli forsitan ensis erit.*

De Gregorio VII. memorat Benno cardinalis, quod sex ordine pontifices per ministrum suum Gerhardum Brazutum sustulerit, ut ad sedem papalem adscenderet. De Johanne XII. scribit Platina in ipsius vita, quod *fuerit omnibus probris & turpitudine contaminatus, quod uxi cardinali nasum, alteri manum absciderit, quod fuerit monstrum potius quam homo.* De Bonifacio VII. idem in ipsius vita scribit, quod *fuerit sacrilegus & homicida, quod tyrannidem exercuerit, & cardinalem sibi resistentem oculis privarit.* De Paulo III. scribit Vergerius, quod *matrem & sororem interfici curarit, quo haereditatem totam ad se derivaret, atque hac ratione ad papatum adsurgeret.* Alexander VI. *plus veneni quam aquae miscuisse* dicitur, unde etiam ipse justo Dei judicio periit, epoto per errorem veneno, quod de ipsius jussu quibusdam optimatibus propinandum erat. (*) Quanti sanguinis christiani rivi instinctu pontificum inde a tempore reformatae religionis in Gallia, Belgio, aliisve regnis ac provinciis sunt effusi! 5.) *Avaritia & simonia.* Cum Johannes XXII. ad ecclesiam Graecam scriberet, *unicam tantum esse ecclesiam, cujus ipse sit caput & Christi vicarius,* ac moneret, ut se illi subjicerent, Graeci breviter responderunt, referente Johanne de Mandevilla lib. I. cap. 7. *Potentiam tuam summam circa subditos tuos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam tuam satiare non valemus, diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.* Hic Johannes XXII. post mortem in aerario reliquit vicies quinquies millena aureorum millia, Franc. Petrarcha, vel ut alii numerant, ducentas quinquaginta tonnas auri. A Gregorio IX. Fridericus imperator absolutionem ab excommunicatione impetrare non poterat, nisi numeratis centies mille auri uncis, referente Guicciardino. Clemens VII. referente Onuphrio in adpend. ad Platinam p. 385. hasta in foro proposita tres cardinalitios galeros venales fecit plurimum offerentibus pro auro bono & praelentario. In Clementis V. curia simonia maxime viguit, scribit Antoninus part. III. tit. 20 cap. 3. p. 3. Alexander VI. opulentissimum quemque in aula sacerdotem & in his aliquot cardinales ceteris ditiores veneno tollendos constituit, ut eorum opibus in fiscum redactis potitus profusissime largiretur, ut testatur Onuphrius, quod & de Leone X. testatur Accius Sannazarius. Et quid multis?

—— *Venalia nobis* (canit Bapt. Mantuanus)
*Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronae,*
*Ignis, thura, preces, coelum venale, Deusque.*

6.)

*peratorem percussit.* Sturcius de vita Germ. imperatorum cap. 43. n. 10. 11. & 12. Eugenius papa persuasit Uladislao, ut foedus cum Turca initum violaret: sed Uladislaus misere periit. Anton. Bonfinius lib. XXVI. rer. Ungar. Wolffius tom. II p. 423. Lipsius lib. II. monitorum cap. 11. *Certissimum habetur, quod Clementi V. pontifici maximo evenit, qui, cum templarios coetum religiosum & diu bonum atque utilem Viennae in concilio damnasset, & in sodales ferro atque igne passim vel animadvertisset, vel ut alii, saevisset, a pluribus eorum citatus ad tribunal superum, paulo plus anno post obiit, quasi ad vadimonium obeundum a supremo praetore accersitus.* Gobelinus aetate VI. cap. 84.

de Bonifacio IX. *Comitem Feudorum, qui principium schismatis stabilivit, penitus exterminavit, & ipse Romanus non solum ut papa, sed tanquam rigidus imperator dominabitur: multos quidem eorum sibi suspectos de infidelitate per justitiarios suos fecerat occidi, capitolium & palatium suum fortius munivit, nec fuit ante eum quisquam Romanorum pontificum, qui talem potestatem temporalem Romae & in patrimonio S. Petri exercuisse legatur.* Matthaeus Parisiensis in Henr. III. Romanos pontifices vocat *piscatores non hominum, sed nummorum, officiales non Christi, sed fisci.* Gerh.

(*) Aon. Palearius test. XIX. in act. adv. pont. p. 255. Gerhardvs.

6.) *Fastu.* De Paulo II. refert Platina in ipsius vita, quod *publice progrediens mitram gesserit, in qua multae opes erant, coemtis omnis generis pretiosis lapidibus, quod inspici ab hominibus & admirationi haberi voluerit.* (*) Clemens V. in pompa coronationis ex tiara amisit *carbunculum sex millium pretio aestimatum*, unde Agrippa de vanit. cap. 61. scribit, *pontificis Romani pompam & fastum nullum unquam tyrannorum aequavisse.* (**)

*Sanctitas cardinalium.* §. CCLXIV. De cardinalium superbia, luxuria, avaritia & sceleribus aliis non minores exstant querelae apud historicos. Nicolaus de Clemangis, qui ante 200. annos floruit in libr. de ruina & reparat. eccles. scribit, *artificem si velit simulachrum superbiae effingere, nulla congruentius ratione id facere posse, quam cardinalis effigiem intuentium oculis objectando.* (***) Quando papa quosdam creat cardinales, his verbis illos adfatur: *Estote fratres mei & principes mundi*, referente Augustino de Ancona lib. de potest. eccles. & Antonio part. III. tit. 21. cap. 1. quid ergo mirum, quod ipsis regibus ac principibus praeferri velint, quamvis interdum ex ima hominum fece genus trahant suum, id quod jure fieri, Thyraeus de antichristo cap. 20. th. 18. probare nititur ex Psalmo XLV. 17. *Praepones eos principes in tota terra.* Hasenmullerus in histor. ord. Jesuitici cap. 10. memorat, *secoram vidisse, cardinales aliosque clericos publica scorta ad vicina lupanaria rapere, & meretrices in publicis plateis ad rhedas currusque suos trahere & in hortos abducere;* quod etiam non dissentiuntur dilecti ecclesiae Romanae reformatores in consilio suo Paulo III. dato. Erasmus de rat. concion. lib. III. refert, quod *Robertus a Licio*, Minorita, cardinalibus ac pontifici fastum ac luxum false hoc modo exprobravit. Erat apud illos dicturus, quos cum videret strepitu plusquam regio ingredi, denique & pontificem gestari hexaphoro & ab omnibus adorari, ubi tandem consedissent, jamque exspectaretur vox hominis, is nihil aliud proloquutus, *pfui sanctum Petrum, pfui sanctum Paulum;* subinde cum exsecrantis voce exspuens, nunc in dextrum, nunc in sinistrum, nec aliud addens e medio proripuit se relinquens omnes adtonitos, aliis suspicantibus eum versum in furorem, aliis dubitantibus, num in haresin quandam, aut Judaismum, paganismumve prolapsus, in eas blasphemias erupisset. Cumque ageretur de homine conjiciendo in vincula, cardinalis quidam, qui propius noverat ejus ingenium, atque etiam amabat, persuasit, ut prius ad pontificem evocaretur, paucisque cardinalibus testibus audiretur. Rogatus quomodo in tam horrendas blasphemias erupisset, respondit, *sibi longe aliud argumentum fuisse praeparatum*, & paucis summam orationis exposuit. *Ceterum ubi spectarem*, inquit, *vos tanto strepitu, tantisque in deliciis vive-*

(*) *Franciscum Dandalum, Venetiarum ducem, Cretae Cypriique regem, catenis vinctum infra mensam, ut instar canis ossa figurivet, papa abjecit.* Sabellicus ennead. IX. lib. VII. GERHARDVS.

(**) 7.) *Mendaciis & fraudibus.* De Alexandro VI. sic scribit Machiavellus papista in libro de principe c. 18. *Nihil aliud, quam ad mortalium impostu. ram egit, ad nihil aliud, quam ad malitiam & fraudem, (quo hominum genus falleret) mentem suam exercuit. In adseverando autem qui magis fuerit efficax, aut qui speciosius juraverit juramentum, & vicissim qui minus praestiterit, nemo unquam fuit.* Costerus in enchir. cap. 3. pag. 151. *Fieri potest, ut Petri successor idola colat, quod b. Marcellinum fecisse semel legimus, apud se forte de fide non recte sentiat, adeoque diabolicis artibus operam navet.* GERHARDVS.

(***) Fridericus imperator in literis responsoriis ad Adrianum pontificem: *Cardinales non videmus praedicatores sed praedatores, non pacis corroboratores, sed pecuniae raptores, non orbis reparatores, sed insatiabiles corrasores.* Carol. Molinaeus in orat. de dignit. & usu legum imperialium, habita Tubingae anno 1554. quae adnexa est refutationi a Flacio invectivae, Bruni oppositae p. 180. *Vidimus, & adhuc in regnis captivitati papisticae servientibus fit, cardinales non solum ex infima plebe sed etiam e vilissimis mendicis eo evectos sese statim regum cognatos & consanguineos palam nuncupare & vocari.* Marsilius Patavinus part. II. defens. pacis f. 170. *In coetum cardinalium adsumuntur lascivi juvenes & divinarum literarum indocti quam plures.* GERHARDVS.

*vivere, simulque reputarem, quam humilem, laboriosam & inamœnam vitam gesserint apostoli, quorum vices geritis, colligebam, aut illos fuisse dementes, qui tam spinoso itinere contenderint in cœlum, aut vos recta ad inferos profitiisci. Sed de vobis, qui tenetis claves regni cœlorum, nihil malae suspicionis in animum inducere potui, supererat, ut illorum stultitiam detestarer, qui cum licuisset ad illum modum splendide suaviterque vivere, maluerunt per omnem vitam jejuniis ac laboribus discruciari.* In libro, cui titulus: *onus ecclesiae* edito anno 1517. dicitur, quod *cardinales omnem substantiam, qua reliquus clerus sustentari deberet, devorent, atque ita census ecclesiasticus ad cardines cœli dissipetur.* (*) Paulus Langius monachus in chronico Ziticensi anno 1405. *Cardinalis Isernienſis reliquit post mortem triginta millia ducatorum. Cardinalis Mopolitanus decedens ultra centum millia ducatorum auri reliquit: sed o quot ecclesias & monasteria & alia beneficia ecclesiastica, antequam tot millia adquirerent, aestimantur gravasse & depauperasse?* Ravisius Textor in officina refert de Petro Presbytero cardinali, qui sedente in pontificatu Sixto IV. vixit, *quod duobus annis trecenta aureorum millia luxu prodegerit & vanitatibus, sexaginta millia aeris alieni ac argenteorum 300. pondo dimiserit.* Franciscus Petrarcha in epist. de cardinalibus scribit, quod *tam calidi tamque praecipites in Venerem senes sint, sicque in libidines exardescant, & sic in omne ruant dedecus, quasi omnis eorum gloria non in cruce Christi sit, sed in commessationibus & ebrietatibus, & quae has sequuntur in cubilibus & immunditiis;* cujus rei horrenda aliquot exempla subjicit Petrus Paulus Vergerius in histor. de idolo Lauretano: *Fuit patrum nostrorum memoria cardinalis quidam Venetus, e Pisana familia, qui inter reliquas suas interiores & reconditas literas duos libellos habuit sepositos variis obscœnis picturis & detestandis nefariarum libidinum simulacris refertos. Exstabant in eorum altero cumplures viri cum muliere concubitus formae omnis turpitudinis & fœditatis plenae atque a natura prorsus alienae: in altero exsecrabilis illius Veneris, quam (quia Sodomitis familiarem fuisse constat) sodomiticam adpellant, dissimiles, summaque varietate distincti modi expressi videbantur. Post obitum cardinalis excussa libraria supellectile, quam domi suae instructam habuerat, alter e duobus illis libellis venereis repertus, tempore papae Julii II. Romae typis in lucem evulgatus, denique pontificatum gerente Adriano VI. publice divenditus distractusque fuit.* De Angelo Politiano cardinali testatur Ludovicus Vives lib. II. de verit. fid. christ. quod *Pindari odas psalmis Davidicis praetulerit.* (**) De Petr. Bembo

K 2

(*) Cives Veneti in resp. ad paræn. Baronii. p. 45. *Ecquid ab aliquot jam seculis aliud agunt purpurati isti satrapae, quam ut feralibus bellorum facibus inflamment ac collidant orbem terrarum? si qui mitiore sunt ingenio inito hoc honore, hoc solum sibi negotii datum credunt, ut ethnicorum epulonum luxum ab orco revocent.* Pag. 46. *Quod ethnici quoque exhorrescant, inter purpuræ hujus candidatos exstitere, qui praeposterae libidinis sordes non modo in deliciis habuerunt, sed laudes etiam carminibus ornarent, quod in hac ipsa urbe a Joh. Caso, archiepiscopo Beneventano papae legato, factitatum.* Carafa Pauli IV. ex fratre nepos & legatus cum solita pompa Lutetiam Parisiorum ingrederetur, & signum crucis, ut fit, ederet, occurrante passim populo & in genua ad illius conspectum procumbente, loco verborum, quae proferri mos est, saepius secreta murmuratione ingeminavit: *Quandoquidem populus iste vult decipi, decipiatur.* Thuanus. lib. XII. fol. 298. Platina in vita Stephani III. pontificis p. 118. *Nunc adeo refrixit pietas & religio, non dico nudis pedibus, sed caligati & cothurnati vix supplicare dignantur. Non stent inter eundum, vel dum sacrificatur, ut illi sancti patres, sed rident & quidem impudenter. De his etiam loquor, quos purpura insigniores facit. Non hymnos canunt, id enim servile videtur, sed jocos & fabulas ad visum concitandum inter se narrant. Quid plura? Quo quis dicacior est & petulantior, eo majorem in tam corruptis moribus laudem meretur. Severos & graves viros reformidat hic noster clerus. Quid ita? quia in tanta licentia malunt vivere quam bene monenti aut cogenti obtemperare, & ob eam rem christiana religio quotidie in pejus labitur.* GERHARDVS.

(**) Victorinus Strigelius in explicatione psalmorum p. 30.

bo refert Fabricius, eum dixisse: *Semel legi biblia, quod si iterum mihi essent legenda, perderem omnem latinitatem.*

*Episcoporum & clericorum pontificiorum sanctitas.*

§. CCLXV. Episcoporum, sacerdotum & clericorum pontificiorum qualis sit sanctitas, domestici & αὐτόπται testes loquuntur. Bernhardus serm. XXXIII. in Cant. col. 909. *Ministri Christi sunt, & antichristo serviunt, honorati incedunt de bonis Domini, cui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius adparatus, inde aurum in frenis, in sellis, calcaribus, & plus talcaria quam altaria fulgent, inde splendidae mensae & cibis & scyphis, inde commessationes & ebrietates, inde cytharae & lyra & tibia, inde redundantia torcularia & promtuaria plena, eructantia ex hoc in aliud, inde dolia pigmentaria, inde referta marsupia, pro hujusmodi volunt esse & sunt ecclesiarum praepositi, decani, archidiaconi, episcopi, archiepiscopi &c.* (*) Vide ejusdem querelas serm. VI. in Psalm. XCI. col. 291. lib. III. de consid. ad Eugen. col. 1027. lib. IV. de consid. col. 1035. &c. (**) In libro, cui titulus: onus ecclesiae: *Episcopi debitam solent omittere hospitalitatem pauperes Christi negligendo, semet ipsos impinguando, canes aliaque animalia alendo, & sic una bestia nutrit aliam &c. passim quoque episcopi pene omnes morbo cupiditatis, quae mater est omnium haeresium, laborant, aliena rapientes, ecclesiastica bona dilapidantes, quae divinis usibus & pauperibus Christi dispensare deberent, aliorsum expendunt &c. Fit nunc temporis, ut episcoporum status & dignitas perpendatur in terrenis opibus, in sordidis ac plebejis curis, in bellorum procellis, in imperiis mundalibus &c. In ecclesiis tam cathedralibus quam conventualibus innumera committi solent scandala, ubi hodie plerumque feces mundi ecclesiasticis gubernaculis praeficiuntur, utpote quibus mundus uti vel frui nequit &c. Ambitio & simonia in clero jam ubique regnat, ut hodie verificetur illud prophetae: A minore usque ad majorem, omnes scilicet clerici, avaritiae student, & a propheta usque ad sacerdotem omnes faciunt dolum.* Eebertus ad episcopum Colonienſ. in catal. testium veritatis, episcopari sic describit, *quod sit carni indulgere, pompatice incedere, quaestui intendere & delicioſe otiari.* (***) Platina in vita Marcelli I. pag. 39. *Vitia nostra eo crevere, ut vix apud Deum misericordiae locum nobis relinquant.*

p. 30. refert, quod cum cardinalis Bembo ad Jacobum Sadoletum venisset, & eum in enarratione epistolae ad Romanos aliquid operae collocare intellexisset, dixerit ei: *Omitte has nugas, non decent gravem virum tales ineptiae.* GERHARDVS.

(*) Idem serm. LXXVII. in Cant. col. 1098. *Quem dabis mihi de numero praepositorum, qui non plus invigilet subditorum evacuandis marsupiis, quam vitiis exstirpandis? ubi qui orando flectat iram? ubi qui praedicet annum placabilem Domino?* Serm. ad clerum in conc. Rhemenſi col. 2244. *Vbi prob dolor reperiemus episcopos, qui post adeptam dignitatem in humilitate se contineant? nempe superbia eis occasio est, ut ad tantam dignitatem adspirent, ut in ovile Christi impudenter irrumpant &c.* GERH.

(**) Platina in Gregorio IV. *In omnem luxum & libidinem sese effundit ecclesiasticus ordo. Coccinatos & trabeatos nunc inspiceres, non homines, quod leve fortasse videretur, sed equos & jumenta; praecedente, dum incedunt, magno adolescentum & altero presbyterorum agmine subsequente: non in asinis, ut Christus nostri dogmatis autor & bene vivendi unicum in terris exemplar, sed in aquis praeferocibus & phaleratis, ac si ex hoste devicto triumphum ducerent. De argenteis vasis & egregia eorum supellectile, deque cibariis non adtinet dicere, cum & Siciliae dapes & Attalica ornamenta & vasa Corinthia, si haec inspicias, nullius pretii dici possint. Quid vero ex hac intemperantia nascatur, praetermittam, ne os, ut ipsi ajunt, in coelum ponam.* GERHARDVS

(***) Innocentius papa serm. II in die cinerum de clericis papisticis: *Noctu filium Veneris agitant in cubili, mane filium virginis sacrificant in altari, nocte Venerem amplexantur, mane virginem venerantur.* Vlricus, episcopus Augustanus, in epist. ad Nicolaum I. circa annum 860. cujus epistolae etiam Æneas Sylvius meminit, pontificem, episcopos & archidiaconos *ita praecipites esse* dicit *in libidinem, ut neque adulteria, neque incestus, neque masculorum turpissimos amplexus sciant abhorrere, tamen casta clericorum conjugia dicunt sibi fastidio esse, & ab eis jubent & cogunt clericos abstinere. Patrum uxores subagitant, masculorum ac pecudum amplexus*

non

*quant. Quanta sit avaritia sacerdotum, & eorum maxime qui rerum potiuntur, quanta libido undique conquisita, quanta ambitio & pompa, quanta superbia & desidia, quanta ignoratio tum sui ipsius tum doctrinae christianae, quam parva religio & simulata potius quam vera, quam corrupti mores vel in profanis etiam hominibus, quos seculares vocant, detestandi, non adtinet dicere, cum ipsi ita aperte & palam peccent, ac si inde laudem quaererent.* Hugo cardinalis in quadam glossa scribit: *diabolum duas habere filias, avaritiam & luxuriam: illam Judaeis, hanc ethnicis olim elocasse, nunc vero clericos & sacerdotes utramque suis viris eripuisse & tanquam proprias habere.* Idem de clericis conqueritur, quod *legem nesciant, vanitates discant, otio, commessationibus & ebrietatibus studeant, terrena capiant, adsidui in plateis, rari in ecclesiis, tardi ad investigandam culpam peccatorum, parati ad insequendum vestigia leporum, velociores ad congregandum canes, quam ad convocandum pauperes, citius porrigant panem canibus quam pauperibus, citius extendant manum ad taxillum quam ad missae librum, quod sint, quorum thalamus ornatior quam altaria, scyphus pulcrior calice, equus carior quam missale, mappa pulcrior casula, camisia delicatior quam alba, in ipso templo Dei lascive & luxuriose cantent, ut amasiis placeant.* Johan. Gerson in tract. quem inscripsit: *Declaratio defectuum virorum ecclesiasticorum*; ex justissimo dolore conqueritur, *nullibi episcopos bonos & opere ac doctrina probatos eligi, sed homines carnales ac spiritualium ignaros, in clericis dominari crapulam & ebrietatem, esse eos aleatores ac venatores, officia ecclesiastica pecunia obtineri, praelatos adeo esse superbos, ut homines se esse nesciant. Equos, canes & aves, ac copiosam familiam patrimonium ecclesiae comedere potius, quam pauperes Christi; gladium ecclesiae, hoc est, excommunicationem leviter & crudeliter in pauperes vibrari; episcopos plus esse officiales fisci, quam Christi &c.* (*) Autor libri, *stella clericorum* dicti, exclamat: *O Domine, pastores tui mutati sunt in tonsores, defensores in dissipatores; qui deberent esse sobrii, quotidie sunt ebrii; qui praelati, Pilati; qui casti, incesti; qui pastores, impostores &c.* Nicolaus de Clemangis, archidiaconus Bajocensis & doctor Parisiensis integrum scripsit librum de corrupto ecclesiae statu, in quo inter cetera sic



*non abhorrent, alienis uxoribus non dubitant abuti.* Vide Chemnitium part. III. exam. f. 63. In lavacro conscient. omn. sacerd. impresso Lyptzig per Baccalaureum Wolfgangum Monacensem anno salutis 1497. die 3. mensis Octobr. exstat epistola Luciferi ad clericos Romanos cap. 4. de vitio luxuriae fol. 12. b. quae sic habet: *Beelzebub, princeps daemoniorum & dux tenebrarum, cum satellitibus suis omnesque tartareae potestates archiepiscopis, abbatibus, praepositis, decanis, presbyteris, caeterisque ecclesiarum rectoribus, suis carissimis amicis, nunc & in aeternum tartareas salutes & inviolatae societatis foedera, quae dissolvi non possunt in aeternum! Magna nobis fiducia est in amicitia vestra, amici carissimi, multumque de vobis congratulamur, quia sentitis optime nobiscum, & quae nostra sunt, diligenter quaeritis, ubique tuendo atque fovendo, quidquid ad nostrum jus pertinere cognoscitur. Sciatis igitur vos universitati nostrae multum esse acceptos, & multa gratiarum actione studia vestra prosequimur, eo quod infinitae multitudines animarum per vestrum ministerium & exempla a via veritatis abductae quotidie nobis captivae adducuntur, unde regni nostri potentia magnifice roboratur. Perseve-*

*rate igitur tanquam fideles & intimi nostri in amicitia nostra & in opere, quod coepistis, quod profecto parati sumus pro omnibus his vobis rependere retributionem condignam & mercedem congruam ex inferioribus infernis. Valete & salus nostra sit vobiscum in aeternum!* Joh. Aventinus lib. I. annal. Bojorum. *Decuriones mystarum & parochi impune & passim in aestu adulteriis, stupris, contaminant omnia, omant, potant, virgines plures uno anno vitiant & implent sub superficie pietatis, potantur, fraudant, compilant, furgant, templa sacerdotia dirumpunt, quasi caballos venalitios commutant, ceremonias nundinantur, religiones cauponantur, scortantur, lasciviunt, venantur, belligerantur, humanum sanguinem & impune sistunt, effundunt, latrocinia exercent.* Gerhardus.

(*) Franciscus Belleforestus Gallus: *Nullius dabo quidquam auribus, sed veritatem ingenue fatebor, tot haeresium & schismatum causam esse neminem praeter nostros vasos, unctos, clericos & sacerdotes sua turpissima & sceleratissima vita. Non ergo accusent alium quemquam nisi semet ipsos, seque solos castigandos & emendandos esse noverint.* Gerh.

loquitur pag. 22. *Si quis hodie desidiosus est, si quis a labore abhorrens, si quis in otio luxuriari volens, ad sacerdotium convolat, quo accepto statim se ceteris sacerdotibus voluptatum sectatoribus adjungit, qui magis secundum Epicurum, quam secundum Christum viventes & cauponula seduli frequentantes potando, comessando, pransitando, convivando cum tessaris & pila ludendo, tempora tota consumunt. Crapulati vero & inebriati pugnant, clamant, tumultuantur, nomen Dei & sanctorum suorum pollutissimis labiis exsecrantur, sicque tandem compositi ex meretricum suarum complexibus ad divinum altare veniunt.* Pet. Ferrariensis in form. sent. definit. §. sed ad quemcunque; *Clericorum animus & adpetitus est enixus præ cæteris pecuniis cumulandis contra honestatem communem & fidem Deo promissam, non attendentes nec studentes bonis moribus nec, scripturis tam divinis, quam moralibus.* Episcopus Bipont. in orat. coram concilii Trid. patribus habita inter alia sic loquitur: *Duae illae sanguisugæ, quæ semper clamant, adfer, adfer, altera mater, altera nutrix omnium malorum, cupiditas, inquam, & ambitio, utraque subtile malum, utraque secretum virus, pestis & monstrum orbis, dum ab iis, quos tanquam vivas & animatas leges sequi oportuerat, virtus ac doctrina, vitium & ignorantia eorum loco summis extolluntur honoribus, effecerunt tandem, ut ædificatio in destructionem, exemplum in scandalum, mos in coruptelam, custodia legum in contemtum, severitas in relaxationem, misericordia in impunitatem, pietas in fucum & hypocrisin, prædicatio in contentionem & rixam, festum in turpissimum mercatum, atque, ut uno verbo dicam, vitæ odor in mortis odorem infelicissime commigraverit &c. Hinc illis* (episcopis) *aliud agentibus & in utramque aurem dormientibus, quos greges pascebant, non pascebantur greges ab eis, nam parvuli petierunt panem, & non erat, qui illis frangeret.* (*) Legatus Alberti, Bavariæ ducis, in eodem concilio sic loquitur: (**) *Cum clerus sal terræ esse debuerit; jam vero infatuatus sit, nec ad eam rem, ad quam maxime oportebat, utilis, magnam in clero culpam hujus mali* (corruptionis ecclesiæ) *versari, omnes sapientes oportet confiteri. In visitatione nuper habita, quanta omnis generis flagitia in moribus cleri comperta sint, quanta socordia & supina negligentia in quibusdam proceribus seu ecclesiarum praelatis aurium pudore, ne manifestentur, prohibemur. Ipsa morum turpitudo efflagitat, ne maneant diutius impunita. Atque haec si quis vellet sigillatim, prout per sese res ipsa habet, atque explorate constat, enarrare, castis piisque reverendissimorum patrum auribus omnino fieret molestum, aliis vero qui minus firmati sunt, ingens periculosumque offendiculum praeberetur &c.* Et postea: *Clerus noster gulae libidinibusque indulget, ac quasi velit in contemtum Dei hominumque omni genere vitiorum se coopertum potius palam cognosci, quam minima aliqua in re emendatum animadverti. Vt cetera cleri vitia, quae cum populo communia habet, taceantur, at certe libido illa in clero nimis libera atque notoria, propter quam is nunc potissime infamis est, a plebe irritatoque populo alienissima esse judicatur.* Concludit tandem, *submovendos esse inutiles ac flagitiosos sacerdotes, qui suis moribus turpissimis ecclesiam vehementer deformant, & sua insciitia labefactant non mediocriter.* Cum oratore isto consentit Agrippa de vanit. scient. cap. 64. *Sacerdotes multi sacras virgines stuprant, vitiant viduas, & quod ego scio & vidi, Platonica lege cum popularibus suis fœminas communes prostituunt, & quorum animas debent lucrari, eorum corpora sacrificant diabolo.* (***) Dua-

(*) *Quibus turpitudinum monstris, qua sordium colluvie, qua peste non sunt fœdati, non corrupti in ecclesia Dei populus & sacerdos? In vestro judicio causam repono, patres, & a sanctuario Dei incipite, si ullus jam pudor, si ulla pudicitia, si ulla superat bene vivendi vel spes vel ratio, si non libido effrenata & indomita, si non audacia singularis, si non scelus incredibile? heu quomodo obscuratum est aurum? quomodo mutatus color optimus?* Idem ibidem GERHARDVS.

(**) Oratio Patavii in Italia est impressa. GERHARDVS.

(***) Protestantes apud Sleidanum lib. XI. pag. 303.

Quem-

Duarenus lib. I. de sacr. eccl. minist. c. 4. intrepide pronunciat, *plerosque episcopos nostro tempore a religione & sacris quam quosvis satrapas & principes profanos longe alieniores, nec aliud eis curae esse, quam ut ditiones & possessiones suas, quo jure, quave injuria tueantur.* Albericus a Rosate in lexico in voce Decimæ: *Praelati & clerici violenter & crudeliter extorquent decimas a pauperibus rusticis & cultoribus debitas & indebitas, si possunt, non ut eas distribuant pauperibus, sed ut concubinis & formicariis suis & filiis adulterinis, quod vere Dominus non relinquet inultum, alias mentirentur scripturae divinae.* Orator reipublicæ Venetæ ad Paulum V. de sacerdotibus Venetæ ditionis tale fert elogium: *Vtinam, beatissime pater, nostra haec aetas tales sacerdotes haberet, de quibus merito dici posset:* Nolite tangere christos meos! *nullibi eorum dignitas major, quam apud nos foret. Sed res longe secus se habet, quam pauci enim sunt, qui ordinis, muneris & sacrorum memores, uti deceret, aetatem agunt, quam contra multi, qui non a stupris, non ab adulteriis, non a caedibus, non a veneficiis, non a parricidiis abstineant, aut si quid gravius potest excogitari.* Nicolaus Crassus in antiparænesi ad card. Baronium Patavii anno 1616. edit. p. 70. *His temporibus cupiditas atque aviditas clericorum eo magis excrevit, quo facultatibus & potentiis sunt magis aucti.* (*) Possent hac de re longe plures adduci querelæ ex veteribus & recentioribus, puta Hildegardis prophetissæ, quæ *exstinctae religionis* clerum adcusavit; Roberti Lincolnienſis, qui seculi sui pastores vocavit *desolatores terrae, gregis dominici dispersores, vineae dilaceratores ac depastores;* Marsilii Patavini; Johannis de Rupescissa; Petri de Aliaco, Cassandri; Savanarolæ & aliorum, sed quid opus, hanc camarinam ulterius movere?

§. CCLXVI. Monachos ac moniales ab ordinum suorum regulis, maxime vero a pietatis regula a Christo præscripta longissime recessisse ipsimet pontificii conqueruntur. Johan. Gerson in tract. cui tit. declaratio defect. eccles. scribit, *claustra monialium esse prostibula meretricum.* In libro cui titulus: *onus ecclesiae*, sic legitur: *Sunt nonnulla monialium monasteria adeo propatula, ut ipsa loca Veneris prostibulo sint similiora, quam Dei sacrario, hinc procacitas, stuprum, incestus mulierum sacrarum, hinc quoque verenda scandala & offendicula oriuntur* *Monachorum sanctitas.*

*Quemadmodum malis artibus & inhonestis rationibus per vim atque dolum ad ejusmodi praefecturas perveniant, quam turpem vitam agant, quam illaudatis exemplis praeluceant, quam nihil sui muneris faciant, quomodo sua fide commissos homines negligant, & in omni vitae nequitia bacchentur, id vulgo sic notum est atque testatum, ut explicatione prolixiori non sit opus.* Antonius de Rosellis in monarch. part. III. cap. 25. *Notorium esse quiritatur, quod in nonnullis partibus clerici incedunt in habitu saeculari, magis conveniente satrapis & militibus, quam personis regularibus, & intendunt venationibus & aucupationibus magis quam officiis divinis, unde si non reformentur, dissoloratur status universalis ecclesiae.* Alexander, qui sub Wilhelmo imperatore Romano XXVIII. sedi apostolicæ præfuit apud Aventinum Bavaros episcopos & clericos sic adloquitur: *Vos corruptela & communis pernicies religionis christianae estis; populus vestri non dissimilis vitia vestra aemulatur. Licentia deteriores facti estis, copia rerum vos corrupit, per vos nomen Dei male audit, devoratis pauperes, exeditis & occiditis.* GERHARDVS.

(*) Erasmus in adnot. 1. Petri V. *Nunc episcoporum vulgus nihil aliud audit ab adsentatoribus doctis nisi dominia, ditiones, gladios, claves, potestates, atque hinc fastus quorumdam plusquam regius, saevitia plusquam tyrannica.* Fornerus contra jubil. conc. Norinb. p. 64. *Esto, non eo inficias, non abnuo, ut olim ita & nunc, non tamen in tanta copia vitia ac scandala vigere in clero nostro pontificio.* Salmeronius tom. IX. tract. 9. p. 57. *Modo in pluribus sacerdotibus & religiosis, qui de patrimonio crucifixi vivunt, illud propheticum impletur. Saturavi eos, & maechati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur;* Jerem. V. De fratre Cornelio monacho refert Meteranus part. II. hist. Belg. lib. VIII. p. 385. quod anno Christi 1578. *Brugis formosissimis virginibus & mulieribus pro concione persuaserit, ut se toto corpore nudatas ab isto hirco ferula lenissime percuti paterentur, quod & multae fecerunt, quibus ipse persuasit, quod in hac spontanea nuditate corporis tanquam humilitatis signo bona poenitentiae pars consisteret.* Simile exemplum ex Paulo Grillando recitat Joh. Wierus lib. III. de praestig. daemon. cap. 7. p. 288. GERHARDVS.

*tur quam plurima.* (*) Petrus de Aliaco in lib de reform. ecclesiæ: *Monachi suis immunditiis ecclesiam commacularunt.* Brigitta in revel. fratres illos *gentem pomposam, vanam, superbam* vocat. Erasmus in enchir. mil. christ. p. 31. *Videmus passim monasteria ad mores plus quam profanos degenerasse. Olim secessus erat vita monachorum, nunc illi vocantur monachi, qui toti in meditullio mundanorum negotiorum versantur, plane tyrannidem quamdam in rebus humanis exercentes. Et tamen ii ob cultum, ob titulum, nescio quem, tantum arrogant sanctimoniae sibi, ut ceteros prae se non habeant pro christianis.* Idem in meth. theol. p. 189. *Non aliter sunt extra mundum, quam reues extra corpus animantis* Pag. 139. *Ipsis mundi visceribus immixti monachos se vocant, & regium luxum adfectantes mendicitatem praetexunt.* De hoc monachorum luxu exstat proverbium Friderici imperatoris:

*Vise monasterium, si vis cognoscere luxum.*

Hermannus in chronico, quod inscribitur: *flores temporum*, de cœnobio Eresthein sic scribit: *Proh dolor, tanta moderno tempore in eodem cœnobio facta est mutatio non dextrae excelsi, sed potius sinistrae diaboli maledicti, in tantum quod potius dici possit prostibulum lasciviae carnalis quam monasterium continentiae regularis.* Idem: *Falluntur nostrae aetatis militares & ordinis equestris viri, existimantes cœnobia esse filiorum suorum xenodochia &c. taceo de collegiis, pro fœmineo sexu institutis. Vtinam sexus ille Deo dicatus, qui de Christi patrimonio delicate pascitur, se ipsum non aliquando de stupro & adulterio prolisque partu suspectum redderet atque infamem. Vtinam non herbis, non quarundam incisione venarum, non luridis potionibus, non lotionibus pedum exquisitis vel abortum procuraret, vel fœtum praefocaret &c.* (**) Joh. Keisersbergius Argent. concionator propter corruptissimum monastices statum animo in monachos erat valde infenso, ideo eos, qui *nigrae camisiae ordinem adsumserant*, adpellabat *diabolos*, qui vero *album induerant cucullum*, hos *diaboli matrem* esse dicebat, qui *medii coloris erant, & cinericia toga incedebant, istos progeniem illorum superiorum ac soboleni esse* dicebat.

§. CCLXVII. De Jesuitarum sanctitate videatur catechismus jesuiticus, cujus autor catholicum se vocat. Ex cœcæ, quam generali suo vovent, obedientiæ fonte profluunt innumera illa peccata, quod scilicet credunt se recte facere, cum coram magistratu promovendæ suæ religionis causa mentiuntur, mendaciumque juramento confirmant, hinc tot fraudes & impostura, tot perjuria & mendacia, tot insidiæ ac cædes regum ac principum, tot ἀλλοτριεπισκοπαὶ, quæ omnia pallio *cœcae obedientiae* se tegere posse fortiter persuasum habent, ut objicit illis autor dicti libri II. cap. 17. a quo, uti etiam ab aliis rei peraguntur: 1.) *Jactantiae*, quod se præ reliquis *Jesu socios* adpellent. Ludolphus Carthusiensis de vita Christi cap. 10. ex

*Jesuitarum sanctitas.*

(*) Cassander in consult. art. XXV. p. 236. *Quam longe monachatus hodie a prima sua origine degeneraverit, & quantis abusibus contaminatus & deformatus sit, satis per se est manifestum, nam paulatim religio vera & solida in superstitionem & inanem speciem religionis conversa est, & adcrescentibus opibus decrevit pietas, & in ejus locum larvae ceremoniarum successerunt, in quibus, verae pietatis operibus pene neglectis, summa totius religionis constituta est, quarum ceremoniarum inanis observatio usque adeo veram apud plerosque monachos religionem imminuit & obscuravit, ut mirum non sit, si cujusmodi nunc fere est vita monastica, multorum odio & reprehensioni exponatur.* Gerhard.

(**) Petrus Ferrariensis in forma libelli, quo agitur ex subsitit. § ex suo corpore; *Imperatores concesserunt privilegium, ut bona ingredientium monasteria adplicarentur ipsis monasteriis, propter quod privilegium multiplicata sunt & fundata monasteria infinita per universum orbem, olim causa devotionis, licet hodie causa rapinae & avaritiae, in tantum quod destruxerunt hodie mundum, & adnihilarunt statum imperii & omnium laicorum.* Erasmus in chiliad. p. 540. *Sunt, atque utinam non tam passim obvii sint, quos, si quis e barbae sylva, pallore, cucullo, inflexis cervicibus, cingulo, supercilio, vultusque truculentia velit aestimare, Serapiones ac Paulos esse dicat: sin explices, meros*

ex Augustino: *Nomen Jesus est nomen proprium, nomen Christus est nomen commune & sacramenti.* Item; *nomen Christus est nomen gratiae, sed nomen Jesus est nomen gloriae. Sicut enim hic per gratiam baptismalem a Christo dicimur christiani, sic in cœlesti gloria ab ipso Jesu dicemur Jesuitae, id est, salvati.* Quando igitur hoc nomen Christo proprium Jesuitæ sibi solis vindicant, quid aliud quam cordis sui fastum & jactantiam exprimunt, inde Eustochius Bellajus, episcopus Parisiensis, in sua de Jesuitis censura, *nomen Jesuitarum ut arrogantiae plenum improbat*, quippe cum ita solis sibi tribuant, quod ecclesiæ catholicæ competit, quæ proprie fidelium congregatio dici potest, cujus caput est Christus, illi vero cum hoc nomen solis sibi sumunt, & hoc dicere videntur, solos se ecclesiam constituere. Jacobus Sylvanus in sua Philippica Jesuitas vocat *fidei Romanae* principes. In præfat. sicæ tragicæ Francisci Costeri jactitant, *se catholicis esse instar scuti*, sed autor catechismi jesuitici contrarium nititur probare, quod scilicet malis suis artibus regno papali plus obfuerint, quam profuerint, cujus controversiæ decisionem ipsis pontificiis relinquimus. Benedictus Arias Montanus in bibliis Antverpiensibus de hac Jesuitarum jactantia itidem conqueritur: *Qui* (inquit) *cum sibi soli sapere, soli bene vivere, Jesumque propius insequi & comitari videntur, atque id palam professi jactitant, me, qui minimum atque adeo inutilem Jesu Christi discipulum ago, odio habuerunt gratis. Atque hi, quod neminem, qui alias bene audiatur, improbare audent, aliorum, quos ad eam rem occulte inducere possint, ingeniis & nominibus abutuntur.* 2.) *Hypocriseos*, de qua Jacobus Augustus Thuanus sic canit:

*Hesperiae fuscis gens emissaria aboris,*
*Fucum affectata quae pietate tegis &c.*

Hieron. Vendramus, theologus Venetus, in disquisitionibus inter Paulum V. & rempublicam Venetam c. 1. p. 13. *Nihil dico de his,* (Jesuitis) *qui personatas facies habent, ac vestibus ovium amicti lupinos mores ac naturam occul-*

*meros invenies balatrones, beluones, planos, gaeones, imo prædones ac tyrannos, sed alia via & haud scio, an hoc pestilentiore, quo rectiore, &c.*

Palingenius in Leon. lib. X.

*Sed tua præcipue non intret limina quisquam*
*Frater vel monachus, vel quavis lege sacerdos.*
*Hos fuge; pestis enim nulla hac immanior, hi sunt*
*Fex hominum, fons stultitiæ, sentina malorum,*
*Agnorum sub pelle lupi mercede colentes*
*Non pietate Deum falsa sub imagine recti,*
*Decipiunt stolidos ac religionis in umbra,*
*Mille actus vetitos & mille piacula condunt.*
*Raptores, mœchi ac puerorum corruptores,*
*Luxuriæ atque gulæ famuli. — —*

Æneas Sylvius, postea Pius II. dictus:

*Non audet stygius Pluto tentare, quod audet*
*Effrenis monachus, plenaque fraudis anus.*

Buchananus ad Antonium pag. 49.

*Diceris, Antoni, porcos pavisse fabulcus*
*Vivus, adhuc monachos lumine cassus alis.*
*Par stupor ingenii est, ventrisque abdomen utrisque,*
*Sorde pari gaudent ingluvieque pari.*

*Nec minus hoc mutum pecus est brutumque suillo,*
*Nec minus insipidum, nec minus illepidum.*
*Cætera conveniunt, sed non levis error in uno est*
*Debuit & monachis glans cibus esse tuis.*

Palingenius

*Prob pudor, hos tolerare potest ecclesia porcos,*
*Duntaxat ventri, Veneri, somnoque vacantes.*

Nicolaus de Clemangiis de corrupt. eccl. statu: *Si quis hodie desidiosus est, si quis a labore abhorrens, si quis in otio luxuriari volens, ad sacerdotium convolat &c.* Vide supra Bernhardum in epist. ad Guilielm. abbat. *Fercula ferculis adponuntur, & pro solis carnibus, a quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur.* Giraldus Cambrensis in specul. lib. II. cap. 3. refert, *monachos Vintonienses graviter fuisse conquestos, quod ex tredecim ferculis, quæ singulis prandiis & cœnis adponebantur, tria illis demta essent;* & addit, *monachos vix sedecim ferculis fuisse contentos.* Martinus Peresius de traditionibus part. III. p. 244. *Monachi jejunare se putant, quando cibos in tanta quantitate sumunt, ut vel Miloni olim pro tribus diebus possint sufficere.* GERHARDVS,

*cultant.* 3.) *Fraudum & perjuriorum.* Campianus in epistola ad generalem societatis ex Anglia scripta & Treveris anno 1583. typis evulgata pag. 24. *Habitu dementissimo sum, quem saepe commuto, itemque nomina.* Ibidem pag. 86. *Catholicorum in Anglia conditio gravissima, animis nihil liberum, nihil integrum relinquitur, non vox, non religio, loquendum tibi cum aliis, adfirmandum juramento, quod ceteri adfirmant, etiamsi animo longe aliter opineris, etiamsi conscientia contrarium plane senseris.* Alexander Hajus de sui ordinis sociis dixit: *Jesuita est omnis homo.* Henricus Garnetus Jesuitarum provincialis in Anglia vocavit se, ut ex impresso Anglico processu adparet, modo *Walleus*, modo *Darcus*, modo *Robert Farner*, modo *Philippes*, unde advocatus regius in processu dixit, *Garnetum Jesuitam esse virum multorum nominum, sed non boni nominis.* Creswellus in resp. ad edictum Elizabethae, reginae Angliae, ad praefat. num. 2. pag. 6. *Sacerdotes catholici ex seminario Hispanico Vallisoletti emissi apostolico quidem more, sed habitu, prout opus erat, vario ac dissimulato Angliam fuerant subingressi, & insciа regina exploratorum manus praeterlapsi ad opus jam per regni intima erant divisi.* Vide plura superius §. CCLX. in peccatis contra secundum praeceptum num. 3. & in Lysandro jesuitico Eliae Ehingeri. Memorabile exemplum istarum fraudum jesuiticarum in Moscovia superioribus annis notari potuit, quod cives Veneti in resp. ad paraenesin Baronii pag. 5. hisce verbis commemorant: *Ne Sauromatas quidem & glaciali oceano conterminos Scythas nostri* (Jesuitarum) *latuere doli, cum renovato Persicorum magorum exemplo, Demetrium quemdam tanquam interpolatum Smerdem in Moscorum theatrum mangonio nostro produximus, sed non satis poliorcetica helepoli instructum ac prius ex proscenio explosum, quam Dianae nostrae simulacrum Διοπετὲς erigere & cerussa ac purpurisso Romuleo pingere, Sotericisque calamistris inurere licuerit. Nimirum ut Simonides olim stupidiores esse Thessalos dictabat, quam ut carminum suorum illecebris capi possent, sic rupices illos & petrones Moscos feriores esse expertus est ille Δήμητρος sive terrae filius, quam ut Romanarum Sirenum cantu ac pellacia mitescerent. Ergo vix degustato imperio illo, dum adhuc promulsidem ligurit, funestae ac plusquam tragicae pompae ferculum adparavit Scythis, barbaro sarcasmo accinentibus:*

*En agros & quam technis Jesuita petisti,*
*Moscoviam metire jacens, haec praemia, qui me*
*Fraude ausi tentare, ferunt, haec sceptra reportant,*

4.) *Luxuriei* ac libidinum, quae occasionem dederunt epigrammatis illis ex his vocabulis *sectae Jesuitarum* exstructis, in jesuitico catechismo propositis:

TUTE MARES VITIAS, *non scortum, non tibi conjux.*
*Dic Jesuita mihi, qui pater esse queas.*

Et vicissim:

TU MATRES VITIAS *torosque sacros,*
*Amistes pie, virginesque sacras;*
*Hoc, qui martyrio fidem propagat,*
*Hoc qui consilio propagat orbem,*
*Is vere est pater & pater beatus.*
*O tuam veneror beatitatem,*
*Amplectorque piam paternitatem,*
*Jesuita patrum pater supreme!*

Simon Steinius in resp. ad Gretserum scribit, *nusquam alibi quam in iis regionibus, in quibus florent res Jesuitarum, plus reperiri libidinum, impuritatis, profanitatis, superstitionis, blasphemiae, hypocriseos &c.* (*) 5.) Parricidiorum in reges ac principes, ut ex theoria & praxi constat. Anno 1614. d. 22. Junii senatus Parisiensis per carnificem publice Parisiis exuri curavit librum *Francisci Suarez Jesuitae,*

(*) De doctore Melchiore Stoer & doctore Friderico Sommermann refert Hasenmullerus in hist. Jesuit. p. 134. quod *alter eorum abbatissam impense amaverit, alter vero monialem daemonem exire jubendo ipse inierit, & loco satanae infantulum substituerit.* De patre Wilhelmo Postello nobilis Stephanus Pasquier consiliarius & advocatus regis Galliarum in discursu suo de secta Jesuitarum f. 64. scribit, quod *mulier factus fuerit, & monstrum meretricum in lucem pepererit.* GERHARDUS.

*ſuitae*, cujus titulus: *Defenſio fidei catholicae adverſus Anglicanae ſectae errores*, (*) in quo publice docebat, *reges & principes, qui aliam quam Romanam tolerarent religionem, non ſolum ab externo, verum etiam a proprio ſubdito impune perimi poſſe.* Eandem ſortem ibidem expertus eſt liber Martini Becani, Jeſuitae, ejusdem cum priore argumenti. Mariana in libro de rege & regis inſtitutione edito anno 1605. lib. I. cap. 6. 7. & 8. pag. 58. & ſeqq. docet, *jus fasque eſſe ſubditis, reges, principesve, quibus viri graves & eruditi* (utique Jeſuitae) *haereſeos crimen impegerint, quacunque ratione e medio tollere;* præſcribit etiam, *quomodo venenum conficiendum ſit, quomodo veſtibus, chirotheciſ, gladiorum capulis, aut etiam ephippiis illinendum, ut non minus praeſens praecepsque exitium ſequatur, quam ſi ferro urgerentur.* Pag. 60. poſt recitatum factum Jacobi Clementis, qui Henricum III. Galliae regem voluit e medio tollere, ſubjungit: *Praeclare cum rebus humanis ageretur, ſi multi homines tam forti pectore invenirentur, pro libertate patriae vitae contemtores & ſalutis.* Pag. 74. *Si hujusmodi* (ſicarii) *poſt deſignatum facinus evaſerint, inſtar heroum in omni vita ſuſpiciuntur. Si ſecus accidat, grata ſuperis, grata hominibus hoſtia cadunt, nobili conatu ad omnem poſteritatis memoriam illuſtrati.* Magiſter provincialis huic Marianae operi ſic praefatur: *Si ad hanc praeſcriptam formam actiones & conſilia referantur, nae magnum atque incredibile operae pretium exſiſtet.*

*Scilicet his armis, hoc denique milite Chriſti*
*Res agitur!* - - - -

Creſwellus in reſp. ad edict. reginae Angl. ſect. II. n. 162. p. 153. *Certe non tantum licet, ſed etiam ſumma juris divini neceſſitate ac praecepto, imo etiam conſcientiae vinculo arctiſſimo & extremo animarum ſuarum periculo ac diſcrimine chriſtianis omnibus hoc incumbit, ob haereſis manifeſtum crimen principes deturbare, vel obſiſtere, ne admittantur, ſi praeſtare poſſunt.* Num. 157. pag. 149. *Univerſa theologorum ſchola tenet, & eſt certum ac de fide, quemcunque principem chriſtianum, ſi a catholica Romana religione manifeſte deflexerit, & alios avocare voluerit, excidere ſtatim omni poteſtate & dignitate, ex ipſa vi juris divini & humani, hocque & ante omnem ſententiam pontificis ac judicis contra ipſum prolatam & ſubditos quoscunque liberos eſſe ab omni obligatione juramenti, quod de obedientia praeſtitiſſent, poſſeque & debere hujusmodi hominem tanquam apoſtatam & haereticum ex dominatu ejicere, ne alios inficiat.* Ceterum quod verbis docent, id etiam in praxi demonſtrarunt. De monacho illo Jacobo Clemente, qui Henrico III. Galliae regi inſidias vitae ſic ſtruxit, (**) ſic memorant annales Gallici in linguam Germanicam



(*) Hicce Suarezii liber Mogunt. MDCXIX. in fol. prodiit. Adjecta eidem eſt *reſponſio ad Jacobi regis apologiam pro juramento fidelitatis.* Refutavit vero Suarezium Robertvs Abbot, epiſcopus Salisburienſis in Anglia, qui cautam proteſtantium in libro *de poteſtate regia* maſcule defendit.

(**) Conſtat ex hiſtoriarum monumentis, Clementem iſtum, cujus ſupra mentionem facit Gerhardvs, dominicani ordinis fuiſſe monachum ac venenato cultro ancipite, imum in ventrem intra ilia adacto, Henricvm III. Galliae regem interfeciſſe. Vberius factum hocce prorſus deteſtandum ediſſerit Jac. Avgvst. Thvanvs *hiſtor. ſui temporis libr. XCVI.* ad *an. 1589. p. 696. ſeqq.* edit. Francof. Add. Baelivm in *diction. hiſt. & crit. tom. II.* voc. *Henri III. p. 735. ſeqq. not.* (r) edit. Amſtelod. quae ann. MDCCXXX. prodiit. Vt alios taceamus. Hoc unicum adhuc notamus, Sixtvm V. eccleſiae Romanae tum temporis praeſulem, poſtquam fama de regis morte Romam pervenit, „in conſiſtorio III. Id. Sept. „habito praemeditatam orationem habuiſſe, qua factum „ Clementis operi adſumtae a domino carnis & reſurrectionis ejusdem myſterio ab Habacuco vate praedicato, propter magnitudinem & rei admirationem, „comparat, tum virtutem hominis, animi robur & „ferventem erga Deum amorem ſupra *Eleazarum* & *Judithan* multis verbis extollit, ex eoque colligit, hoc niſi certa divinae providentiae ordinatione „ac auxilio confici non potuiſſe; neque vero ipſum „creditum fuiſſe, niſi fidem ad obſequium fidei „flexiſſet, qui ratione omnem fidem ſuperante civitatem pariſienſem liberaſſet, & graviſſima regis „peccata puniviſſet, eumque tam inſuſta morte „e medio ſuſtuliſſet; „ prout laudatiſſimus Thvanvs *loc. cit.* obſervat, cujus verbis heic uſi ſumus. Conf. Heidbeggervm in *hiſtoria papatus* §. *CCI. p. 275. ſeqq.*

manicam translati Mumpelgart. part. II. p. 349. *Saepius conversabatur cum Jesuitis, qui peculiarem locum in paradiso ipsi pollicebantur, si forsan propter hoc facinus martyrio coronaretur.* Autor de jure belli Belg. testatur, quod *Jesuitae Clementem illum minime omnium clementem regicidam, alterum Aod regis Moabitici interfectorem nominarint, ac horribile illud scelus speciosо titulo ictum de cœlo datum* appellarint. Homicida ipse & latro regii capitis in numerum sanctorum relatus, illius adfines & propinqui e pulvere & sordibus educti ad honores cardinalitios provecti sunt. Johanni Castellano, qui Henrici IV. regis Galliæ vitæ insidias struxerat, (*) in locum ædium paternarum destructarum anno 1597. piramis erecta est, in qua hæc habentur, quod *malis magistris & schola impia Sotericum* usus. In aresto curiæ Parisiensis contra eumdem Castellanum, Jesuitæ vocantur *corruptores juventutis, publicae tranquillitatis perturbatores, regis & regni hostes.* Wolffius in lect. memorabil. cent. XVI. anno 1597. p. 1048. ex scripto quodam Germanico de occultis Jesuitarum virtutibus commemorat, quod *Philippum regem Hispaniarum eo compulerint, ut suum tunc unicum superstitem filium, qui super Belgio propter saevissimam in eo exercitam tyrannidem singulari commiseratione ducebatur, & intime condolebat, interfici pateretur. Cumque regia ejus majestas ex paterno, innato & radicitus inhaerente amoris adfectu super filio suo neci tradendo ingenti dolore ac maerore conficeretur, judicium inde fecerunt, ipsum quoque patrem Lutheranae, ut vocant, haereseos contagio infectum esse, regemque eo pertraxerunt, ut venam sibi in fronte incidi pateretur, quo haereticus ille sanguis hoc modo e regia ejus majestate exsorberetur, nec amplius adflueret & adaugeretur. Eodem modo in Maximilianum Romanum regem laudatissimi imperatoris Ferdinandi filium constituerant. Procul dubio enim adhuc in caesareae majestatis aula manifestum & cognitum est, quod post discessum ex hac vita caesariae quondam majestatis honorificentissimae memoriae Ferdinandi ejusdem carissimus filius, haeres & electus Romanus imperator, Maximilianus in sui domini parentis beatissimae memoriae relictis secretioribus literis & monumentis epistolam invenerit, a quodam Jesuita Petro Canisio ad suum dominum parentem datam, in qua inter alia & haec referuntur, se* (Canisium) *certo exploratum habere, Maximilianum filium Lutheranis vel Augustanis confessoribus se addicere constituisse. Quoniam igitur hoc modo catholica Romana ecclesia* (quam vocat) *in periculum & magnum detrimentum incidere possit, suum esse consilium, ut caesarea majestas mature imminenti huic malo remedium paret, & vel filium severiter in melius emendet, vel omnino e regni finibus in exsilium propulset. Haec modo memorata epistola a caesare Maximiliano praedicto Jesuitae praemonstrata fuit, is ad propriae manus subscriptionem dignoscendam serio commonefactus est, postea praemissa quaestione, quid is, qui inter patrem & filium, praesertim tantae dignitatis personas, tanta dissidia suscitet, commeruerit, eidem praelecta.* Turco-papismus lib. I. c. 8. p. 59. enumerat complures sicarios, qui a Jesuitis subornati ac persuasi reginæ Angliæ Elizabethæ vitæ insidias struxerint. Vide plura hujusmodi exempla in centenariis Wolffii & in catechismo jesuitico. 6.) *Avaritiae.* Johannes Passeratius in præfatione libri de ridiculis scribit, *vix quemquam sibi illud persuadere posse, quod Jesuitae gratis doceant, qui eos bene noverit. Testes* (inquit) *honestissimae amplissimaeque familiae, quarum sanguinem pro exiguo minervali istae hirudines exsorbuerint.*

(*) Ceperat quidem JOANNES iste CASTELLVS, in Jesuitarum schola litteris imbutus, consilium regis interficiendi. Verum aberrante, quem in gulam direxerat, ictu, cultet in maxillam inferiorem incubuit, & dente duntaxat rupto, nec ultra penetrans, abtorpuit. Vid. TVRTVS HEIDEGGERVM *loc. cit.* §. CCV. p. 281. CASTELLO adjungere potuisset GERHARDVS hor. tribilem illum parricidam RAVAILLAEVM, qui die IV. Maji ann. MDCX. regem HENRICVM IV. in curru sedentem ictu gemino sub quintam costam illato, tandem nefarie interfecit, atque ad committendum hocce parricidium, ut nonnulli contendunt, per Jesuitarum hypotheses, *licitum esse regem suum tyrannum occidere*, fuit inductus.

*rint. Testis immanis eorum census, qui cum regum ac principum opibus certare possit.* Ibidem paulo ante vocat illos *harpyias*, & addit: *Meminisse debemus, quonam pacto profugi homines, nec minus vagi, quam Scythae, nova gratuitae doctrinae professione vulgo commendati huc irrepserint & ἀέκητι θεῶν in academiae* (Parisiensis) *parte consederint, quibus artibus inhiantes locupletum fortunis divites orbos vel cœlibes deliros senes, superstitiosas mulierculas & adolescentes imperitos deceperint, & velut Circaeo poculo repente immutarint, ut religionis specie, quam inexplebili avaritiae suisque fraudibus obtendunt, equum Trojanum paulatim introduxerint &c.* Vovent quidem paupertatem cum reliquis monachis, sed hac conditione, ut quamdiu maneant in voto simplice, quod vocant, divitias hujus mundi possidere & hæreditate adquirere possint in linea directa & collaterali, unde votum hoc a Navarro juris canonici interprete nominatur *magnum & mirabile*, quippe quod divitias & paupertatem in unum subjectum compingere possit, qua de re disserit Montaignes in defens. verit. contra Anton. Arnold. cap. 5. Atque inde est, quod sorbona Parisiensis in censura de diplomatibus & privilegiis a Paulo III. & Julio III. pontificibus huic ordini concessis anno 1554. durum contra illos profert judicium, inter cetera enim sic loquuntur: *Haec nova societas insolitam nominis Jesu adpellationem sibi vindicans tam licenter & sine delectu quaslibet personas, quantumlibet facinorosas, illegitimas & infames admittens, nullam a sacerdotibus secularibus habens differentiam in habitu exteriore, in tonsura, in horis canonicis privatim dicendis aut publice in templo decantandis, in claustris & silentio, in delectu ciborum & dierum, in jejuniis & aliis variis ceremoniis, quibus status religionum distinguuntur & conservantur, tam multis tamque variis privilegiis, indultis & libertatibus donata, praesertim in administratione sacramenti pœnitentiae & eucharistiae, idque sine discrimine locorum aut personarum, in officio etiam praedicandi, legendi & docendi, in praejudicium ordinariorum & hierarchiae ordinis, in praejudicium quoque aliarum religionum, imo etiam principum & dominorum temporalium, contra privilegia universitatum, denique in magnum populi gravamen, religionis monasticae honestatem violare videtur, studiosum, pium & necessarium virtutum, abstinentiarum & austeritatis enervat exercitium, imo occasionem dat libere apostatandi ab aliis religionibus, debitam ordinariis subjectionem & obedientiam subtrahit, dominos tam temporales quam ecclesiasticos suis juribus injuste privat, perturbationem in utraque politia, multas in populo querelas, multas lites, dissidia, contentiones, aemulationes, rebelliones, variaque schismata inducit. Itaque his omnibus atque aliis diligenter examinatis & perpensis haec societas videtur in negotio fidei periculosa, pacis ecclesiae perturbativa, monasticae religionis eversiva, & magis ad destructionem quam ad aedificationem &c.*

*Sanctitas pontificiæ plebis.*

§. CCLXVIII. Quod ad promiscuum vulgus in regno papali adtinet, illud cum a scripturæ sacræ lectione arceatur, in concionibus vero, quæ plerisque in locis rarissimæ habentur, fabulas, superstitiones & traditiones loco verbi cœlestis audiat, inde mirum non est, pro pietate superstitionem, pro notitia veri Dei crassam ignorantiam, pro vero Dei cultu ἐθελοθρησκείας ubique dominari. Episcopus Bipontinus in oratione coram Tridentini concilii patribus habita inter cœtera sic loquitur: *Quibus turpitudinum monstris, qua sordium colluvie, qua peste non sunt fœdati, non corrupti in ecclesia Dei sancta & populus & sacerdos? &c. Quid mirum, si inde* (propter negligentiam & impietatem pastorum) *& dispersae sunt oves, & errarunt in cunctis montibus & agris, & potentiores quidem ab autoritate in dominium, a dominio in tyrannidem, a jure in injuriam, a sceptro in virgam ferream, a Dei cultu ad impietatem, a tutela ecclesiae ad internecionem, a modo ad libidinem, a ratione ad nutum, a tributis ad impor-*

*tabilia onera, a pace ad bella crudelia, a simplicitate ad dolos, a prudentia ad malitiam, a liberalitate ad luxum, a parsimonia ad avaritiam, ab ornatu ad pompam, ab obedientia ad apertam rebellionem conversa sunt? Vtinam non a religione ad superstitionem, a fide ad infidelitatem, a Christo ad antichristum, quin a Deo ad Epicurum vel ad Pythagoram velut prorsus inanimes declinassent, dicentes in corde impio & in ore impudico: Non est Deus &c.*(*) Claudius Espencæus in comm. 1. Timoth. pag. 374. ex Bernhardo hanc repetit querelam: *Vae, vae generationi huic? totum corpus ecclesiae laborat, quo latius eo desperatius serpit hodie putida tabes hypocriseos per totum corpus ecclesiae; nunc impletur illud Esaiae: Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Franciscus Lambertus in præfat. libri de conjugio: *Ego in inclyta Galliarum Avenione natus & in palatio ejus saepe versatus, quod genitor meus legationis ejus, quae apud eamdem civitatem est & palatii, ut vocant, apostolici secretarius esset, novi sanctitatem regni ejus, id est, impietates & horrendissima simul atque nefandissima scelera, tametsi ab eorum multitudine fateor victum, quod tam multa atque enormia sint, ut vix unquam ea recitare possim.* Forte vero major sanctitas in Italia ob vicinam Romani præsulis sedem? imo vero contrarium testatur Machiavellus lib. I. comment. cap. 17. *Quamquam* (inquit) *Italia omnium christiani nominis provinciarum ecclesiae Romanae maxime finitima sit, nulla tamen est, quae minus religionis habeat, quoniam sanctissima illa Romana curia perpetuas ibi factiones & discordias serit.* Bodinus de dæmonoman. refert: *Trescalem insignem magum sibi dixisse, in uno quodam regno ecclesiae Romanae addicto esse supra centum millia magorum.* Sed quid camarinam hanc diutius movemus? dies Domini revelabit quanta flagitia, quantasve impuritates vel unica illa lex papalis de perpetuo cœlibatu a sacerdotibus, monachis & monialibus servando in ecclesiam Romanam introduxerit.

*An vitae sanctitas sit in evangelicis ecclesiis?*

§. CCLXIX. Membrum *tertium*: Num vitæ sanctitas a doctoribus & auditoribus in ecclesiis evangelicis exsulet? Bellarminus illud demonstraturus & Lutherum & Lutheranos acriter perstringit. De Luthero scribit, 1) quod *ex mera invidia & ambitione papatum oppugnare caperit, aegre enim ipsum tulisse, quod munus promulgandarum indulgentiarum a sui ordinis monachis ad monachos ordinis praedicatorum fuerit translatum*, cujus rei testem citat *Cochlaeum in actis Lutheri.* (**) Resp. (***) mendacem Cochlæum redarguit Guicciardinus in hist. sic scribens: *Luthero occasionem dederunt indulgentiae nimis licenter concessae a pontificibus, quae quia pecuniae tantum a mortalibus exigendae gratia concedi notum erat, magnam turbam excitarunt,*

(*) Bellarminus in conc. de lumine fidei, de catholicorum tum laicorum tum sacerdotum impietate tempore Lutheri passim grassante sic conqueritur: *Erant mores hominum christianorum magna ex parte corruptissimi, sacramenta, religio, disciplina ecclesiastica contemnebantur, & regnabant omnia genera vitiorum.* Vid. ibidem plura in hanc sententiam. GERHARDVS.

(**) Erasmus in epist. contra pseudoevang. *Profer mihi, quem istud evangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt se ipsis deteriores. Quis unquam vidit in illorum concionibus quemquam pro suis peccatis fundentem lacrimas, tundentem pectus aut ingemiscentem? circumspice mihi sodalitatem istam evangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot aliis vitiis infames.* Adlegat & laudat Gretserus in comment. de duobus nummis p. 57. Cornelium a Lapide in 2. Pet. II. Bellarminus lib. I. de indulg. cap. 1. *Martinus Lutherus, qui nostro seculo ab indulgentiarum reprehensione principium fecit sectae suae propagandae, ut perspicuum est, ex resolut. de indulg. ex assert. artic. a Leone X. damnatorum, ex initio libri de captiv. Babylon. & ex aliis ejus libellis.* GERH.

(***) Lutherus diligentissime munere suo functus est, tota ipsius vita non in otio fuit consumta, quod fieri solet apud pontificios etiam eos, qui inter religiosos sanctissimi habentur, sed in docendo, praedicando, consolando, in ecclesia pie instituenda & gubernanda aliisque suae vocationis muneribus, id quod historia vitae & opera in publicum edita testantur. GERHARDVS.

*tarunt, & quandoquidem in se ipsis, quae damnari poterant, non correxerunt, qui pontifici adhaerebant, ignem flatu accendebant, & ut homines natura ad vehementia medicamenta adhibenda sunt proni, quod dissimulatione dissolvi potuisset, rigor & minae perdiderunt.* Idem testatur Jac. Augustus Thuanus libro I. hist. anno 1515. *Peccatum* (inquit) *in sacris muneribus dispensandis admissum Leo X. pontifex mox longe graviore cumulavit. Nam cum alioquin ad omnem licentiam sponte sua ferretur, Laurentii Puccii, cardinalis, hominis turbidi, impulsu, ut pecuniam ad immensos sumtus undique corrogaret, missis per omnia christiani orbis regna diplomatis, omnium delictorum expiationem ac vitam aeternam pollicitus est, constituto pretio, quod quisque pro peccati gravitate penderet, in eamque rem per provincias quaestores & aeraria ordinavit, quibus additi praecones, qui tanti beneficii magnitudinem apud populum commendarent, & orationibus artificiose compositis, propositisque palam libellis rei efficaciam immoderate extollerent, quod licentiose nimis a pontificiis ministris passim, atque in Germania praecipue fiebat, ubi qui redimendam pecuniam Romae a pontifice conduxerant, per lustra & popinas quotidie sine pudore in aleae lusum, ususque turpissimos potestatem extrahendi animas functorum ex igne expiatorio profundebant. Tunc exortus Martinus Lutherus Augustinianus Witebergensis in Saxonia theologiam professus, qui refutatis primum, mox damnatis praeconum concionibus eo postremo devenit, ut ipsam pontificis potestatem, quam sibi per illa diplomata arrogabat, in dubium revocaret, ac tandem ad doctrinae examen, quam successu temporis labefactatam dicebat, crescentibus per contentionem animis descenderet.* Hæc Guiciardinus & Thuanus cum Sleidani relatione, adeoque cum historiæ veritate exacte consentientes. Nequaquam igitur invidia vel ambitio Lutheri, sed avaritia pontificis & impudentia Tetzelii primam hisce motibus causam dederunt, is namque indulgentiarum præco & æruscator a suo pontifice constitutus impudentissime prædicabat, *nullum esse tam magnum peccatum, etiamsi quis per impossibile matrem Dei constuprasset, quin per indulgentias solvi possit; animas de purgatorio statim evolare, ubi auditus fuerit sonus pecuniae in cistam conjectae, nolle se de potiore loco in regno cælorum cum Petro optionem inire, cum suis indulgentiis, cum plures ab interitu animas redemerit, quam Petrus evangelii sui praedicatione.* (*) Saniori igitur, quam Bellarminus, judicio scribit Cassander in consult. art. XIV. sub fin. pag. 102. *Adcusandi sunt nostri,* (pontifices) *qui inani titulo inflati, eoque ad dominatum abutentes hominibus non malis huic ecclesiastico ordini detrahendi & ab eo deficiendi occasionem dederunt.* Idem articul. VII. de ecclesia pag. 52. *Non negarim, multos initio pio studio ad acriorem reprehensionem quorumdam manifestorum abusuum impulsos fuisse, & praecipuam causam hujus calamitatis & distractionis ecclesiae illis adsignandam,* (NB.) *qui inani quodam fastu ecclesiasticae potestatis inflati, recte & modeste admonentes superbe & fastidiose contemserunt & repulerunt. Quare nullam ecclesiae firmam pacem sperandam puto, nisi ab iis initium fiat, qui distractionis causam dederunt, hoc est, ut ii, qui ecclesiasticae gubernationi praesunt, de nimio rigore aliquid*

(*) Notari hic illud Augustini lib. III. contra Petilian. c. 10. potest: Inimico detrahenti non credendum. Lutherus Tom. VI. f. 315. a. *Also gehet mirs, wer unter dem Babst kann aus dem Luther den ergesten Rottengeist machen, so die Sonne beschienen hat, der hat es troffen. Widerumb wer mich unter den Rottengeistern kan zweyfeltigen Papisten und ærger weder den Babst machen, der kan nicht fehlen.* Tom. II. Jenens. fol. 149. b. Im Buch wider den Kœnig von Engelland: *Der Schwindel Geist führet ihn, daß er mein Leben straffet, das ich selbst noch nit habe vor heilig ausgegeben.* Vber das 11. cap. Matth. *Es ist alles umbs Wort zu thun, weil sie das nicht können leiden, so hængen sie sich an unser Leben, das können sie kehren wie sie wollen nach ihrem giftigen Herzen.* Tom. IV. Jenens. lat. fol 319. b. *Ich mache mich niehts zu einem Heiligen, auch disputiere ich nichts von meinem Leben, sondern von der Lehre Christi, sagte er, weil ich vor Kayf. Mayt. und Stænden des Reichs zu Wormbs &c.* Tom. I. Jenens. fol. 443. GERH.

*quid remittant, & ecclesiæ paci aliquid concedant, ac multorum piorum votis & monitis obsequentes, manifestos abusus ad regulam divinarum literarum & veteris ecclesiae, a qua desiexerunt, corrigant.* II.) Quod *in disputatione cum Eccio habita Lipsiae anno 1519. exclamaverit: Haec causa nec propter Deum cœpta est, nec propter Deum finietur, teste eodem Cochlaeo in actis.* Resp. hanc calumniam ab Emsero mutuatam Lutherus ipse verbis perspicuis & nervosis diluit in responso ad Emserum anno 1521. tom. I. Jen. germ. f. 404. *Er der Emser hat nun zweymal lassen drücken, lateinisch und deutsch, und sonst hin und her geplaudert, wie ich sol gesagt haben, ich hab das Spiel nicht in Gottes Namen angefangen, es sol auch nicht in Gottes Namen ausgehen. Was solt er thun, wenn er etwas gründlich von mir wüste, wie solt alsdenn seine christliche Liebe, der er sich rühmete gegen mir brennen, so er in dieser giftigen selbsterdachten unverschämpten Lügen so unruhig ist &c.* Postea recitat verborum illorum occasionem & intentionem: *Es ist geschehen zu Leipzig auf dem Schloss in der Canzley, da durch die Eckische Practica gehandelt ward von der Disputation nach seinem Vortheil und meinem Nachtheil, und wir sahen, dass die Ehre ward mehr denn die Warheit gesuchet von dem Widerpart, und ich biss zu der Zeit gehoffet, sie hettens in Gottes Namen, wie ich, angefangen. Da sprach ich mit kläglichen Worten und betrübten Gemüt, das Ding ist nicht in Gottes Namen angefangen, es wird auch nicht in Gottes Namen ausgehen &c.* Tandem concludit: *Also haben meine Wort nicht auf mich, sondern auf Ecken, der die Disputation angefangen, und die Leipzischen Theologen gelautet, welche mir Emser verkehret auf Jüdische Art &c.* fol. 415. ejusdem libri. *Wenn ich gleich so besessen were, da Gott für sey, dass ich noch sagte, ich hette es nicht in Gottes Namen angefangen, was fichtestu darwider, dieweil du ausschreyest, du wollest nur meine Lehre antasten.* Vide ibi plura. (*) Possent huc referri 600. loca, in quibus Lutherus expresse provocat ad Dei mandatum, honorem, protectionem &c. Tom. II. Jen. germ. *wider den falschgenannten Stand der Geistlichen* f. 107. *Ich bin gewis, dass mein Wort und Anfang aus Gott sey, dass meine Lehre nicht mein, sondern Christi ist.* Tom. V. *in der Glossa aufs vermeynete Kayss. Edict.* p. 321. *S. Johannes Hus hat von mir geweissaget, da er aus dem Gefengniss in Böhmerland schrieb, sie werden jezt eine Gans braten, denn Hus heist eine Gans, aber über hundert Jahr werden sie einen Schwanen singen hören, den sollen sie leiden, da sols auch bey bleiben, ob Gott will.* III.) Quod *in epistola ad Argentoratenses dicat, se libenter negaturum fuisse, in eucharistia esse verum Christi corpus, si scripturae non essent tam claraе, quia ea ratione videret se multum papatui posse incommodare.* Resp. arguit hoc reverentiam debitam erga scripturam & odium debitum adversus antichristi regnum. IV.) Quod *in libro contra regem Angliae tanta superbia jactitet se & sua, ut dicat reges, principes, pontifices, &c. non esse dignos, qui solvant suorum calceamentorum corrigiam, & se pro sancto viro haberi velle, velint, nolint homines, se non magni facere mille Cyprianos & mille Augustinos.* Resp. non de sua persona, sed de doctrina loquitur, ac de illius certitudine sese firmissime persuasum esse non ex carnali præsumtione, sed ex fidei παῤῥησίᾳ pronunciat, unde ad unicum Dei verbum provocat, cui omnia omnium patrum scripta omnino subjicienda sunt. Sic enim habent ipsius verba: *Meiner Lehre halben bin ich dem Teuffel, Kayser, König, Fürsten und aller Welt viel, viel, viel zu stoltz, steiff*

(*) Citant multa ex colloquiis mensalibus, sed de his nota ipsius Lutheri judicium part. II. postill. domest. Domin. Jubilate f. 34. b. *In S. Augustini Büchern findet man viele Sprüche, die Fleisch und Blut geredt haben, und ich muss auch von mir bekennen, dass ich viel VWort rede, welche nicht Gottes VWort sind, wenn ich rede ausserhalb dem Predigampt daheim über Tisch oder sonst.* GERH.

*fleiff und hoffertig, aber meines Lebens halben bin ich auch einem jeglichen Kind demütig und unterworffen.* (*) V.) *Quod in libro de missa angulari dicat se a diabolo doctum, quod missa esset res mala, ac rationibus diaboli convictum aboleviſſe missam, ut scilicet ostenderet patrem suum esse eum, qui est rex super omnes filios superbiæ.* Idem repetit Becanus lib. III. de eccleſia quæſt. 3. concl. 11. num. 129. *Lutherus* (inquit) *a diabolo accepit suam doctrinam de abroganda missa.* Reſp. videatur hac de re ſcriptum Balduini, amici noſtri ſingularis, contra Jeſuitam Serarium de Lutheri magiſtro editum, in quo hæc διαβολὴ penitus obteritur atque contunditur. (**) Lutherus nequaquam hoc ſine diſputationem illam cum diabolo habitam conſignavit, ac ſi diabolum in abrogatione miſſæ privatæ præceptorem agnoſceret, ſiquidem jam ante ex verbo Dei cognoverat, quid in miſſa privata cum Chriſti inſtitutione pugnet; ſed ut ſuo exemplo comprobatum daret, quam lubrico nitantur papales illæ rationes fundamento, & quàm omnino non poſſit illis mens chriſtiana in tentationibus adquieſcere, quas pro ſtabilienda miſſa privata in medium adferre ſolent. Hunc eſſe ſcopum illius narrationis, integer contextus docet. Ecquid igitur in Luthero ob iſtam narrationem damnant? Num colloquium cum diabolo? atqui pontifices quidam non ſolùm cum diabolo colloquium inſtituerunt, quod in ſe ac per ſe damnari nequit, ſed etiam pactum cum illo inierunt, quod eſt plane damnabile. (***) Chriſtus ipſe in ſuis tentationibus cum diabolo collocutus eſt Matth. IV, 4. 7. 10. Num illud damnant, quod Lutherus diabolo mendaci fidem habuit? Atqui licet diabolus ſit mendax & *pater mendacii*, tamen quædam vera profert, ut quando Chriſtum vocat *filium altiſſimi;* Luc. 8. 28. ſic quando diabolus ad deſperationem homines ſolicitare conatur, objicit eis illud, quod eſt certiſſimæ veritatis, videlicet quod ſint peccatores, ac ſuis peccatis iram Dei & æternam damnationem promeriti, qua de re in eodem libro ſic ſcribit Lutherus: *Diabolus eſt mendax, cujus mendacia callidiora ſunt & inſtructiora, quam animus humanus adſequi poſſit. Sic adoritur, ut ſemper arripiat aliquam ſolidam veritatem, quæ negari non poteſt: adeo ſpecioſe fucat ſuum mendacium, ut fallat cautiſſimos: talis eſt cogitatio illa, quæ Judæ cor percuſſit: tradidi ſanguinem juſtum, hoc Judas*

(*) In comitiis Wormatienſibus hos gemitus protulit & ingeminavit: *O du mein Gott, du mein Gott ſtehe mir bey wider aller Welt Vernunft und Weißheit. Thue du es, du muſt es thun, du allein, iſt es doch nicht meine, ſondern deine Sache, hab ich doch vor meine Perſon allhie nichts zu ſchaffen und mit dieſen groſſen Herrn der Welt zu thun, wolte ich doch auch wohl gute geruhige Tage haben, und unverworren ſeyn, aber dein iſt die Sache.* Tom. II. germ. Ien. in admon. ad omnes chriſtianos, ut ſibi caveant à ſeditione p. 71. *Es iſt nicht möglich, daß ein Menſch ſolt ein ſolch Weſen anfahen und führen, es iſt auch ohn mein Bedenken und Rathſchlag ſo ferne kommen, es ſoll auch ohne meinen Rath wol hinaus gehen und die Pforten der Hœllen ſollens nit hindern. Ein ander Mann iſts, der das Rædel treibet.* Ad ὑπερηφανία de faſtu ac ſuperbia reſpondet ipſe Lutherus tom. I. Jen. germ. f. 363. a. ac tom. III. f. 332. a. tom. I. germ. Ienenſ. f. 363. a. *Meine Perſon taſte an wer da wil und wie er wil, ich gebe mich vor keinen Engel aus, aber meine Lehre, dieweil ich weiß, daß ſie nicht mein, ſondern Gottes iſt, wil ich niemand unverantwortet laſſen antaſten. Ich achte aber man ſoll es meinen Wittenbergern, die mein Weſen tæglich ſehen und mit mir umbgehen, mehr glæuben, denn dem abweſenden Lügner Embſern.* GERHARDVS.

(**) Tom. VI. fol. 87. Jen. germ. in libro de miſſa angulari & unctione ſacerdot. anno 1553. Diabolus non adparuit Luthero in illa ſyrraxi ἀντιπροσώπως, nec cum ipſo locutus eſt ἀντιφώνως, quia Lutherus deſcriptionem illius hiſtoriæ ſic exorditur: *Niſi in corde meo diabolus iſtam diſputationem incipiebat.* GERHARDVS.

(***) Polyd. Virgilius lib. VI. cap. 9. *feſti omnium animarum occaſionem & originem ad diabolos lamentantes* refert, *quibus mendacibus ſpiritibus Odilo abbas Cluniacenſis credens id feſtum inſtituit.* ann. 1002. ut Petrus Damianus & Durandus lib. VII. cap. 35. teſtantur. Si pontificii deſiderant exempla eorum, qui cum diabolo familiaritatem habuerunt, non opus eſt, ut apud noſtros ea quærant, cum domi abunde eis ſuppetat. Legantur hiſtoriæ de Sylveſtro II. Benedicto VIII. Gregorio VII. Hildebrando antea dicto &c. GERHARDVS.

*ludas negare non potuit, sed hoc erat mendacium, quod desperandum sit de gratia Dei. Ergo non mentitur satan, cum accusat, ibi enim habet duos inconvincibiles testes graves, legem Dei & nostram conscientiam, &c.* Hoc ergo propositum fuit diabolo, Lutherum ad desperationem solicitare, ad quem finem obtinendum adsumsit id, quod erat certissimæ veritatis, videlicet missam esse idololatricam, ideoque Lutherum gravissime peccasse, tot missas privatas celebrando, ubi nec potuit, nec debuit Lutherus negare, quod a diabolo tanquam certum præsupponebatur, id enim ipsemet ex verbo Dei & ex institutione cœnæ dominicæ cognitum habebat, sed consequentiam negavit ac negare etiam debuit, quod scilicet propterea desperandum sit, sic enim l. d. subjungit: *Non possum negare me peccasse, sed ibi mentitur satan, quod ultra urget, ut desperem, confessus quidem sum coram diabolo me peccasse ut Judam; sed verto me ad Christum cum Petro, Christum invoco, in Christum credo, qui meum peccatum delevit per sanguinem suum.* Num illud in Luthero damnant, quod diabolo missam oppugnanti non fuerit reluctatus, cum non sit verisimile, oppugnari aliquid a diabolo quod est idololatricum? Atqui diabolus ut tortuosus serpens missam modo oppugnat, modo ad eam hortatur. Refert enim Delrius ex Surio lib. IV. de magia cap. 1. quæst. 3. p. 5. *diabolum aliquando in specie angelica cuidam abbati adparuisse, eumque hortatum fuisse, ut missam celebraret.* Ergo ex diaboli vel adprobatione, vel oppugnatione de missa nihil certi potest statui, sed ex verbo Dei, cum quo exactissime consentiunt argumenta, quibus in corde Lutheri diabolus eam oppugnavit, licet fine pessimo, videlicet ut Lutherum ad desperationem solicitaret. (*) VI.) Quod *referente Conr. Gesnero & Tigurinis ministris fuerit homo contentiosus, pertinax, vehementis ingenii, impatiens & qui nisi per omnia sibi consentientes ferre non possit.* (**) Campianus, Pistorius, Ungersdorffius & reliqui calumniatores addunt, *quod fuerit meribibulus, incestuosus &c.* Becanus libr. de ecclesia quæst. 3. concl. 10. num. 105. quod fuerit *infamis;* concl. 11. num. 126. quod *concesserit libidines.* Resp. imo vero quidam ex ipsis pontificiis juratis licet hostibus vitam ipsius probarunt. Erasmus in epistola ad Thomam, cardinalem Eboracensem, libr. XI. epist. 1. *Hominis* (Lutheri) *vita magno omnium consensu probatur; jam id non leve praejudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes reperiant, quod calumnientur.* Idem in epistola ad card. Moguntinum libr. XII. epist. p. 421. *Si illi faverem ut viro bono, quod fatentur & hostes, quæ esset invidia?* Roffensis art. XXXIV. adv. Luth. adducit piam Lutheri admonitionem: *Quanto rectius faceremus, si primum orationibus, imo totius vitae mutata ratione Deum propi-*

(*) Tilmannus pontificius & ex eo Fornerus contra conc. jubil. Norimb. referunt, *Maximilianum I. vidisse cacodæmonem forma corporea Lutheri humeris insidentem.* Resp. 1) Ipsimet addunt, *baronem pincernam a Maximiliano vocatum, ut adspiceret diligentissime Lutherum, quod & factum, ipsum vero nihil vidisse, nisi monachum cuculla indutum.* 2) An versimile est, Lutherum Augustæ Vindelicorum, cum comitia celebrarentur anno 1518. spectatum venisse, quomodo Maximilianus patentibus valvis prandere? 3) Literæ Maximiliani ad Leonem X. quæ tom I. f. 99. & 109. tom. V. f. 112. b. extant, contrarium testantur. Confer Matthesium conc. II. de Luth. f. 14. a. 4) Diabolus stat in medio filiorum Dei, Job I. 6. stat ad dextram sacerdotis, ut adversetur ei, Zach. III. 1. duxit Christum in pinnaculum templi, GERHARDVS.

(**) Sub calcem histor. eccles. Theodoreti retulerunt catalogum cæsarum, episcoporum, hæreticorum &c. in quo sub tit. Chrysostomi p. 433. de ipso commemoratur, *quod fuerit immitis & asperæ cujusdam libertatis, erga omnes insultator & iracundus; item quod tam libere in Augustum invehi solitus fuerit, ut maledicus haberetur, quod severitatis odiosæ fuerit, quod pertinacia ejus reprehendatur.* Sed additur: *Profecto illorum quoque temporum vitia secari atque uri, non levibus medelis curari voluere.* Idem de pertinacia & severitate Luthero objecta respondemus. Fornerus & alii ex pontificiis tribuunt Luthero, *quod rusticorum seditionem excitaverit.* Contrarium testatur Sleidanus lib. IV. hist. p. 107. lib. V. p. 117. Vide ipsummet Lutherum tom. III. Jen. germ. f. 102. 104. b. 105. b. 108. 113. b. 114. b. 115. 134. b. tom. VI. fol. 6. tom. I. Isleb. f. 277. GERHARDVS.

*propitium faceremus?* & subjungit: *Nemo, qui sapit, tuæ* (Luthere) *sententiae refragabitur.* Ostendimus autem alibi videlicet in præfatione libro Johan. Fabri, qui continet refutationem papistici discursus, &c. præfixa, quod calumniis in Lutherum & ipsius scripta projectis adversus ecclesiarum nostrarum doctrinam parum proficiatur. 1) Quia scriptores papistici, qui vivente adhuc Luthero in certamen cum ipso descenderunt, nihil tale de ipso memorant, non prætermissuri illud, si quid veritatis calumniis illis subesset. 2) Quia auditores suos a lectione librorum Lutheri arcent, cur igitur tam atroces adcusationes ipsi intentant, cui omnia pro se respondendi media in animis auditorum denegant? *si adcussse sufficit, quis innocens erit?* 3) Quia ex propriis ipsorum historicis constat, qualiter plerique pontifices seculis posterioribus vixerint, cum quorum flagitiis si comparentur ea, quæ Luthero tribuunt, ludum ac jocum dixeris. 4.) Quia Lutherum nec pro apostolo immediate vocato, nec pro pontifice infallibilitatis dono instructo habemus, sed pro salutari & electo organo, quo Deus ad reformationem doctrinæ & revelationem antichristi usus est. 5.) Quia multa in ecclesiam bona Deus per Lutherum contulit, quo minus dubitamus, ipsum ut Spiritus sancti organum & salutaria scripsisse & pie vitam egisse, cujus rei testes *αὐτόπται* Philippus, Matthesius, Justus Jonas & alii luculentum ipsi ferunt testimonium.

*Bellarmini* §. CCLXX. A Luthero pro-

*judicium de Lutheranis doctoribus & auditoribus.*

greditur Bellarminus ad *Lutheranos*, quos in doctores atque auditores dispescit. *De doctoribus* pronunciat, *quod si ex ipsorum libris jactationes, mendacia, scommata, maledicta & convitia tollerentur, ex maximis voluminibus vix libelli perexigui effici possent. De auditoribus* expresse adserit, quod *inter illos nullus sit bonus*, quo fine adfert testimonia Lutheri, Andr. Musculi, Jacobi Andreæ & Erasmi, quibus *de corruptelis vitae ac morum* in ecclesiis evangelicis conqueruntur. (*) Eadem testimonia Lutheri & Musculi repetit Becanus libr. de ecclesia quæst. III. concl. 2. num. 8. *Resp.* 1.) Utrius partis scripta magis scateant convitiis & maledictis, omnium pie eruditorum judicio committimus, res ipsa manifeste ostendit Cochlæum, Surium, Pistorium, &c. in convitiandi arte facile primas tenere. 2.) An vero posset gravius convitium dici, quam quod Bellarminus hoc loco eructat, *nullum inter nos esse bonum?* (**) Quid vero fiet de baptizatis infantibus in nostra ecclesia, num & illi non sunt boni? Atqui si legitimus in nostra ecclesia administratur baptismus, quod ipsimet pontificii agnoscunt ac fatentur, utique *Spiritus* sanctus per illum in cordibus infantum ad regenerationem ac renovationem efficax est, adeoque bonos illos efficit. (***) 3.) Verbum Dei ab omnibus corruptelis & superstitionibus humanis repurgatum auditoribus nostris proponimus, fieri ergo nequit, ut in quorumdam cordibus non ferat fructum. Esaiæ LV. 10.



(*) Sunt vero paternæ pastorum querelæ, non Radamanteæ judicum sententiæ. Eædem querelæ de suis auditoribus occurrunt apud prophetas: Ierem. V. 1. *Circumite vias Ierusalem & adspicite & considerate & quærite in plateis, an inveniatis virum facientem judicium & quærentem fidem & propitius ei ero &c.* Esaj. 53. 1. *Domine quis credidit auditui nostro.* Gerhardvs.

(**) Repetit tamen Jac. Reihingius in muris civit. sanctæ fund. 8. p. 204. *Ecclesia catholica multos malos sed & innumerabiles bonos & multos illustres sanctos habet, vestra ecclesia malos sine numero, nullum sanctum habet.* Costerus in enchir. cap. 2. p. 105. *Hæretici sanctum neminem vel habuerunt, neque quemquam ad cœlos præmiserunt.* Gerhardvs.

(***) Ipsi Jesuitæ alibi testimonium bonitatis protestantibus præbent. Costerus in enchir. cap. 2. p. 201. *Edunt illi moralia nonnunquam bona, largiuntur eleemosynas, xenodochia erigunt, moderate eorum quidam vivunt, à convitiis & juramentis abstinent.* Maldonatus in Matth. VII, 15. *Nihil in eorum ore nisi Pater noster cœlestis; nisi Christus; nisi fides; juramentum inauditum; nihil in eorum factis nisi eleemosyna, nisi temperantia, nisi modestia.* Sandæus in castigat. de prodig. fest. liberal. *Multi protestantium probitatis nonnihil habent, quandoque boni civis officia exsequuntur, moralia quædam opera non mala exercent.* Gerhardvs.

*Quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illic ultra non revertitur, nisi inebriaverit terram, & fœcundat eam, & germinare eam facit &c.* v. 11. *sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum.* Legem Dei omnis sanctitatis ac pietatis normam sincere docemus & auditoribus inculcamus, ut ad aguitionem peccatorum perducti & fide Christi beneficia amplexi juxta normam legis bona opera proferant. Docemus, veram & salvificam fidem non esse otiosam, sed in studio bonorum operum efficacem, ac proinde ubi opera non adparent extra, ibi veram fidem non esse intra. Docemus, per peccata contra conscientiam a renatis excuti Spiritum sanctum & fidem salvificam. Proponimus auditoribus nostris gravissimas & urgentissimas causas, propter quas bona opera necessario facienda sint, videlicet propter Deum, propter proximum & propter nos ipsos. Hortamur auditores nostros, ut carnem cum concupiscentiis suis mortificent, veterem Adamum crucifigant, adeoque cum timore ac tremore salutem operentur. Fieri igitur nequit, quin per hæc media Spiritus sanctus in aliquorum cordibus sit efficax ad veram sanctitatem. (*) 4.) Interim non negamus, multos doctrina evangelii ad securitatem carnalem pessime abuti, inque cursu scelerum esse admodum strenuos, sed hæc querela de quorundam auditorum perversitate nobis communis est cum Christo, patriarchis, prophetis & apostolis, qui & ipsi sæpius conqueruntur, quod doctrina ipsorum non fructificaverit apud omnes. De Corinthiis conqueritur apostolus, quod *audiatur inter eos scortatio, qualis nec inter gentes nominetur.* 1. Cor. V. 1. De Corazin, Bethsaida & Capernaum pronunciat Christus Matth. XI. 20. quod propter contemtum verbi urbium istarum incolæ gravius puniendi sint in die judicii quam Tyrii, Sidonii ac Sodomitæ. 5.) Quemadmodum *prophetæ & apostoli sæpe reprehendunt universum populum, quasi nemo sit bonus, cum tamen permulti sunt boni:* (verba sunt Bellarmini libr. III. de ecclesia capit. 16. §. ad quartum. Ex Augustino lib. de unit. eccles. c. 12. & lib. contra Donat. post collationem c. 20.) (**) sic doctores in nostris ecclesiis impietatem quorumdam auditorum graviter taxant, ex quo tamen inferri nequit, quod nullos bonos inter eos agnoscant, quin imo hoc ipsum arguit gravissimum pietatis zelum in doctoribus, quod in auditorum impietatem tam acriter invehuntur. 6.) Quamvis in precibus, eleemosynis & jejuniis nostris nequaquam spectemus externum illum ceremoniarum adparatum, nec coram hominibus ad adplausum eorum captandum opera nostra faciamus, qua in parte sequimur præscriptum Christi Matth. VI. 1. & seqq. ex eo tamen neglectus exercitiorum pietatis haud quaquam nobis tribui potest, *dies domini manifestabit, quod in occulto gestum.*

(*) Isidorus Pelusiota lib. III. epist. 223. *Tunc salutis omnium causa mortem oppetebant, nunc autem pastores ovibus mortem inferunt, non corpora jugulantes, (levius hoc malum esset) verum animis offensionem adferentes. Tum jejuniis corpus castigabant, nunc autem ut luxu & deliciis exsultent, efficiunt. Tum bona sua egentibus distribuebant, nunc autem pauperum bona in rem suam vertunt. Tum virtutem colebant, nunc virtutis cultores proscribunt & eliminant. Tum castitatem mirificis laudibus, nunc autem, sed nihil maledixi dicere volo.* Gerhardus.

(**) Casp. Sanctius in act. apost. I. p. 15. *Ex scripturæ consuetudine, ubi aliqua a multis fiunt, ab omnibus illa fieri dicuntur: sicut etiam negat ab aliquo fieri, quæ fieri solent ab admodum paucis, quam regulam ibi multis exemplis declarat.* Esaj. I. 6. *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Ezech. III. 7. *Omnis domus Israel adtrita fronte est & duro corde.* Melch. Canus lib. IV. locorum theol. c. ult. 8. secundum; *Plerumque, ait Augustinus, sermo divinus impias turbat ecclesiæ sic redarguit tanquam omnes tales sint, & nullus omnino remanserit.* Augustinus epist. LIX. ad Paulinum circa med. *Scripturæ mos est ita loqui de parte tanquam de toto, sicut Corinthios in primis epistolæ suæ partibus ita laudat, tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum, & postea in nonnullis ipsius epistolæ locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent propter quosdam, qui tales erant.* Ibidem: *Istam scripturarum consuetudinem per omne corpus literarum ejus celerrime sparsam quisquis diligenter adverterit, multa dissolvit, quæ inter se videntur contraria.* Gerhardus.

*ſium.* (*) Concludimus igitur verbis apoſtoli, 1. Cor. IV. 5. *Nolite judicare ante tempus, donec veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo.*

## SECTIO XI.

## DE VNDECIMA ECCLESIAE NOTA, QVAM BELLARMINVS ADSIGNAT, QVAE EST GLORIA MIRACVLORVM.

*An miracula ſint vera eccleſiæ nota?*

§. CCLXXI. Membrum *primum.* Sintne miracula genuina & infallibilis eccleſiæ nota? Negantem ſequimur ſententiam, ſtatuentes, *per miracula non poſſe probari oracula.* Illud ut evidentius demonſtremus, præſupponimus miraculorum diviſiones. I.) Miraculum voco, (ſcribit Auguſtinus de util. credend. cap. 6. circa med.) *quidquid arduum aut inſolitum ſupra ſpem vel facultatem mirantis adparet, in quo genere nihil eſt populis aptius & omnino ſtultis hominibus, quam id quod ſenſibus admovetur.* Hæc definitio miraculi eſt valde generalis, complectitur enim omnia, quæ noſtram opinionem, ſpem & exſpectationem ſuperant, ac proinde pro miraculis habentur, licet non ſint miracula *proprie* & *ſpecifice* ſic dicta. (**) Subjicit porro Auguſti-

(*) Sed & apud pontificios ſimiles exſtant querelæ. Bellarminus in conc. de lumine fidei §. At quibus: *Erant mores hominum chriſtianorum magna ex parte corruptiſſimi; ſacramenta, religio, diſciplina eccleſiaſtica contemnebantur, & regnabant omnia genera vitiorum.* Vide ibidem in hanc ſententiam plura. Platina in vita Marcellini: *Quid futurum noſtra ætate arbitramur, quâ vitia noſtra eo crevere, ut vix apud Deum miſericordiæ locum nobis reliquerint? quanta ſit avaritia ſacerdotum, & eorum maxime, qui rerum potiuntur, quanta libido undique conquiſita, quanta ambitio & pompa, quanta ſuperbia & deſidia, quanta ignoratio tum ſui ipſius tum doctrinæ chriſtianæ, quam parva religio & ſimulata potius quam vera, quam corrupti mores vel in profanis etiam hominibus, quos ſeculares vocant, non adtinet dicere, cum ipſi ita aperte & clam peccent, ac ſi inde laudem quærerent.* Eraſmus in epiſt. ad Spalatin. apud Scultet. in annal. decad. I. pag. 58. ſcribit, *quod tempore Lutheri publica morum corruptela tanta fuerit in Romana eccleſia, cui nemo non fateretur opus fuiſſe publico remedio.* In epiſt. ad Barbirium apud eundem p. 92. *Nemo non fatetur vehementi quadam medicina opus fuiſſe eccleſiæ nimium collapſis moribus.* Gerhardvs.

(**) Quod ad definitionem miraculi *proprie & ſpecifice* ſic dicti attinet, ea quidem non una, ſed diverſa ratione in theologorum æque ac philoſophorum ſcholis recentiori hocce ævo tradi ſubinde ſolet. Nonnulli illud definiunt, quod ſit *eventus ſupernaturalis* atque *extraordinarius*, ubi quidem illud notandum, quod *extraordinarium* & illud adpellari ſoleat, quod *rarius* fit, licet per vires & ordinem naturæ id fiat; quale verb. grat. eſt frigus inſolitum, ingenium præcox, & quæ ſunt hujus generis plura. Hinc alii ſimpliciter illud dicunt *miraculum*, quod in eſſentia & vi rerum rationem ſuam non habet, adeoque non *naturale* ſed *ſupernaturale* eſt. Rurſus alii *miraculum* proprie ſic dictum definiunt per ejusmodi *operationem*, qua revera *naturæ leges*, quibus totius hujus univerſi ordo & conſervatio innititur, ſuſpenduntur. Atque hanc poſteriorem definitionem adoptavit b. Buddeus in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. cap. III. §. 5. p. 291. ſeqq.* Verum licet hæ aliæque definitiones in ſpeciem ſint diverſæ, facile tamen inter ſe conciliari poſſunt, cum verbis magis quam re ipſa differant. Longe aliter pronunciandum de definitione Benedicti de Spinoza, qui principii loco ponit, *nihil contra naturam contingere*, itemque *Deum & naturam eſſe unum idemque*, nec non *nomen miraculi nonniſi reſpective ad hominum opiniones, poſſe intelligi*, ac vel tandem ſubjungit, miraculum *nihil aliud ſignificare, quam opus, cujus cauſam naturalem exemplo alterius rei ſolitæ, explicare non poſſumus, vel ſaltim ipſe non poteſt, qui miraculum ſcribit aut narrat.* Copioſe hæc omnia edifferit Spinoza in tractatu theologico-polit. de libertate philoſophandi, cap. VI. p. 67 ſqq. ubi ex inſtituto de miraculis verba facit. Propius ad Spinozæ ſententiam accedere videntur Thomas Hobbesivs in Leviath. cap. XXXVII. Jo. Lockivs, philoſophus alias celeberrimus, in *diſcurſu*, quem *de miraculis* edidit, David Humivs, ſcriptor Anglus, iſque haud incelebris, in libro: *eſſais and treatiſes on ſeveral ſubjects, vol. II* aliique. Nemo non videt, eos, qui in hanc cum Spinoza ingrediuntur ſententiam, perinde facere, ac ſi rotunde dicerent, non dari miracula. Uberius hoc oſtenderunt ac Spinozam ſolide confutarunt

Augustinus divisionem suæ definitioni. (*) *Sed rursus* (inquit) *hæc in duo dividuntur, quædam enim sunt, quæ solam faciunt admirationem; quædam vero magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori adfert commodi, præter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis autem gravi & desperato morbo adfectus mox, ut jussum fuerit, convalescat, admirationem sanitatis suæ sanantis etiam caritate superabit.* Juxta hanc Augustini divisionem quædam miracula sunt *ludibria*, quædam vero *utilia* ac salutaria. II.) Miracula quædam dicuntur esse *privativa*, quædam *positiva*. *Prioris* generis sunt, cum rei actiones naturales ad tempus inhibentur non interventu causarum physicarum, sed peculiari virtute Dei causæ summæ & universalis. Sic sol stat immotus, Ios. X. 13. regreditur per decem lineas in horologio Achas, Es. XXXVIII. 8. obscuratur Christo patiente; Matth. XXVII. 45. ferrum natat. 2. Reg. VI. 6. *Posterioris generis* (**) sunt, cum res novis qualitatibus donantur, ut quando steriles pariunt, Ps. CXIII. 9. morbi

tarunt b. Buddeus in libro supra *excitato cap. III. §. 5. p. 289. sqq.* & *cap. VII. §. 5. p. 605. seqq.* itemque Jo. Henr. Heideggerus in *dissert. biblicis, tom. I. diss. X. n. 53.* Ut Schomerum, Cuperum, Zimmermannum aliosque taceamus. Dantur vero præter definitionem Spinozæ, quæ merito proscribenda est, adhuc aliæ *miraculi* definitiones æque pariter falsæ, quas exhibet illustris Bilfingerus in *dilucidationibus* suis *philosoph. §. CCXII.* Plura hanc in rem non addimus, sed lectores nostros ad eos ablegamus auctores, qui de hocce argumento uberius & data opera sunt commentati. Indicem eorum dederunt duumviri doctissimi, Jo. Albert. Fabricius & C. M. Pfaffius, ille quidem tum in *bibliographia antiquar. p. 615. seqq.* edit. tert. tum in *syllabo scriptorum de verit. relig. christ. cap. XLIII. §. III. p. 696. seqq.* hic vero in *introd. in histor. theol. litterar. tom. II. p. 379.* Addi tamen merentur, præter laudatissimum Bilfingerum *loc. excitato*, Sam. Clarckius libro *de l'existence & des attributs de Dieu, tom. II. cap. XIX. p. 373. seqq.* Radvlphvs Cvdworthvs *in systemate intellect. p. 864. seqq.* & b. Moshemivs in *notis* ad *Cudworth. p. 805. seqq. num. I.* itemque Samvel Werenfelsivs, in *opusculis theolog. p. 79. seqq.* Jo. Alphonsvs Turretinvs in *dilucidat. philosophico-theolog. tom. II. diss. VII. p. 109. seqq.* Jo. Arnold. Noltenivs in singulari dissertatione Francof. ad Viadr. MDCCVIII. edita, Jac. Serces in peculiari libro gallico, Amstelodami *MDCCXXIX.* 8. typis exscripto, *Monsr des Vorux*, qui ann. *MDCCXXXII.* librum edidit, cui titulus: *discours sur les miracles*; itemque cel. Walchivs in dem *philosophischen lexico*, voce *Wunder, p. 2059. seqq.*

(*) Scholastici in definitione miraculi ab Augustino tradita quatuor notant, quæ ad hoc requirantur, ut aliquid sit miraculum, quorum duo priora rem miraculi, posteriora vero duo modum respiciunt. 1.) *Ut sit arduum*, non quidem propter rei, quæ fit, magnitudinem, quam in miraculis non semper conspici docet Avgvstinvs tract. XXIV. in Joh. sed propterea, quod naturæ facultatem excedit. 2.) *Ut sit insolitum*, non quidem quod raro eveniat, sed quia non sic solet secundum communem naturæ cursum fieri. 3.) *Ut sit supra facultatem naturæ*, non quidem tantum vel semper propter substantiam facti, quatenus scilicet illud, quod Deus in natura facit, natura nullo modo potest imitari, sed etiam propter ordinem & modum faciendi. Est autem modus naturæ, ut quod facit, faciat in tempore & non in instanti. Ordo vero, ut faciat quidpiam, sed non in quovis subjecto. 4.) *Ut præter spem admirantis adpareat.* Intellige autem spem naturæ? non gratiae; Rom. IV. 14. ideoque adparet interdum miraculum oculis corporis, interdum solum oculis fidei. Gerh.

(**) Quod ad varia miraculorum genera, de quibus nonnulla hoc adnotavit Gerhardvs noster, attinet, de iis paucis observamus, quemadmodum omnium rerum non nisi quatuor dantur proprietates, nimirum 1.) exsistentia, 2.) essentia, 3.) quantitas, ac 4.) qualitas; ita pariter nec plura dari, nec dari posse miraculorum genera, quam quatuor. Deus quippe gloriam suam omnipotentem manifestavit 1.) res quæ nondum erant, vocando ac si essent, seu eas *efficiendo Joan. IX. 32. Rom. IV. 17.* 2.) *naturam* rerum, quæ exsistebant, prorsus *immutando, Joan. II. 9.* 3.) unico aliquo verbo, soloque voluntatis suæ nutu *quantitatem* rerum *augendo 1. Reg. XVII. 14, 15. Marc. VIII. 7 — 9. Joann. VI. 11.* ac denique 4.) *qualitatem* tollendo, veluti quando aegroti subito curantur, quin mortui ad vitam revocantur, & quae sunt alia hujus generis plura, in quibus nulla prorsus causa *naturalis*, ad tantos effectus producendos apta atque idonea deprehenditur. Ratio enim *formalis* alicujus miraculi in eo consistit, quod sit effectus, qui sui rationem sufficientem in *natura* atque essentia rerum creatarum non continet; qui proinde vires earum rerum, circa quas versatur, & a quibus effectus produci videtur, prorsus transcendit. Atque ex his, quae modo diximus,

morbi præter naturæ cursum sanantur, &c. (*) III.) Scholastici in quæstione, an diabolus miracula facere possit, distinguunt inter *mirabilia* & inter *miracula*, illorum operationem diabolo concedunt, horum vero negant. Thomas part. I. quæst. CX. art. 4. *Non sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat præter ordinem alicujus naturæ particularis, sic enim aliquis miraculum faceret lapidem sursum projiciendo; ex hoc autem aliquid dicitur miraculum, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, quo sensu solus Deus facit miracula. Nobis non est omnis virtus naturæ creatæ nota, cum ergo fit aliquid præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ per virtutem creatam nobis ignotam, est quidem miraculum quoad nos, sed non simpliciter.* Illud latius declarat Gabr. Biel lib. II. sent. dist. 8. quæst. 2. *Potest dupliciter contingere miraculum, quantum ad rem factam, & quantum ad modum faciendi. Quantum ad rem factam, quando effectus producitur non concurrente causa secunda naturali aut in subjecto non habente ordinem naturalem ad talis effectus susceptionem: quantum ad modum faciendi, cum aliquid producitur a causis naturalibus, sed in mora breviore quam sit solitus naturæ cursus. Illæ conversiones miraculosæ fiunt dupliciter, vel quod effectus illi non producuntur a principiis naturæ, sed immediate ab ipso Deo, sive in instanti, sive successive, & tunc est miraculum juxta primum modum: vel potest effectus produci a principiis naturæ in instanti vel in tempore subito propter instantaneam vel repentinam adplicationem activorum ad passiva præter solitum naturæ cursum, & tunc non est proprie miraculum, sed mirabile, hoc est, miraculum secundo modo acceptum.* IV.) Quamvis igitur diabolus miracula *proprie* & *specifice* di-

mus, sponte consequitur, I.) solum Deum esse effectorem miraculorum, quae in sensu *stricto* & *rigoroso* talia sunt. Vid. *Psalm. LXXII. 18. LXXXVI. 8, 10. CXXXVI. 4. Exod. VIII. 19.* II) nullum spiritum sive *bonum* sive *malum*, nullum hominem, sive pius sit, sive impius, ordinaria quadam sibique propria virtute miracula *rigorosi* nominis producere posse; unde, si forte III) *causæ secundæ* & creatæ miracula patrant, ea patrant duntaxat *ut causæ occasionales*, ad quarum tantum praesentiam & motum huc directum, qui vero in sese ipse nullum influxum habet, Deus miraculum producit. Quod IV) speciatim ad angelos bonos attinet, nullum equidem est dubium, eos posse longe majora viribus nostris. At quantacumque eorum sit potentia, finita tamen est certisque limitibus circumscripta, unde majora viribus *naturæ* efficere, ac miracula *rigorose* dicta patrare prorsus nequeunt. Idem V) de angelis malis dicendum, de quibus supra copiose commentatus est Gerhardvs noster. Praetermittimus ea, quae de potestate malorum istorum spirituum recentiori maxime aetate fuerunt disputata, quibus hèic ob instituti brevitatem immorari haud licet. Lectu digna sunt, quae hanc in rem differuit Mosheimius in notis ad Cudworthi *Systema intellectuale p. 819. seqq.* & *p. 805. not.* (1.)

(*) Tribus modis fieri potest, ut miracula excedant facultatem naturae; 1.) *quoad substantiam facti*; tale fuit, quod sol retrocessit 2. Reg. XX. 2.) *Quoad subjectum, in quo fiunt*; talia sunt resuscitatio mortuorum, illuminatio caecorum &c. 3.) *Quoad modum & ordinem faciendi*, ut cum per divinam

virtutem Petri socrus in instanti a febri liberatur, Matth. VIII. Thomas de pot. Dei quaest. VI. art. 2. resp. ad 3. dicit, *has tres miraculorum species eo modo differre, quod primus est eorum, quae sunt contra naturam; secundus eorum, quae supra naturam, tertius eorum, quae praeter naturam.* Thomas part. III. q. 29. art. 1. resp. ad 2. *miracula dividit in ea, quae sunt ad fidei confirmationem, & ea, de quibus ipsis est fides, quale est miraculum partus virginei. Illa sunt facta in multorum conspectu; haec vero Deus voluit esse occulta, ut fides christianorum magis probaretur, quando ea amplectitur propter scripturarum assertionem.* Augustinus in sent. prosper. cap. 134. distinguit miracula in *visibilia & invisibilia, illaque sic discernit, quod illa ad illuminationem vocant, ista vero vocatos illuminant.* Alphonsius de Castro lib. X. adv. haereses verbo, Miraculum: *Miraculum est res insolita, supra naturae potentiam operata. Ideo duo oportet inesse, ut aliquid possit dici miraculum, quod videlicet sit supra naturae potentiam & quod non sit ex communi consuetudine. Et si alterum horum desit, miraculum minime dicetur. Hac enim de causa creatio animae humanae non est censenda miraculum, quia etsi illius creatio excedat potentiam naturae, non est tamen res insolita, cum Deus quotidie novas creet animas. Eadem ratione si unus homo nasceretur cum septem digitis in qualibet manu, non diceretur miraculum, quia etsi hoc sit insolitum, non tamen excedit potentiam naturae, quoniam a causis naturalibus hoc procedere potest. Si tamen res est insolita & vires naturae exsuperans, illa merito miraculum dicetur.* Gerh.

dicta edere nequeat, tamen cum per instantaneam adplicationem causarum activarum naturalium, quarum vim & operationem exquisitissime perspectam habet, multa *mirabilia* perficere possit, quæ nos pro miraculis habemus, quia illorum causam ignoramus, & quomodo fiant non videmus. (Unde Augustinus libr. IV. de Trinit. cap. 11. scribit, *facile esse spiritibus nequissimis per aërea corpora facere multa, quæ mirentur animæ terrenis corporibus adgravatæ etiam melioris adfectus.*) Præterea cum diabolus hominum oculis glaucoma ac varias præstigias objicere possit ut videre sibi videantur, quod non vident; ideo miracula ulterius dividuntur in *divina* & *diabolica*. *Illa* autorem habent Deum, qui in miraculis perficiendis utitur quandoque ministeriali opera angelorum vel hominum, quandoque vero *immediate* ipsemet in miraculis agit: *hæc* autorem habent diabolum, qui impiorum hominum servitio sibi addictorum ministerio ad hanc rem sæpius utitur. Rungius in cap. 7. ex part. II. loc. 2. sex differentias inter divina & diabolica miracula constituit, differre enim illa dicit, 1.) causis *efficientibus*. Psalm. CXXXVI. 4. *Deus facit* נִפְלָאוֹת גְּדֹלוֹת *mirabilia magna*, id est, proprie miracula, *solus*. Diabolus miracula quædam facit, sed non nisi permittente Deo. 2.) Causa *materiali sive subjectis*, Dei opera fiunt manifeste contra naturæ ordinem. Diabolus etsi miranda quædam facere potest vel agilitate & subtilitate naturæ suæ, vel peritia rerum & causarum naturalium homini ignotarum, tamen ipsam naturam interius mutare nequit, quia non est creator. 3.) Causa *formali*. Miracula divina nunquam sunt putativa vel imaginaria, sed actu & re ipsa creaturæ vel mutantur vel innovantur. Diabolus ut Dei simia conatur exprimere similia opera, sed plerumque præstigiis, fascino & fallaci auxilio ludit mortales. 4.) Causis *finalibus*. Dei miracula tendunt ad doctrinæ cœlestis & mandatorum Dei confirmationem. Diabolus miraculis confirmantur mendacia, idololatria, invocationes mortuorum, &c. 5.) Causis *instrumentalibus*. Deus vel immediate efficit miranda, vel utitur opera prophetarum, apostolorum & aliorum pietate ac virtute præstantium virorum, vel certe in ordinaria vocatione. Diabolus utitur veneficis, hariolis, præstigiatoribus, sagis & similibus hominum monstris (*) 6.) *Modo agendi*. Deus simpliciter, quid fieri velit, mandat, atque interdum adhibet media sed pauca. Diabolus vult adhiberi certas formas verborum, pulveres, figuras, imprecationes, decoctiones, venena; &c. Atque hæc sit tertia miraculorum divisio. (**) V.) Quia igitur Deus est ipsa veritas, diabolus vero mendax & mendacii pater; Joh. VIII. 44. ideo miracula Dei sunt *vera*, sed miracula diaboli sunt *falsa*. Gabr. Biel. l. d. *Miracula sunt vel vera, quæ ordinantur ad bonum finem scilicet eruditionem ecclesiæ & salutem fidelium; vel falsa, quæ ordinantur ad deceptionem & subversionem videntium, licet res veræ sint, quæ videntur, unde omnia miracula dæmonum sunt falsa.* (***) VI.) Falsa miracula duplici sensu dicuntur, vel ratione *formæ*, quia sunt ementita & ludificantia, unde vocantur miracula κατὰ δόξαν non κατ' ἀλήθειαν, vel ratione *finis*, quia ad decipiendum composita & ad mendacium inducunt. Sic Augustinus lib. XX. de civit. Dei cap. 19. disputat, quo sensu miracula antichristi dicantur *prodigia mendacia*, 2. Thess.

(*) Autor imperf. operis homil. XXIX. in Matth. *Quemcunque videris dæmonia ejicentem, si non est confessio veritatis in ore ejus, nec justitia in manibus ejus, non est homo Dei.* Gerhardvs.

(**) *Vera miracula fiunt per apertam & seriam Dei invocationem, dæmonis vero ludibria illis absonis, abditis, vanis, ridiculis aut superstitiosis precibus vel signis*, ut loquitur Delrio Jesuita libro II. disquis. magic. quæst. 7. Gerhardus.

(***) *Vox miraculorum interdum in genere significat admiranda & stupenda opera cujuscunque sint autoris, sic olim celebrarunt septem miracula mundi. Eodem sensu satanæ opera nova & stupenda dicuntur miracula*, 2. Thess. II. 9. *signa & prodigia, quia præter communem naturæ cursum facta videntur, & singulari impetu feriunt hominum oculos. Sed Dei miracula sunt, quæ fiunt supra & contra naturæ ordinem, quem eadem potentia, qua creatus est, mutare potest & solet Dominus.* Rungius in cap. XXXIV. Exodi.

2. Thess. II. 9. *Solet ambigi* (inquit) *utrum propterea dicta sint signa & prodigia mendacii, quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est, ut quod non facit, facere videatur? An quia illa ipsa, etiamsi sunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros, non ea potuisse nisi divinitus fieri, virtutem diaboli nescientes, maxime quando tantam, quantam nunquam habuit, accepit potestatem. Non enim quando de cœlo ignis cecidit & tantam familiam cum tantis gregibus pecorum s. Jobo uno impetu absumsit, & turbo irruens & domum deficiens filios ejus occidit, phantasmata fuerunt, quae tamen fuerunt opera satanae, cui Deus dederat hanc potestatem. Propter quid horum ergo dicta sint prodigia & signa mendacii, tunc potius adparebit.* Noluit Augustinus determinare, quo respectu antichristi miracula dicantur *mendacia*. Ita Chrysostomus homil. IV. in 2. Thessal. statuit, dici fallacia utroque respectu: ἐδὲν ἀληθὲς ἀλλὰ πρὸς ἀπάτην. Καὶ πέρατι ψεύδες ἦτον διεψευμένοις ἢ εἰς ψεῦδος ἄγησι. (*) Interpres latinus disjunctivam convertit in copulativam. *In prodigiis falsis & inducentibus ad mendacium.* Ambrosius etiam in comm. 2. Thess. II. propter deceptionem antichristi miracula dici mendacia adserit: *Antichristus* (inquit) *signorum virtutibus faciet credibile se esse Deum, ideo portenta mendacii dixit apostolus, quia hoc se vult credi antichristus per signa, quod non est, ut decipiat, quos circumventurus est.*

*Argumenta pro parte negante.*

§ CCLXXII. Hisce praesuppositis sententiam nostram confirmamus sequentibus argumentis. I.) Quodcunque non est ecclesiae proprium, non potest esse propria, genuina & infallibilis ecclesiae nota. Miracula non sunt ecclesiae propria. Ergo non sunt propria, genuina & infallibilis ecclesiae nota. *Adsumtum* probatur, quia miracula fecerunt etiam ethnici & haeretici, apud quos veram ecclesiam esse nemo dixerit. 1.) Quod *ethnicos* adtinet, refert Cornel. Tacitus libr. IV. histor. *Vespasianum caeco visum, claudo gressum restituisse.* Aelius Spartianus refert, *feminam caecam ab Adriano sanatam esse, & caecum quemdam natum corpus Adriani mortui tangentem visum subito recuperasse.* Apollonius Thyanaeus cum esset in concilio coram imperatore Domitiano dicitur *statim evanuisse, ut amplius non inveniretur.* Hujus Apollonii meminit etiam Augustinus epist. V. a quo ut & Apulejo *multa miracula* edita esse scribit. (**) Idem lib. X. de civit. Dei c. 16. commemorat hae gentilium miracula, quod *effigies deorum penatum, quos de Troja Aeneas fugiens advexit, de loco in locum migrasse referuntur: quod cotem Tarquinius novacula secuit, quod Epidaurius serpens Aesculapio naviganti Romam comes adhaesit, quod navim, qua simulacrum matris Phrygiae vehebatur, tantis hominum boumque conatibus immobilem redditam una muliercula zona adligatam ad suae pudicitiae testimonium movit & traxit; quod virgo vestalis, de cujus corruptione quaestio vertebatur, aquam impleto cribro de Tiberi neque profluente, absulit controversiam*; quae omnia ex profanis historiis Ludov. Vives in comm. ibidem latius declarat. Libr. de unitate ecclesiae cap. 16. circa medium: *Audiant*, (qui ex miraculis ecclesiam probare volunt) *quae narrent Philetero Helvetio.* Conferri merentur *le traité de Mr. Serces sur les miracles*, quem supra jam laudavimus, *chap. XIV.* Jac Vernetvs, professor Genevensis doctissimus, in libro primum gallice, deinde germanice edito, *von der Wahrheit der christl. Religion, sect. VII. cap. XIX p. 814. sqq.* Quod speciatim ad Apollonivm Thyanaevm, qui multa patrasse dicitur miracula, attinet, de eo copiose disseruimus *in dem Entwurf einer ausführlichen Kirchenhistorie, tom. III. §. 145 — 151.*

*Miracula facere videntur*

(*) Idem statuit Theophylactus, glossa ordina, & Lyranus. Gerhardvs.

(**) De miraculis gentilium inter alios conferri velim Hvg. Grotivm in libello *de veritate relig. christ. libr. IV. §. 8.* Petr. Baelivm in *pensées sur la comète, tom. I. §. 61, 62, 133.* itemque libellum, qui Duaci, seu potius Tiguri MDCCXXXIV. prodiit, hac insignitus inscriptione: *de miraculis, quae Pythagoreae, Apollonio Thyanensi, Francisco Assisio Dominico & Ignatio Loyolae tribuuntur, auctore*

*rent pagani de diis & templis suis mirabiliter vel facta vel visa, & tamen dii gentium daemonia.* Excipit Bellarminus libr. IV. de eccles. c. 14. §. ad quartum: *Vespasianum nec vere cæcum, nec vere claudum curasse, cum medici interrogati, an morbi duorum illorum curabiles essent, adfirmate responderint.* Cornelio Tacito referente. Atqui si vel maxime illi, qui a Vespasiano curati, non fuerint vere cœci & vere claudi, sed medicorum opera restitui potuerint, negari tamen nequit, dæmonum ac magorum opera fieri posse, ut qui vere cœci & vere claudi medicorum etiam judicio adparent, sanitati restitui possint, cujus rei & historia & experientia testis est. Aliter igitur excipit Bellarminus, *credibile esse, quod totus ille morbus fuerit a diabolo, qui insidens in oculo unius & alterius tibia impedierit usum illorum membrorum, idque eo fine, ut viderentur sanare, cum desineret nocere.* Resp. sufficit hoc nobis ad nostræ sententiæ confirmationem. Quia enim diabolica miracula, quoad *externam speciem* cum veris ac divinis, conveniunt, licet quoad rem toto cœlo differant, ideo periculosum est, ex solis miraculis externis de doctrina velle judicare. Sola externa species miraculi in oculos incurrit, dignotio rei ac diversitatis illius discretio, quæ inter divinum & diabolicum miraculum intercedit, nec oculis nec aliis sensibus est obvia; fieri ergo potest, ut diabolica miracula ob *externam speciem & adparentiam*, qua' cum veris & divinis miraculis conveniunt, pro veris habeantur. Agnoscit hoc quodammodo ipse Bellarminus, siquidem hoc ipso loco §. *est autem*; sic scribit: *Ante adprobationem ecclesiae non est evidens aut certum certitudine fidei de ullo miraculo, quod sit verum miraculum, quia non constat nobis certitudine, cui non potest subesse falsum, illam non esse illusionem daemonis. Daemon enim etsi non potest facere vera miracula, tamen potest facere adparenter etiam maxima quaeque.* Quod si igitur cum specie & adparentia externa in miraculis rei veritas non est perpetuo conjuncta, magni omnino periculi est, ex specie externa de veritate miraculi & de ipsa doctrina pronunciare.

§. CCLXXIII. 2.) Hæreticos ac pseudoprophetas miracula facere, ex verbo Dei & ex historia ecclesiastica demonstrari potest. Deut. XIII. 1. *Cum surrexerit in medio tui propheta vel somnians somnium, & dederit tibi signum vel portentum*, v. 2. *& venerit signum & portentum, quod locutus est ad te dicendo: Eamus post deos alienos, &c.* In quæ verba sic commentatur Theodoretus: *Permissu Dei pseudopropheta prodigiosa facit. Instruimur autem non credere, quando qui talia edit, contraria pietati docet.* Et paulo ante: *Permittente Deo daemones operantur. Sic & medici Pharaonis prodigium virgae, fluvii & ranarum ediderunt, ita concedente sapientissimo Deo ad arguendam operantis insaniam.* Item Paulus Fagius in Thargum: *Dare signum est praedicere aliquid venturum, quod non est naturae insolens, sed in signum promissionis aut comminationis, sicut Samuel occursum trium virorum Sauli praedicit. Prodigium autem sive portentum, ubi supra id quod creditur naturae esse, aliquid in signum datur, sicut conversio virgae in serpentes. Porro si roget quis, quomodo falsus propheta signa facere possit? respondent Hebraei bifariam. Quidam putant locum istum intelligendum de signis aliquid repraesentantibus, sicuc Sedechias imposuit capiti suo cornua ferrea pollicens regi victoriam mendacem.* 1. Reg. XXII. *Alii intelligunt de signis, quae fiunt per incantationem vel magicam artem, qualia signa fecerunt magi in Ægypto.* Addit Fagius: *Locus iste diligenter notandus, quod scilicet Deus permittit aliquando Satanae facere miracula in hoc, ut tententur sui, quam constanter verbo suo adhaerere velint.* Pertinent igitur huc miracula *magorum Aegyptiorum* (*) Jannis & Jambris 2. Tim. III. 8. qui incantationibus suis virgas in medium pro-

2) *Pseudopropheræ*,

(*) De miraculis magorum Ægyptiorum præter alios evolvi possunt WILLIAM FLEETWOOD in libro anglice

projectas commutarunt in serpentes, Exod. VII. 12. cujus miraculi rationem Josephus lib. II. antiq. c. 5. sic explicat, quod *incantatores illi praestigiis fascinaverint oculos spectatorum, ut baculi ipsis viderentur esse serpentes.* Quamvis vero tales praestigias & possit & soleat diabolus oculis hominum objicere, tamen cum serpentes magorum dicantur devorati a serpente Aaronis, ideo rectius dicitur cum Cyrillo lib. VII. in Johan. VIII. *artificio & opera diaboli factum esse, ut in locum projectarum virgarum modo invisibili serpentes aliunde adlati substituerentur.* Augustinus lib. III. de Trinitat. cap. 8. hac de re sic disputat, *quod diabolus pro subtilitate sui sensus & corporis semina rerum istarum nobis occultiora noverit, & ea per congruas temperationes elementorum latenter spargat, atque ita gignendarum rerum & accelerandorum incrementorum praebeat occasiones.* Neque tamen propterea ipsum dici posse creatorem, *cum occultorum & invisibilium istorum seminum in corporeis hujus mundi elementis latentium creator sit solus is, qui est omnium rerum creator, cujus permissione mirabilia illa diabolus facit.* Idem judicium sit de spectaculo aquarum in sanguinem mutatarum regi objecto Exod. VII. 22. ac de productione ranarum ex aquis, VIII. 7. quæ mutatio aquarum ac productio ranarum vel fuit præstigiatoria, vel facta per subitam translationem sanguinis in locum aquæ, & repentinam ranarum ex alio loco deportationem. Tandem vero illa magorum potentia, ubi ad minutissima & abjectissima animalcula videlicet ad pediculos ex pulvere producendos deventum est, omnino defecit, *ut intelligatur, quidquid hactenus potuerunt, id non nisi data desuper potestate potuisse*, ut loquitur Augustinus lib. III. de Trinit. cap. 7. Ideo autem *quaedam mira facere permissi sunt, ut mirabilius vincerentur*, ut idem loquitur lib. X. de civ. Dei cap. 8. Ceterum quod in vet. test. a magis Ægyptiis ac pseudoprophetis factum, idem in nov. test. fieri posse Christus & apostoli testantur: Matth. VII. 22. *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo daemonia ejecimus, & in nomine tuo δυνάμεις πολλὰς, miracula multa, fecimus;* (ita enim hoc vocabulum accipitur Matth. XI. 20. XIII. 58. & alibi passim) v. 23. *& tunc confitebor illis: non novi vos, discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem;* ex quibus verbis ita infert Justinus in qq. & resp. ad orthod. quæst. V. pag. 309. *Virtutum ac miraculorum repraesentatio si probatio ad indicium esset verae religionis, minime gentium Dominus eos reprobasset & indignos familiaritate sua pronunciasset, qui dixerant: Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, &c.* Matth. XXIV. 24. *Surgent pseudoChristi & pseudoprophetae, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi.* v. 25. *Ecce praedixi vobis!* (In quæ verba sic commentatur Cornel. Jansenius scriptor pontificius cap. 123. concord. evangel. pag. 842. *Nostris temporibus apud nos christianos fuerunt, qui se Christum esse regem Sion ac salvatorem hominum mentiti sunt stultissime, quibus nec defuerunt sui prophetae, nec signa & prodigia, quibus imposuerunt hominibus quibusdam in fide non radicatis. Inter quae signa illud censeri potest, quod apud eos baptizati post calicis cujusdam, ut dicitur, potionem, mox cum hominum admiratione scripturas sacras tenerent melius, quam qui in eis adsidue essent versati, & in alios plane homines essent mutati, mortem pro suae sectae defensione intrepide subeuntes, omnesque suas facultates in commune conferentes. His adeo potenter homines seduxerunt, ut si fieri potuisset, etiam electis imponere potuissent.*) Luc. XI. 19. Christus testatur



ce edito, sub tit. *essay upon miracles* &c. Prodiit is Londini MDCCI. 8. & germanice Lipsiæ *MDCCV.* 8. inprimis Jo. Clericvs in *commentario* ad *Exod. cap. VII. 11.* Bvddevs in *hist. ecclesiast. vet. test. tom. I. p. 512.* Serces *loco excitato*, Jac. Savrinvs in *den Betrachtungen über die wichtigste Begebenheiten des alten und neuen Testaments, part. I. p. 631. seqq.* nec non Moshemivs in *adnotat. ad Cudworthum p. 270. seqq.*

statur, *pharisaeorum filios, id est, discipulos ejeciſſe daemonas.* 2. Theſſ. II. 9. *Adventus antichriſti erit ſecundum operationem ſatanae in omni virtute & ſignis & prodigiis mendatibus,* v. 10. *& in omni ſeductione iniquitatis, &c.* Apoc. XIII. 13. *Beſtia facit ſigna magna, ut etiam ignem faciat de cœlo deſcendere in conſpectu hominum,* v. 14. *& ſeducit habitantes in terra propter ſigna, quae data ſunt illi facere in conſpectu prioris beſtiae, &c.* De Marco haereticо & impoſtore peſſimo ſcribit Irenaeus libr. I. adv. haereſ. cap. 8. p. 43. *Alius quidam ex iis, qui ſunt apud eos,* (Colarbaſios) *magiſtri, emendatorem ſe eſſe glorians, Marcus eſt autem illi nomen, magicae impoſturae peritiſſimus, per quam & viros multos, & non paucas faeminas ſeducens, ad ſe convertit, velut ad ſcientiſſimum & perfectiſſimum & virtutem maximam ab inviſibilibus logis habentem fecit, praecurſor quaſi vere exiſtens antichriſti. Anaxilai enim ludicra cum nequitia eorum, qui dicuntur magi, commiſcens, per haec virtutes perficere putatur apud eos, qui ſenſum non habent & a mente exceſſerunt.* Cap. 9. p. 44. *Fingens ſe poculis, quibus vinum infuſum ac immixtum eſt, gratiis actiis precari, atque longius extendens ſermonem invocationis efficit, ut purpurea & rubicunda adpareant, ut putetur gratia ab iis, quae ſupra univerſa ſunt, ſanguinem ſuum in illud poculum ſtillare per invocationem ipſius, & qui adſunt maxima cupiditate ducantur guſtandi illius poculi, ut in ipſos more pluviae inſtuat gratia, quae per hunc magum invocata eſt. Rurſum vero mulierculis tradens pocula vino commixta ipſas gratias agere & precari jubet ſe praeſide. Quod ubi peractum eſt, ipſe proferens aliud poculum paulo majus eo, ſuper quo decepta muliercula gratias egit, atque tranſfundens e minore illo in majus, quod ita praeparavit, ſimul ita dixit: gratia, quae ante univerſa eſt, neque mente comprehendi, neque ſermone exprimi poteſt, impleat tuum interiorem hominem, &c. Et talia quaedam locutus ubi infelicem illam velut æſtro pupugit, viſus eſt admiranda facere, poſtquam majus poculum a minore, ita ut ſuperflueret, impletum eſt. Atque alia quaedam his ſimilia faciens multos fefellit & poſt ſe abduxit.* (Graeca Irenaei verba dilucidiora refert Epiphanius libr. I. tom. III. haereſ. 34.) Idem cap. 12. p. 58. refert *quendam divinum ſenem & concinnum veritatis praeconem ad hunc Marcum dixiſſe: idolorum fictor Marce & portentorum inſpector, aſtrologicae & magicae artis perite, quibus confirmas doctrinas erroris, oſtendens ſigna iis, qui a te ſeducuntur, quae ſunt operationes apoſtaticae virtutis, quas tibi ſatanas pater ſubminiſtrat, quaſi per angelicam virtutem Azazel, qui te poteſt praecurſorem facere callidae nequitiae, quae Deo adverſatur.* Lib. II. adv. haereſ. c. 57. p. 160. *Eorum, quae Chriſtus ad utilitatem hominum & firmitatem fecit,* (haeretici Valentiniani) *nihil tale nec ſimile nec ſecundum aliquid in comparationem quod venire poſſit, perficere inveniuntur. Sed ſi aliquid faciunt per magicam operationem, fraudulenter ſeducere nituntur inſenſatos, fructum quidem & utilitatem nullam praeſtantes, in quos virtutes perficere ſe dicunt, adducentes autem pueros inveſtes & oculos deludentes & phantaſmata oſtendentes ſtatim ceſſantia & ne quidem ſtillicidio temporis perſeverantia, non Jeſu Domino noſtro, ſed Simoni mago ſimiles oſtenduntur.* De Donatiſtis commemorat Auguſtinus, quod ipſi quoque de miraculis gloriati fuerint, unde tract. XIII. in Joh. ipſos vocat *mirabiliores*, ac libr. de unit. eccleſ. cap. 16. ſcribit: *Non dicat, ideo verum eſſe, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus, removeantur iſta vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium ſpirituum.* De Novatianis itidem referunt eccleſiaſticae hiſtoriae ſcriptores, quod miracula fecerint. Socrates lib. VII. c. 17. *Cum Judaeus quidam veterator chriſtianam fidem ſimulans jam ante ſaepius baptizatus a Paulo Novatianorum epiſcopo baptiſmum peteret, iſque Judaeum ad baptiſterium deduceret, aqua univerſa divina quadam virtute, quae oculis percipi non poterat, ſubito evanuit.* De Turcis

cis refert Septemcastrensis libr. de moribus Turcarum c. 14. quod ipsorum religiosi plurima miracula faciant tum vivi tum mortui.(*) Huc pertinent dicta veterum. Tertullianus de præscript. cap. 44. *Adjicient* (seducti ab hæreticis rationem Christo in die judicii reddituri) *multa de autoritate cujusque doctoris haeretici, illos maxime doctrinae suae fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, uti merito apostoli crederentur: quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent ad fallaciam muniendam corruptae praedicationis.* Athanasius lib. qq. ad Antiochum quæst. CX. tom II. p. 306. *Non sit nobis mirum, quosdam haereticos signa edere, audivimus enim Dominum dicentem: Multi dicent in die illa, &c.* (**) Hieronymus in comm. ad Galat. lib. III. *Observandum est, quod operari virtutes dicantur ii, qui non tenent evangelii veritatem, hoc dico adversum haereticos, qui probationem esse fidei suae ex eo, si signum aliquod fecerint, arbitrentur.* Augustinus lib. XV. cont. Faust. c. 5. *Miracula* (vos Manichæi) *non facitis, quae tamen si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus per instruentem nos Dominum & dicentem: Exsurgent pseudo-Christi &c.* Theophylactus in IX. Luc. *Multi saepenumero miracula per daemonas fecerunt, at illorum praedicatio sana non fuit, quare neque miracula illa ex Deo fuerunt.* Nec possunt ipsi pontificii inficias ire, etiam hæreticos quandoque vera miracula edere. In jure canon. part. II. decret. caus. 1. q. 1. c. 5. *Praeter unitatem & qui facit miracula, nihil est. In unitate erat populus Israël, & non faciebat miracula. Praeter unitatem erant magi Pharaonis & similia Mosi faciebant.* Maldonatus in comm. Matth. VII. *Chrysostomus, Hieronymus, Euthymius, Theophylactus probant exemplis, etiam per alios quam catholicos vera miracula fieri, & ex hoc ipso loco,* multi dicent in illo die, *&c. facile colligitur, falsos illos prophetas, de quibus Christus loquitur, vera miracula fecisse, vere prophetasse, vere daemonia ejecisse, nec enim respondet Christus mentiri eos, sed se eos, quamvis ista fecerint, non nosse. Nec magnum est, si moneret nos falsa miracula facientibus ne crederemus, sed magnum & admirabile est omnino, quod monet, ne falsis prophetis credamus, vera etiam miracula facientibus.* Idem in IX. Marci p. 765. *Potuit* (is, qui in Christi nomine ejiciebat dæmonia) *neque corpore neque animo, id est, fide doctrinaque secutus Christum, daemones pellere, ut docemur testimonio Christi Matth. VII. & Augustinus lib. IV. de conf. evang. c. 5. & Beda ac Theophyl. h. l. sentiunt.* Claudius Espencæus in comm. 2. Tim. p. 83. *miracula Deo & diabolo, Christo & antichristo communia esse* scribit. Salmeronius tom. IV. part II. p. 260. *Daemon nolentibus claritatem veritatis recipere, falsa miracula adhibere solet ad mendacia confirmanda.* Pererius comm. in Genes. VII. disp. 5. *Etiam haeretici per sacra verba, aut nomen Christi, aut sacramenta christiana expellunt daemonas; cum autem malum jubentibus, daemones voluntario cedunt: cum vero inviti, in honorem excellentissimi imperatoris Christi. Talis fuit is, de quo discipuli loquuntur ad Christum* Marc IX. 38. *Magister in nomine tuo ejicit daemonia, cum tamen servavit. Oportet & hoc notari, quod multi prave credentes multos labores obtulerint Deo per exercitationem, & mercedem pro eis a Deo acceperint in hoc seculo sanationum & prophetiarum donum, ut in futuro seculo audiant: Accepistis bona vestra & labores vestros, nunc non amplius vobis dabitur.* Idem in Psal. IX. col 67. *Cum signa illa* (antichristus) *facere coeperit, quanto mirabiliora videbuntur hominibus, tanto illi sancti, qui tunc erunt, contemnentur & quasi pro nihilo habebuntur, quos ille, cui per justitiam & innocentiam resistent, miraculis factis superare videbitur &c.* Gerhardus.

(*) De miraculis Muhammedanorum, quorum vero nonnulla oppido sunt ridicula, nonnulla adnotarunt Petr. Baelius in *dict. hist. & crit. tom. III.* voce *Mahomet, not. (qq)* p. 272. edit. Amstel. MDCCXXX. Jac. Vernetus *loco supra adlegato p. 630.* & Jacob. Zimmermannus, theologus nuper Tigurinus, isque doctissimus, in *opusculis theologici, histor. & philosoph. argumenti, tom. I. part. I. p. 437.*

(**) *Saepe enim non virtute miraculi edentis, quae sanationem efficiat, miracula fiunt, sed fide ad eum adeuntis hominis. Scriptum est enim: Fides tua*

*men Christum non sequeretur.* Stapletonus in promtuar. morali dom. XXIV. post Pentecost. p. 627. *Etiam vera miracula non solum antichristus ipse ejusque praecursores proximi, sed quilibet haeretici non secus quam magi Deo permittente operari possunt.* Acosta de temp. novissi. cap. 19. *Tempore antichristi difficile erit signa vera discernere à falsis, ubi multa & magna erunt veris similima.* Costerus in enchir. loc. de eccles. concedit, Novatianos olim sua habuisse miracula.

*Exceptiones Bellarmini.*

§. CCLXXIV. Bellarminus ex his quaedam deligit, quibus exceptiones suas opponat. 1.) De miraculis antichristi Matth. XXIV. 24. 2. Thess. II. 9. 10. Apoc. XIII. 13. 14. respondet, quod *futura sint non vera & solida, sed adparentia vel mirabilia hominibus, non autem absolute miracula, qualia arte daemonis fieri possunt;* id confirmat ex 2. Thess. II. ubi vocantur *mendacia*, & ex Apoc. XIII. ubi pro *maximis antichristi miraculis* ponitur, *quod faciet ignem de cælo descendere, & ut imago bestiae loquatur, haec autem facilima esse diabolo palam est. At miracula sanctorum sunt illuminationes caecorum, curationes claudorum, excitationes mortuorum, quae nonnisi divina virtute fieri possunt.* Resp. antichristi miracula dicuntur mendacia, vel ut ex graeco rectius vertitur, *prodigia mendacii* τέρατα ψεύδης, non tam ratione *formae*, quasi omnia futura sint falsa & adparentia duntaxat, quam ratione *finis*, quia scilicet ad confirmationem mendacii erunt directa, ut ex Chrysostomo & Augustino paulo superius audivimus. Quemadmodum enim magi Ægyptiaci ante liberationem Israelitarum ex Ægypto miracula mendacii edentes non ludebant nudis praestigiis, sed arte sua diabolica verum serpentem oculis spectatorum objiciebant ad idololatriae Ægyptiacae confirmationem: ita quoque antichristus ante finalem liberationem filiorum Dei ex hoc mundo non nudis ludet praestigiis, sed talia miracula ad confirmationem suorum mendaciorum faciet, qualia per extremam & summam diaboli potentiam fieri possunt. Id ipsum confirmatur ex emphasi dictorum. Matth. XXIV. 24. dicitur, *pseudoChristos & pseudoprophetas illos talia ac tanta miracula edituros, ut si fieri posset, etiam electi per illa seducerentur.* Atqui si essent mera phantasmata ac praestigiae satanicae, seductionis non tantum metuendum esset periculum. 2. Thess. II. 9. notanter dicit apostolus, quod *antichristi adventus futurus sit* κατ' ἐνέργειαν τῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους, v. 10. καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις, id est, diabolus omnem vim suam in miraculis antichristi organi sui exseret, neque quidquam, quod ad seductionem hominum facere possit, intentatum relinquet. Audiat Bellarminus hac de re Cornelium Jansenium suae religionis, non tamen jesuiticae professionis hominem in comment. concord. evang. cap. 123. fol. 843. *Quod antichristi signa & miracula dicuntur mendacia, non sic accipiendum est, quasi omnia illa signa sint efficienda per sensuum & phantasmatis ludificationem, ut quod non sit, esse tamen videatur; quaedam enim vere efficiet per conjunctionem occultam causarum naturalium, quomodo ignem vere potest à cælo deducere, & alia multa facere mirabilia, quae tamen dicuntur signa mendacia, sive quia ad mendacium pertrahunt, dum creduntur fieri virtute divina, sive quia quamvis sint verae res, non tamen sunt vera signa & miracula, quia id demum vere & proprie miraculum est, quod fit supra naturam & virtute supernaturali, quae soli Deo competit.* Audiat Pererium suae religionis & professionis, hoc est, jesuiticae societatis hominem comment. in Daniel. libr. IV. *Duo sunt miraculorum genera, quaedam hujusmodi, ut non nisi per omnipotentiam Dei fiant, hujusmodi non faciet antichristus: alia quae fieri possint potentia causarum naturalium, operante daemone, hominibus ignota, quae modo invisibili adhibebuntur & quasi miracula existimabuntur: haec signa vera sunt, sicut illa magorum vera fuisse arbitratur Augustinus, nihilominus mendacia, quia qui faciet, se ea facere miraculose virtute divina falso profitebitur.* Audiat Thomam Aquinatem,

in

in cujus verba juravit part. I. quæſt. 114. art. 1. *Etiamſi ſint vera antichriſti miracula, ad mendacium tamen pertrahunt credituros.* Imo audiat Bellarminus ſe ipſum libr. III. de Rom. pontif. cap. 15. §. porro; *Miracula, quae operaturus eſt antichriſtus, erunt mendacia ſigna ratione omnium cauſarum, finalis, efficientis, materiae & formae. Finis enim eorum miraculorum erit, oſtendere antichriſtum eſſe Deum & Meſſiam, quod erit perniciosiſſimum mendacium. Chryſoſtomus in hunc locum* (2. Theſſ. II) *docet, mendacia vocari ea miracula, quia ad mendacium inducent &c. deinde vocantur mendacia ſigna ab efficiente, nam cauſa efficiens principalis erit pater mendacii, id eſt, diabolus. Erunt etiam mendacia multa ex illis,* (ergo non omnia, ut hoc loco adſerit) *quia erunt phantaſtica & praeſtigiae quaedam. Denique erunt quaedam ex illis mendacia ratione formae, licet vera ratione materiae, quia interdum res veras operabitur, ſed quae non ſuperabunt vires totius naturae, & ideo non erunt vera miracula formaliter.* Quod Bellarminus hoc loco ſubjungit, *illuminationes cœcorum, curationes claudorum & excitationes mortuorum non niſi divina virtute fieri poſſe,* id facile concedimus, interim tamen certum eſt, id non niſi de veris illuminationibus vere cœcorum, ac veris excitationibus vere mortuorum accipiendum eſſe, cum diabolus etiam quoad externam ſpeciem ſimilia facere poſſit, qua de re ſic ſcribit Bellarminus libro III. de pontific. cap. 15. §. erunt etiam: *Antichriſtus videbitur excitare mortuos & ſanare aegrotos, ſed illuſiones daemonum erunt, non verae excitationes aut ſanitates, propter quod Apoc. XIII. dicitur facturus miracula in conſpectu hominum, id eſt, adparentia & deludentia conſpectum hominum, non ſolida & vera, ut Aretas in eum locum adnotavit.* Et poſtea. §. Exempla: *Antichriſtus finget ſe mori & reſurgere.* Idem lib. IV. de eccleſ. c. 14. reſp. ad 4. recte diſputat, *cœcum & claudum hoc modo a Veſpaſiano curatum, quod diabolus inſidens in oculo unius, in alterius vero tibia, uſum iſtorum membrorum impedierit, idque eo fine, ut videretur ſanare, cum deſineret nocere.* Jam vero externo intuitu dignoſci ac diſtingui nequit, an illuminatio cœci, ſanatio claudi & excitatio mortui ſit vera, an ſaltim adparens; an facta ſit divina virtute, an vero dæmonis illuſione. Diabolus enim *transfigurat ſe in angelum lucis.* 2. Cor. XI. 14. unde ipſe Bellarminus d. l. §. *eſt autem,* diſerte ſcribit: *Non conſtat nobis certitudine, cui non poſſit ſubeſſe falſum, illam non eſſe illuſionem daemonis, daemon enim etſi non poteſt facere vera miracula, tamen poteſt facere adparenter etiam maxima quaeque.* 2.) De miraculis Donatiſtarum reſpondet, *ea non fuiſſe talia, qualia ſunt ſanctorum, ſed occultas quasdam viſiones tantum, quas ſine ullo teſte jactabant ſe vidiſſe.* Addit Bellarminus fabulam de quadam viſione ex libro, qui inſcribitur *ſomnium Lutheri,* ubi Lutherus narratur *adparuiſſe quibusdam Lutheranis, triſtique vultu conqueſtus, quod tam ſe quam doctrinam ſuam diſcipuli ſui brevi eſſent deſerturi,* a quibus viſionibus diſtinguit vera miracula, quæ ab Auguſtino maximi fieri probat ex lib. XXII. de civit. Dei c. 8. ubi contra paganos adducit *miracula maxima, facta ad reliquias ſanctorum, praecipue Stephani protomartyris.* Reſp. Donatiſtæ non ſolum occultas viſiones, ſed etiam manifeſta miracula jactitabant, ſic enim de illis ſcribit Auguſtinus libr. de unit. eccleſ. cap. 16. *Non dicat, ideo verum eſſe, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius, vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias mortuorum noſtrorum orant & exaudiuntur, aut quia illa & illa ibi contingunt, aut quia ille frater noſter & illa ſoror noſtra tale viſum vigilans vidit, vel tale viſum dormiens ſomniavit &c.* ubi Auguſtinus & viſiones & miracula Donatiſtarum conjungit, & addit: *Removeantur iſta vel figmenta mendacium hominum vel portenta fallacium ſpirituum. Aut enim non ſunt vera, quae dicuntur, aut ſi haereticorum aliqua mira facta ſunt, magis cavere debemus, quod cum dixiſſet Dominus, quosdam futuros eſſe fallaces, qui nonnulla ſigna faciendo etiam electos, ſi fieri poſſet, fallerent, adjecit vehementer commendans & ait, Ecce praedixi vobis*

*bis.* Ita quoque tractat XIII. in Johan. contra illos mirabiliarios prædictionem Christi urget: *In novissimis diebus exsurgent pseudoprophetae facientes signa & portenta magna &c.* & addit: *Ergo cautos nos fecit sponsus, quia & miraculis decipi non debemus.* Atqui si Donatistæ duntaxat occultas quasdam visiones jactitassent, quorsum opus fuisset vanam illam jactantiam operose confutare, & prædictionem Christi de pseudoprophetarum miraculis tantopere contra ipsos urgere? Quæ vero miracula & quo respectu Augustinus & nos cum ipso maximi faciamus, ex sequentibus intelligetur. Fabula de Lutheri visione, quam Bellarminus forte somnians vidit, oblectet se, quamdiu vehit. Hominis est nimium creduli talibus nugis & figmentis fidem adhibere. 3.) De miraculo Novatianorum respondet, *factum id esse non in confirmationem fidei Novatianae, sed catholici baptismi.* Resp. alia est quæstio de miraculi veritate, alia vero de miraculi fine. Sufficit nobis, quod Bellarminus concedit, *etiam per haereticos vera miracula fieri posse, quibus tamen non confirmetur doctrina ipsorum haeretica, sed baptismus & alia quaedam dogmata ad catholicam ecclesiam pertinentia, quae in haereticorum coetibus quandoque integra adhuc habentur.* Eadem fere ratione disputat Athanasius in qq. ad Antioch. quæst. CX. *Saepe non virtute miracula edentis, quae sanationem efficiat, miracula fiunt, sed fide ad eum adeuntis hominis, scriptum est enim:* fides tua te servavit. *Oportet & hoc notari,* (inquit) *quod multi prave credentes multos labores obtulerint Domino per exercitationem, & mercedem pro eis a Deo acceperunt in hoc seculo sanationum & prophetiarum donum &c.* Idem agnoscit Mart. Delrius libr. II. disquis. magic. q. 7. *Solet quidem Deus hanc gratiam* (miracula faciendi) *gratuito etiam perperam de fide sentientibus largiri, sed in verae fidei probationem, ut quando dedit prophetiam Bileamo & Caiphae. In falsae fidei confirmationem nec dedisse, nec magis dare Deus potest, quam potest veritas mentiri.* Paratam igitur ex ipso Bellarmino habemus responsionem ad miracula jesuitica, quæ per nomen Christi in novo orbe faciunt; ut adparebit inferius.

*Miracula ecclesiae non conveniunt semper.*

§. CCLXXV. II.) Expositis hactenus primum sententiæ nostræ argumentum, succedit alterum. Quodcunque ecclesiæ non convenit semper ac perpetuo, non est genuina, propria & infallibilis ejus nota. Miracula non conveniunt ecclesiæ semper ac perpetuo. Ergo non sunt genuina, propria & infallibilis ecclesiæ nota. *Adsumtum* confirmatur, quia donum miraculorum fuit primitivæ ecclesiæ proprium, progressu vero temporis cessavit. Fuerunt miracula velut buccinæ atque præcones, quibus evangelium primitus commendabatur. Vt enim legi Mosis compluribus miraculis in monte Sina & per desertum autoritas fuit conciliata, quæ tamen postea, cum ad terram promissionis ventum est, cessarunt: eadem ratione sublata sunt miracula, cum prædicatio evangelii per universum orbem fuisset diffusa. Confirmari illud potest ex scripturis sacris, ex historia ecclesiæ & ex testimoniis patrum. Marc. XVI. 17. Christus apostolos suos ad *praedicandum evangelium* in toto terrarum orbe ablegans instruit eos dono miraculorum edendorum, quibus doctrinæ evangelicæ veritatem gentilibus confirment, quemadmodum etiam jam ante tum ipsos, tum septuaginta discipulos ad prædicandum in Judæam ablegatos dono illo instruxerat; Matth. X. 1. Marc. VI. 13. Luc. IX. 1. X. 1. 9. 17. 19. nequaquam vero generalem quamdam promissionem dedit, quod donum illud etiam post prædicationem evangelii in mundo receptam, ordinarie & perpetuo in ecclesia vigere debeat. De *dono enim linguarum,* quod apud Marcum inter illa miracula apostolicæ ac primitivæ ecclesiæ refertur, dicit Paulus 1. Cor. XIV. 22. *Linguae in signum sunt non fidelibus sed infidelibus;* ex quo loco Claudius Espencæus comm. in 2. Tim. III. colligit, *ubi nullus est infidelis, faciendorum miraculorum nulla est necessitas.* (*) Virtute illius pro-

(*) Chrysostomus in Matth. hom. IV. & XXXIII. & XLVII. multis docet, *hodie, postquam plantata est reli-*

promissionis a Christo apostolis factæ in ecclesia aliquamdiu viguit donum miracula faciendi, ut ex actis apost. & historia ecclesiastica colligitur. Irenæus lib. II. adversus hæres. c. 57. p. 160. de suis temporibus sic scribit: *In Christi nomine, qui vere illius sunt discipuli, ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim daemones excludunt firmissime & vere, ut etiam sæpissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus & sint in ecclesia. Alii autem scientiam habent futurorum & visiones & dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manuum impositionem curant & sanos restituunt. Iam etiam & mortui resurrexerunt & perseverarunt nobiscum multis annis, & quid autem? non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum ecclesia a Deo accipiens in nomine Christi Iesu crucifixi per singulos dies in opitulationem gentium perficit.* Postea vero recepta in mundo evangelii prædicatione donum miraculorum non fuit tam generale, sed quibusdam duntaxat personis ex gratia datum, sicut de Gregorio, Thaumaturgo ob id dicto, commemoratur ab Eusebio lib. VII. c. 25. & Hieronymo in vir. illustr. quod virtute edendi miracula instructus fuerit. Neque passim in omnibus locis, sed in quibusdam duntaxat fiebant miracula, quibus gentes adhuc incredulæ ad fidem invitarentur, unde Eusebius lib. V. histor. c. 7. scribit, *statim post apostolorum tempora, etiam Irenæi tempore non passim, sed in quibusdam duntaxat ecclesiis adhuc patrata esse,* & Augustinus lib XXII. de civit. Dei c. 8. licet aliquot miracula suo tempore facta recenseat, de cœco Mediolani circa sepulcra martyrum Protasii & Gervasii illuminato, de Innocentio Carthagini a fistula liberato, de Innocentia ibidem a cancro mammillari ad signum crucis curata &c. tamen in principio capitis distinguit inter tempus illud, quo evangelium nondum fuit in mundo publice receptum, & inter tempora posteriora evangelii in toto orbe prædicationem consecuta. *Possem* (inquit) *dicere necessaria fuisse prius, quam crederet mundus, ad hoc, ut crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Idem libr. de utilit. credendi cap. 16. *Talia miracula* (salutaria) *facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quemadmodum sat erat, hominibus adparebat. Sanati languidi, mundati leprosi, incessus claudis, cæcis visus, surdis auditus est redditus &c. Sic in se tunc animas errantes mortalium divina commovebat autoritas. Cur,* inquis, *ista modo non fiunt? quia non moverent, nisi mira essent. At si solita essent, mira non essent &c. facta igitur sunt illa opportunissime, ut his multitudine credentium congregata atque propagata in ipsos mores utilis converteretur autoritas.* Hanc suam sententiam sic declarat libr. I. retract. cap. 14. *Hoc dixi, quia non tanta nec omnia modo, non quæ nulla fiunt etiam modo miracula.* Libr. de vera relig. c. 25. *Accepimus majores nostros ea gradu, quo a visibilibus ad æterna conscenditur, visibilia miracula (non enim aliter potuerunt) secutos esse, per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris. Cum enim ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit;* quæ verba sic declarat lib. I. retract. cap. 13. *Verum est quidem, non enim nunc usque, cum manus imponitur baptizatis, sic accipiunt Spiritum sanctum, ut loquantur linguis omnium gentium, aut nunc usque per umbram transeuntium praedicatorum Christi sanantur infirmi, & si qua talia tunc facta sunt, quae postea cessasse manifestum est, sed non sic accipiendum est, quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri nulla miracula credantur &c. tam multa enim etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea, quae cognoscimus, enumerare possimus.* Chrysostomus hom. XXIII. in Joh. non longe a princ. *Nonne & nunc quoque signorum petitio*

*titio tentantium est? Sunt sane & hae nostra aetate, qui quaerant, quare & nunc signa non fiunt? Si fidelis es, ut oportet, si Christum diligis, ut diligendus est, non indiges signis, signa enim incredulis dantur.* Hom. VI. in 1. Corinth. ante medium: *Et tunc* (tempore apostolorum) *utiliter fiebant miracula, & nunc utiliter non fiunt &c. quo enim sunt manifestiora & magis necessaria, quae fiunt, tanto magis minuitur fides, quo ergo fuerit signum manifestius ostensum, eo magis fidei merces minuitur.* Hom. XLIX. operis imperf. *Antea multis modis ostendebatur, quae esset ecclesia Christi & quae gentilitas. Nunc autem nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere, quae sit vera Christi ecclesia, nisi tantummodo per scripturas. Antea per signa cognoscebantur, qui erant veri christiani & qui falsi; donec enim vocatio fuit ad fidem ex infidelitate, fecerunt signa servi Christi, quia signa divinae vocationis testimonia sunt, ut praedicationis veritas miraculis commendetur. Cessante autem vocatione incipiet seductio revocans homines a fide ad infidelitatem, quo fit, ut nunc signorum operatio omnino sublata sit, magis autem & apud eos inventur, qui sunt falsi christiani, fieri ficta. Sicut autem Petrus apud Clementem exponit, antichristo etiam plenorum signorum faciendorum est danda potestas.* Damascenus libr. I. orthodox. fidei cap. 3. ἡμεῖς μηδὲ τῶν θαυμάτων, μηδὲ τὸ τῆς διδασκαλίας δεξάμενοι χάρισμα &c. Bernhardo multa miracula tribuuntur, sed is in serm. de Benedicto fatetur, se non edidisse miracula. *Licet* (inquit) *non habemus nostra, consolatio nobis magna esse debent patroni nostri miracula.* Ac serm. I. in die adscens. *Quis nunc daemonia ejicit, linguis loquitur &c.* Tarasius in act. IV. concil. Nicaeni II. sic loquitur: *Quare nostrae imagines nulla hodierna die edunt miracula? Respondeo cum apostolo, miracula non credentibus data sunt, sed incredulis.* Gregorius hom. XXIX. in evang. *Numquid fratres mei, quia ista signa non facitis, minime creditis? sed haec necessaria in exordio ecclesiae fuerunt, ut multitudo ad fidem crescere, quia & nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra coaluisse videamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.* (*) Libr. XXVII. moralium c. 11. *Sunt nonnulli, qui cum mira apostolorum opera audiunt, quod accepto Spiritu sancto mortuos verbo suscitarent, ab obsessis daemonia pellerent, umbra infirmitates amoverent &c. quia has virtutes nunc in ecclesia non vident, subtractam jam ab ecclesia supernam gratiam suspicantur, nescientes pensare quod scriptum est:* Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. *Tunc quippe sancta ecclesia miraculorum adjutoriis indiguit, cum eam tribulatio persecutionis pressit. Nam postquam superbiam infidelitatis edomuit, non jam virtutum signa, sed sola merita operum requirit, quamvis & illa per multos, cum opportunitas exigit, ostendit. Scriptum quippe est:* Linguae in signum sunt non fidelibus sed infidelibus. *Ubi ergo omnes fideles sunt, quae causa exigit, ut signa monstrentur?* Et postea: *Etsi Deus virtutum signa nunc per vitam fidelium crebro non exserit, ab eisdem tamen fidelibus per virtutem operum nunquam recedit.* Sic igitur miracula etiam posterioribus seculis facta sunt, sed non tam frequentia & copiosa, quam in ecclesia primitiva apostolica & apostolicae vicina. Quod autem miracula his postremis ecclesiae temporibus a vere fidelibus facienda sint, de eo nulla exstat divina promissio, quin potius de Antichristo in *templo Dei sedente* exstat, quod *miraculis mendacii* mundum sit seducturus, inde Trithemius abbas in libro octo qq. ad imperatorem Maximilianum q. 3. concludit, *hodie a veris christianis nulla miracula quaerenda vel exspectanda*, ac Discipulus de temp. serm. XII. scribit: *Tempora sunt, quando per haec non corpora sed animae suscitantur. Haec itaque signa, fratres carissimi, autore Deo si vultis, vos facitis.* GERHARDVS.

(*) *Ut fide crescerent multitudo credentium, miraculis fuit nutrienda &c. Sancta quippe ecclesia quotidie spiritualiter facit, quod tunc per apostolos corporaliter faciebat, quae utrumque miracula ma-*

*Tempore antichristi boni non facient miracula, & in hoc adparebit eorum constantia.* Ac Gersonius in libr. contra sectam se flagellantium pulcerrime scribit, *quod mundus senescens patiatur phantasias falsorum miraculorum, non secus ac senex quispiam variis deluditur somniis;* unde concludit, *miracula ut plurimum hodie esse suspecta.* Idem in expolit. pass. sic concludit: *Miracula praeterita*, (ab apostolis & præcipue a Christo ad confirmationem doctrinæ cœlestis facta) *tibi sufficere debent, si ea credis. Quod si ea non credis, neque profecto unus illis fidem adhiberes, quae videres & audires, imo ea contemneres, calumniis adficeres & reprobares. Non est certe miraculum ullum, quod firmius me faciat in Deum credere, quam quod in eum ex gratia sua credo. Satis enim mihi constat, nullum esse adeo magnum miraculum, quin ipsum divina potentia facere possit etiam majus millies.* In eandem sententiam Didacus Stella auror pontificius in XI. Luc. scribit: *Crede evangelio, quod fuit miraculis confirmatum. Sed dices, nonne rationi consentaneum est, ut nunc quoque fides confirmetur miraculis? non? nam nunc quoque damnum potius adferrent, quam commodum, etiamsi in principio nascentis ecclesiae fuerint necessaria. Puer enim cum ambulare nequit, adjuvatur vehiculo, quod homini adulto est impedimento.* Ita quoque Acosta libr. II. de procur. Indor. sal. c. 9. *Religio christiana, ubi humana praesidia prorsus aberant, divinis est fundata miraculis. At nostrorum temporum longe alia est ratio.* Ibidem ex Chrysostomo disputat, *fidem jam satis firmatam miraculis novis non indigere confirmari, quin potius utilius esse signis nunc carere, cum majoris meriti sit sine illis credere.* Cornel. Mussus in conc. dom. Pentec. p. 412. *Cessant in nobis signa illa miranda potius quam imitanda, quae in primitiva ecclesia passim abundabant, ut sunt sanare infirmos, suscitare mortuos, ejicere daemones, nationes ad fidem convertere &c. haec signa facta sunt, ut religio plantaretur, nunc autem ea plantata non sunt necessaria;* & ante hos Roffensis episcop. adverss. Lutherum de cap. Babyl. cap 10. initio hujus certaminis scripsit: *Promisit Christus, ut discipuli daemonia ejicerent, quam promissionem nullum his diebus effectum sortiri dilucide cernimus. Nemo enim est, qui nunc corporaliter daemonia ejicit, aut morbos sanat, & tamen minime ambigimus, quando plurimi sint, qui fidem eamdem & aeque magnam cum priscis fidelibus habeant, nec tamen inanis illa promissio fuit, quam noluit efficaciam habere perpetuam, sed pro tempore nascentis & adolescentis ecclesiae.* Quæ omnia evidenter probant, miracula non requiri omnibus ecclesiæ temporibus, quomodo igitur erunt genuina & propria ecclesiæ nota, cum non sint illi perpetua?

3) *Miracula sine doctrina nihil probant.*

§. CCLXXVI. III.) Miracula, si non habeant doctrinæ veritatem conjunctam, nihil probant. Ergo sola & per se non sunt genuina & infallibilis ecclesiæ nota. *Antecedens* multis confirmari potest testimoniis. Deut. XIII. 1. *Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium somniavit, & praedixerit signum aut portentum, & evenerit, quod locutus est*, v. 2. *& dixerit tibi: Eamus & sequamur deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis;* v. 3. *Non audies verba prophetae illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum in toto corde & in tota anima vestra.* v. 4. *Dominum Deum vestrum sequimini & ipsum timete & mandata illius custodite & audite vocem ejus, ipsi servietis & ipsi adhaerebitis.* Hoc divino oraculo manifeste prohibentur Israelitæ, ne ex solo miraculo de doctrina alicujus prophetæ statuant, neve sequantur eum, qui signo ac portento quodam idololatricam suam doctrinam confirmat, contra vero jubentur, ut nulla habita thaumaturgi illius pseudoprophetæ doctrina mandatis Domini firmiter adhæreant, & vocem ejus unice amplectantur, quibus verbis exprimitur norma ac regula, juxta quam de miraculis sit pronunciandum. Quæ miracula

abducunt a Dei verbo & a fiducia in verum Deum ad falsas doctrinas & cultum idolorum, ea non sunt pro divinis, sed diabolicis miraculis habenda. Exprimitur etiam causa, propter quam permittat Deus talia miracula virtute diaboli per pseudoprophetas fieri, nimirum ut tentet & exploret nos, an velimus ipsi & verbo ejus unice adhærere, adeoque ex toto corde ipsi servire, ex quo evidenter colligitur, non omnia miracula doctrinæ confirmandæ ergo, sed quædam hominum explorandorum causa fieri, quemadmodum & Augustinus lib. III. de Trinit. c. 7. de magorum Ægyptiorum miraculis recte pronunciat, quod *data fuerit illis potestas edendi quædam miracula vel ad fallendos fallaces Ægyptios, vel ad admonendos fideles, ne tale quid facere magnopere desiderarent, vel ad exercendam & manifestandam justorum patientiam.* (*) Trithemius in resp. ad octo quæst. ad imperatorem Maximil. quæst. III. *Ubi veritas non colitur, si qua fiunt miracula; non Deus, sed diabolus operatur. Deus enim cum sit veritas; religiones falsas non instituit, & ideo suis miraculis mendacium nunquam illustravit.* Ceterum ut sensus loci illius Mosaici fiat illustrior, conjungimus locum Deut. XVIII. 20. *Propheta qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur.* v. 21. *Quod si tacita cogitatione responderis: quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus?* v. 22. *Hoc habebis signum, quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem propheta confinxit, & non timebis eum.* Docentur Israelitæ pro falso propheta habendum esse eum, qui prædicit aliquid futurum, cui non respondet eventus, sed ne ex illo colligerent, omnes illos pro veris prophetis ac sanis doctoribus habendos, quorum prædictionibus eventus respondet, ideo cap. XIII, v. 1. diserte prohibentur illum prophetam sequi, qui ad idololatriam ipsos pellicere conatur, si vel maxime prædictionum veritatem subsequens complementum probet, ex quo immote colligitur, ex prædictionibus & miraculis solis non posse aliquid de doctrina statui, sed contra potius ex doctrina de prædictionibus & miraculis esse judicandum. Miracula sunt doctrinæ tesseræ ac *figilla*; quemadmodum igitur sigillum a literis avulsum nihil probat, ita quoque miracula sine doctrina nihil valent; ideo cum dives epulo in flammis infernalibus constitutus Abrahamum rogaret, ut misso ad fratres, in vivis adhuc superstites, Lazaro miraculosa illa prædicatione ipsos converteret, accipit hoc responsi Luc. XVI. 29. *habent Mosen & prophetas, audiant illos*, quibus verbis doctrina Mosis & prophetarum adparitionibus mortuorum & omnibus miraculis præfertur. Ac Petrus exposita miraculosa transfiguratione Christi in monte Thabor subjungit 2. Epist. I. 19. ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον, *habemus firmiorem sermonem propheticum*, ubi non confert invicem sermonem prophetarum & vocem Patris cœlestis in transfiguratione auditam, quia eadem etiam vox per prophetas sonuit, sed confert miraculosam Christi transfigurationem ac Mosis & Eliæ miraculosam adparitionem cum sermone prophetico, *atque hunc illis longe firmiorem ac stabiliorem dicit*, miracula enim non tam solidum præbent fidei fundamentum quam ipsum Dei verbum, quo pertinet observatio Chrysostomi hom. XXIII. in Joh. statim in princ. *Firmiores erant discipuli non signorum tantum gratia, sed & doctrinae Jesum secuti.* (ἐκεῖνοι ἀκριβέστερον ἦσαν οἱ μαθηταὶ ὅσοι μὴ ἀπὸ σημείων προσήεσαν μόνον, ἀλλὰ ἀπὸ τῆς διδασκαλίας.) *Qui enim crassiori erant ingenio, signis trahebantur; acutiori vero, prophetiis & doctrina. Quicunque igitur per doctrinam*

(*) Bellarminus lib. IV. de eccles. c. 14. *Ante approbationem ecclesiae non est evidens aut certum certitudine fidei de ullo miraculo, quod sit verum miraculum, quia non constat nobis certitudine, cui non possit subesse falsum, illam non esse illusionem daemonis. Daemon enim etsi non potest facere vera miracula, tamen potest facere adparenter etiam maxima quaque.* Gerhardvs.

*trinam crederent, constantiores erant, quos etiam beatos adpellavit, dicens: Beati, qui non viderunt & crediderunt.* Augustinus de consensu evangel. lib. IV. c. 10. *Christus regulo dicit:* Nisi signa & prodigia videritis, non creditis, *usque adeo super omnia mutabilia volens mentem credentis adtollere, ut nec ipsa miracula, quae quamvis divinitus de mutabilitate corporum fiunt, a fidelibus quaeri velit.*

§. CCLXXVII. At, inquis, si haec ita se habent, cur Christus toties provocat ad sua miracula, ut per illa auditores ad fidem perducat? Joh. V. 36. *Habeo testimonium majus Iohanne, opera enim, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa testimonium perhibent de me.* Joh. X. 37. *Si non facio opera Patris, nolite mihi credere.* v. 38. *Si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite &c.* Resp. praeterquam quod distinguendum sit inter statum ecclesiae christianae nascentis & adultae, (ut paulo superius admonuimus) non dicimus absolute & simpliciter miracula nihil probare, sed miracula sine doctrina nihil probare, conjungenda igitur cum miraculis doctrina, ad quam confirmandam adhibentur. Si doctrina convenit cum ea, quae per Mosen, prophetas, Christum & apostolos revelata est, tunc etiam miracula, quae ad illam confirmandam eduntur, pro divinis sunt habenda. Sin vero doctrina illa, ad quam confirmandam miracula fiunt, pugnet cum doctrina coelesti per Mosen, prophetas, Christum & apostolos generi humano revelata, non possunt nec debent pro divinis haberi, ut ex dicto Mosaico evidenter colligitur. Sic Christus ipse, qui tamen αὐτόπιστος & ipsa veritas non ad sola miracula provocabat, sed ad Mosen ac prophetas, ex quorum scriptis dogmata sua confirmabat Matth. V. 17. XI. 3. XXII. 29. Joh. V. 39. &c. Idem etiam miracula non praemittere solebat concionibus, sed concionc miraculis. Differit hac de re egregie Tertullianus lib. III. adv. Marcion. c. 3. in princ. *Non fuit,* inquis, *ordo ejusmodi necessarius, quia statim se & Filium & missum & Dei Christum rebus ipsis esset probaturus per documenta virtutum. At ego negabo solam hanc illi speciem ad testimonium competisse, quam & ipse postmodum exautoravit. Siquidem edicens multos venturos & signa facturos, nec tamen ideo admittendos temerariam signorum & virtutum fidem ostendit, ut etiam apud pseudo Christos facilimam.* Beroënses Act. XVII. 11. videbant quidem multa ab apostolis edi miracula, non tamen ex illis solis de doctrina judicabant, sed cum scripturis praedicationem apostolicam conferebant, quibus quoniam conformis deprehendebatur, & doctrinam & miracula vera esse statuebant, quo nomine a Spiritu sancto commendantur. Sic apostoli dono miraculorum instructi ex Mosaicis & propheticis scriptis doctrinam suam demonstrabant Act. XXVI. 22. Rom. III. 21. &c. Inde recte scribit Theophylactus in IX. Luc. *Docet Christus, ut is, cui concredita est doctrina, & praedicare & miracula patrare debeat, tunc enim praedicatio per miracula confirmatur, miracula autem per praedicationem.* Alterius sic altera poscit opem res & conjurat amice. Contra vero suspecta est *omnis revelatio, quam non probat lex cum evangelio,* ut habet vulgatum illud Gersonis, quod ipsum etiam de miraculis statuendum, ideo addit Theophylactus l. d. *Multi saepenumero miracula fecerunt per daemones, sed illorum praedicatio sana non fuit, quare neque illorum miracula ex Deo fuerunt.* In eamdem sententiam hac de re disserit Maldonatus Jesuita in comm. Matth. VII. postquam enim ex scriptura & patribus demonstrasset, etiam falsos prophetas vera miracula facere, subjicit quaestionem, *an ergo nullum ad probandam veram doctrinam argumentum ex miraculis sumi possit?* cui respondet hoc modo: *Non sequitur omnino nullum, sed non necessarium sumi posse. Scimus enim Christum ad confirmandam doctrinam suam potestatem faciendi miracula apostolis suis tradidisse. Scimus vi miraculorum totum pene orbem ad fidem fuisse pertractum, quod qui negant, ut disputat Augustinus, majus ipsi miraculum miraculo tollendo faciunt: incredibilius enim tot philosophos, tot sapientes viros,*

*tam paucis apostolis tam imperitis, tamque incredibilia humanae rationi praedicantibus sine ullis miraculis credidisse, quam illa ipsa miracula, quae ab ipsis facta narrantur. Probabile igitur fidei argumentum est, quod ex miraculis sumitur, quia per fidem saepe, sine fide raro fieri solent. Nec necessario demonstrant ecclesiam, nisi potestas miracula faciendi ordinaria contingit.* Hæc Maldonatus, cujus dissertatio esset perfectior, si addidisset, ex miraculis cum vera doctrina conjunctis necessarium omnino argumentum exstrui posse. Ferus in comm. XXIV. Matth. *Non doctrina ex miraculis, sed miracula ex doctrina æstimanda sunt.*

§ CCLXXVIII. Hujus loci est regula Augustini libr. X. de civ. Dei c. 16. *Si hi* (angeli) *mirabilibus factis humanas animas permoverent, qui sacrificia sibi expetunt: illi autem qui hoc prohibent & uni tantum Deo sacrificari jubent, nequaquam ista visibilia miracula facere dignarentur, profecto non sensu corporis, sed ratione mentis praeponenda esset eorum autoritas.* Ex quo manifeste colligitur, doctrinam esse miraculis potiorem, neque ex solis miraculis de doctrina ferendum esse judicium. Libr. XIII. contra Faustum Manich. c. 5. cum de Manichæis dixisset: *Miracula non facitis, quae si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus per instruentem nos Dominum & dicentem: Exsurgent multi pseudochristi* &c. Subjungit hoc epiphonema: *Usque adeo nihil credi voluit adversus confirmatam scripturarum auctoritatem, quae fidem suam in rebus ipsis probat.* Eodem fine disputat, miracula sola non demonstrare ecclesiam, sed ideo adprobari miracula, quia in ecclesia fiunt. Verba sic habent lib. de unit. eccles. cap. 16. post medium: *Utrum ipsi* (Donatistæ) *ecclesiam teneant, non nisi divinarum scripturarum canonicis libris ostendant, quia nec nos dicimus propterea nobis credere oportere, quod in ecclesia Christi sumus, quia ipsam, quam tenemus, commendavit Milevitanus Optatus, vel Mediolanensis Ambrosius, vel alii innumerabiles nostrae communionis episcopi, aut quia nostrorum collegarum conciliis ipsa praedicata est, aut quia per totum orbem in locis sanctis, quae frequentat nostra communio, tanta mirabilia vel exauditionum vel sanationum fiunt, ita ut latentia per tot annos corpora martyrum, quod possunt a multis interrogantes audire, Ambrosio fuerunt revelata, & ad ipsa corpora caecus multorum annorum civitati Mediolanensi notissimus oculos lumenque receperit, aut quia ille somnium vidit, & ille Spiritu adsumtus audivit, sive ne iret in partem Donati, sive ut recederet a parte Donati. Quaecunque talia in catholica fiunt, ideo sunt adprobanda, quia in catholica fiunt, non ideo ipsa manifestatur catholica, quia haec in ea fiunt. Ipse Dominus Jesus, cum resurrexisset a mortuis & discipulorum oculis videndum manibusque tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fallaciae se pati arbitrarentur, magis eos testimoniis legis & prophetarum & psalmorum confirmandos esse judicavit, ostendens ea de se impleta, quae fuerant tanto ante praedicta. Sic & ecclesiam suam commendavit dicens, praedicari in nomine suo poenitentiam & remissionem peccatorum &c.* Quid manifestius pro nostra sententia dici potuisset, quod non ex solis miraculis sed ex scripturis sacris de doctrina judicandum sit? Bellarminus regerit, *Augustinum contrario modo loqui in lib. cont. epist. fundam. c. 4. & 5. ubi dicit, ecclesiam demonstrari ex miraculis non ex scripturis, imo scripturas demonstrari ex ecclesia.* Addit etiam Bellarminus observationem, *ex miraculis ecclesiam & ex ecclesia miracula demonstrari, sed diverso genere demonstrationis, quemadmodum ex effectu demonstratur causa & ex causa effectus. Ex miraculis enim demonstrari ecclesiam, non quoad evidentiam vel certitudinem rei, sed quoad evidentiam & certitudinem credibilitatis. At ex ecclesia demonstrari miraculum, quoad certitudinem rei.* Resp. 1) Augustinus lib. cont. epist. fundam. c. 4. & 5. loquitur de miraculis ecclesiæ primitivæ. *Tenet* (inquit) *me in ecclesiae gremio consensio populorum atque gentium, tenet autoritas miraculis*

*raculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata.* Jam vero alia est ratio ecclesiæ apostolicæ ac primitivæ, quam temporum postremorum. De miraculis in primitiva ecclesia edendis exstant vaticinia prophetica Esai. XXXV. 5. Ioel II. 28. &c. quod autem postremis ecclesiæ temporibus miracula a veris doctoribus ordinarie sint edenda, nusquam in scripturis exstat, quin potius contrarium in illis habetur, quod scilicet *pseudoprophetae & antichristus* miraculis suis multos sint seducturi Matth. XXIV. 24. 2. Thess. II. 9. 2) Augustinus miraculis non tribuit apodicticam & infallibilem vim ecclesiam demonstrandi, sed duntaxat probabilem, addit enim, si Manichæi ex scripturis demonstrare possent, quam jactitant, veritatem, se velle missis miraculis & aliis, quæ ibidem commemorat, ad ipsorum partes transire. *Apud vos* (inquit) *sola personat veritatis pollicitatio, quae quidem si tam manifesta monstratur, ut in dubium venire non possit, praeponenda est rebus illis omnibus, quibus in ecclesia catholica teneor.* 3) Ex solis miraculis ecclesiam demonstrari nusquam dicit Augustinus, sed *teneri se* in ecclesia catholica autoritate, miraculis inchoata, consensione populorum ac gentium, successione episcoporum, nomine catholicæ &c. ubi nec sola miracula commemorat, nec infallibilem demonstrandi vim illis tribuit, sed enumeratis omnibus veritatem ex scripturis demonstratam præfert. 4) *si ante ecclesiae adprobationem non potest esse certum certitudine fidei de ullo miraculo, quod sit verum miraculum*, (quod distertis verbis hoc loco Bellarminus adserit) qua veritatis specie dici potest, ex miraculis ecclesiam demonstrari?

*Argumenta Bellarmini pro miraculis.*

§. CCLXXIX. Videamus, quomodo Bellarminus probare conetur, miracula esse veram & propriam ecclesiæ notam. Fundamenta præmittit duo: unum, *quod miracula sint necessaria ad novam fidem vel extraordinariam missionem persuadendam; alterum, quod sint efficacia & sufficientia.* Ex priore pollicetur, se demonstraturum, *non esse apud adversarios ecclesiam;* ex posteriore, *eam apud Romanenses esse.* Pro confirmatione prioris fundamenti producit I.) testimonia scripturæ. Exod. IV. *cum Moses mitteretur a Deo ad populum ac diceret*: Non credent mihi neque audient vocem meam, *non respondit illi Deus, debent credere velint nolint, sed dedit illi potestatem faciendi miracula, & ait: ut credant, quod adparuerit tibi Dominus.* Et in novo test. Matth. X. *Euntes praedicate dicentes: adpropinquavit regnum cælorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite.* Joh. XV. *Si opera non fecissem eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* II.) *Argumentum: Qui mittitur, debet ostendere testimonio ejus, a quo mittitur, suam autoritatem, alioquin nemo tenetur eum recipere. Omnis autem, qui mittitur ad praedicandum, vel mittitur a Deo per ordinarios prælatos, vel extraordinarie a solo Deo, & quidem qui mittitur per ordinarium praelatum, debet ostendere testimonium ordinarii praelati nimirum literas ejus sigillo munitas. Qui vero mittitur a solo Deo, debet ostendere sigillum Dei, quod nihil est aliud, quam miraculum. Sic enim dicitur* Marc. XVI. *Illi profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* Hebr. II. *Contestante Deo signis & virtutibus.* III.) *Testimonium Augustini, qui libr. XXII. de civit. Dei c. 8. dicit, miracula fuisse necessaria, ut mundus crederet.* IV.) *Consensum Philippi Melanchtonis, qui in III. Matth. dicit, quando magnæ sunt tenebræ, vocari novos doctores & semper a Deo addi miracula, ut certo sciamus esse a Deo missos.* Resp. 1) Nova fides duplicatione sic dicitur, vel quod sit *vere* τῷ εἶναι nova, vel quod *adparenter* duntaxat τῷ φαίνεσθαι nova. Sæpe enim fit, quod aliquid novum dicitur, quando renovatur, cum tamen sit antiquum. 2) *Missio extraordinaria* itidem duplici ratione dicitur, vel respectu *ordinis tunc in ecclesia publice recepti*, vel respectu *ordinis a Deo instituti*, illa spectat ad corruptelas e loco

receptas

receptas abolendas, hæc ad cultum, quem Deus instituit, mutandum. Ad fidem sensu priore novam & ad missionem sensu posteriore extraordinariam miracula requiri, probant argumenta a Bellarmino adlata, (si tamen aliquid probant;) sed nostra fides, quam profitemur, non est nova, sed per omnia conformis antiquæ fidei in scripturis sacris propositæ, ac missio Lutheri & aliorum symmistarum non fuit extraordinaria sensu posteriore, sed ordinaria, ergo non debent pontificii miracula quædam externa a nobis exigere. (*) 3) Ad fidem posteriore sensu novam & ad missionem priore sensu extraordinariam miracula necessario requiri, ex scripturis non poterit demonstrari, quin potius contrarium ex illis colligitur. Quoties enim pii reges ac prophetæ in ecclesia Israelitica corruptelas doctrinæ & cultus Baaliticos removerunt, qui tamen nulla fecerunt miracula? Quoties orthodoxi episcopi nov. test. ecclesiam ab Arianismo & aliis hæresibus expurgarunt, qui tamen dono faciendi miracula non fuerunt omnes instructi? 4.) Miracula etiam dicuntur duplici respectu, vel quæ *exterius* in oculos incurrunt, ac magnam speciem obtinent, qualia sunt, mortuos excitare, cœcos illuminare, claudos sanare; vel quæ *interiore* Dei virtute peraguntur, neque ita perstringunt oculos externos, qualia sunt, doctorem aliquem divinitus excitari, singularibus spiritus sancti donis exornari, mirifico successu doctrinam illius contra conatus adversariorum propagari, &c. Si de miraculis sensu priore acceptis loquamur, negamus ea in reformatione ecclesiæ & in missione extraordinaria requiri, quia de Johanne baptista, per quem ecclesiæ Israeliticæ corruptelas Deus reformavit, expresse dicitur Johan. X. 41. *quod nullum fecerit signum.* Si de miraculis sensu posteriore acceptis quæstio sit, ea non possunt ecclesiae nostræ denegari.

*Roma orbem domuit, Romam sibi papa subegit,*
*Viribus illa suis, fraudibus iste suis.*
*Quantum iste major Lutherus, major & illa,*
*Orbem urbemque uno qui domuit calamo.*

Item.

*Lutherus decimum confecit strage leonem,*
*De clava noli quaerere, penna fuit.*

Item.

*Vir sine vi ferri vi verbi & inermibus armis*
*Totius immensas contudit orbis opes.*

5.) Si miracula ad novam fidem & extraordinariam missionem duntaxat sunt necessaria, tum ne ipsi quidem pontificii *vera* ac *necessaria miracula* habent, neque enim novam fidem vel extraordinariam missionem jactitant, sed de antiquitate suæ fidei & missionis apostolicæ auctoritate perpetuo gloriantur.

§. CCLXXX. His ita præmissis ad argumenta Bellarmini facile responderi potest: 1.) Mosis voca-

(*) Becanus de vocat. ministr. th. 45. *Christo inter cetera missionis præsidia adhuc opus fuisse miraculis.* Atqui 1.) miracula deficiunt in quibusdam personis, utpote Aarone, prophetis &c. 2.) Deficiunt in certis actibus, in quibus sine signo creditum fuit Christo a Samaritanis, Joh. IV, 42. Paulo a Beroensibus, Act. XVII, 11. a Lydia, XVI, 14. &c. Petro a Hierosolymitanis, II, 37. Apollini a Judæis. XVIII, 28. Necessario & perpetim cohærentia nunquam divelluntur. At signa & vocationis probatio divelluntur. His ultimis temporibus non poterat vocatio immediata miraculis confirmari, a.) quia Deus miracula in signa constituit antichristo Matth. XXIV, 24. 2. Thess. II, 9. b.) Placuit Deo varios agendi modos in causa fidei olim usurpatos tollere & homines verbo adstringere, quod etiam in clade antichristi ceu oris Spiritum adhibiturus erat 2. Thess. II, 8. c.) Causa ob quam olim miracula & signa requisita sunt, non erat alia, quam quia homines propheticis vaticiniis eo remittebantur Esai. XXXV, 5. Deut. XVIII, 22. quæ cum nos destituat, neque Christus hoc medio doctores probare jubeat, ab eo tanquam electitio merito desistimus. Grodicius in post. p. 184. *Miracula sunt infallibilis tessera immediate vocati a Deo.* Costerus dom. III. adv. p. 46. *Deum nec notabiles ullos in ecclesiam mittere solere reformatores, ut aliquam in moribus mutationem introducant sine signis.* Resp. quamvis Deus extraordinariam vocationem suorum ministrorum ut plurimum miraculis conspicuam reddiderit, non ut verbi veritas ab autoritate miraculorum penderet Deut. XIII. sed ut impiorum pertinacia validius percelleretur, imbecillitas etiam infirmorum adjuvaretur, tamen ad omnem divinam & extraordinariam vocationem ἁπλῶς necessaria esse miracula negamus. GERHARDVS.

vocatio erat immediata & penitus extraordinaria, erat ipse Israelitis omnino ignotus, & mirandum illud opus, videlicet liberatio ex servitute Ægyptiaca, erat plane extraordinarium, ergo necessarium illi fuit miraculis suam vocationem & prædicationem demonstrare. Præterea Israelitæ eo tempore nondum habebant scripturas, ex quibus Dei voluntatem de hoc mirando beneficio discere potuissent. Nos vero habemus scripturas publico ecclesiæ consensu receptas, ex quibus Lutherus doctrinam suam demonstravit & ad eas unice provocavit, neque unquam *immediatam* quamdam vocationem jactitavit, sed quia ad prædicationem evangelii mediate & ordinarie fuit missus, illud juxtæ Dei voluntatem in scripturis patefactam purum a sordibus ac corruptelis prædicare & voluit & debuit. 2.) Sub initium nov. test. miracula fuerunt necessaria, ut publice constaret de adventu Messiæ, de quo prædictum erat, quod miraculis suam missionem ac doctrinam demonstraturus sit, Esai. XXXV, 5. hodie vero non est talis necessitas miraculorum, evangelii præconio publice in toto orbe recepto, quo pertinent dicta veterum paulo superius hac de re citata. 3.) Ex verbis Christi, Joh. XV, 24. *Si opera non fecissem inter eos, quae nullus alius fecit, peccatum non haberent;* nequaquam colligi potest, plane non esse adhibendam fidem doctoribus illis, qui sine miraculis veniunt, etiamsi doctrinam scripturæ conformem tradant, alias recte fecissent Judæi non adhibentes fidem doctrinæ Johannis baptistæ, qui nullum faciebat signum, cum tamen Luc. VII, 30. Christus hoc nomine Pharisæos ac legisperitos adcuset, *quod consilium Dei spreverint non baptizati a Iohanne baptista.* Sed loquitur Christus *comparate*, Judæos scilicet non quidem nullum, sed non tantum habituros peccatum, si Christus non tot ac tantis miraculis doctrinam suam confirmasset. Collationis gratia huc adferri potest dictum Christi: Matth. XI, 21. *Væ tibi Corazin, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro ac Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* v. 23. *Si in Sodoma factæ fuissent virtutes, quæ in te* (Capernaum) *factæ sunt, mansissent forte usque in hanc diem;* ubi Christus Tyrios, Sidonios ac Sodomitas non excusat ab *omni*, sed a *tanto* peccato, quantum incolis Chorazin, Bethsaidæ & Capernaumi tribuit, quod scilicet tanta miraculorum copia & majestate non fuerint ad consortium ecclesiæ vocati, ideoque etiam tanto tam gravis peccati reatu non teneantur constricti. 4.) Qui aliquid agit vel docet contra ordinem publice receptum, si ordo ille sit corruptus, non necesse habet miraculis suam vocationem & doctrinam confirmare, sed sufficit, si vocationem habeat ab illis, quibus ecclesia vocandi partes dedit, & si ex scriptura doctrinam suam probet. Quare cum Lutherus non jactitaverit immediatam missionem, sed ad ministerium fuerit ordinario modo vocatus, nec protulerit novam doctrinam, sed veterem a novis corruptelis repurgaverit, non debent ab ipso miracula exigi, alias longe majori jure a Johanne baptista Pharisæi eadem exigere potuissent. 5.) Augustinus quidem dicit, *miracula fuisse necessaria, ut mundus crederet*, sed diserte addit, *qui nunc quaerit miracula*, publice scilicet recepta evangelii doctrina, *magnum esse prodigium.* Distinguit igitur inter fidem Christi propagandam ac propagatam, inter statum ecclesiæ primitivæ & tempora ejus postrema, ac disertam addit rationem, quare confirmata semel doctrina, Christi miraculis non amplius fuerit opus: *Canon quippe sacrarum literarum*, (inquit) *quem diffamatum esse oportebat, illa* (antiqua miracula a Christo & apostolis edita) *facit ubique recitari & memoriæ cunctorum inhaerere populorum.*

§. CCLXXXI. Sed invenit Bellarminus aliquid, quod hisce opponere voluit: 1.) *Nostram doctrinam esse novam & cum tota antiquitate pugnantem.* Resp. contrarium ostendimus superius. *Quod ab antiquo dierum* descendit & in *antiquis scripturarum sacrarum libris* monstrari potest, id novum nemo dixerit. At quæcunque dogmata *Exceptiones Bellarmini.*

ecclesia nostra profitetur, ea ab antiquo dierum descendunt, & in antiquis scripturarum sacrarum tabulis monstrari possunt. Ergo &c. 2.) *Constare nos saltem aliter docere, quam doceant ordinarii pastores, constare etiam nos non esse missos ab ordinariis pastoribus, ergo nec debere nec tuto posse doctrinam nostram recipi, nisi divino testimonio missio demonstretur.* Resp. prophetæ repurgantes ecclesiam a cultibus Baaliticis & peregrinis doctrinis itidem aliter docebant quam ordinarii pastores, sacerdotes scilicet levitici. Iohannes baptista itidem aliter docebat, quam ordinarii pastores, scribæ scilicet ac pharisæi, nihilo tamen minus Israelitæ non solum tuto poterant sed etiam tenebantur doctrinæ ipsius fidem adhibere, etiamsi externo quodam miraculo missionem suam non confirmaret. Nostri ministri non alia docent, quam quæ apostoli & primitivæ ecclesiæ pastores docuerunt, illis debebant se conformare, qui se apostolorum successores esse gloriantur, non a nostris exigere, ut potius respiciant, quid ipsi doceant, quam quod Christus & apostoli docuerunt. Quod additur, *Lutherum non fuisse missum ab ordinariis pastoribus*, de eo dictum fuit superius in examine quintæ notæ. 3.) *Iohannem quidem non feciſſe miracula, in ipso tamen multa & magna fuisse facta, utpote quod natus de anu ac sterili, quod pater ejus obmutuerit, & postea soluta sit lingua in filii nativitate, quod in utero exsultaverit, quod a puero in desertis locis vixerit.*(*) Resp. hæc non omnibus nec toti populo, sed paucis duntaxat in vicinia fuerunt nota, Luc. I, 65. ac facta fuerunt, antequam docendi munus Johannes adgrederetur, sed pontificii exigunt externa & manifesta miracula, quibus doctores suam missionem confirment. Ergo non quærunt in quo, sed a quo miracula fiant. Ac si miracula illa Johannis vel fuissent publice nota vel pro miraculis proprie sic dictis habita, quare synedrion Hierosolymitanum ex ipso quæsiviſſet, *quam haberet vocationem ad docendum & baptizandum?* Joh. I, 25. quorsum etiam diceret populus: Joh. X, 41. *Iohannes quidem nullum fecit signum?* in quæ verba sic commentatur Maldonatus: *Videtur in hoc verbo duplex argumentum implicatum esse. Alterum est, Johannes nullum unquam miraculum fecit, & illi credimus, multo magis ergo huic Christo credere debemus, &c.* Salmeronius tom. IV. hist. evang. part. II. p. 264. *Iohannes, ut & alii multi prophetæ, signa non edidit.* Quod si Bellarminus existimat, sufficere ad demonstrandam divinam missionem miracula quovis modo sic dicta, si vel maxime externo splendore non incurrant in oculos, opponimus illi mirabilem doctrinæ evangelicæ successum, dona docendi singularia in Luthero, defensionem ejusdem contra tot potentissimorum hostium minas atque insidias, &c. Quod Bellarminus inter miracula in Johanne facta numerat *commorationem ipsius in deserto* a puero, de eo annotamus verba Chemnitii cap. 16. harm. p. 295. *Varia de illo deserto Iohannis disputata exstant. Multi enim ita accipiunt, quasi locus fuerit invius, ubi inter feras extra omnem hominum conspectum vixerit. Nicephorus recitat traditionem. Cum Herodes circa Bethlehem puellos undique ad crudelem necem conquireret, matrem Elisabetham cum puerulo suo latitandi causa fugisse ad desertum locum, & Iohannem postea in deserto illo, ad quod tali occasione pervenerat, mansisse. Haec opinio aliquam habet speciem. Sed Lucas dicit, Spiritum & manum domini fuisse cum Iohanne, ita ut de pueritia & adolescentia ejus omnes dicerent, quis putas puer iste erit! Non ergo in deserto invio extra hominum conspectum &*

(*) Eamdem exceptionem repetit Becanus in disp. de vocat. ministr. th. XLVI. *multa* scil. *circa Iohannem facta esse miracula.* Resp. 1.) plerique auditores Iohanni adhærentes illa non cognoverant vel audierant: 2.) alii densissima oblivione sepelierant, adeoque facta fuerunt signa non ad auditores Johannis, neque tunc quando vocationem probare opus erat: 3.) nec hoc effectu & fine, ut talem vocationem demonstrarent aliis; multi forent immediate vocati, de quibus diversum constat. Circa populum Israeliticum quot contigere miracula? circa paralyticos, leprosos, dæmoniacos &c. a Christo liberatos, circa Miriam, Naamanem Syrum, socios Danielis &c. GERHARDVS.

*& conversationem inter feras Iohannes in pueritia & adolescentia vixit. Hebraeis enim distincta sunt vocabula deserti & solitudinis, ac desertam esse terram minus cultam & fœcundam, loca scripturae testantur* Es. XXXII. 15. Jer. XII. 10. Matth. XIV. 15. &c. *rarior itaque & minus frequens nec adeo culta fuit habitatio in deserto, sicut in aliis locis. 4.) Iohannem fuisse filium sacerdotis, & proinde sacerdotem & ordinarium ministrum.* Resp. si a synedrio Hierosolymitano pro sacerdote & ordinario ministro fuisset habitus, nequaquam missa ad ipsum legatione cum eo expostulassent, quod secessione a templo facta in deserto doceret & baptizaret. *Fuit Iohannes in desertis usque ad diem ostensionis suae ad Israel;* Luc. I. 80. ergo in adolescentia sua non fuit missus ad collegia illa, quæ Hierosolymis magno numero pro theologiæ studiosis, futuris olim sacerdotibus, constituta erant, Act. VI. 9. ut ibi literis institueretur, nec cooptatus fuit in collegium sacerdotum, ut parentis loco in templo ministraret, sed vixit in deserto, & extraordinario modo Deus ipsum idoneum reddidit ad tantum ministerium, sicut etiam antea fecerat, quando religionem collapsam illustri aliqua & immediata vocatione voluit instaurare, ut ex Amos VII. 15. manifestum, quæ sunt verba Chemnitii loco dicto. Urgemus igitur hoc argumentum: ordinarii sacerdotes levitici in templo, non extra templum, officium suum administrabant. Johannes baptista non in templo, sed extra templum in deserto officium suum administravit. Ergo non fuit ordinarius sacerdos leviticus. Item: nullus sacerdos leviticus novam & inusitatam ceremoniam administravit. Johannes baptista novam & inusitatam ceremoniam baptismi puta, administravit. Ergo fuit *plusquam propheta* Matth. XI. 8. quomodo igitur in censum sacerdotum leviticorum & ordinariorum ministrorum compingi potest? 5.) *Iohannem nihil docuisse contra communem doctrinam, neque se a ceteris sacerdotibus & populo separasse. Quamquam enim principes & Pharisaei eum odissent, quia Christum praedicabat, tamen interrogati a Christo Matth. XXI. quid sentirent de baptismo Iohannis, non sunt ausi illum improbare. Iosephus etiam lib. XVIII. antiq. Iud. c. 10. testatur, Iohannem a Iudaeis fuisse habitum inter praecipuos viros justitiae & probitatis causa, unde mendacium est, quod centuriatores dicunt, Iohannem habitum a sacerdotibus & Pharisaeis pro haeretico.* Resp. imo vero Bellarminus hoc negans aperte fallitur. Luc. VII. 30. *Pharisaei & legisperiti spreverunt consilium Dei adversus se ipsos non baptizati a Iohanne.* v. 33. *Venit Iohannes baptista neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis, daemonium habet;* in quem sic commentatur Toletus: *Pharisaei & scriptores seu legum doctores nullatenus credebant Iohannem a Deo missum, sed hoc consilium contemnebant, & interpretabantur Iohannem virtute daemonis austeram vitam vixisse.* Quo etiam pertinet expostulatio illa Joh. I. 25. *Quid baptizas, si non es Christus, nec Elias, nec Propheta?* Si eum non habuissent pro hæretico, cur baptismum ab eo non suscepissent, cur daemonium illi tribuissent, cur de vocatione controversiam ipsi movissent. Neque quidquam poterat absurdius dici, quam quod Bellarminus adserit, *Iohannem nihil docuisse contra communem doctrinam, neque se a ceteris sacerdotibus & populo separasse.* An non erat contra communem doctrinam, totum cultum leviticum abolendum esse, sacrificia esse typos unici illius sacrificii in ara crucis per Messiam offerendi, quem propterea vocat agnum Dei, ac Messiam illum præsto esse? An non a ceteris sacerdotibus ac populo Johannes sese separavit, quando in deserto extra templum novam baptismi ceremoniam inchoat, ac Pharisæos & Sadducæos ad baptismum suum venientes *progeniem viperarum* adpellat? Quod Matth. XXI. 25. non audent Johannis baptismum improbare, ejus rei causa ibidem ab evangelista exponitur, non quod de persona vel de baptismo ipsius honorifice sentirent, sed quia *turbam timebant, a qua Iohannes habebatur pro propheta*, de quo judicio promiscuæ turbæ etiam loquitur Josephus lib. XVI. antiq. c. 10. quod

enim phariſæos adtinet, de illis ſcribit Hieronymus in XVII. Matth. *quod in Iohannis necem conſenſerint*, id quod ex evangelica hiſtoria non obſcure colligitur, diſſimulant enim Herodis violentiam odio Johannis baptiſtæ, atque adeo illis hoc factum non diſplicet, ut ſtatim incipiant agitare conſilia de opprimendo etiam Jeſu, quem Johannes commendaverat Joh. I. 15. unde Matth. XVII. 12 Chriſtus inquit, *filium hominis ab iis paſſurum*, qui in baptiſta idem antea fecerant.

*An miracula ſint ſufficientia fidei teſtimonia?*

§. CCLXXXII. *Alterum* ſuum fundamentum, quod *miracula ſint efficacia & ſufficientia fidei teſtimonia;* Bellarminus confirmat hoc modo: *Vera miracula non poſſunt fieri niſi Dei virtute, dicitur enim miraculum, quod ſuperat vires omnium creaturarum, & ideo omnibus creaturis eſt mirabile, & propterea in ſcripturis dicuntur teſtimonia Dei. Quare quod miraculo confirmatur, teſtimonio Dei confirmatur, Deus autem non poteſt eſſe teſtis mendacii, quod ergo miraculo confirmatur, verum ſit neceſſe eſt.* Reſp. 1.) Concedimus, vera miracula nulla vi nili divina fieri poſſe, atqui ſæpius æſtimantur vera miracula, quæ tantum ſunt mirabilia ac diaboli opera ſiunt. Externo adſpectu vera miracula a falſis, divina a diabolicis diſcerni nequeunt, accedat igitur oportet judicium Spiritus, quod *ex doctrina* de miraculis fertur. (*) 2.) Deus etiam falſis doctoribus poteſtatem edendi miracula concedit, non ad probationem dogmatum hæreticorum, ſed vel ad probationem piorum, Devt. XIII. 2. vel ad confirmationem illorum, quæ adhuc ſana & integra apud hæreticos habentur, ſicut ipſe Bellarminus de miraculo Pauli Novatianorum epiſcopi ſub finem hujus capitis ſcribit, quod factum ſit *non in confirmationem fidei Novatianae, ſed catholici baptiſmi*, qua de re plura ſuperius. 3.) Quod Bellarminus addit, *miracula fieri vel ad confirmandam fidem, vel ad illuſtrandam alicujus ſancti gloriam, ita ut oſtendant eum hominem vere eſſe ſanctum*, illud itidem non poteſt abſolute & ſimpliciter concedi, quandoque enim illi edunt miracula, quibus Chriſtus in die judicii dicet: *non novi vos.* Matth. VII. 22. 23. Quomodo vero de illis dici poteſt, quod vere ſint ſancti? unde recte ſtatuit gloſſa in verbo *miracula* cap. *audivimus* extr. de reliq. & venerat. ſanctorum: *Non continuo eum, qui miracula facit, nos venerari debere pro ſancto*, cum ſecundum cap. *teneamus* 1. quæſt. 1. *fiant miracula, quandoque etiam per malos.* Audiat hac de re Bellarminus ſe ipſum, ſi enim diſputat libr. I. de grat. & libero arbitrio cap. 10. §. ſecundo quæri poteſt: *Dubitari non poteſt, quin gratiae gratis datae a gratia gratum faciente ſeparari poſſint. Poſſe enim eſſe ſine caritate donum linguarum, prophetiam, ſapientiam, ſcientiam & fidem, teſtatur apoſtolus 1. Cor. XIII. Conſtat autem, caritatem vel ipſam gratiam gratum facientem eſſe, vel ejus comitem individuam. Ad haec* Matth. VII. *Dominus ait, multos dicturos in die judicii: Nonne in nomine tuo prophetavimus & virtutes multas fecimus, qui tamen audient: Neſcio vos. Et, diſcedite a me omnes operarii iniquitatis. Denique & Balaam ariolus multa de Chriſto vere prophetavit Num. XXII. & XXIII. & Caiphas vir alioquin perditiſſimus, cum eſſet pontifex illius anni prophetavit Iohan. XI. Negandum tamen non eſt, ut plurimum gratias gratis datas cum gratia gratum faciente conjungi, quia ut Gregorius docet homil. XVII. in Ezech. ejusmodi donis ſervos ſuos Deus donat exterius, ut adpareat, quid ſint apud Deum interius.* Haec Bellarminus, ex quibus evidenter colligitur, non eſſe perpetuae & immotae veritatis, *quod is ſit vere ſanctus, qui miracula facit*, cum abſque caritate vera ſanctitas locum non habeat, & tamen a fide miraculorum caritas abeſſe poſſit.

*An in eccleſia romana vigeant miracula?*

§. CCLXXXIII. *Membrum ſecundum.* Num in eccleſia Romana vigeant miracula? Poſſe-

mus

(*) Bellarminus lib. III. de Rom. pont. cap. 15. diſputat, quod *miracula vera a falſis non poſſint dignoſci, imo quod occulta ſit ratio, quae ſint vera & falſa miracula.* GERHARDVS.

mus brevi linea agere, ac rem totam hoc syllogismo complecti: miracula, quæ fiunt in ecclesia Romana, aut confirmant doctrinam propheticam & apostolicam, aut corruptelas, superstitiones & cultus idololatricos. Si *prius*, demonstrandum est ex sacris literis, doctrinam Romanæ ecclesiæ, qualis est hodie, omni ex parte cum doctrina prophetica & apostolica convenire. Si *posterius*, miracula illa non debent adtendi. Sed ut de miraculis illis, quæ tantopere a pontificiis jactitantur, rectius fieri possit judicium, in certas classes illa distribuemus, præmissa necessaria ista admonitione, quod quædam narrationes de miraculis in ecclesia Romana celebratis sint falsæ ac fabulosæ etiam ipsorum saniorum pontificiorum judicio. Petrus Cluniacensis abbas libr. V. epist. 29. *Nosti quantum me pigeant falsa in ecclesia Dei cantica, &c.* ubi inter alia recitat canticum quoddam sancti Benedicti 24. mendacia comprehendens. Lindanus lib. III. de interpret. script. cap. 3. meminit veteris cujusdam querelæ Agobardi, episcopi Lugdunensis, quem antiphonarium correxisse scribit amputatis, *quae superflua, levia, falsa, blasphema, phantastica multa videbantur.* Et subjungit Lindanus: *Si hic episcopus jam in vivis esset, videretque nostra missalia & antiphonaria, Deum immortalem, quo ea pingeret nomine?* (*) Ludovicus Vives vir gravissimus & eruditissimus de farragine mendaciorum in legenda aurea talem texit querelam: *Sed mentio haec rerum a magnis viris actarum in mentem revocat mihi eum dolorem, quem saepenumero cepi animo maximum, dum ipse mecum reputo, quam diligenter, quanta cura Alexandri, Annibalis, Scipionis, Pompeii, Caesaris & aliorum ducum; Socratis, Platonis, Aristotelis & aliorum philosophorum acta perscripta sunt, & sempiternae memoriae infixa, ut periculum non sit, ne unquam extidant. Acta vero apostolorum, martyrum, denique divorum nostrae religionis & ipsius sive crescentis ecclesiae sive jam adultae operta maximis tenebris fere ignorari, tanto sive ad cognoscendum, sive ad imitandum, quam ducum & philosophorum fructuosiora. Nam quae de iis sunt scripta, praeter pauca quaedam, multis sunt commentis fœdata, dum qui scribit, adfectui suo indulget, & non quae egit divus, sed quae ille egisse cum vellet, exponit, ut vitam dictet animus scribentis, non veritas. Fuere, qui magnae pietatis loco ducerent, mendaciola pro religione confingere, quod & periculosum est, ne veris adimatur fides propter falsa, & minime necessarium, quoniam pro pietate nostra tamen multa sunt vera, ut falsa, tanquam ignavi milites & inutiles, oneri sint magis quam usui.* (**) Idem alibi sic scribit: *Sed fortasis haec, quamvis gravia, at tolerabilia fuerint. Quale est, in res sacras hanc quoque licentiam mentiendi irrepsisse, seu potius aperte esse invectam, ut quae traduntur de lepra Constantini, & balneo sanguinis puerilis, de lepra*

*Fabulosæ de miraculis narrationes.*



(*) Gelasius cap. *sancta Romana* dist. 15. *Secundum antiquam consuetudinem singulari cautela gesta sanctorum martyrum in sancta Romana ecclesia non legi, quia & eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus aut idiotis superflua aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur.* Joh. Gersonius in declarat. *quae veritates sint credendae de necessitate salutis part. I.* numerat *legendas sanctorum inter illas veritates, quae tantummodo faciunt ad nutriendam vel fovendam devotionis religiosam pietatem, ubi pietas devota magis adspicitur quam veritas certa.* Lindanvs de opt. script. interpret. genere cap. III. p. 103. fatetur, quod *breviaria, & inter ea etiam novum Romanum,* (de quo dicit, *quod alioqui doctorum & piorum non fugiat reprehensionem plurimis de causis justissimis*) *quaedam festa sanctorum praescribat, de quibus ipse dubitat, an eorum nomina sint satis vindicata.* Gerhardvs.

(**) Gelasius papa nonnullorum sanctulorum, quos Romana colit ecclesia, *ut s. Quirini, s. Georgii, s. Iudithae legendas* rejicit *ut fabulosas & ab haereticis scriptas* dist. 15. cap. 4. De Antonio scribunt in chron. Minor. part. V. cap. 21. *tanta cum efficacia ipsum potuisse concionari, ut ad duo milliaria a muliere religiosa fuerit auditus.* Vide Martinum Eysengrinium *von der uhralten Capellen unser L. Frauen zu alten Oetingen* anno 1571. Ingolst. impressus, & Hasenmullerum *de mirac. Jesuit. cap. VIII.* p. 399. Gerhardvs.

*Vespasiani, de Gamaliele, de Beronice, de actis Christi & divae virginis? Clamamus & latramus ad minora, connivemus ad haec, quae si in manus impiorum hominum veniant, sanctissimam & gravissimam nostram pietatem ridiculam illis & exsibilandam reddiderint. Nec in rebus propinquioris memoriae tradendis sumus religiosiores. Scribunt Galli Gallica, Itali Italica, Hispani Hispanica, Germani Germanica, Britanni Britannica, aut alii in gratiam gentis cujuspiam, putat rerum autor id se tantum munus suscepisse, ut quantum possit, gentem illam evehat, non oculum ad veritatem adjicit, sed ad decus illius nationis, &c. Nec in actis sanctorum scribendis major est veritatis custodia, in quibus omnia oportebat esse exacta & absoluta. Unusquisque eorum acta scribebat, ut in quemque erat adfectus, ita ut animus historiam dictaret, non veritas. Quam indigna est divis & hominibus christianis illa sanctorum historia, quae legenda aurea nominatur? quam nescio cur auream adpellent, cum scripta sit ab homine ferrei oris, plumbei cordis. Quid foedius dici potest illo libro! O quam pudendum est nobis christianis, non esse praestantiores divorum nostrorum actus veritus & adcuratius memoriae mandatos, &c.* In graviminibus germanicae nationis, quae omnes imperii ordines tam papistici quam Lutherani anno 1523. pontificis Adriani legato in comitiis Norinbergensibus obtulerunt cap. 21. eadem exstat querela: *Conductitii illi pastores (an praedones rectius quis eos dixerit, dubium est) simplici Christi plebeculae pro evangelii limpidissimo fonte turbidas, protritas, ac ruderibus oppletas propinant lacunas, dum legendas, quas vocant, sanctorum, nec ab ecclesia receptas, & gentilibus fabulis quam christianae & evangelicae doctrinae similiores, ad populum Christi publice in concione docent.* (*) Laurentius Valla in orat. de donat. Constant. *Nostri fabulatores passim inducunt idola loquentia.* Dantes Florentinus cant. XXIX. dicit, *ubique sonare e populis fabulas & populum vento pasci.* Melchior Canus libr. XI. locor. commun. cap. 6. *Negare non possumus, viros aliquando gravissimos in divorum praesertim prodigiis describendis sparsos rumores & excepisse & scriptis etiam ad posteros retulisse. Qua in re, ut mihi quidem videtur aut nimium illi sibi aut fidelium certe vulgo indulserunt, quod vulgus sentiebant non tantum ea miracula facile credere, sed impense etiam flagitare, & autoribus nobilissimis placuisse, veram historiae legem esse, ea scribere, quae vulgo vera habentur.* (**) Cornel. Agrippa de vanitate scient. cap. 97. *Ceteri divorum construunt historias pie nonnihil admentientes, supponunt reliquias, fabricant miracula, confinguntque terribiles fabulas.* Erasmus in epistola ad Albertum, archiepiscopum Moguntinum, praefixa methodo theologiae pag. 9. *Nunc Siculis gerris vaniora, nunc cujuslibet deliri senis, aut etiam aniculae somnia huc irrepserunt & indies magis ac magis irrepunt.* Idem alibi sic scribit: *Quid commemorem eos, qui fabulis vanis & miraculis fictis memoriam eorum, quibus favent, student vulgo commendare, &c. Ego semper exsecratus sum hoc rabularum genus, qui non norunt veram pietatis imaginem depingere, sed mendaciis fallunt discipulos ejus, qui est veritas.* Johannis Capgra-

(*) Erasmus in argumento libr. confessionum Augustini: *Quid eos commemorem, qui fabulis vanis & miraculis fictis memoriam eorum, quibus favent, student vulgo commendare, nonnunquam ea laudantes, quae laudatus nec fecit unquam & probavit? & arbitror fuisse, qui pium existimarunt animum hujusmodi fucis ad religionis studium accendere. Ego semper exsecratus sum hoc rabularum genus, qui non norunt veram pietatis imaginem depingere, sed mendaciis fallunt discipulos ejus, qui est veritas.* GERH.

(**) Et postea: *Nec ego hic libri illius autorem excuso, qui speculum exemplorum inscribitur*, (Jacobum de Voragine episcopum Genuensem) *nec historiae etiam ejus, quae legenda aurea nominatur. In illo enim miraculorum monstra saepius quam vera miracula legas, hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi & prudentis.* Ibidem: *Dolenter hoc dico potius quam contumeliose, multo a Laertio severius vitas philosophorum scriptas, quam a christianis vitas sanctorum, longeque incorruptius & integrius Suetonium res Caesarum exposuisse, quam exposuerint catholici, non res dico imperatorum, sed martyrum, virginum & confessorum.* GERHARDVS.

Capgravii legenda de sanctis Britannicis sunt fabulosissima. Sed nec Iesuitarum relationes de miraculis Ignatii certam fidem facere possunt. Maffeus lib. II. de vita Ignatii cap. 5. & Ribadeneira libr. II. cap. 12. referunt, *Ignatium comitatum duobus sociis Petro Fabro & Iacobo Lainez non procul a Roma in templo quodam Deum invocasse, & in ecstasi Deum ipsi visum, qui filium suum Iesum Ignatio & sociis commendarit, Iesum autem promisisse, se ipsorum tutorem fore & addidisse, ego vobis Romæ propitius ero.* Sed catechismus jesuiticus lib. I. cap. 8. aliquot argumentis hanc adparitionem mendacii arguit, 1.) quia Maffeus addit, hanc fuisse causam, cur Ignatius societati suæ a pontifice confirmatæ nomen *jesuitarum* dederit, cum tamen jam ante in libello supplice Paulo III. pontifici oblato eo usus fuerat. Ita enim in isto libello loquuntur inclusæ bullæ anno 1540. *Quicunque in societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo militare, &c.* 2.) Quia Jacobus Lainez post Ignatium generalis illud non revelavit Congordano agenti aut Versori Advocato suo, cum propter hoc ambitiosum nomen a Parlamento Parisiensi adcusarentur. 3.) Quia jesuita Montaignes cap. 66. *de la verité defendue* dicit, *a pontifice illud nomen societati inditum.* La. Fon. cap. 35. idem tribuit pontifici, sed hujus visionis Ignatianæ neuter ipsorum mentionem facit. Lermæus in introduct. in artem jesuit. pag. 8. addit, *Iesum illum, qui Ignatio Loyolæ adparuit, habitum gessisse monachi, talem scilicet, qualem Iesuitæ hodie gerunt, ac cum Ignatius Romæ in tabem lethalem incideret, eumdem Iesum, qui secus viam ipsi adparuerat, sub forma canis iterum se ei adspectandum praebuisse, ac horribilibus emphasibus non raro perculisse.* Ecquis vero de salvatore nostro *Iesu Christo* Dei & virginis filio, tale quid sine blasphemia cogitet? Iidem autores Maffeus & Ribadeneira referunt, *Ignatium habuisse visionem, in qua Deus pater omnia instrumenta ad creationem mundi adhibita ipsi ostenderet, quod Petrus ipsi adparuerit, ac postea virgo Maria, quod bis a diabolo visibiliter tentatus fuerit, quod viderit Trinitatem in cælo, Christum corporaliter in hostia, quod viderit animam socii sui Hosii in cælum adscendere splendidiore, quam reliqui, habitu multoque illustriore, &c.* Sed hi scriptores sunt testes in propria causa, referunt se ex Ignatio ista audivisse, non sunt testes oculati, addunt hæc ab Ignatio esse visa & gesta, antequam ordo a pontifice confirmaretur, at in bullis pontificum non fit illorum mentio. Præterea in actione coram parlamento Parisiensi Pasquier a jesuitis exquisivit, quænam miracula ab Ignatio societatis autore sint gesta, sed Jacobus Lainez, Ignatii socius & successor generalis, nullum istorum protulit. De jesuita quodam Augustano in diabolum se transformante, & pugione exinde confosso historiam recenset Ludov. Lavaterus libro de spectris part. I. cap. 9. Ecquis igitur incertis illis relationibus fidem adhibere velit? (*)

§. CCLXXXIV.

(*) Bellarminus lib. IV. de eccl. cap. 14. *Hoc nostro seculo claruit in Indiis omni genere miraculorum b. Franciscus Xaverius societatis Iesu presbyter.* Ozorius tom. IV. concion. concione de obitu Xaverii: *Hic Xaverius erat novi mundi apostolus, innumera patravit miracula, daemones ejecit, cæcos illuminavit.* Contra vero dubiam fidem miraculorum istorum faciunt ipsimet pontificii scriptores. Franciscus de Victoria, professor regius in academia Salmanticensi in Hispania, relect. V. propos. 5. *Non satis mihi liquet, an barbaris Indis fides christiana ita a nobis proposita fuerit & adnunciata, ut teneantur credere sub novo peccato, nam miracula & signa nulla audio, nec exempla vitæ adeo religiosæ, imo contra multa scandala & multas impietates, unde videtur, quod religio christiana non sit iis satis commode & pie prædicata, ut illi teneantur adquiescere.* Xaverius ipse, qui de rebus Indicis epistolas familiares quinquaginta exaravit, de satanis illis cæcis, claudis, surdis, mutis nihil habet: lib. II. de reb. Indicis epist. 3. naturæ miraculum recitat de capro lacte suos parvulos hædos alente, non prætermissurus miracula gratiæ, si quæ divina virtute edidisset. Excipiunt, *hoc argumentum esse modestiæ non impotentiæ.* Atqui de apostolis dicitur act. XIV. *Transeuntes apostoli retulerunt, quanta per eos fecisset Dominus.* Act. XV. *Enunciantes, quanta per se fecisset Deus.* In quæ loca Ferus sic commentatur: *Apostoli exponunt Spiritus sancti virtutem, ut a multis pro collata in gentes*

*Miracula pontificia quædam fr.) sunt fallacia.*

§. CCLXXXIV. Miracula quæ pro veris in ecclesia Romana celebrantur, sunt varii ac diversi generis. 1.) Quædam sunt *fallacia & mendacia* fraudibus pessimorum hominum conficta. Unde Lyranus jam olim conquestus in IV. Daniel. *aliquando maximam deceptionem populi fieri in ecclesia per miracula ficta a sacerdotibus;* & Astexanus in summ. libr. VI. de reliquiis sic scribit: *Hi qui causa devotionis accedunt ad ecclesiam aliquam, propter miracula, quæ fiunt, non sunt falsis & fictitiis documentis decipiendi, sicut occasione quæstus consuevit fieri.* Cum Cœlestinus V. pontifex curiæ reformationem meditaretur, Bonifacius VIII. ipsius postea in pontificatu successor quemdam subordinavit, qui per fistulam in cubiculum papæ directam simulans, se esse Dei Angelum, insonabat: *Cœlestine cede, si salvus esse cupis;* quo miraculo permotus Cœlestinus ad eremum rediit. Balæus, Nauclerus, Massæus & alii referunt, unde proverbium de Bonifacio illo exortum: *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis.* Gregorius VII. insidias vitæ struens Henrico III. in templo oranti ordinabat aliquem, qui ex loco superiore ingentem lapidem in ipsum projiceret, ut ita divino miraculo periisse videretur, sed factum est justo Dei judicio, ut minister tanti sceleris una cum lapide illo exemtili decideret: Benno cardinalis in vita Gregorii. (*) Dominicani, ut fidem facerent suo dogmati de conceptione Mariæ in peccato originali, ad subsidia præstigiarum decurrerunt, cujus rei exemplum commemoratur de Bernensibus Dominicanis anno 1509. editum, ubi in statuam b. virginis ad hunc usum artificiose instructam monachi sese abdentes & statuæ gestus mirificos adfingentes gemereillam, lamentari, quiritari, profundere lachrymas, respondsa dare scitantibus populo persuaserunt. Supprior involvens se linteo in cellam fratris Johannis Jezeri hominis simplicis noctu irrumpebat; ac modo *Barbaram*, modo *Catharinam Senensem*, modo *d. virginem* se esse simulabat, aliquando etiam clavum ferreum per ipsius manum adegit, &c. sed fraude patefacta autores sceleris sunt cremati. Vide relationem integram hujus historiæ apud Wolffium cent. XVI. p. 10. Philippum lib. V. chron. pag. 703. & Lavaterum lib. de spectris part. I. cap. 7. De Franciscanis similem ludum commemorat Sleidanus lib. IX. comment. de stat. relig. anno 1534. pag. 221. & ex illo Osiander cent. XVI. hist. ecclesiast. lib. II. cap. 26. Aureliis in Gallia prætoris uxor testamento

*gentes gratia gratiæ dicerentur Deo, & mutua fide confirmarentur. De his gloriandum, si Dei gloria promoveatur, ut proximus adjuvetur, non enim se ipsos commendant, sed Dei opera, ut Christus præcepit daemoniaco: Vade & adnuncia, quanta fecit Dominus.* Adde, quod dono linguarum miraculoso ad conversionem Indorum vel maxime necessario ipsi destituantur. Morton. part. I. p. 488. Acosta lib. VI. de salut. Indor. cap. 4. *Quæ est prædicatio nostra? quæ fiducia? signa quidem non edimus.* Cap. 12. *Nos prodigia, quibus evangelicas voces confirmemus, nulla producimus.* Cap. 1. *Neque vero opus est, bonis operibus ita lucere coram hominibus, ut videntes glorificent Patrem, qui est in cœlis, est omnium ad persuadendum miraculum potentissimum.* GERHARDVS.

(*) Ex Nicolao Palladio Dano Selneccerus parte IV. exam. p. 537. citat hanc historiam. *Quidam monachi ante aliquot annos non erant contenti mortua figura Christi pendentis in cruce, sed scribebant ad quemdam mirabilem artificem, ut faceret eis vivum crucifixum, qui respondit: si vivum fecero, fortassis a novo interficietis. Tandem precibus & muneribus adductus fecit crucifixum, quasi vivum, caput in cruce mobile, oculos & labia mobilia. Hanc imaginem Christi crucifixi in suo templo super januam chori collocaverunt, & illa magnam hominum multitudinem longo tempore decepe-runt. Quoties enim magna hominum turba confluerat ad videndam & adorandam statuam, quidam monachus a tergo stans traxit funiculum, quo avertebat caput idoli, quasi vellet illos respicere & exaudire, unde fiebat magna animorum consternatio. Statim clamavit monachus inquiens, date, offerte opulenter nobis miseris fratribus, tunc rursus convertet ad vos placidum vultum. Tunc cœperunt homines offerre munera ad aram. Interea monachus traxit alium funiculum, quo convertit caput imaginis ad populum, ac si donis se placari significasset. Tandem idolum proditum est, & monasterium destructum.* Hasenmüllerus cap. 8. p. 299. *Conficta sunt miracula illorum pleraque, quorum coptam recensent quotidie ab hora undecima usque ad duodecimam, & a 10. usque ad 7.* GERHARDVS.

stamento caverat, ut sine pompa sepeliretur atque strepitu. Maritus ergo, qui conjugis memoriam diligeret, morem ei gessit, & Franciscanis, quorum in templo sepulta fuit juxta patrem & avum, muneris loco dabat sex tantum aureos, cum illi multo speraſſent majorem prædam. Et cum deinde sylvam cæderet atque divenderet, petentibus illis ligna sibi dari gratis, denegabat. Tulerunt hoc valde graviter, & cum antea minus illum probarent, ulciscendi rationem hanc excogitabant, ut dicerent, *ipsius uxorem in sempiternum esse damnatam.* Architecti erant hujus tragœdiæ Colimannus & Stephanus Atrebatensis, ambo theologiæ doctores, & ille quidem erat exorcista, totumque suum adparatum in ejusmodi rebus adhiberi solitum habebat in promtu, rem vero sic administrant. Novitium quemdam adolescentem supra testudinem templi collocant, is intempesta nocte, cum ad demurmurandas preces illi more consueto venirent, magnum excitat strepitum: adhibentur adjurationes & exorcismi: Sed nihil ille proloquitur, jussus edere signum, quo declaret, num sit mutus spiritus, denuo tumultuatur & perstrepit. Eo jacto fundamento cives aliquot & celebres quidem ac ipsorum studiosos adeunt, narrant sibi triste quoddam accidisse, rogant, ne graventur nocturnis precibus interesse. Cum hi venissent & precationum esset factum initium, ille de superiori loco turbam excitat, rogatus, quid vellet, & quis esset? significat non sibi licere loqui. Jubetur ergo per signa respondere ad interrogata. Foramen autem erat factum, per quod admotis auribus exorcistæ vocem haurire poterat & intelligere. Deinde tabulam habebat ad manum, quam interrogatus feriebat, sic ut infra posset exaudiri. Primum itaque rogatur, num sit ex eorum numero, qui ibi sint sepulti? postea multis ordine recitatis nominatim, quorum erant ibi corpora condita, venitur tandem ad uxorem prætoris: ibi dato signo se spiritum ejus esse demonstrat. *An sit damnatus & quonam suo merito seu delicto? num propter avaritiam, aut libidinem, aut superbiam, aut non præstitam charitatem, an vero propter Lutheranismum? deinde quid sibi velit illo strepitu & inquietudine? num ut corpus loco sacro sepultum effodiatur, alioque transportetur?* Ad hæc omnia, sicut jussus erat, per signa respondet, quibus aliquid vel adfirmabat vel negabat, prout bis aut ter tabulam feriret. Quomodo vero fraus detecta tandem sit, ibidem vide. Tempore Henrici VIII. regis Angliæ idolum quoddam fuit, dictum imago gratiæ, quod rotis & ponderibus ita elaboratum fuit, ut aliquis concavitatem ejus occupans, singulas idoli partes, os, manus, oculos, labra &c. movere posset, dona adferentibus manum porrexit, parum dantes tristi, multum hilari vultu adspexit. Hoc idolum opera baronis Cromwelli destructum est, atque instrumenta, rota & pondera ejus ad crucem S. Pauli Londini populo monstrata sunt. Foxus in martyr. pag. 1188. AntiMachiavellus lib. II. de relig. theor. 2. pag. 256. simile fraudis exemplum recenset. Erat Lutetiæ in officina pictoris cujusdam vetus tabula, atque in ea picta imago virginis, quam pro tabernæ suæ signo palam proponere pictor solebat, eam paucis nummis emit cujusdam vicini pagi parochus presbyter, duo foramina ad oculos imaginis perforavit, iisque, quo tempore lachrymantur vites, viridium palmitum resectos ramos ita solerter adcommodavit, ut effigies plorare videretur. Quid multa? tantam undique peregrinantium frequentiam, tantam donorum copiam concivit, ut miraculi quoque fama inter alios pictor commotus eo cum uxore viseret, sed ea res dolum aperuit: nam illi tabella agnita, quæ tot annos in sua taberna jacuerat, famam divulgant. Itaque judicio curiæ parochus ille capitis damnatus ac tabella confracta. In apologia Augustanæ confessionis in cap. de invocatione sanctorum dicunt confessores: *Vidimus in quodam monasterio simulacrum b. virginis, quod quasi αὐτόματον arte movebatur, ut videretur aut aversari petentes aut adnuere.* Stumpffius lib. XIII. chron. Helvet. cap. 34. adnotat, *quasdam sanctorum statuas, excavatis earum capitibus & infuso oleo, fieri*

*fiere fuisse visas.* Erasmus lib. XXII. epist. ad episcopum quemdam commemorat, pag. 229. quod parochus quispiam, probaturus animarum adparitionem, sub noctem paraseeves clam immiserit in cœmiterium vivos cancros, adfixis ad latus cereolis ardentibus, qui cum reperent inter sepulcra, visum est noctu terribile spectaculum, nec quisquam ausus est accedere propius. Adtonitis vero & consternatis omnibus, parochus e suggesto docet populum, has esse defunctorum animas, quæ missis & eleemosynis flagitarent a cruciatu purgatorii liberari. Tandem vero fucus est proditus, quia mane quidam cancri cum exstincto cereolo reperti sunt, quos parochus non recollegerat. De patre Justiniano jesuita refertur, quod *Romæ se leprosum simulaverit*, ut ex sanatione miraculum faceret, sed fraudem fuisse deprehensam. II.) Quædam miracula papistica sunt *magica*, quæ scilicet opera diaboli per artem magicam fiunt. Gerson. contra impugnat. ordin. Carthus. *Multa miracula non christianæ fidei, sed magicæ artis ostentamenta sunt, quæ a simplicibus quasi sanctitatis miracula acceptantur.* Franciscus de Victoria relect. XII. de arte magica: *Etiamsi utantur homines signo crucis in signis edendis & solis verbis religiosis, tametsi sint ritus & observationes peculiares & determinatæ & certis horis ad certum situm stellarum, sive certo numero crucium & candelarum, ita ut aliter non speretur effectus, certum est non esse hanc gratiam, sed magiam.* At quam hoc in papatu usitatum? quid vulgatius exorcisationibus & incantationibus, quarum exempla commemorat Brentius in confess. Wirtenb. tom. I. pag. 478. cap. de baptismo. De Gregorio VII. commemorat Benno cardinalis, quod *quandocunque manicas excuteret, ignis in morem scintillarum exsilierit*; illud procul dubio miraculi loco a simplicioribus fuit habitum. Nec fuit vel monachis, vel etiam ipsis pontificibus difficile talia miracula edere, cum plurimi ipsorum artium magicarum peritissimi fuerint, quod multis exemplis historici comprobant. III.) Quædam sunt *absurda & pudenda*, indigna illis, quibus tribuuntur. In speculo historiali Vincentii lib. VI. c. 87. & in Stellario Coronæ l. XII. c. 3. parte ult. commemoratur tale miraculum: *Abbatissa quaedam fuit devotæ & sanctæ vitæ in religione, quæ insolentes acriter pungebat, & ideo magnam illarum indignationem in se concitabat. Accidit autem quadam vice, ut illa hilarior præ crapula & vino effecta ad luxuriæ concupiscentiam accenderetur, & cum suo servitore mæchando conciperet filium. Cumque ejus impraegnatio ventre intumescente a monialibus esset cognita, contra eam conspirant eo magis, quo ipsam oderant, propter pristinas correctiones ipsarum, revelantque factum, & literis & nunciis adventum episcopi requirunt, ut cum confusione deponatur, & e claustro ejiciatur. Praesciens abbatissa adventum episcopi ingressa oratorium b. virginis tota profusa lachrymis sic dicebat: O beatissima virgo, tu es refugium peccatorum, adjutrix in omni tribulatione, considera nunc instantem confusionem meam. Non enim sum digna ex fœditate peccati mei accedere ad tuam praesentiam, sed superabundat tua clementia, ubi abundat delictum. Et sic fatigata lachrymis obdormivit, & in sopore eidem b. virgo adparuit dicens: Non est fas, ut, cum sim advocata peccatorum, contritos corde deseram, & ideo obtinui tibi a filio meo peccatorum remissionem & confusionis liberationem. Tunc virgo praecepit duobus angelis adstantibus, ut onere prolis eam exonerarent, & filium cuidam probo viro portarent, per quinque annos enutriendum. Evigilans abbatissa invenit se privatam praegnamine. Et ecce adveniente episcopo audacter occurrit honorifice, qui repellens eam cum opprobrio, dum per honestas personas* (Vincentius addit fuisse duos clericos) *de accusatione requireret veritatem, munda comperitur, moxque episcopus veniam petiit, & cum moniales punire vellet propter infamationem ejus, abbatissa episcopo & in confessione aperuit rei veritatem & miraculum factum. Tunc episcopus de puero scita veritate cum viro illo probo*

2) *Quædam magica.*

3) *Quædam absurda & pudenda.*

*probo ipsum enutrivit, & ad ætatem adultam in bonis moribus perduxit ad laudem b. virginis.* Vincentius lib. VI. cap. 85. refert, *quod b. virgo cuidam clerico lac infundens linguam ejus restauravit, ad lectulum enim ægri propius accedens exserta ubera visa est protinus in os ægri immittere, & sancti lactis sui rore infuso subito linguæ integritatem restituit.* Simile quid de phrenetico commemorat Hondorpius in speculo historiali, qui, cum quotidie in honorem b. Mariæ recitasset angelicam salutationem, hanc ab ea remunerationem acceperit, *ut admorsam in phrenesi linguam & derosa labia lactis sui instillatione ipsi repararit.* Johannes de Lambsheim in libr. de institutione rosarii b. virginis, refert, *b. virginem ingressam fuisse aliquando in cellulam cujusdam monachi Alani, concinnasseque ei ex suis capillis annulum, & monachum illum sibi desponsasse, osculatam fuisse, dedisse contrectandas & lactandas papillas, & denique illi fuisse tam familiarem, ut sponsa solet esse sponso.* Discipulus de tempore in miraculis b. Mariæ exemplo XXIV. refert, quod *Maria per quindecim annos cujusdam monialis Beatricis dictæ vices in monasterio sustinuerit, ipsa interim in publico lupanari scortationibus indulgente.* At quis non detestetur absurda & pudenda ista commenta, quæ parum vel nihil distant a blasphemiis in

4) *Quædam ludicra & puerilia.*

s. Deiparam projectis? IV.) Quædam miracula sunt *ludicra & puerilia* a Christi & apostolorum miraculis quam maxime dissimilia. Baronius in annalibus anno Christi 805. num. 3. ex annalibus Francorum tale recitat miraculum: *Rex & imperator Carolus pro more venationi deditus locis vicinis venationi aptis exturbabat rabidas feras a suis saltibus, inter quas miræ magnitudinis ursum insequitur, qui jam multo spatio victus, cum nullum esset effugium, undique campis late patentibus ad mortem imminentem, jamque capiendus crebris differret flexibus, propere cursu recto contendit Morsellam & in s. salvatoris irrumpit ecclesiam, ubi tum res contigit, quam facilius sit admirari quam eloqui. Nam Deus, qui ut scriptum est, homines salvat & jumenta, bestialem quodammodo ursi sensum permutavit, rationemque quamdam intelligendi in eo formavit. Erat namque cernere prope lipsana sacræ virginis eum se inferre, & sub tanta protectione a strepitu insequentium eum securum procumbere, deinde oblitum feritatis suæ flexa cervice submissoque humiliter capite sanctimonialium advenientium vestigia lambere, ac more lascivientium catulorum omnibus blandiri, & hoc ipso satis indicare, se fuisse defensum patrocinio famulæ Dei, ejusque deinceps paratum esse servire obsequiis &c. tumque ursus e sylvestri cœpit esse domesticus, & in reliquum apud ejusdem loci sanctimoniales non aliter vixit, quam ab illis jussus esset.* Johannes Capgravius in legendis de sanctis Britannicis in vita s. Aidi narrat, quod *sanctus ille octo lupis esurientibus octo bidentes dederit, miserebat enim eum luporum famelicorum, sed postmodum eosdem bidentes jam devoratos a lupis oratione sua integros ex ventribus luporum recepit.* In vita Bernaci narrat, *postquam fures vaccam illius Bernaci occidissent, & in frusta secuissent, & in lebetem imposuissent, mugitum ad vocem ejus auditam e lebete edidisse.* In vita Dunstani narrat, *diabolum a Dunstano misere vapulasse, & sanctum illum virum virgam intergo diaboli fregisse.* De Bernhardo memorant, *quod muscas excommunicaverit.* De Bonifacio, *quod vulpem coegerit, ut redderet gallinas devoratas &c.* (*) In libro conformitatum de Francisco referuntur ejusmodi miracula complura: *Cum Franciscus aliquando concionaretur, & asinus in populo tumultuabatur, Franciscus ei dixit: frater asine, esto tranquillus, donec concionem absolvero. Confestim asinus dicto audiens se intra Franciscipedes composito gestu reponit.* Ibidem: *Franciscus dicendo missam, in calice invenit araneam, quam nolens projicere bibit cum sanguine,*



(*) Huc pertinet quoque historia *de apibus circa sacramentum pixidi inclusum suavissime cantillantibus; de gallo assato & in quatuor partes diviso, prædæte exspectationem tamen currente &c.* GERHARDVS.

*guine, postea fricans crus & scalpens, ubi pruritum sentiebat, ipsa aranea a crure exivit sine laesione fratris. Franciscus etiam aliquando monuit ovem, ut & laudibus divinis intenderet, & ab omni fratrum offensione caveret, ovis audiens fratres in choro cantantes, & ipsa ecclesiam ingrediens, vocemque balatus emittens flectebat genua ante altare virginis matris agni, ac si eam salutare gestiret.* Lud. Granatensis conc. IV. de festo Francisci. At num Christus vel apostoli in his terris docentes tam ludicra & puerilia miracula fecerunt? ad hominum salutem spectabant, quæcunque edebant miracula, non ad solam admirationem.

5) *Quædam confirmant idololatriam.*

V.) *Quaedam miracula confirmant idolomaniam, superstitiones & falsos cultus*, videlicet purgatorium, invocationem sanctorum, transsubstantiationem, ἀρτολατρείαν, venerationem imaginum &c. quæ dogmata cum scripturis sacris adversentur; tenenda est de illis regula divinitus tradita Deut. XIII. 1. Talia miracula describuntur longe plurima in libris quatuor dialogorum Gregorii, in speculo historiali Vincentii, in historiali Antonini, archiepiscopi Florentini &c. ac similibus libris, de quibus miraculis recte pronunciat Machiavellus lib. I. hist. Florent. ad Clementem VII. *quod miracula modernae ecclesiae cum fide antiquae ecclesiae pugnent.* In act. IV. Concil. Nicæn. 11. refertur, *monachum quemdam a spiritu impudicitiae fuisse tentatum, ac cum diu multumque jejuniis & precibus restitisset, adparuisse tentatorem eique dixisse: si a me liberari velis, imaginem hanc*, erat autem pictura virginis Mariæ, *colere desinas.* Tale etiam est, quod Martinus Isengrinius refert ad comprobandam sanctorum invocationem de obsessa quadam puella, quæ ex peculiari d. Mariæ revelatione adducta fuerit ad capellam virginis in antiqua Oetingen, quam tamen nihil commotam fuisse scribit, cum Petro Canisio præside litania cantaretur, & invocaretur misericordia, liberatio & auxilium Dei, diabolumque istæc surdis veluti auribus præteriisse. Cum vero Lauretana litania de b. Maria inchoaretur, tunc demum latanam cœpisse in obsessa turbari, clamare ac furere, mox vero Canisium arrepta lignea cariosa imagine Mariæ eam imposuisse capiti obsessæ, tum denique diabolum exclamasse: *Ah mulier, quid me calcas, & caput meum conteris!* Huic igitur cum ex obsessa exeundum esset, loco scilicet satisfactionis injunctum fuit, ut per os obsessæ aliquoties recitaret orationem dominicam & angelicam salutationem, quod cum faceret, quamquam coactus & invitus, cum gemitu demum & indignatione miserabiliter conquestus fuit ac dixit: *Videte Johannes non vult invocare sanctos, cum tamen nos diaboli vel inviti hoc cogamur facere.* Cum igitur expansis manibus & flexis genibus orationem dominicam supplex & devotus diabolus recitasset, & jam in salutatione angelica eo deveniisset: *Ave Maria gratia plena*, dicit eum sonora ac devota voce hanc apostillam intertexuisse: *O Maria gratia & misericordia tua sit super omnes illos, qui hanc capellam visitant, ah ora pro omnibus illis.* Ita demum diabolum relicto post se, ut solet, fœtore exiisse. Tale miraculum fuit, ubi ad templum Mariæ formosæ Ratisbonensis anno 1516. passim omnes ex Germania velut enthusiasmo quodam correpti adcurrebant, qua de re Sebast. Francus in chronico sic scribit: *Circa annum 1516. Balthasar Hubmeierus, theologus apud Regenspurgenses suis concionibus magistratum ita inflammavit contra Iudaeos, ut excisa illorum synagoga in area ipsa templum d. Mariae formosae aedificarint. Quae cum nescio quae miracula edidisse diceretur, fama longe lateque per Germaniam sparsa tantus repente peregrinorum concursus esse coepit, ut nec templum, nec coenobium, vix etiam urbs ipsa, ampla alioquin vereque regia, tantae colluviei sufficeret. Auctus inde furor, ut qui formosae Mariae Ratisbonensis vel obiter meminisset, velut enthusiasmo correptus, posthabitis parentibus, conjugibus, liberis recta ad eam dies noctesque irrequieto cursu obviis in itinere nec salutatis nec agnitis contenderet. Neque vero vel minis vel vinculis coerceri poterat. Instrumenta artis, (nam plebeios fere & opifices haec vesania agebat)*

*bat) quæ mente motis ad manum fuissent, secum abrepta, statuæ anathematis loco adferebant. Vidisses mulierculas trahentes pueros, senes scipionibus innitentes, pueros panis frustum vel pomum donarii loco obtendentes, ægros cum linteaminibus & stragulis adrepentes, cibi, potus, somnique interea immemores, mutos, surdos & apertis cæcos oculis. Templum ingressi non omnes eodem modo adficiebantur, sed qui ad summum gratiæ, uti persuadebant sacrificuli, pervenissent, ubi primum formosum simulacrum adspexissent, nulla missa voce sideratis similes concidebant, ad se reversi una cum furore morbis se liberatos profitebantur &c.* Sed hæc & similia miracula, (quorum prolixum catalogum ex Vincentio, autore Marialis, discipulo de tempore & aliis collectum vide apud Binderum in theologia scholastica cap. IX. pag. 213. & seqq.) cum non ad confirmationem doctrinæ propheticæ & apostolicæ, sed potius ad depravationem illius facta fuerint, dubium non est, utut mira videantur, quin ab ipso satana sint profecta. VI.)

6) *Quædam confirmant capita doctrinæ adhuc sana.*

Denique si vel maxime quædam vera & divina miracula in ecclesia Romana, præsertim apud Indos ac novi orbis populos fierent, nondum tamen evictum foret, omnia & singula doctrinæ capita, quæ in ecclesia Romana proponuntur, esse certæ ac immotæ veritatis, siquidem de miraculis illis idem dici posset, quod de Novatianorum miraculis Bellarminus dicit, *fieri scilicet illa ad confirmationem illius, quod in doctrina adhuc est sanum atque integrum, ut infideles eo citius convertantur ad fidem Christi:* nequaquam vero ad confirmationem illius, quod in doctrina Romanæ ecclesiæ est depravatum & corruptum. (*)

§. CCLXXXV. Bellarminus enumeratis prius quindecim seculorum miraculis (de quibus ex antea dictis facile judicari potest) *nostro etiamnum tempore in ecclesia Romana miracula fieri gloriatur. Hoc nostro seculo* (inquit) *claruit miraculis plurimis Franciscus de Paula, ut exstat in bulla apud Surium, claruit etiam in Indiis omni genere miraculorum b. pater Franciscus Xaverius, societatis Iesu presbyter. Constat enim ex Indicis literis, quas ii, qui cum eo versabantur, huc miserunt, ab eo paralyticos, surdos, mutos, cæcos esse curatos, mortuum quoque ad vitam revocatum, & cum mortuus deferretur ad insulam Goam ex Malacca, maris tempestatem sedatam, denique corpus ejus post 15. menses a morte integerrimum & suaviter olens repertum, cum tamen jacuisset per multos menses calce obrutum, nec dubium est, quin usque ad hanc diem integrum & incorruptum conservetur.* (**) Resp. 1.) Non immerito de fide illorum miraculorum dubitari posset, cum nulla in hisce propinquis regionibus a jesuitis miracula fieri experiamur, & ut maxime aliqua ab illis fuerint adtentata, infeliciter tamen cesserint. 2.) Dubitanter de illis pronunciat Franciscus de Victoria, professor regius in academia Salmanticensi in Hispania, relect. V. propos. 5. *Non satis mihi liquet, an barbaris Indis fides christiana ita a nobis proposita fuerit & adnunciata, ut teneantur credere sub novo peccato; nam miracula & signa nulla audio nec exempla vitæ adeo religiosæ, imo contra multa scandala & multas impietates, unde videtur, quod religio christiana non sit iis satis commode & pie praedicata, ut illi teneantur adquiescere.* Quo pertinet etiam illud Acostæ lib. VI. de procuranda Indorum salu-

*Bellarmini gloriatio de Romanæ ecclesiæ miraculis.*



(*) Constat, olim Judæos & Samaritanos, quos rex Assyriorum abductis decem tribubus in terris suis reliquit, non habuisse puram religionem & cultum veri Dei, nihilo tamen minus Deus misit leones in Assyrios & alias exoticas gentes in Samariam introductas, pepercit vero indigenis: anne ad confirmationem impii cultus? nequaquam, sed ad confirmationem religionis Judaicæ in lege comprehensæ. GERHARDVS.

(**) Bartscius dom. III. adv. p. 247. *Miraculorum testimonio nullo unquam seculo penitus caruit ecclesia, & si unquam alias, hoc tempore maxime claret, contra ministri evangelici penitus omnium sunt fuerunt que semper expertes.* GERHARDVS.

lute c. 4. *Quæ est praedicatio nostra? quæ fiducia? signa nulla edimus.* Cap. 12. *Nos prodigia, quibus evangelicas voces confirmemus, nulla producimus.* Cap. 17. *Neque vero opus est: bonis operibus ita lucere coram hominibus, ut videntes glorificent Patrem, qui in cœlis est, id est omnium ad persuadendum miraculum potentissimum.* 3) Si jesuitæ dono miraculorum instructi essent, illud cumprimis divinitus eis daretur, quod ad convertendos infideles vel maxime necessarium, videlicet miraculosum charisma variarum linguarum, quemadmodum apostoli ad ignotas gentes prædicandi evangelii ergo missi divinitus illo dono instruebantur. Act. II. 4. Sed jesuitæ ipsi conqueruntur se dono illo destitutos, atque ex eo non mediocres remoras in convertendis infidelibus sibi objici. Nicol. Pimenta in epist. ad Claudium Aquav. pag. 14. *Nostræ societatis pater Franciscus Corsi sic scribit ad suos, totus, inquit, sum in Persico idiomate addiscendo.* Ibidem pag. 80. *Quod autem ad conversionem adtinet, vitio meo utpote idiomatis ignaro, inquit pater Fernandes, parum effectum est.* Acosta lib. I. de Indorum salut. procur. cap. 2. *Ferunt, olim septuaginta linguis confusum fuisse genus mortalium: at Indi septingentis & eo amplius inter se discrepant linguis.* Lib. IV. cap. 8. *Qua ex re praedicando verbo Dei impedimenta nobis gravia fiunt.* cap. 9. *Non igitur immerito nostræ societatis fundator Ignatius Indicæ linguæ lectiones publicas praecepit, sunt enim perquam necessaria ista praesidia, ut facultas paretur verbi divini in gentibus adnunciandi.* Xaverius ipse lib. III. epist. 5. *Si nos linguam calleremus Iaponicam, non dubito, quin plurimi fierent christiani, faxit Deus, ut brevi eam addiscamus, tum demum aliquam christianæ rei navabimus operam, nam nunc quidem inter eos tanquam mutæ statuæ versamur, &c.* Cum ergo necessario illo linguarum dono jesuitæ destituantur, ecquis relationibus ipsorum de aliis miraculis minus necessariis fidem habebit? 4) Horatius Tursellinus, ex quo miracula illa Xaverii Bellarminus commemorat, lib. II. cap. 3. addit, *quod Xaverius in India vulgo cæptus sit adpellari apostolus, sicut etiam antea in Lusitania, idemque postea cognomen a Xaverio quasi capite ad ejus socios manasse*; a qua adpellatione merito sibi temperare debuissent. Lib. V. cap. 16. refert, cum corpus Xaverii Goam delatum esset, *magnam candelam accensam esse in ulnæ longitudine, quæ viginti duos dies totidemque noctes continue ardens, non tamen fuerit consumta.* Sed hoc miraculum non convenit cum apostolicis. 5) Xaverius ipse de hisce miraculis a se editis magis mutus est quam piscis. De rebus Indicis quinquaginta epistolas scripsit, sed in illis nihil quidquam de sanatis mutis, claudis, cœcis &c. vel resuscitatis mortuis habetur. Neque responderi potest, *hoc modestiæ ipsius tribuendum*, siquidem Dei gloria in miraculis elucens exemplo apostolorum Act. XIV. 27. & XV, 4. & potuisset & debuisset absque ulla immodestiæ adulatione prædicari. 6) Si vel maxime quædam vera & divina miracula in novo illo orbe a jesuitis essent edita, illa tamen non ad confirmationem dogmatum papalium de purgatorio, de invocatione sanctorum, de potestate papæ monarchica &c. de quibus imprimis fidei christianæ rudimentis tradendis altum apud ipsos silentium, sed ad confirmationem vere catholicorum dogmatum de mysterio Trinitatis, de persona, officio & beneficiis Christi, de baptismo, &c. fuissent facta, quemadmodum de Novatianorum miraculis ipse Bellarminus respondet.

*An in evangelicis ecclesiis fiant miracula?*

§. CCLXXXVI. Membrum *tertium.* Num in evangelicis ecclesiis nulla fiant miracula? Bellarminus hic proterve nobis insultat dicens, *quod Lutherus ne unam quidem muscam excitare potuerit*; alii nobis vitio vertunt, *quod ne claudum quidem canem sanare possimus.* Addit Bellarminus ex Staphylo & Cochlæo, *quod Lutherus frustra tentaverit, diabolum ex obsessa puella expellere, & Nesenum in Albi submersum in vitam revocare*, quod ipsum repetit Becanus in lib. de ecclesia. Item, *quod post mortem cadaver ejus*,

*ejus, cum deferretur in media hyeme, quo tempore corpora mortua in multos dies conservari solent, & esset inclusum in arca stannea optime clausa, ut Witebergae sepeliretur, tam tetrum odorem spirare cœperit, ut nemo eum ferre potuerit, ac proinde coacti fuerint corpus relinquere in itinere.* Resp. 1.) Non proponimus novam aliquam doctrinam, quæ miraculorum confirmatione indigeat, sed antiquam illam doctrinam stupendis Christi & apostolorum miraculis satis superque confirmatam. (*) Nequaquam igitur novis miraculis indigemus, sed quamprimum ex sacris literis confirmatum, doctrinam nostram & apostolicam nullatenus discrepare, simul etiam confirmatum est, doctrinam nostram miraculis non destitui. (**) 2.) Nec ulla exstat divina promissio, *quod sub finem mundi* per miracula veritas doctrinæ confirmanda sit, sed præmonitio exstat Matth. XXIV. 24. 2. Thess. II. 9. Apoc. XIII. 13. quod a fallacibus antichristi miraculis cavere debeamus. 3.) Si *miraculi* nomine intelligimus omne id, quod speciali Dei gratia & virtute agitur, quamvis non ita in oculos incurrat, sicut miracula externa, non potest negari, miraculi loco habendum, quod miserius & inermis monachus papam *mundi stuporem & regum terrorem*, minas spirantem, anathematis fulmina vibrantem & supera inferis miscentem adgressus, regnum ejus non mediocriter convulserit, & quod ipse contra tot potentissimos adversarios aperte & occulte ipsi insidiantes incolumis ad finem usque vitæ permanserit, quod singularibus prophetiæ donis & spiritu heroico instructus mirandum illud opus, doctrinæ scilicet reformationem & antichristi revelationem feliciter confecerit, quod doctrina evangelica tam mirabili successu a tot regnis ac provinciis recepta inter sævissimas persecutiones hactenus fuerit conservata &c. Quod miraculum evadet illustrius, si quis ex historiis memoria repetat, quam frustranea fuerit opera plurimorum potentissimorum imperatorum ac regum in pontificia potentia coercenda, ac si quis secum cogitet, quantis christiani sanguinis rivis evangelicæ doctrinæ cursum, sed tamen frustra, impedire fuerint conati. Jesuita Maldonatus in comm. 7. Matth. judicat, *longe incredibilius esse, tot philosophos, tot sapientes viros, tam paucis apostolis, tam imperitis, tamque incredibilia humanae rationi praedicantibus sine ullis miraculis credidisse, quam illa ipsa miracula, quae ab ipsis facta narrantur.* Id si verum, (ut est verissimum,) negari nequit, miraculum vel certe miraculo proximum esse, quod tot hominum millia ab inveteratis papatus erroribus ministerio Lutheri & ipsius symmystarum liberata. (***) 4.) Matthesius in vita Lutheri scribit, *ipsum veneni plurimum concoxisse ac divinitus praeservatum, ne ullum ex illo contraheret nocumentum.* Spangenbergius in chron. Mansf. refert, quod doctor quidam

(*) *Sumus in illo corpore, in quo illi* (prophetæ & apostoli) *miracula fecerunt*, inquit Augustinus. Aut ergo prophetica & apostolica miracula, quæ nostræ religionis sunt sigilla, in dubium vocari, aut apostolicæ ac nostræ doctrinæ discrepantiam aliquam ostendi oportet. GERHARDUS.

(**) Pontificii nos irridentes, *quod inter miracula recensemus opus reformationis*; sed Chrysostomus in 1. Cor. hom. VI. & Augustinus in lib. XXII. de civ. Dei cap. 8. *mundi conversionem per apostolos factam* in miraculis numerare non dubitarunt. Augustinus serm. XVIII. de verb. Dom. col. 76. *Nunc majores sanitates operatur, propter quas non est dedignatus, tunc exhibere illas minores. Sicut enim animus melior est corpore, sic & melior salus animi quam corporis. Modo caro coeca non aperit oculos miraculo Domini, & cor cœcum aperit oculos sermone Domini. Modo non resurgit mortale cadaver, resurgit anima, quæ mortua jacebat in vivo cadavere. Modo aures corporis surdæ non aperiuntur, sed quam multi habent aures clausas cordis, quæ tamen verbo Dei penetrante patescunt, ut credant, qui non credebant, & bene vivant, qui male vivebant, & obediant, qui non obediebant.* GERHARDUS.

(***) Erasmus in hyperaspist. diatrib. contra Lutherum a. 5. *Videbam eruditos homines pedibus in tua dogmata discedere, perspiciebam fatalem quemdam orbis favorem, animadvertebam, quo vehementius a theologis ac principibus obsistebatur, hoc latius propagari ac magis invalescere negotium; ex his ratiocinabar, rem non sine numine geri, itaque decreveram spectator esse tuae tragoediae; sic apud me cogitans, juxta Gamalielis sententiam; si Deus haec movet, non est meum resistere, sin aliunde ortum est, quod agitur, sua sponte dissipabitur.* GERHARDUS.

quidam medicinæ in Polonia pecuniis ab ejus loci episcopis illectus retia sua Witebergæ vicinisque in locis anno 1523. ad capiendum Lutherum explicuerit, sed irrito plane successu, sæpenumero etiam illito suggestui toxico, manubriisque infectis insidias ipsi positas fuisse, quæ tamen Deo aliter ordinante in nihilum evanuerint. Anno 1521. cum Lutherus ad conventum Wormacensem abiret, in itinere Erfordiæ rogatus concionem habuit. In media concione trabs pondere pressa gravi multitudinis ei incumbentium gemere ac ruinam minari cœpit, fit fuga, substantes pavor occupat; Lutherus inquit:

*- - - - - - - - Nil agis, nil agis istis,*
*Agnosco insidias, hostis acerbe, tuas.*
*Extentaque manu, nihil est hic, ecce, pericli,*
*Ille suas artes insidiator agit.*
*Sic intellecto vecors errore resedit*
*Impetus, inceptum nec prohibebat opus.*

Ut canit Eobanus. Cum anno 1541. Fridericus Myconius, superintendens Gothanus, graviter decumberet, & tabe consumeretur, atque ejus rei causa ad Lutherum scriberet, *decumbere se quidem non tamen lethaliter, sed vitaliter.* Lutherus illi rescripsit, ut habetur tom. VII. Jen. germ. pag. 593. *Ego oro & peto Dominum Jesum, vitam nostram, salutem & sanitatem nostram, ne hoc mihi etiam addi finat malum, ut me superstite videam te aut aliquot nostrum perrumpere & irrumpere per velum ad quietem, & me finatis foris relictum inter daemones, & vos praecedere. Peto ut loco tuo me faciat Dominus aegrotum, & jubeat deponere tabernaculum meum hoc inutile, emeritum & exhaustum.* Et in calce literarum: *Vale mi Friderice, & Dominus non finat me audire tuum transitum me vivo, sed te superstitem faciat mihi, hoc peto, hoc volo, & fiat mea voluntas, Amen! Quia haec voluntas gloriam nominis Dei, certe non meam voluptatem nec copiam quærit &c.* Hisce precibus convaluit Myconius & per sex annos adhuc vixit. Ejusmodi plura recenseri possent, quæ argumentum præbent, Lutheri preces miraculose efficaces, ac vitam ejus miraculose incolumem fuisse. Foxus in martyribus multa commemorat miracula edita in martyribus a pontificiis supplicio adfectis, utpote quod Cranmeri flammis exusti cor illæsum fuerit inter cineres repertum; quod Stephani Bruni corpus comburi non potuerit, quod Manginus post linguæ exsectionem fuerit locutus, quod corpus Fanini fragrantissimum odorem ex igne spiraverit, quod Roberti Samuelis corpus argenti instar in igne splenduerit &c. sed nos hisce non utimur contra pontificios argumentis, sed ex scriptura doctrinam nostram probamus. 5.) Cum Augustinus serm. XVIII. de verb. Dom. statuat, *quemadmodum animus melior est corpore, sic salutem animæ meliorem esse quam corporis, modo non resurgit* (inquit) *mortale corpus, resurgit anima, quæ mortua jacebat in mortuo cadavere;* cumque Isidorus lib. I. de summ. bon. cap. 27. statuat, *nunc in ecclesia bene vivere plus esse quam signa facere;* ideo inter spiritualia miracula merito refertur, quod per prædicationem doctrinæ cœlestis a sordibus papalibus repurgatæ multi homines a cultibus idololatricis, ad verum Dei cultum, a superstitionibus ad opera divinitus mandata, ab hypocrisi ad veram pietatem revocati, sobrie, juste & pie in hoc mundo vivant, atque efficacem in ipsa morte consolationem sentiant. 6.) Quod Lutherus irrito conatu nisus fuerit, puellam quamdam obsessam liberare, & Nesenum in Albi suffocatum in vitam revocare, nemo credet apostatæ Staphylo, & mendacissimo Cochlæo, cui notum est, quod Lutherus a miraculis ad doctrinam perpetuo homines revocaverit. (*) Dominic. II. advent. in explic. epist. sic scribit: *Non fidendum est miraculis, quæ*

(*) Eamdem tamen mendacem calumniam de Luthero conatu irrito cupiente Nisenum suffocatum excitare, & diabolum ex obsessa puella ejicere repetunt Laurentius Surius comment. rerum in orbe gestarum anno 1546. pag 415. Willh. Lindanus dial. III. cap. 1. dubitantis, Tilmannus Bredenbachius lib. VII. collation. sacrar. cap. 5. Staphylus in absoluta responsione contra Smidelinum p. 404. Tribonianus Cassius

*quæ fieri vel mentiuntur vel etiam vere prædicant, sed soli doctrinæ Christi & apostolorum. Apostoli ediderunt signa* (inquit in festo adscens. homil. II.) *ad evangelii confirmationem. Postquam vero evangelium late propagatum est, & universo mundo promulgatum, non est opus porro miracula facere.* Quinimo oravit Deum, ne sibi ostenderet miracula, cum verbo sit contentus. Diabolum ab obsesso juvene vere expulsum, & chirographum diabolo a quodam datum ad preces Lutheri relatum esse, historiæ testantur, & late commemorat Foxus in martyr. pag. 864. Suscitare non fuit conatus: Bucholzerus refert parentem suum in ripa tum adstitisse Luthero & suis oculis hæc vidisse atque auribus audivisse, quod Lutherus vehementer doluerit, & hæc verba addiderit: *Si possem miracula edere, nunc te excitarem.* 7.) Quantum tribuendum sit fabulæ de intolerabili fœtore ex Lutheri corpore exhalante, facile colligitur ex eo, quod vivo adhuc Luthero fabulam sparserint de tragico ipsius obitu, quam Lutherus in vivis adhuc existens masculе confutavit tom. VIII. Jenens. german. fol. 206. quemadmodum etiam de Beza fabulati fuerant, *ipsum ad ecclesiam Romanam in agone mortis* rediisse, sed Beza adhuc vivus publico scripto illud commentum repulit. Ipsa quoque fabulæ verba mendacium produnt, dicitur enim, quod ob intolerabilem fœtorem corpus Lutheri in itinere fuerit relictum, cum in præsentia aliquot millium Witebergæ honorifice illud sit sepultum & quidem, ut Melanchthon scribit, *honorificentius quam multorum principum corpora.* Facile autem credimus Bellarmino, Lutherum non tunc solum sed adhuc hodie odorem papatui intolerabilem exhalare, cum juxta ipsius vaticinium pestis fuerit papæ adhuc vivus, moriens autem ipsi mors exstiterit. 8.) Quod de irrito ac frustraneo miracula edendi conatu Luthero Bellarminus tribuit, id rectius de societatis suæ hominibus dici posse, testantur historiæ, de patre scilicet Justiniano lepram simulante, ut ex sanatione miraculum fabricaret, de jesuita Augustano in spectrum se transformante, sed pugione confosso &c. Baruch Molithoræus in novis jesuiticis p. 38. de Scherero simile quid commemorat. *Quam* (inquit) *doctrinam confirmavit pater Georgius Scherus, cum Viennae pessimo cuidam homini persuaderet, ut sese mortuum simularet, ac feretro sese imponi pateretur, quem cum jesuita ex composito suscitare vellet, vere mortuus est repertus.* Sed de his plus satis.

SECTIO

sius in pseudojubil. Witeb. p. 237. Sed respondemus illis, *testi alteri parti inimico non creditur*: cap. *per tuas* & ibi glossa in verbo inimicitias capitales: extr. de simoniacis: cap. *adcusat*; & ibi glosia. caus. 3. q. 5. argum. l. licet. ff. de arbitrio & in auth. de testib. §. Si vero dicatur vers. si vero quis dicat. Lutherus in coll. mensal. fol. 101. edit. Lipsi. & fol. 204. edit. Isleb. *Wir sollen itzt nicht und können auch nicht die Teuffel austreiben mit gewissen Ceremonien und Worten, wie vor Zeiten die Propheten, Christus und die Apostel gethan. Besen sollen wir im Nahmen Christi, die Kirche mit Ernst vermahnen zum Gebet, dass der liebe GOtt und Vater unsers lieben Herrn JEsu Christi durch seine Barmherzigkeit den besessenen Menschen wolle erlösen, geschicht nun solches im Glauben auf Christi Zusage: Warlich, warlich ich sage euch, was ihr den Vater bitten werdet &c. so ist es starck und kräfftig, dass der Teuffel aus dem Menschen weichen muss, wie ich etliche Exempel erzehlen könte, sonst können wir die bösen Geister nicht austreiben, vermögen es auch nicht zu thun. Wo aber einer wehre ohne Mittel von GOtt beruffen und einen Glauben hette Wunder zu thun, der könte Teuffel austreiben, so den Menschen leiblich besitzen, wie vorzeiten die Propheten und Apostel &c. Er lest sich nicht mit schlechten Worten austreiben, als da sind, fahre aus du unreiner Geist, so habens auch die Beschwerer im Bahstthum mit Ernst nicht gemeinet, die Krafft GOttes muss es thun und muss einer sein Leben daran setzen, dass ihm der Teuffel bang genug machet, ohne Schrecken gehts nicht abe.* Confess. fol. 102. GERHARDUS.

## SECTIO XII.

## DE DVODECIMA ECCLESIAE NOTA, QVAM BELLARMINVS ADSIGNAT, QVAE EST LVMEN PROPHETICVM.

*An lumen propheticum sit nota ecclesiæ.*

§. CCLXXXVII. Membrum *primum.* Sitne lumen propheticum genuina & propria ecclesiæ nota? Quod de miraculis, idem de vaticiniis pronunciamus, quod scilicet sola & per se considerata non probent doctrinæ veritatem, tum quia non sunt ecclesiæ propria, tum quia non sunt perpetua. Quod prophetiæ donum non sit ecclesiæ veræ *proprium*, patet ex his fundamentis: 1.) Deut. XIII. 1. diserte præmonet Dominus; *si exsurgat pseudopropheta, & prædicat aliquod signum vel portentum, idque postea eveniat, ne sequamur eum, ad cultum alienorum deorum* ac doctrinam peregrinam nos avocantem. 2.) *Balaamus* ex revelatione Dei prædixit futura, Num. XXIV. 16. qui tamen fuit falsus propheta, & religio ipsius fuit ethnica. 3.) In populo Israelitico complures *pseudoprophetæ* divina somnia ac revelationes divinas jactitarunt. Jer. XXIII. 25. dicit Dominus: *Audivi, quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in meo nomine mendacium atque dicentes, somniavi, somniavi.* 32. *Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea, & seduxerunt populum meum in mendacio suo & in nugis suis &c.* Memorabile hujus rei exemplum exstat 1. Reg. XIII. 18. ubi senex quidam propheta *in Bethel* habitans viro Dei ac vero prophetæ falsum ac noxium aliquid persuadet: *Et ego* (inquit) *propheta sum similis tui, & angelus locutus est mihi in sermone Domini dicens: Reduc eum tecum.* 4.) Ex unius prophetico dono instructi vaticinio non est pronunciandum, quod totus ille cœtus, quo vivit, sit vera ecclesia. *Daniel* in confessu Belsazeris & procerum ejus futura prædicit Dan. V. 28. nec tamen ille cœtus erat ecclesia. *Caiphas* pontifex in synedrio Hierosolymitano prophetat Joh. XI. 51. neque tamen cœtus ille erat vera ecclesia. 5.) Difficilime cognosci potest, quæ prædictiones sint divinæ. Dæmones enim cum teste Isidoro triplici acumine polleant, *subtilitate naturæ, experientia temporum & revelatione superiorum potestatum*, ideo quædam futura præscire ac prædicere possunt. Augustinus lib. IX. de civ. Dei cap. 22. *Dæmones non æternas temporum causas & quodammodo cardinales in Dei sapientia contemplantur, sed quorumdam signorum nobis occultorum majore experientia multo plura quam homines futura prospiciunt, dispositiones quoque suas aliquando prænunciant & sæpe falluntur.* Lib. IV. de Trinit. cap. 17. *Potestates aereæ fallaces, etiamsi quædam a sanctis prophetis vel angelis audita vere per suos vates dixisse reperiuntur, hoc fecerunt, ut per aliena vera homines ad sua falsa traducerent.* Chrysostomus homil. XIX. oper. imperf. in Matth. *Concessum est diabolo interdum vera dicere, ut mendacium suum rara veritate commendet. Si enim nunquam verum diceret, nec ad tentationem poterat sufficere seductio ejus.* Homil. XXIX. in 1. Cor. docet, *judicium esse difficilimum, quo falsus propheta a vero dignosci possit, tum quod prophetarum dicta de futuris plerumque sunt concepta, nec ante tempus exactum cognosci possit, an quis mentiatur, tum quod falsi prophetæ vera prædicunt.* Damascenus lib. II. orth. fid. cap. 4. προλέγουσι δὲ καὶ οἱ δαίμονες ποτὲ μὲν τὰ μακρὰν γινόμενα βλέποντες, ποτὲ δὲ ϛοχαζόμενοι, ὅθεν καὶ τὰ πολλὰ ψεύδονται οἷς ἃ δεῖ πιϛεύειν, κἂν ἀληθεύωσι πολλάκις. (*) Dæmones igitur

(*) Josephus lib. XV. antiq. cap. 13. memorat, *Manahem Essenum Herodi adhuc puero ludum literarium peteuti obviam factum regnum illi prædixisse, cui Herodes ætate puer sed prudentia canus respondent, memento privatum me esse.* Isidorus lib. I. sent. citat dictum Gregorii lib. VII. moral. cap. 1.

tur quandoque prædicunt futura vel ex *revelatione superioris potestatis*; sic quando Deus Cyrum & Josiam in scriptura suis adpellat nominibus, potuit illud diabolus scire: vel ex *probabili conjectura* effectuum ex causis in actu existentibus; sic Sauli prædixit mortem 1. Sam. XXVIII. 19. vel quia ex impietate ipsius tragicum exitum collegit, vel quia Deus exsecutionem sui judicii adversus Saulem ei revelavit. Sic gentibus olim prædixit idolorum ruinam sub Christi adventum futuram, eam quippe in scripturis noverat revelatam. 6.) Novum non est vel insolitum, *etiam falsos doctores* de prophetiæ dono gloriari. Matth. VII. 22. *Multi dicent in die novissimo, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* quibus Christus dicet, *non novi vos*, ubi per donum prophetiæ etiam futurorum prædictiones intelligi non est improbabile, cum donum miraculorum eidem conjungatur. Lyra in comm. 1. Reg. XIII. *Prophetia respicit actum intelligendi, caritas autem, quæ facit hominem bonum, est actus voluntatis, prius potest esse sine posteriori.* Ut autem in impiis, ita quoque in falsis doctoribus potest esse donum prophetiæ, quia notitia literæ differt a notitia spiritus. De *Essæis* scribit Josephus lib. II. de bello Judaico cap. 7. *Sunt in eis, qui etiam futura nosse promittant, sacris videlicet libris & variis sanctificationibus prophetarumque dictis a primis ætatibus adhærentes, raro autem accidit, ut prædicationes eorum frustratio consequatur.* De Montanistis notum, quantopere prophetias jactitarint, habebant *Priscam & Maximillam* divites ac opulentas mulieres prophetissarum loco. Hieronymus in comment. Tit. I. refert, *Epimenidem scripsisse librum de oraculis ac responsis, in quo multa futura prædicebantur, eumque a Paulo lectum esse, & hinc sumtum versiculum:* Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται *&c.* Idem in Matth. cap. VII. *Et Saul & Balaam & Caiphas prophetarunt, nescientes quid dicerent.* 7.) Accedant testimonia ipsorum adversariorum. Thomas II. 2. q. 172. art. 6. *probat etiam falsos prophetas interdum vera prædicere, aliquando ex dæmonum revelatione, aliquando ex divina inspiratione*, quod confirmat exemplo Bileami & Sibyllarum atque ex Augustino lib. XII. de Genesi ad literam cap. 19. Bonaventura lib. III. sent. dist. 9. quæst. 6. *Non debet homo omni spiritui credere, sed probare, qui ex Deo sint. Qui enim cito credit in talibus, levis est corde & fortasse etiam inflatus corde, dum ad tales visiones & adparitiones se idoneum esse existimat, unde tales visiones potius sunt formidandæ, quam desiderandæ &c.* Tolosanus lib. III. de republ. cap. 33. *Permisit, imo jussit Deus verus multa prædici per idolorum sacrificulos & per oracula eorum verissima, non secus quam per asinam Bileami adnunciari voluit adprobationem eorum, quibus prædixit Deus, ne falsos prophetas sequerentur, sed necarent.* Ibidem: *Deus permisit aliquando inter gentiles & abhorrentes a lege Dei vates vera quædam præscire & prædicere futura.* Edetus in œcon. bibl. lib. II. in Deut. XIII. *Si prædixerit quis signum & portentum, & evenerit quod locutus est, non audies verba prophetæ illius, & ratio est, quia falsam doctrinam profert & Dominus Deus vester vos tentat. Etsi ergo evenerit, quod falsi prophetæ prædixerunt, tamen non esse sequendos, scriptura ipsa copiose docet.* Pererius comment. in Exod. XI. disp. 11. *Sinit nonnunquam Deus pseudoprophetas nonnulla prædicere, quæ eveniant.* Maldonatus in Matth. VII. *Balaam falsus alioquin & infidelis propheta vera prædixit. Et ex Matthæo facile colligitur, falsos prophetas vere prophetasse & vera prædicando non suam, sed populi Dei fidem confirmasse.* Quod Prophetiæ donum non sit ecclesiæ *perpetuum*, patet ex eo, quia de *primordiis ecclesiæ* nov. test. duntaxat prædictum exstat, quod visiones & prophetiæ tunc temporis in ea locum habebunt; Joel. II. 28. Act. II. 17. sed de novissimis



cap. 1. *Aliquando non dignis sed reprobis dona Spiritus sancti conferuntur, sicut Saulo data est prophetia & Bileamo; unde etiam multi in fine secu-*

*li dicturi sunt: Domine nonne virtutes in nomine tuo fecimus, quibus dicturus est: nescio vos, unde estis. Matth. VII. 23, Luc. XIII. 25.* Gerhardvs.

vissimis ecclesiæ temporibus nullibi tale quid promissum. Agnoscit hoc Ribera jesuita in comment. Joel. II. *In illo solo tempore*, (inquit) *quod Petrus indicavit, intelligendum esse hunc prophetiæ locum, docent Hilarius lib. VIII. de Trinit. Chrysostomus hom. IV. in Acta, Hieronymus ad Hedibiam, Oecumenius in II. Act. & alii viri doctissimi, qui omnino de hoc tempore interpretantur, nec unquam alterius temporis meminere. Sed quid ego sanctos patres commemoro, cum & Judæi nonnulli ad tempora Messiæ referant, & ex actibus apostolorum intelligimus, impletam esse hanc prophetiam post Domini adscensionem, quidam enim prophetabant, ut Agabus & filiæ Philippi & nonnulli ex Corinthiis, erant etiam in Antiochena ecclesia prophetæ, etiam Johannes apocalypsin vidit, & Petrus & Paulus etiam visiones.* Claudius Espensæus comment. in 1. Tim. libro I. digress. cap. 2. *Prophetæ nunc dicuntur scripturarum interpretes & explanatores, ut docet Ambrosius, quamvis inter fidei primordia ad commendanda ejus rudimenta fuerint prophetæ etiam prophetantes, quales fuerunt Agabus & quatuor filiæ Philippi virgines.* Idem etiam comprobat res ipsa, quia in vet. testam. aliquot secula abierunt, quando nullus fuit propheta 1. Maccab. IX. 27. in nov. testam. a temporibus apostolorum proprie & specifice dictus propheta nullus fuit.

*Argumenta Bellarmini pro lumine prophetico.*

§. CCLXXXVIII. Videamus, quomodo Bellarminus probet, lumen propheticum esse ecclesiæ notam. I.) *Sicut Christus Marc. XVI. promittit ecclesiæ donum miraculorum, ita etiam Joel II. exponente Petro Act. II. promittit donum prophetiæ.* Resp. ostendimus jam ante, vaticinium illud pertinere ad primordia ecclesiæ christianæ, in quibus suum sortitum est complementum. Nos vero hoc loco quærimus perpetuas & inseparabiles ecclesiæ notas. II.) *Donum prophetiæ est longe maximum, cum certum sit neminem cognoscere futura contingentia excepto Deo Esa. XXXXI. Adnunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis vos.* Resp. sane solius Dei proprium est futura contingentia angelis & hominibus abscondita prospicere ac prædicere; interim tamen diabolus ex causis in actu positis nobis ignotis prædicit futuros effectus, id quod pro futurorum prædictione proprie sic dicta ab hominibus habetur. Præterea ex Dei revelatione dæmones proprie dicta futura præscire ac prædicere possunt, ac falsis prophetis donum illud ad probandos homines interdum communicatur, perinde ut de miraculis dictum fuit. III.) *Deut. XVIII. ponitur tanquam nota falsæ doctrinæ, si propheta prædixerit aliquid, quod non evenerit.* Resp. ex eo autem inferri non potest nec debet, quod statim sit verus propheta, ac quod in omnibus illi credendum, qui prædicit, quod postea revera evenit, contrarium enim disertis verbis exstat Deut. XIII. 1. & seqq. IV.) *Apud ethnicos & hæreticos nulla fuerunt vera vaticinia, sed multa falsa, nisi forte fierent in testimonium nostræ fidei, ut fuerunt vaticinia Sibyllarum & Balaam. Etsi enim ethnici habuerunt plurima oracula Apollinis, tamen illa vel per ambages respondebant, quando scilicet Apollo non sciebat revera, quid esset futurum: vel ea prædicebant, quae daemones ipsi facturi erant; vel ea, quæ cæpta erant fieri ignorantibus nunciabant, tanquam futura, vel demum ea praedicebant, quae naturales habent causas nobis ignotas, illis autem notas propter majorem subtilitatem. Haeretici quoque quotiescunque aliquid praedicere voluerunt, decepti sunt, id patet de falsis prophetis in vet. test.* I. Reg. XXII. *ac de Montanistis, qui praedixerunt bella, & nescio quae alia futura, sed contrarium evenit, ut est apud Eusebium lib. V. hist. cap. 16. & 18.* Resp. cum Bellarminus non possit inficias ire, dæmones ex causis naturalibus nobis ignotis quædam prædicere, quæ pro veris & proprie dictis futurorum prædictionibus a nobis habentur, cumque etiam falsi prophetæ interdum vera prædicant, ideo lumen propheticum non potest pro vera ecclesiæ nota haberi. Quod Bellarminus addit, *ethnicos & haereticos non habu-*

*habuisse vera vaticinia, nisi forte fierent in testimonium verae fidei*, idem de prædictionibus, quas Bellarminus profert pro stabilienda Romanæ ecclesiæ veritate, dicere possumus, quod scilicet non ad papalium dogmatum, sed ad fidei christianæ, cujus quædam capita adhuc integra obtinet, confirmationem fuerint editæ. Ad doctrinam igitur perpetuo redeundum; aut enim veritas fidei & ecclesiæ æstimanda est ex veritate prophetiæ, aut contra veritas prophetiæ æstimanda est ex fidei & ecclesiæ veritate. *Prius* dici nequit, quod ipse Bellarminus agnoscit, quando diserte scribit, *ethnicos & haereticos non habuisse vera vaticinia, nisi forte fierent in testimonium verae fidei.* Manet igitur *posterius*. De Montanistarum prædictionibus, num veræ vel falsæ fuerint, non magnopere laboramus, sufficit nobis, quod prædictionibus suis multos deceperint, qui relicta doctrinæ apostolicæ luce peregrinas ipsorum doctrinas prophetiis illis permoti sunt secuti. Pseudoprophetæ illi, qui 1. Reg. XXII. autores erant Achabo, ut in prælium contra regem Syriæ adscenderet, decepti erant a spiritu illo mendacii, qui stans coram Domino dicit v. 22. *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum*, potuisset autem idem spiritus suis prophetis interitum Achabi ex divina revelatione cognitum manifestare, ac per illos regi id prædicere, si e re sua illud esse judicasset.

*An in ecclesia Romana vigeat lumen propheticum?*

CCLXXXIX. Membrum *secundum.* An vigeat in ecclesia Romana lumen propheticum? Bellarminus ad id probandum adfert 1.) *prophetas vet. test.* 2.) *illos qui fuerunt primis quingentis annis a Christi adventu, ut Agabum* Act. XI. *Gregorium Thaumaturgum, de quo Basilius lib. de script. sacra cap. 29. Antonium, de quo Athanasius in ejus vita, & abbatem Johannem, de quo Augustinus lib. V. de civ. Dei cap. 26.* 3.) *monachos, qui posterioribus seculis in ecclesia floruerunt, ut Benedictum, de quo Gregorius lib. II. dial. cap. 25. Bernhardum, de quo in ipsius vita, & Franciscum, de quo Bonaventura in illius vita.* Resp. 1.) Prophetæ & apostoli non possunt ecclesiæ Romanæ hodiernæ adnumerari, cum ab ipsorum doctrina in multis defecerit. 2.) Gregorius Thaumaturgus fuit episcopus Cæsarienſis Græco patre natus, Nicephorus lib. VI. cap. 17. Antonius fuit Ægypti monachus, Nicephorus lib. VIII. cap. 40. Abbas Johannes itidem vixit in Ægypti eremo teste Augustino l. d. ergo ecclesiæ Græcæ & Ægyptiacæ potius quam Romanæ illorum vaticinia sibi arrogare possent. 3.) Si vel maxime Bernhardus, Benedictus, Franciscus & alii quædam prædixissent, non continuo sequitur, omnia, quæ docuerunt, esse vera, multo minus ecclesiam Romanam, in qua vixerunt, esse veram. Sibyllæ inter gentes & Daniel in convivio Belsazeris vera prædixerunt. 4.) *De Brigittae, Elisabethae* & aliarum revelationibus, quas itidem Romana ecclesia magnifacit, quidam ex ipsis pontificiis dubitant. Delrius lib. IV. disquisit. magicar. cap. 1. quæst. 3. sect. 4. *Henricus de Hassia & Sybillanus ambo catholici, ambo religiosi, volunt Brigittae & similium revelationes non debere haberi pro indubitanter veris.* Picus Mirandulanus contendit, *harum sanctarum revelationes contradictorias esse &c.* Nec potest negari, in revelationibus illis multa contra papam & prælatos admodum duriter dici; Hildegardis de monachorum interitu prophetavit dicens, muneribus & donis cessantibus tanquam canes famelicos circumvolitaturos. Brigitta prædixit, ecclesiam Romanam instar alicujus condemnati a judice futuram, cui pellis detrahenda & caro in partes secanda. Catharina Senensis de tali ecclesiæ reformatione & pastorum renovatione locuta est, cujus solius recordatione spiritus ipsius in Domino exsultatus fuerat, quod si ergo revelationes illas agnoscunt esse veras, agnoscant etiam ea, quæ contra papam dicuntur, esse vera. 5.) Bellarminus non potuit aliquos proferre, qui hoc postremo seculo prophetiæ dono instructi fuerint, alias eos non præteriisset, cum in capite proxime præcedente de

Xaverii miraculis fuerit gloriatus. Agnoscat igitur vel donum prophetiæ non esse ecclesiæ perpetuum, vel Romanam ecclesiam non esse veram ecclesiam.

*An in ecclesiis evangelicis vigeat lumen propheticum?*

§. CCLXXXX. Membrum *tertium.* Num in ecclesiis evangelicis lumen propheticum fulgeat? Bellarminus ex Cochlæo refert, *Lutherum anno 1525. praedixisse, fore ut si ipse adhuc per duos annos suam doctrinam praedicaret, evanesceret papa, cardinales, episcopi, monachi, moniales, turres, campanae &c. ac Lutheranorum prophetas anno 1533. constanter adseruisse, illo anno futurum ultimi judicii diem, sed neutri praedictioni eventum respondisse.* Resp. 1.) Cochlæo juratissimo Lutheri hosti in notoriis mendaciis non semel deprehenso, quis hac in re fidem habebit? 2.) Diminutionem papalis eminentiæ ac regni antichristiani a Luthero prædictam eventus comprobavit. Plenariam papatus ante novissimum judicium destructionem nuspiam prædixit, noverat enim apostolicum illud 2. Thess. II. 8. *quod antichristus destruendus sit τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας* Christi. Idipsum disertis verbis repetit Lutherus in explicat. Psalm. X. tom. II. germ. Jenens. fol. 93. *Allein der jungste Tag soll das Bapsthumb zerstören.* 3.) Ungersdorffius in gratulatione ad proceres Austriacos p. 78. contrarium plane vaticinium Luthero tribuit de doctrinæ evangelicæ secuturis corruptelis, adeoque ipsius interitu. Cui ergo credemus Cochlæo an Ungersdorffio? 4.) Ipsa vaticinii verba, quæ exstant in comment. Galat. III. tom. I. Witeberg. fol. 195. Lutherum ab antilogias crimine ab Ungersdorffio intentato satis tuentur. Prædicit Lutherus, *doctrinam evangelicam a sectariis & falsis fratribus cumprimis in articulo justificationis corruptam iri, tamen non abolendam ante novissimum diem.* Prius tempore interimistico completum est, posterioris veritas tamdiu stabit, donec sonat nostræ doctrinæ prædicatio. 5.) *Tenue est mendacium, si diligenter inspexeris, pellucet,* inquit Seneca. Idem in hoc Cochlæano mendacio deprehenditur. Nugatur prædixisse Lutherum intra duos annos abolendum papam, cardinales, episcopos & inter hæc etiam turres & campanas. At quis credat de abolitione turrium & campanarum, quæ adhuc apud nos retinentur, Lutherum quidquam fuisse locutum? 6.) Diem novissimi judicii Lutherus nuspiam determinavit, quin potius acriter illorum temeritatem, quitale quid tentare fuerunt ausi, redarguit. Melchioris Stifelii (prædicentis extremum diem præcise cadere in annum 1533. mensem 10. hebdomadam 42. in diem lunæ circa horam octavam) vanitatem ipse Lutherus damnavit, ut est in colloq. mensalibus cap. 43. ac in XI. Genes. tom. II. fol. 2. hac de re sic scribit: *Conjicio Deum certo suo consilio in Abrahamo 60. annos voluisse intercidere, ne ex annorum mundi certa ratione quisquam de fine mundi certi aliquid praedicere praesumeret. Ostendit quidem signa novissimi diei, & ea extare ac conspici vult, sed hunc diem non vult sciri, imo ne quidem annum, ut pii perpetuo in exspectatione hujus gratissimae lucis exercerent fidem & timorem erga Deum.* 7.) Papisticæ prædictiones falsitatis potius arguendæ sunt. Johannes Taisnierius Hannonius in physign. Pauli opere mathematico p. 457. ex astris prædixit anno 1572. *religionem Lutheranam intra triennium exstirpandam.* Similes prædictiones ab aliis etiam prolatæ sunt, quarum falsitatem ipse eventus comprobavit.

§. CCLXXXXI. Nos contra vere adfirmare possumus & a Luthero & de Luthero vaticinia esse edita, quorum certitudinem res ipsa luculente confirmavit. (*) Prædixit Lutherus, se ab hostium furore incolumem futu-

(*) Lutherus tom. VII. Jen. f. 304. *Non libenter vaticinor, nec vaticinari volo, quidquid enim praedico, praesertim malum, plerumque ita evenit & saepius, quam velim, ita ut cum S. Micha saepe exoptem: Vtinam non essem vir habens Spiritum, & mendacium loquerer.* Tannerus in anat. confessi-

futurum; prædixit se vivo bellum religionis causa haudquaquam exoriturum, (*) utriusque prædictionis veritas eventu comprobata. Melanchthon in orat. de vita & obitu Lutheri hujus generis plura commemorat. In comitiis Augustanis cum res videretur sub acie novaculæ constituta, Lutherus tunc absens post ferias ad Deum preces e cubiculo prodiit lætabundus & clara voce sæpius repetiit; *Vicimus!* Cognitum vero est eadem hora promulgatum fuisse cæsaris decretum, *ne quis propter doctrinæ evangelicæ professionem damni quidpiam pateretur.* Vaticinia de Luthero edita revocari possunt ad duas classes, quædam enim in sacris literis, quædam in ecclesiastica historia proponuntur. Ex sacris literis huc referri debet, quod Dan. VIII. 25. de antichristo sub typo Antiochi dicitur, ipsum *sine manu conterendum*, id est, non armis corporalibus a potentibus hujus seculi sed evangelii prædicatione per Lutherum conficiendum. Dan. XI. 44. prædictum exstat: *Turbabit illum* (antichristum) *fama ab oriente & ab aquilone*; per famam intelligitur sincera prædicatio evangelii ac testimonium veritatis antichristi erroribus oppositum juxta interpretationem apostolorum 2. Thess. II. 8. & Apoc. XIV. 6. quæ Christum orientem ex alto Luc. I. 78. illucescere faciens 2. Pet. I. 19. valde perturbabit antichristum, per eamdem fiet, ut ii, qui aliquando sub regis aquilonis antichristi potestate fuerunt, eumdem prædicatione evangelii oppugnent. Osiander in notis margin. (**) Potest etiam fama ab oriente haud incommode sic exponi, quod initium & quasi prodromus illius oppugnationis antichristi per prædicationem evangelii postmodum secutæ in oriente fuerit, quia græcæ & orientales ecclesiæ nunquam passæ sunt se potestati papæ subjici, sed quia vox illa ecclesiarum orientalium,

fessionis August. part. I. dem. 4. Luthero tribuit, *quod falsa praedixerit, & proinde sit falsus propheta, cum eventus vaticinium non respondeat.* Resp. observanda sunt de talibus prædictionibus quatuor membra. 1.) *Praedictionum origo.* Aut enim quis spiritum jactat propheticum ac revelationes, unde nascantur vaticinia, vel causis nititur in verbo divino monstratis aut naturalibus & civilibus iisque mutabilibus, e quibus futuros eventus præsagiat. Sin *prius*, jactantia autorem facit fanaticum. Sin *posterius*, taliter deceptus non est pseudopropheta. 2.) *Praedictionum materia.* Vaticinia aut concernunt fidem & religionem, & qui in religionis confirmationem prædixit, quod non sequitur, fraude egisse creditur, his præsertim seculis, quibus talia signa in antichristi notas degenerarunt; vel civilia sunt, naturalia & similia, ubi observandum, an talia vaticinia sint divinis opposita vel secus: sin illa, quæ non eveniunt, ideo doctorem falsum arguunt, quia veritati divinæ opposita. Sin hæc, ex errore prædictionis civilis vel naturalis non erit falsus doctor. 3.) *Praedictionum modus.* Distinguenda sunt omnia a vaticiniis. Ex signis cœlestibus & terrenis futura præsagire solent ii, qui talia excipiunt, concionatores mala ominantur auditoribus immorigeris cum specialia exempla pœnarum occurrunt, nec tamen quando non sequuntur, concionator est pseudopropheta. Luc. XIII. 3. 4.) *Causa non secuti eventus.* Quæ Deus prædicit, non semper eveniunt, quia intercipitur eventus vel per pœnitentiam, si minetur perditionem, vel malitiam, si felicitatem promittat, vel per causas hominibus ignotas &c. Vaticinia a Luthero edita vide apud Wolfium cent. XVI. pag. 78. tom. II. pag. 419. Quæ Lutherus de Arianorum hæresi in Germania, de pœnis Germanorum ob contemtum verbi & neglectum scholarum prædixit tom. III. Jen. germ. f. 433. tom. V. f. 185. 202. 365. 433. tom VI. fol. 210. tom. VII. f. 289. de sectis ipsum secuturis & similibus, eventus nimis vera comprobavit, unde dicere solebat tom. VII. f. 283. se non libenter vaticinari, quia expertus sit, vaticinia sua esse nimis vera. GERHARDUS.

(*) Vide tom. II. p. 119. 120. 388. 389. tom. V. p. 185. 356. 433. tom. VII. p. 30. a. b. 434. tom. VIII. p 344. GERHARDUS.

(**) Lutherus tom. VIII. Jen p. 344. *Die Papisten sind toll und unsinnig wider uns, wollen ihre Lehr mit langen Spiessen und Gewalt verfechten, weil sie mit der Feder und Warheit nichts wider uns ausbringen kennen. Ich habe mit grossem ernst GOtt gebeten und bitte noch täglich, er wolle ihrem Rath steuren, und keinen Krieg in Teutschland kommen lassen bey meinem Leben, und bin gewiss, dass GOtt solch mein Gebet fürwar erhöret, und weiss, dass weil ich lebe kein Krieg in Teutschland seyn wird, wann ich nun sterbe, ruhe und schlaffe, so betet auch.* Per *aquilonem* etiam intelligi possunt illi, qui prius in castris antichristi meruerunt, quia in principio capitis antichristus vocatur rex Babylonis. Sic Lutherus & alii, qui papatum oppugnarunt, in tenebris papisticis & monasticis prius hæsere. GERHARDUS.

talium, *(superbiam tuam ferre non possumus, avaritiam tuam exsatiare non valemus, diabolus tecum, quia Dominus nobiscum;)* utpote ex locis transmarinis & longe distitis aures pontificis minus perculit, ideo eadem vox ab aquilone insonuit, primum quidem tempore Caroli magni delato ad Germanos imperio, & ætatibus subsequentibus, quibus semper aliqui exstiterunt, qui voce & literis, quidam etiam sanguine suo testatum fecerunt, *Romanum papam vere antichristum esse;* tandem circa annum Christi 1414. Johannes Huss & Hieronymus Pragensis vocem suam instar tubæ adversus superstitiones & tyrannidem papæ elevarunt, quos post centum annos secutus est Mart. Lutherus, qui in expugnando antichristi regno suis scriptis & concionibus plus profecit, quam omnes regum & imperatorum copiæ. Gesnerus in XII. Dan. Wigandus in Daniel. pag. 440. 476. Jer. LI. 48. *Ab aquilone venient illi* (Babylonis) *vastatores, dicit Dominus;* illud completum, quando per Lutherum ex locis aquilonaribus oppugnata est tyrannis spiritualis Babylonis, ut regnum antichristi in apocalypsi vocatur: v. 27. & 33. *Ararat, Menni & Ascenez trituranbunt Babylonem.* Jam vero Menni & Ascenez fuerunt metallarii, ut ex historiis & lingua hebræa constat, denotatur igitur Lutherus metallarii Islebiensis filius in comitatu Mansfeldensi natus, qui a Menis sive Mannis nomen habere dicitur; is malleo verbi spiritualem *Babylonem trituravit*, qua phrasi ipsemet utitur tom. II. Jen. germ. f. 62. Vide Matthesium in concionibus de vita Lutheri. (*) Mal. IV. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* v. 6. *Et convertet cor patrum ad filios & corda filiorum ad patres &c.* hoc vaticinium primario & principaliter pertinet ad Johannem baptistam, qui per prædicationem pœnitentiæ in primo Christi adventu viam ipsi paravit; Matth. XI. 13. XVII. 10. Marc. IX. 12. Luc. I. 17. interim tamen secundario ad Lutherum etiam accommodari potest, cum Christus ipse hoc vaticinium eo modo ad Johannem baptistam adcommodet, ut interim non neget venturum adhuc Eliam alium, Marc. IX. 12. ac velut tuba prædicationis evangelicæ sonuit ante primum Christi adventum, ita quoque ante secundum Christi adventum post revelationem antichristi & tristem illum ecclesiæ statum sub antichristi regno, *prædicatum evangelium in testimonium omnibus gentibus* Matth. XXIV. 14. antequam scilicet *magnus & terribilis ille ultimi judicii* dies ingruat. Elias singulari zelo Baaliticos prophetas oppugnavit: idem zelus heroicus in Lutheri concionibus & scriptis spiravit. Elias ab omnibus persecutionem fuit perpessus, sic Luthero non fuit in imperio datus locus, habuit adversus se fulminantem papam, proscribentem cælarem, frementes cardinales, horrenda minantes principes, insectantes episcopos, criminantes monachos & totum agmen pontificium, sed hæc omnia fortissimo animo contemsit, nec ullo metu frangi potuit, ut a proposito desisteret. Elias querebatur se relictum fuisse solum, omnia esse occupata cultibus Baaliticis &c. sic pontificiæ tenebræ videbantur totum orbem occupasse. Elias convertit corda filiorum ad patres, hoc est, reduxit veram doctrinæ antiquitatem, expulsis superstitionibus & corruptelis noviter introductis; sic Lutherus pristinam doctri-

(*) *Ascenez* sunt *Tuiscones* sive Germani, unde nomen Ascanien *oder Aschersleben. Ararat* est mons, in quo arca Noë resedit, & columba folium olivæ ad Noahum adtulit. In Mansfeldicis fodinis sæpe inveniuntur lapides fissiles, in quibus aureo colore pisces depicti inveniuntur, quibus significatur, quod post spirituale diluvium arca Domini ibi sit locum habitura, & evangelii doctrina exinde in totum orbem propaganda. *Menni* significat rem metallariam *Minerertz*. Mannus fuit Tuiscones filius primus rex Germanorum. Parum igitur abest, quin Spiritus sanctus dixerit: *ein Mansfelder, ein Bergman wird wider Babel erwecket werden.* Sicut 1517. annis ante Christi nativitatem populus Israeliticus ex captivitate Ægyptiaca & tyrannide Pharaonis fuit liberatus: sic præcise 1517. post Christi nativitatem annis ex spirituali Ægypto Romani Pharaonis majores nostri liberati. &c. GERHARDUS.

doctrinæ apostolicæ sinceritatem restituit &c. (*) 2. Thess. II. 8. *Tunc revelabitur ille ἄνομος, quem Dominus interficiet Spiritu oris sui; & destruet adparitione adventus sui.* Per ἄνομον intelligitur antichristus, de quo Dan. XI. 36. dicitur, *quod faciat juxta voluntatem suam*, quem apostolus h. l. vocat *hominem peccati & filium perditionis*, v. 3. *qui est ἀντικείμενος, & extollit se supra omne, quod dicitur Deus, sedens in templo Dei ostendit se, tanquam sit Deus*; v. 4. *tandem vero interficiet eum Dominus Spiritu oris sui*, id quod ministerio b. Lutheri superiori seculo fuit completum. Vide Hunnium in adsert. contra Pezelium p. 256. Apoc. XIV. 6. *Vidi angelum volantem per medium cæli habentem æternum evangelium, ut evangelizaret sedentibus super terram & super omnem gentem & tribum & linguam & populum*, v. 7. *dicentem voce magna: Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus, & adorate eum, qui fecit cælum & terram & mare & fontes aquarum.* Postquam in præcedentibus regnum antichristi sub figura *bestiae habentis duo cornua similia agni*, & sub figura *meretricis insidentis bestiae decicorni* descriptum, introducitur angelus evangelicæ doctrinæ præco, per quem b. Lutherus intelligitur, ut ostendit Funccius in comm. h. l. Nomen *angeli* denotat ecclesiæ doctorem, quæ significatio hujus vocis in libro apocalypseos est usitatissima. *Volatus per medium cæli* notat celerem doctrinæ evangelicæ progressum per varias provincias & regna. Quod angelus iste dicitur *habere æternum evangelium*, eo exprimitur summa doctrinæ, quam Lutherus proposuit. Non quidem omisit doctrinam legis, sed contra antinomos & Epicuræos graviter eam inculcavit, interim tamen potissima pars ministerii ipsius in repurganda evangelii doctrina fuit occupata, siquidem ea horribilibus tenebris erat involuta, abducebantur homines a fide in Christum ad merita sanctorum, ad opiniones de propriis meritis & satisfactionibus ad vias salutis complures, sed Lutheri & παραφάτων opera evangelii doctrina fuit repurgata, unde etiamnum ex eo nos vocant *evangelicos*. Dicitur autem *æternum* evangelium, ut hoc opponatur clamoribus adversariorum de novitate doctrinæ, cum a prima statim mundi origine post lapsum fuerit revelata, quando primi parentes acceperunt promissionem de semine mulieris, ac postea in typis sacrificiorum adumbrata, per prophetas latius exposita, per apostolos in totum orbem propagata &c. Porro prædicatio illius angeli sic describitur, quod adnunciarit sedentibus super terram: *Timete Deum, date illi honorem & adorate eum*, quibus verbis significatur, doctrinam de vera conversione & invocatione ministerio Lutheri repurgandam & urgendam. In papatu docebatur, pœnitentiam in externis satisfactionibus consistere, onerabantur conscientiæ variis traditionibus & ἐθελοθρησκείαις, denegabatur Christo debitus honor, invocabantur sancti demortui, fiducia collocabatur in propria merita, qua ratione opera manuum suarum homines adorabant, sed a Luthero hæc omnia ad normam verbi repurgata &c. Denique in apocalypsi sequitur ἐπινίκιον omnium fidelium ecclesiæ ministrorum de ruina Babylonis mysticæ, id est, tyrannidis antichristianæ v. 8. *Et alius angelus secutus est dicens: cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ a vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes.* v. 9. *Et tertius angelus secutus est illos dicens voce magna: si quis adoraverit bestiam & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua*, v. 10. *& hic bibet de vino iræ Dei &c.* (**)

§. CCLXXXXII.

(*) Cyriacus Spangenbergius in concione IV. de Luthero septem circumstantiis probat, vaticinium Malachiæ de Luthero esse intelligendum 1.) ex nomine, 2.) patria, 3.) tempore, 4.) miraculis, 5.) donis Spiritus S. 6.) doctrina & vita, 7.) vitæ exitu, in quibus Lutherum cum Elia confert. Gerhardvs.

(**) Apoc. XVIII. 1. post illustrem regni antichristi sub Babylonicæ meretricis figura picturam additur: *Et*

*Vaticinia de Luthero ex historiis.*

§. CCLXXXXII. Ex historia ecclesiæ talia vaticinia adferri possunt longe plurima. In hymno ecclesiastico Ambrosii & Augustini: *Te Deum laudamus &c.* literæ numerales in versiculo: tIbI ChervbIn & seraphIn InCessabILI VoCe proCLaMant, conficiunt annum 1517. in quo reformationis opus a Luthero cœptum. (*) Wolffius cent. III. p. 73. ex Illyric. *Prophetia quadam carmine comprehensa, cui Sibyllæ nomen adscriptum, disserte prædicuntur tum alia, tum etiam exsilium & reditus potentum ob veram pietatem, prædicitur quoque ruina phantastica ecclesiæ,* (quo vocabulo ecclesiæ papisticæ ratio & forma aptissime exprimitur, quippe quæ speciem quamdam pietatis habet, sed vim & efficaciam ejus abnegat, atque omnia in externis ritibus & ceremoniis collocat,) *ac successus veræ.* Jam vero non constat, inde usque a Christo principes aliquos ob veram pietatem exsulasse & postea rediisse, sicut hoc nostro seculo elector Saxonicus & Colonienſis, qui tamen pro reditu ad terrenum principatum ejusque longiore perfruitione maluit ad cœleste regnum commigrare. Exsulavit & pientissimus princeps Otto Henricus, comes Albertus, Casparus Pflug, Baro Bohemicus, aliique insignes ac illustres viri. Abbas Joachim in Jer. XXIV. *Non ambigo, quin sit futurum, quod ira Dei veniat super ecclesiarum rectores & præsides pro eo, quod Dei servitium non solum impediunt, sed etiam adulterant verbum Dei.* Circa annum 1152. Fridericus Barbarossa templum exstruxit in Carinthia: *Das grosse Thumstifft bey Igingen in Wüsterthal genant,* illud variis picturis & statuis exornavit, inter illas reperta est imago saxea, quæ habuit formam monachi vertice raso, corpus ejus fune circumdatum & supra caput hæc majusculis literis scripta sunt: LUTHERUS; refert Theoph. Parac. in descr. Carinthiæ Argentorati impressa. f. 250. (**) Anno 1415. exustus est Constantiæ Johannes Huss contra datam a Sigismundo imperatore fidem. Is paulo ante mortem spiritu prophetico dixit: *Hodie anserem uritis,* Huss enim lingua Bohemica significat anserem, *sed post centum annos ex meis cineribus nascetur cygnus, quem non poteritis assare,* quod vaticinium ipse Lutherus in glossa super edictum cæsaris tom. VI. Witeb. p. 169. tom. V. Jen. germ. f. 321. ad sese refert, sic scribens: *S. Johannes Huss hat von mir geweissaget, da er aus dem Gefängnis in Böhmerland schrieb, sie werden jetzt eine Ganss braten, denn Huss heist eine Ganss, aber über hundert Jahr werden sie einen Schwan singen hören, den sollen sie leiden, da sols auch bey bleiben ob GOtt will.* Vide Rabum de martyribus & Ægidium Salium in oratione de Joh. Huss. (***) Eodem

*Et posthac vidi alium angelum descendentem de cœlo habentem potestatem magnam, & terra illuminata est a claritate ejus; & exclamavit in fortitudine dicens: cecidit, cecidit, Babylon magna.* In quæ verba sic commentatur Thomas Brigtmannus fol. 389. *Hic angelus fuit Martinus Lutherus exorsus palam traducere antichristum ad annum 1517. qui pestem hanc exsecratus est quidem acerbius, quo revelante Spiritu fœditatem Romanæ bestiæ compertam magis habuit. Spiritus hic illi tribuit turbulentam & tumultus plenam concionem. Ac nemo quidem est, qui sancti illius viri lucubrationes gustaverit, cui non videatur cœlestem severitatem spirare, sic passim incalescunt & ardent & igneo quodam fervore flammant &c.* Gerhardvs.

(*) Dresserus millen. VI. part. II. p. 352. memorat, anno 1266. fuisse in domo Saxonica quemdam Ducem, qui Lutherus fuerit dictus. Gerhardvs.

(**) Richardus Armachanensis in Hybernia primus episcopus, juris & theologiæ peritissimus, nov. test. in Hybernicum sermonem translatum anno uno aut altero ante suam mortem in quodem templi muro occultavit, in cujus fine quasi prophetizans hoc scripsit: *Cum hic liber inventus fuerit, veritas toti mundo manifestabitur, vel Christus orbi mox adparebit. Et repertus est ille liber circa annum a nato servatore 1530. in reparatione ejusdem templi, abdidit librum anno 1358. mortuus enim dicitur anno 1360.* Ex Balæo Wolffius tom. I. memorab. p. 643. Gerhardvs.

(***) Treuterl carmen de Joh. Hussо:

*Anser eras, & te Romana caterva cremabat;*
*Quod nimis obstreperis pontifici, anser eras,*
*At tua vindicias habuerunt fata, repertus*
*Nempe fuit, quem vox summa canebat, olor.*

*Igni*

dem tempore Hieronymus Pragensis, Hussi discipulus, itidem Lutheri reformationem prædixit hisce verbis: *Post centum annos respondebitis Deo & mihi*, referente Poggio, supplicii spectatore in epistola ad Leonem Aretinum, quæ verba Bohemi postea in moneta quadam ad effigiem Johannis Hussi curarunt procudi & inprimi. (*) Jacobus Schopperus in chorographia refert, quod Sigismundus imperator, cum videret reformationem concilii Constantiensis in fumum abire, animo valde doluerit, & cum aliquando Possenii in Ungaria quietem caperet, in somnis ei adparuerit vir honestæ speciei in habitu sacerdotali, qui ei significabat, *papæ & sacerdotum errores futuro tempore per doctos homines revelatum iri, qui auxilio quorundam principum ecclesiam juxta Dei verbum reformaturi essent.* (**) Wolfius cent. I. lect. memorab. pag. 5. observat, in nominibus Mosis & Christi maxima mysteria recondita. Si enim nomen Μωυσῆς in numeros redigatur, effiecre 1648. tot anni si a morte Christi retro numerentur, perveniri ad annum mundi 2348. circa quod tempus quidam sacerdos divinationibus intentus dixit Amenophi regi, se circa pueros Hebræorum adtendere, quod nasci debeat unus, qui populum Israel de Ægypto educeret & regnum Ægypti humiliaret, referente Josepho & Lyrano. Sic quoque nomen Christi in numeros redactum dare annos 1480. χ enim facit 600. ρ 100. ι 10. σ 200. τ 300. ο 70 σ 200. qui numeri collecti conficiunt 1480. Nam circa finem illius a nato Christo temporis omnes vates mystæ atque prophetæ Lubertus Hanschild, Wesselus, S. Vincentius, Purveus, Barath, Capistranus, Torquatus, Savanarola, Fr. Nicolaus eremita, Albertus Leicheisen, Fr. Fleck, Jacobus de Paradiso, Wessalia, Capgravus, Herm. Rhid, Bapt. Mantuanus, Kikel, Laurent. Miniatensis, Johan. Scheyring, Hilten, Horius, Bovillus, Syring. Andr. Proles, Mancinellus, Mellerstadius, Castrik, Salhusius & alii plurimi uno quasi ore clamarunt, abusibus & sordibus traditionum papisticarum misere defœdatum, obliteratum & pene ex ecclesia amissum esse evangelium, & prædixerunt instare reformationem ecclesiæ ac religionis & nasciturum, qui doctrinam evangelicam repurget & ab inquinamentis illis emundet, lucemque veritatis divinæ mundo restituat, id quod factum Martino Luthero nato anno 1483. eodem scilicet anno, quo Hieronymus Savanarola magnus ille misericordiæ Dei gratuitæ & justitiæ fidei præco Florentiæ est exustus. Hujus Savanarolæ tale commemoratur vaticinium, quod quidam instar

S 2 Cy-

*Ignis Corpora saCra saCrI ConsVMserat HVsI,*
*Post HVsVM CæCo CICnVs In orbe CanIt.*
*Constantem inconstans Constantia sustulit Hussum,*
*Pro Christo ardentem cum subit ille rogum.*
*Anni abeunt centum, causam Christoque inibique,*
*Dicetis, cygnus cum anseris ultor erit.* GERH.

(*) Teste Petro Matthæo, historiographo regis Galliæ libr. II. Id quod notandum contra Gretserum, qui in comm. de duob. numm. p. 43. *Num verum sit, quod vulgus refert, Hussum anserem de Luthero cygno vaticinium edidisse? Item num vero congruat, quod ferunt, Hussum ipso supplicii die dixisse orthodoxis: Post centum annos respondebitis Deo & mihi, adcuratius non disquiram. Novi enim quam proclive sit apud hæreticos præsertim, oracula fingere & ficta imperitæ multitudini divendere, quasi hæreticus non sit hæreticus, si quis hæreticus sive Dei sive dæmonis instinctu aliquid de illo præsciat aut præsentiat*; tum contra Pistorium, qui epist. III. ad Pappum: *Non pudet prædicantes ad magis insandam vanitatem mentiri prophetiam, tanquam si ex ore morituri Hussi susceptа fuisset, assari tum anserem, sed venturum centum decursis annis cygnum, quem melius cantantem nemo sit assaturus. Id enim ubi est? in quo autore, libro, folio, in quo delirio, somnio, furore? tamen die testimonium, vel confitere pudendam esse fabulam.* GERHARDVS.

(**) Hieronymus Savanarola Ferrariensis: qui voce & scriptis papæ ejusque doctrinæ se oppoſuerat, Florentiæ in Italia jussu pontificis Alexandri VI. exustus est, atque una cum ipso Sylvester Florentinus & Dominicus de' Pisa. Scribitur hic Savanarola paulo ante finem vitæ dixisse: *Brevi futurum est, ut Romanæ pontificiæ abominationes & idololatriæ puniantur, nascaturque talis doctor, cui nemo possit resistere.* Natus vero est Lutherus illo ipso anno, quo Savanarola est exustus, videlicet 1483. die 10. Nov. GERHARDVS.

Cyri alpes transiturus & totam ecclesiam vastaturus sit, id quod de spirituali pontificiæ ecclesiæ per prædicationem evangelii vastatione accipiendum videtur. (*) Circa idem tempus de Luthero vaticinatus est Johannes Hiltenius, monachus Isenacensis, de quo in apologia August. confessionis titul. de votis monasticis sic habetur: *Apud nos in oppido Thuringiæ Isenaco Franciscanus quidam fuit ante annos triginta, Johannes Hilten, qui a suo sodalitio conjectus est in carcerem, propterea quod quosdam notissimos abusus reprehenderat. Is multa prædixit, quæ partim evenerunt hactenus, partim jam videntur impendere &c. cum vel propter ætatem vel propter squalorem carceris in morbum incidisset, accersivit ad se Guardianum, ut suam valetudinem illi indicaret, cumque Guardianus accensus odio pharisaico duriter objurgare hominem propter doctrinæ genus, quod videbatur officere culinæ, cæpisset, tum iste omissa jam mentione valetudinis ingemiscens inquit, se has injurias æquo animo propter Christum tolerare, cum quidem nihil scripsisset aut docuisset, quod labefactare statum monachorum posset, sed tantum notos quosdam abusus reprehendisset. Sed alius quidam, inquit, veniet anno Domini 1516. qui destruet vos, nec poteritis ei resistere. Hanc ipsam sententiam de inclinatione regni monachorum & hunc annorum numerum postea etiam repererunt amici ejus perscriptum ab ipso in commentariis suis inter adnotationes, quas reliquerat in certos locos Danielis.* Vide Conradum Portam & Matthesium de Luthero, Dresserum in millenario sexto pag. 38. Wolffium centur. XVI. memor. pag. 4. &c. (**) Anno 1502. quo Wittebergensis academia auspiciis Friderici sapientis erigebatur, erat monachus in cœnobio Steinlausick Fleccus, is cum una cum reliquis inaugurationi academiæ interesset, concionem habuit, in qua inter cetera dixit: *Ab hoc albo monte totus mundus accipiet sapientiam.* Idem Fleccus cum anno 1517. primas Lutheri propositiones de indulgentiis legeret, exsiliens præ lætitia exclamabat: *Is profecto faciet, venit, venit, quem diu exspectavimus.* Matthesius & Conr. Porta de Luthero. De hoc electore Friderico sapiente pervulgatum fuit vaticinium, quod *imperator aliquis sepulchrum Domini recuperaturus & vindicaturus esset*, id Lutherus in lib. de abusu & profanat. missæ sic adcommodat, quod *consentientibus electorum suffragiis electus fuerit imperator, & quod sub ejus gubernatione scriptura sacra, in qua tanquam sepulchro Christus, qui est ipsa veritas, a pontificiis necatus conditus fuit, quamque ordines monastici & haereticae pravitatis inquisitores anxie custodierunt, ne rudiori plebi proderetur, emersit & clarissime effulsit.* Eodem tempore anno scilicet Christi 1502. Franciscus Picus, Mirandulæ comes, in literis ad Maximilianum I. inter cetera sic scribit: *Age optime cæsar, excitis, qua ratione potes, christianis regibus te Christo regum omnium regi oves suas tam ab hostibus, quam a perfidis sacerdotibus jamjam liberaturo fidum ministrum exhibe.* Michael Stifelius dixit aliquando, se admodum sæpe olim inter monachos & sacrificos versantem audivisse eos narrantes, *esse veteres prophetias, secuturam adhuc aliquando violentam sacrificorum reformationem*, dixit etiam, patrem suum Conradum Stifelium circa annum 1503. solitum esse crebris sermonibus usurpare, *id certo brevique futurum.* Johannes Geyler Keisersbergius concionator Argentinensis vehementer de religionis corruptelis conquestus est, prædixit etiam emendationem religionis futuram, *venturam,*

(*) Savanarola iste, monachus Dominicanus, vir eruditione & pietate insignis (qui a Joh. Pico, Mirandulæ comite, sanctus propheta adpellatur, & propio scripto contra papam defenditur) Florentiæ ab Alexandro VI. combustus est, propterea quod aliquot pontificios errores aperte damnaret. Hic Hieronymus ecclesiam Dei reformatione indigere, eamque brevi subsecuturam docuit, teste Nauclero, Balæo, catalogo test. verit. Osiandro cent. XVI. p. 15. GERHARDUS.

(**) Reformationem illam religionis factam per Lutherum, vel ipsi abbates licet insci prænigurarunt, quando Carolo V. imperatori anno 1500 nato ad baptisterium dono obtulerunt vetus & novum testamentum cum hac inscriptione: *Scrutamini scripturas.* GERHARDUS.

*turum* (inquiens) *puto quemdam divinitus excitatum, qui religionem instauret*, quin & diem videre gestiit, qui emendationem talem adportaturus erat. Clementius Clementinus Amerinus in tractat. de peste circa annum 1505. editum: *Ante annum salutis 1515. multo majorem rerum novitatem decernent illae septem magnae conjunctiones trium superiorum planetarum, quae superiori anno 1504. vel circa fuere sub cancro. Significant enim his temporibus alterationem aeris, sterilitatem, penuriam, bella & maximam novitatem; anno 1513. extollent enim quemdam potentissimum dominum, qui falsam infidelium religionem destruet & ditioni suae magnam orbis partem subjiciet.* Circa annum 1507. Johannes Scheyringius praedicavit: *Quanto papatus se altius evexit, tanto profundius iterum dejicietur, quod nisi propediem fiat, non poterimus amplius illaesa conscientia praedicare. Itaque Deus restauratorem ecclesiae suae missurus est, qui verbum suum in aperta luce proferat, atque a tenebris, quibus involutum est, eruat.* Wolffius cent. XVI. p. 13. (*) Anno 1508. cum Lutherus Erphordiae studiis incumberet, & graviter aegrotaret, quidam senex sacrificulus ipsum invisens dicebat: *Confide, domine baccalaureе, non morieris, evades in magnum virum, & multos consolari poteris.* Matthesius in vita Lutheri. Anno 1511. Martinus Pollichnius Mellerstadius philosophus, medicus & theologus de Luthero dixit: *Hic monachus omnes doctores perturbabit, novam doctrinam proferet, ecclesiam Romanam reformabit, quia tractat libros propheticos & apostolicos, nititur verbis Christi, quibus nemo potest resistere*, quae Mellerstadii vox congruit cum judicio Nicolai Ulneri, vicarii Colonienſis, viri octogenarii, qui legens scripta Lutheri anno 1520. dixit: *singulis literis omen inesse hoc modo: Lux Vera Totius Ecclesiae Romanae.* Philipp. Melanchthon, Conr. Porta & Matthesius de vita Lutheri. (**) Circa idem tempus anno scilicet 1511. vixit Magdeb. Johan. Syringius, theologiae doctor & summi templi canonicus, is saepe conquestus fuit, *veritatem misere corruptam, venturum ergo reformatorem.* Catalogus testium veritatis. Anno 1512. cum vicarius generalis & totus conventus Augustinianorum fratrum concluderet, fratrem Lutherum in theologiae doctorem promovendum, Staupitius omnium nomine id Luthero sub arbore in coenobio Witebergensi referebat, cum vero Lutherus praetenderet, se esse tenui valetudine, virum magis idoneum & confirmatae valetudinis quaerendum esse, respondit Staupitius: *Es leßt sich ansehen, es werde unser Herr Gott bald im*



(*) Ex calculo Abrahami Bucholzeri in indice chronolog. anno ante natum Christum 1517. ecclesia vet. test. populus nempe Israeliticus per mare rubrum ex Aegyptiaca servitute educebatur. Anno vero post nativitatem dominicam itidem 1517. ecclesia novi test. adflictissima ex Pharaonis Romani servitute & tenebris plusquam Aegyptiacis emersit. GERHARD.

(**) *Fridericus & Johannes duces Saxoniae fratres eo anno, quo Lutherus primum mense Novembri edidit propositiones de indulgentiis, cum ex templo Vinariae in natali Christi cum filio duce Johanne Friderico post mediam noctem egrederentur, cum frequenti comitatu vident supra arcem coelo sereno fulgentem crucem purpuream satis magnam & perspicue expressa figura. Ibi cum diu starent admirati spectatores, fratres colloqui de religione coeperunt; & eo signo portendi futura certamina de doctrina & domus Saxonicae pericula vaticinati sunt.* Laurentius Lindemannus in orat. de Johanne duce Saxoniae. Refert quoque Tob. Fincelius & ex eo Wolffius tom. II. memor. p. 77. ubi vide.

Tempore eo, quo Lutherus reformationis opus coepit, tritum fuit vaticinium: *Imperator Fridericus quando adveniet, liberabit sanctum sepulchrum Domini.* Sed cum prophetiae ita se habeant, ut citius impleantur, quam intelligantur: ita quoque cum hac accidit. Nam dux Saxoniae Fridericus elector (sub quo Lutherus papatum reformare coepit) Francofurti ab electoribus unanimi consensu in imperatorem electus fuit, & revera imperator fuerat, si saltem adsensum praebuisset, sed propter senectutem Carolum V. voto suo imperatorem designavit & petiit. Perinde autem Deo est, quamdiu quis caesar sit, modo sit. Idcirco hic caesar Fridericus, id est, elector Saxoniae per praedicationem Lutheri sane tum sepulchrum, id est, sacram scripturam, (in qua veritas Christi exstincta a papistis diu sepulta jacuit, quam mendicantes & inquisitores haereticae pravitatis custodierant, ne discipuli Christi venirent & auferrent eam,) liberavit per ministerium Lutheri a custodibus monachis & sacrificulis. Vide tom. II. Lutheri, Wolffii tom. II. p. 114. GERHARDUS.

*Himmel und auf Erden viel zu ſchaffen haben, darum wird er viel junger und arbeitſamer doctores haben müſſen, durch die er ſeine Händel verrichte, ihr lebet nun oder ſterbet, ſo darff euch Gott in ſeinem Raht, darum folget und thut, was euch ewer conventus aufflegt.* Philippus Melanchthon & Matthesius de Luthero. De eodem Staupitio commemorat Matthesius, quod audiens, in aula Romana jam olim exſtitiſſe rumorem, *eremitam quemdam coronam papæ adtrectaturum*, joco dixerit ad Lutherum: *Ich habe gedacht, es würds ein Einſidler thun, ſo merck ich wol, es ſol ein Auguſtiner Mönch ſeyn*, Henningus monachus Auguſtinianus in porta cœli de Andrea Proles, Lipſienſi Auguſtinianorum monachorum provinciali, (qui circa annum 1512. vixit, quemque Lutherus adhuc juvenis Magdeburgi vidit & audivit) ſic narrat: *Me vivente erat Prior monaſterii noſtri Andreas Proles Lipſienſis vir doctus, magnique animi ac bonum pro chriſtiano populo zelum habens. Ab ipſo ſæpe audivi inter prælegendum hæc verba: Auditis fratres teſtimonium ſcripturæ ſacræ, quod gratia ſumus, quidquid ſumus, & gratia habemus, quidquid habemus, unde igitur tantæ tenebræ & horrendæ ſuperſtitiones! O fratres res chriſtiana opus habet magna & forti reformatione, quam quidem jam prope inſtare video.* Quærentibus fratribus: *quare ipſe non inciperet reformationem ac erroribus ſeſe opponeret?* reſpondebat: *Videtis fratres, me eſſe ætate grandævum, corpore & viribus debilem, & agnoſco, me non eſſe præditum tanta doctrina, induſtria & eloquentia, quantam hæc res poſtulat, ſed excitabit Dominus heroem ætate, viribus, induſtria, doctrina, ingenio & eloquentia præſtantem, qui reformationem incipiet, erroribusque ſe opponet, & Deus animum dabit, ut magnatibus contradicere auſit, & ipſius miniſterium ſalutare Dei beneficio comperietis.* Solitus etiam eſt inter prælegendum dicere: *Regnum papæ magnam minatur ruinam, quia nimis alte ac nimis cito crevit.* Catalogus teſt. verit. Dreſſerus in millenario ſexto pag. 40. Wolffius centur. XVI. pag. 32. &c. Anno Chriſti 1521. cum Lutherus Wormaciam ingrederetur, quidam portans crucem ligneam ipſi occurrit & clamavit: *Advenisti deſiderabilis, quem exſpectabamus in tenebris.* Talia complura adduci poſſent ex Nicolao Cuſano, Hildegardi, Johanne Lichtenbergio, Weſſelo Groningenſi, Baptiſta Mantuano, Franciſco Nicolao eremita &c.

## SECTIO XIII.

## DE NOTA ECCLESIAE DECIMA TERTIA A BELLARMINO ADSIGNATA, QVAE EST CONFESSIO ADVERSARIORVM.

*An confeſſio adverſariorum ſit vera eccleſiae nota?*

§. CCLXXXXIII. Membrum *primum.* Sitne confeſſio adverſariorum genuina & propria eccleſiæ nota? Fatemur tantam eſſe vim veritatis, ut ipſi etiam adverſarii interdum vel inſcii vel inviti ei dent teſtimonium. *Aperta veritas etiam clauſos ferit oculos*, inquit Auguſtinus, quo a Bellarmino refertur locus Deut. XXXII. 31. *Non eſt Deus noſter, ut dii eorum, gentilium ſcilicet,* (Hebr. non eſt petra noſtra, ut petra eorum) *etiam inimici noſtri judices*, hoc eſt, ipſorum etiam gentilium judicio & confeſſione. (*) Fatemur inſuper teſtimonium ab hoſte veritati datum eſſe magni omnino ponderis, cum non ex adfectu præconcepto, ſed ex ipſa veritatis vi elicitum merito judicetur. Irenæus lib. IV. cap. 14. *Probatio vera & minime contradictioni obnoxia, quæ ex dictis adverſariorum elicitur.* Interim tamen confeſſionem adverſa-

(*) Novatus de Trinit. c. 18. *Firmum eſt genus probationis, quod etiam ab adverſario ſumitur, ut veritas etiam ab inimicis probetur.* GERHARDUS.

versariorum pro vera & genuina ecclesiæ nota nondum possumus agnoscere, 1.) quia non est *perpetua*. Interdum quidem contingit, veritati ab ipsis hostibus testimonium dari, sed illud non est universale ac perpetuum, quandoque enim adversarii sunt ita pervicaces & obstinati, ut manifestæ & perspicuæ veritati testimonium dare nolint, ex quo tamen vel ecclesiæ vel doctrinæ, quæ in ecclesia sonat, nihil quidquam decedit. 2.) Non est *notior*. Quomodo enim testimonium illius certum & infallibile, qui & veræ doctrinæ & ecclesiæ naturam non perspexit, vel si eam perspexit, tamen doctrinam illam amplecti & ecclesiæ illi sese adsociare noluit? 3.) Non est *essentialis*. Si vel maxime ecclesia destituatur confessione adversariorum, tamen est & manet vera ecclesia. Gentiles ecclesiam Israeliticam persequebantur, tantum abest, ut veritatis testimonium illi darent, nihilo tamen minus ecclesia Israelitica erat vera ecclesia. Joh. V. 34. inquit Christus: *Ego non ab homine testimonium accipio*, id est, testimonium hominum non est absolute & simpliciter mihi necessarium, sed nihilominus sum verus Messias ac mundi salvator, si vel maxime nemo hominum id credat vel testetur. Idem de ecclesia Christi pronunciari potest, quod humano testimonio & commendatione non indigeat ex necessitate, sed quod sufficiat illi divina testificatio. 4.) Non est *propria*. Ut enim in quibusdam catholici ab hæreticis laudantur, ita vicissim in quibusdam gentiles & hæretici a catholicis non improbantur. Apostolus etiam ex gentilium poetis quædam testimonia adducit, nec tamen propterea totam religionem gentilium adprobavit. Cyprianus tanti fecit scripta Tertulliani, ut nullum diem sine illorum lectione prætermitteret, illud crebro inculcans notario suo: *Da mihi magistrum*, Tertullianum scilicet significans, de quo tamen vetustas judicavit, ipsum hæreticis opinionibus fuisse fascinatum. Augustinus Ticonii regulas in libro de doctrina christiana laudat, quem tamen pro ecclesiæ filio habendum esse negat. Ipsi pontificii scriptores in gentilibus & hæreticis quædam laudant, nec tamen vel gentibus vel hæreticis veræ ecclesiæ laudem tribuunt. Acosta libr. VI. de procuranda Indorum salute cap. 14. *Dissimulari profecto non potest, quam nobis erubescendum sit, quod a Satanæ ministris Indis superemur, cum nos ad salutares confessiones persuadendas pigriores sumus, quam ethnici ad sævas & carnificinas suas. Lubenter interdum a sacerdotibus suis expiandi adulterii aut alterius sceleris causa durissimo saxo ad scapulas tundi fortiter, interdum a juvenibus diu virgis cædi, non raro, si sceleris magnitudo acerbius aliquid postulare videretur, in excelsam atque omni solatii genere destitutam rupem secedere, & longum ibi ævum ferarum more traducere sustinent.* Pimenta in epist. de India orient. p. 110. *Nulla inter Indos istos furta aut latrocinia, & idcirco cum foras procedunt, ædium ostia non occludunt. Nos certe admirati sumus, cum in adscensu montium patulas villas offenderemus, nec ullum tamen hominem in iis deprehenderemus.* Ut autem in gentilibus externam vitæ sanctitatem, ita in hæreticis veritatem respectu quorundam capitum prædicant. Maldonatus in VIII. Matth. *Non citaremus autorem imperfecti operis, quod Chrysostomo falso tribuitur, cum sit hæretici Ariani, nisi & autoritas & eruditio & subtilitas interpretandi illi autoritatem tribuisset. Quo consilio Tertullianum & alios, quos hæreticos esse scimus, sæpe citamus.*

*An ab adversariis testimonium detur Romanæ ecclesiæ?*

§. CCLXXXXIV. Membrum *secundum*. An ipsorum adversariorum confessione ecclesia Romana sit vera ecclesia? Bellarminus primo loco adducit *testimonia paganorum, Judæorum, Turcarum & Arianorum*; sed ea non de ecclesia Romana, qualis hodie est, sed de ecclesia christiana & catholica sunt edita. In ecclesia Romana hodierna & doctrinæ & morum corruptelæ longe gravissimæ regnant, quas ipsi pagani, Judæi ac Turcæ detestantur, iisque a christiana fide deterrentur. Vir quidam magnæ autoritatis apud Indos, cum ad baptismum duceretur, quærebat

quærebat ex christiano, *quo pervenerint Hispani post mortem?* Respondebat christianus, *bonos in cælo victuros esse, malos in inferno.* Sed ubi *maxima pars* (subjiciebat ille) *victura est? in cælo procul dubio*, dicebat christianus, *nam plerique sunt boni. Tum ego*, dicebat Indus, *nolo in illud cælum recipi, sed vivam loco ab eis disjunctissimo, scio enim cum illis male actum fore.* Delecti cardinales in consilio de emendatione ecclesiæ Paulo III. dato: *Credat sanctitas vestra scientibus, quod infideles hanc præcipue ob causam christianam religionem deridenl, adeo ut per nos, per nos inquam, nomen Christi blasphemetur.* Turcarum imperator pontificem Romanum vocare solet *regem Morionum*, propterea quod cardinalibus nudos titulos episcopatuum in terris longissime dissitis & suæ potestati minime subjectis donet. Notum etiam est dicterium Judæi cujusdam, qui cum Romæ baptizandus esset, dicebat, *se libenter credere velle in Deum christianorum, qui tanta flagitia tam æquo animo ferre possit.* Hæc testimonia Romano pontifici & ecclesiæ Romanæ sunt parum honorifica. Aliam igitur quercum Bellarminus excutit, provocat ad testimonium Lutheri, quod in libro contra Anabaptistas scribebat: *Nos fatemur sub papatu plurimum esse boni christiani, imo omne bonum christianum, atque etiam illinc ad nos deveniſſe. Quippe fatemur, in papatu veram esse scripturam sacram, verum baptismum, verum sacramentum altaris, veras claves ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum catechismum, ut sunt, oratio dominica, decem præcepta, articuli fidei. Dico insuper sub papatu veram christianitatem, imo verum nucleum christianitatis esse.* Resp. aliud est loqui de papatu, aliud de ecclesia sub papatu. Antichristus sedet *in templo Dei*, hoc est, in ecclesia, aliud igitur est antichristus, aliud ecclesia Dei, in quam tyrannicam suam potestatem exercet. Ad antichristum & ipsius regnum pertinent corruptelæ, superstitiones, idololatriæ, quæ vigeat in papatu; ad ecclesiam Dei, quæ sub papatu latet velut granum sub paleis, pertinet scriptura sacra, baptismus & reliqua bona, quæ Lutherus enumerat. Separandum igitur pretiosum a vili, divinum ab humano, christianum ab antichristiano, catholicum ab hæretico, ut ex superioribus intelligi potest. *Ex causis dicendi petenda est dictorum ratio;* agit ibi Lutherus contra Anabaptistas, qui contendebant, baptizatos in ecclesia Romana esse rebaptizandos, contra illos demonstrat Lutherus, verum baptismum & alia bona in ecclesia Romana adhuc per Dei gratiam haberi, ideoque papales sordes & quisquilias ab illis, quæ sunt divina & pretiosa, abstergendas, non autem cum papalibus additamentis ac sordibus ipsum bonum, divinum ac pretiosum abjiciendum esse. Quod in apologia Augustanæ confessionis Bernhardus, Dominicus & Franciscus vocantur *sancti*, id non fit sensu pontificio, quasi omnia illorum dicta & facta canonizemus, sed generali quadam vocabuli significatione. *Bernhardus* in articulo justificationis *aliquid lucis* habuit, merita operum reprobavit, potestatem illam monarchicam, quæ Romano pontifici hodie tribuitur, non agnovit, vires liberi arbitrii in spiritualibus negavit, & in multis capitibus a doctrina papistica abhorruit, tandem sub vitæ finem ad unicum Christi meritum vera fide confugit, unde illum & sanctum & beatum nominare possumus. *Dominicus & Franciscus* fuerunt superstitiosi, ergo non nisi ex hypothesi adversariorum & loquendi consuetudine apud ipsos vulgata *sancti* adpellantur. Ecquis enim nostrum probaret prodigiosas illas laudes, quod *Franciscus totum evangelium ad literam observarit, mundus ab omni peccato usque ad ultimum quadrantem, quod plus fuerit, quam Johannes baptista, quod melior fit apostolis, quod ex vulnere Christi laterali prodierit, quod de ipso dictum sit: datus est in lucem gentium.* Item: *et ambulabunt reges in splendore ortus tui*, quæ omnia in libro conformitatum de Francisco dicuntur. Ecquis nostrum probaret, quod de Dominico Antoninus archiepiscopus scribit, *melius per istum, quam per Paulum ad Christum iri, ac*

*ac quod per omnes vitæ Christi partes ac per omnia Christi miracula transiens primas semper Dominico tribuit.*

*An pontificii doctrinæ evangelicæ veritatis testimonium dent?*

§. CCLXXXXV. Membrum *tertium.* An ipsi pontificii testimonium veritatis nostræ doctrinæ largiantur? Bellarminus h.l. confidenter asserit, *nusquam inveniri, quod catholici vel doctrinam vel vitam nostrorum adprobarint.* Resp. 1.) Arguit hoc invidiam & odium ipsorum, non autem probat, nihil in doctrina ac vita nostra esse laude dignum. 2.) Indice expurgatorio teste ex scriptoribus pontificiis deleta sunt, quæcunque honestam nostrorum mentionem faciunt, quomodo igitur postulare audent, ut testificationes adversariorum producamus? 3.) Si vel maxime adversariis non probetur doctrina & vita nostra, sufficit nobis eam probari Deo. Joh. V. 44. Rom. II. 29. 2. Cor. X. 18. 4.) Falsum est, nullos ex adversariis nostram doctrinam vel vitam adprobasse. (*) Maximilianus I. in comitiis Wormacienf. anno 1518. ad Degenhartum Pfeffingerum, electoris Saxoniæ consiliarium, dixit; *Significato electori, ut monachum illum nobis diligenter custodiat, brevi enim opera ejus utemur.* Episcopus Wintonienfis morti jam vicinus de justificatione per solum Christi sanguinem obtinenda ab alio episcopo admonitus, *periculosum* esse, respondit, *populo hanc rimam aperire, sibi tamen suique similibus in simili casu constitutis hanc doctrinam tuto manifestari ac detegi posse.* Foxus in martyr. p. 1788. In comitiis Augustanis fatebantur adversarii, *ex scripturis sacris confessionem* a nostris cæsari oblatam *non posse refutari*; ipse quoque cæsar Carolus audita confessionis prælectione dixisse scribitur, *optatare se, ut per totum orbem ita doceatur.* (**) Wilhelmus Bavariæ dux a lectione illius confessionis domum rediens in diversorium Johannem Eccium his verbis compellavit: *Longe alia & magis horrenda de doctrina Lutheri mihi narrata sunt hactenus, quam ipse hodie audivi. Et tu quidem præclaram mihi spem feciſti, posse illam doctrinam facile refutari;* ad quæ cum Eccius responderet, *patrum quidem scriptis protestantium doctrinam refutari posse, minime vero ex scriptura sacra;* subjecit Wilhelmus: *Ergo, quantum audio, Lu-*

(*) Calvini adsectæ in admonit. de libro concord. Neostadii anno 1581. impressa, p. 198. de Luthero sequentem in modum scribunt: *Nec controversum est, nec id vel ecclesiæ vel pii omnes & prudentes diffitentur, ornatum fuisse Lutherum a Deo multis excellentibus donis & virtutibus, ingenio, luce doctrinæ cœlestis, eruditione, eloquentia, prudentia & sapientia, zelo gloriæ Dei, magnitudine animi adversus omnes impetus invicta, divinitusque formatum & excitatum ad ecclesiam Christi his postremis temporibus a tyrannide ac tenebris antichristi horribiliter oppressam in libertatem & lucem evangelii vindicandam, & destruendam magnam partem regni antichristiani, multæ res maximæ ecclesiasticæ & politicæ ipsius consilio gubernatæ & gestæ feliciter, & haud dubie ardore fidei & precum ipsius magna ex parte successus prosperi & pax, dum vixit, a Deo impetrata est, quæ statim post ejus mortem turbari cœpit, mundo pœnas ingratitudinis luente. Hac Dei beneficia, ingrati & impii simus, si non agnoscamus & celebremus.* Gerhardus.

(**) Prodiit anno 1597. Constantiæ libellus catholicus annos 31. ante quoque excusus, super quem Joh. Hoffmeister catholicus censuram quamdam scripsit, in qua adserit, *confessionem seu religionem Lutheranam non esse ex omni parte damnandam, sed quodammodo posse probari & acceptari.* Wolfius cent. XVI. p. 980. Casparus Northausen, insignis papista, Colon. Agrip. librum edidit sub titulo: *De Lutheranorum cum papistis concordia*, in quo dicit, *Lutheranos a pontificiis dissidere in 21. articulis, & illorum quidem 13. esse evangelicos & apostolicos, cum reliquis vero ita comparatum, ut facile uniri possint atque coadunari.* Erasmi de Luthero iudicium tom. II. Jen. lat. f. 331. a. *Personæ, per quas res agitur, suspectæ. Cum optimus quisque & evangelicæ doctrinæ proximus dicatur minime offensus Luthero. Qui Lutherum impetunt, ea inducunt, quæ nullæ aures piæ ferunt. Mundus sitit veritatem evangelicam, & fatali quodam desiderio videtur huc ferri, unde forte adeo non oportet odiose resisti.* Gerhardvs.

*Lutherani sedem & fundamenta suæ doctrinæ habent in scripturis sacris, nos vero pontificii extra eas*, atque aversa ab illo facie abiit. Alius quidam magni nominis & avtoritatis tunc dixisse fertur: *Egregie sane doctores nostri nos defendunt. Fatentur ipsimet nostram religionem & ea, pro quibus nos tanquam pro aris & focis pugnare volunt, non esse fundata in sacris literis.* Episcopus Augustanus Christophorus Stadius sive a Stain, in privatis colloquiis hanc vocem edidit: *Illa, quæ recitata sunt, vera sunt, sunt pura veritas, non possumus inficiari.* Idem pontificios principes & episcopos monuit, *ut pie & prudenter in hac causa agerent, quandoquidem Lutherani nihil docerent, quod non cum articulis fidei congrueret.* Ex cardinalibus etiam quosdam tunc adfirmasse proditum fuit *& causam protestantium justam & doctrinam eorum rectam esse. Verum hujusmodi mutationem doctrinæ & rituum, non tam paucorum arbitrio, sed plurium consilio & adjumento fuisse suscipiendam.* Vide historiam illorum comitiorum tom. V. Jen. germ. & in oratione Rosini de vita Johannis Constantis, Saxoniæ electoris. Ferdinandus imperator ad Matthesium Pragam evocatum dixit: *Redi domum, & tuos doce, ut hactenus feciſti, secundum confessionem Augustanam.* Et paulo ante obitum anno 1564. dixit: *Si Romana ecclesia mihi deferenda sit, conferam me ad Lutheranos, quos video retinere verbum Dei, & recte sentire de sacramentis, & non habere dubias opiniones, quales habent sectæ Anabaptisticæ & Calvinisticæ, sed vallatos esse testimoniis scripturæ, quæ unica est ratio & via victoriam coram Deo & hominibus obtinendi.* Hanc vocem ex ore Ferdinandi audivit, & cum aliis piis & sapientibus sermonibus adnotavit d. Joh. Nævius. Maximilianus ad Augustum Saxoniæ electorem dixit: *Frater, tuæ ego sum fidei & doctrinæ, sed age quæso viam ostende extricandi me ex labyrinthis, quibus involutus hæreo.* Cum Selneccerus jussu electoris offerret ei psalterium suum, audiit illum clementissime & præsente Zasio vicecancellario inter cetera dixit: *Quod moneor de Constantini, Theodosii & Martiani exemplis imitandis, agnosco pietatem, sed quis ego sum, aut quid & quantum possum! Orate pro me misero, qui in doctrina vestra, quæ Augustana confessione comprehenditur, per Dei gratiam vivam & moriar.* (*) Parati fuimus in omnibus & singulis controversiis quædam ipsorum ad-

(*) Ulricus ab *Hutten* eques, *cardinalibus, abbatibus, episcopis, præpositis & universo sacerdotum concilio Lutherum & veritatis ac libertatis causam apud Wormaciam nunc impugnantibus, resipiscere. Video vos per potentiam æquitatem opprimere & leges conculcare &c. quando Martinum Lutherum hominem vita & moribus sic probatum, ut ne ab inimicis quidem vobis improbetur, prædicatorem veritatis & evangelicæ doctrinæ dispensatorem fidelissimum per scelus & iniquitatem adfligi, a vobis lacerari & concerpi video.* Joh. Cellarius de Luthero Lipsia anno 1520. scribebat in hunc sensum: *Verissime dico, quod Martinus noster ea fide sacram scripturam tractet, qua palmam omnibus adversantibus Italis, Græcis & Hebræis longe præripiat. Et dico amplius, Martinus evangelicam veritatem magis amat ac omnes adversarii, scripta ejus ita mihi placent, quæ diligenter hactenus evolvi, ut ab illis haud ullus papa me, non cardinalis, aut monachus, quantumlibet atrox sit, avellere possit.* Matth. Schienerus, episcopus & cardinalis Sedun. ubi primo intuitu nonnulla de Lutheri scriptis legit, addit: *O Luthere, Luthere, tu sane secundum nomen tuum Lutherus es & limpidus.* Idem etiam cuidam, qui se mox bona nova de victoria Eccii contra Lutherum Lipsiæ disputantis, adlaturum esse promittebat, expedite respondit: *Disputet Eccius, de quo voluerit, Lutherus nihil nisi veritatem scribit!* Wolffius tom. II. p. 181. Henricus Phænicius anno 1522. scriptum edidit, in quo singulare Luthero testimonium perhibet his verbis: *Bonus ille, pius & christianus homo, Martinus Lutherus summa ope nititur, ut nos e captivitate Babylonica rapiat, at nos cæci sumus, & in carcere cum voluptate permanere volumus, cum potius Deo gratias agere deberemus, ut qui nobis hunc velut Eliam quemdam miserit in angustiis nostris, orare deberemus indesinenter pro tanti viri vita, sed nedum hoc agamus, illum etiam interficere cupimus, & ecce salus nostra præ foribus est, at nos ostio pessulum obdimus.* Wenceslaus Rosdialovinus præpos. Pragens. dixit, *Spiritum Christi per Lutherum in ecclesia operari.* Et in literis ad ipsum habetur: *Quod in Ba-*

adversariorum testimonia pro nostræ sententiæ confirmatione adferre. Johanni Husso & Hieronymo Pragensi Poggius Florentin. in epist. ad Leonardum Aretinum *pietatis, virtutis & patientiæ luculentum præbet testimonium.* De Luthero, quem plausiris conviciorum jesuitæ hodiæ obruunt, Erasmus in epistola ad præsulem Moguntinum sic scribit: *Illud video, ut quisque est vir optimus, ita Lutheri scriptis minime offendi. Ego Lutheri nec adcusator sum, nec judex, nec patronus; de spiritu hominis non ausim judicare, est enim difficillimum, præsertim in partem pejorem, & tamen si illi faverem ut viro bono, quod fatentur & hostes, si ut reo, quod juratis etiam judicibus permittunt leges, si ut oppresso, quod dictat humanitas, ab his, qui simulato prætextu devotis animis tendunt adversus bonas literas, quæ tandem esset invidia, modo ne me causæ admiscerent?* Fridericus, Saxoniæ elector, sapiens dictus, Coloniæ Erasmum ad se adcersivit, ac quid de Luthero sentiret, ex ipso quæsivit, respondit Erasmus, *causam odii illius sitam in eo, quod Lutherus duo maxima commisisset peccata impetendo suis disputationibus monachorum ventres & pontificis coronam; doctrinam quidem ipsius veram & certam esse, velle tamen & optare se, ut stylum contra adversarios moderaretur.* In eamdem sententiam scripserat ad Fridericum ab ipso consultus etiam Laurentius a Bibrach, episcopus Herbipolensis, singularis prudentiæ & integritatis laude in toto imperio celebris, ac subjecerat, *se multorum eruditorum judicia super hoc negotio exploraisse.* Referunt isthæc Manlius in collectan. Continuatio Crantzii, Chytræus in histor. orbis Arctoi, &c. (*) Cum Marinus Caracciolus & Hieronymus Alexander,



*Bohemia Johan. Hussius, id es tu Martine in Saxonia. Perge modo in Domino, ne nimium fidas hominibus, ne metuas, si te feriant anathemate, quod accidit apostolis & ipsi Christo, ne mireris id sibi quoque accidere.* GERHARDUS

(*) Thomas Draxus, Anglus, an angelica præmonitione p. 33. Lutherum vocat *Virum maxime rarum & ad orbem errarum illuminandum divinitus missum.* Petrus Mosellanus in epistola de colloquio Lipsiensi inter Lutherum & Eccium, anno 1519. *Martinus statura est mediocri, corpore macilento, curis pariter & studiis exhausto, sic ut propius intuenti omnia pene ossa liceat dinumerare, ætate virili adhuc & integra, voce acuta & clara. Doctrina vero & scripturæ cognitio admirabilis in eo, adeo ut omnia pene in numerato habeat. Græce & Hebraice hactenus didicit, ut de interpretationibus judicium facere possit. Nec deest dicendi materia, suppetit enim rerum & verborum sylva ingens. Porro in ipsa vita & moribus civilis & facilis, nihil stoicum, nihil superciliosum præ se fert, imo omnium horarum hominem agit. In congressibus festivus, jucundus, alacris & securus ubique, semper læta facie florens, quantumvis atrocia comminentur adversarii, ut haud facile credas, hominem tam ardua sine numine aivum moliri. Sed quod ei vitio dant plerique omnes, in reprehendendo impudentior paulo & mordacior, quam vel tutum sit τῷ τὰ θεῖα καινοτομοῦντι vel decorum homini theologo, quod vitium haud scio, an non cum omnibus ὀψιμαθέσι habeat commune.* Mellerstadius de Luthero dixit: *Adsendite diligenter adolescentes monacho Luthero, eo enim ingenio præditus est, quo nemo alius, & profecto in præstantissimum virum evadet.* Johannes Staupitius ad Lutherum dixisse fertur: *Euge mi frater Martine, hoc mihi plurimum arridet, quod non in gratiam, sed honorem Dei, cui nimium dari non potest, omnia tua studia dirigis* Cyr. Spangenbergius. Cum in comitiis Augustanis anno 1518. legatus pontificius, Thomas Cajetanus, plurimum urgeret Staupitium, ut ad palinodiam canendam Lutherum invitaret, respondit Staupitius, *hoc ipso oleum & operam in Luthero perditum iri, nam se longe doctiorem in sacris literis esse.* Idem Augustæ Vindelicorum his verbis Lutherum adlocutus est: *Memento, mi Martine, ne tantam rem negligenter agas, quam in nomine Christi incepisti.* Richardus Wasserburgius, archidiaconus Verdunensis: *Statuo ego, dictam sectam Lutheranam esse adprime utilem & necessariam. Spero enim, quod per illam Deus velit reformare & emendare statum ecclesiæ & ecclesiasticorum turbas, tam primates & summa capita, quam membra & inferiores.* Item: *Cum multis piis adfirmo pro certo, Lutheranæ sectæ primariam causam esse scelera horrenda eorum, qui primi esse volunt in ecclesia, & correctionem nullam admittunt. Et plus dico, sectam illam Lutheranam (licet illam adprobare nolim) non sine divina providentia introductam, utpote ad corrigendos errores & reformandam ecclesiam omnino necessariam.* Paulus Ricenerus, medicus Ferdinandi, regis Romanorum, honorifice de Lutheranis eorumque confessione locutus est, sibique admodum displi-

Romani oratores; Erasmo Coloniæ anno 1520. papæ verbis episcopatum promitterent, si contra Lutherum pro pontificia autoritate stylum stringeret, respondit ille: *Major est Lutherus, quam ut in illum ego scribam. Major est Lutherus, quam ut a me intelligatur. Plane Lutherus tantus est, ut plus erudiar, & proficiam ex lectione unius pagellæ Lutheranæ, quam ex toto Thoma.* Philippus Melanchthon in præfat. præfixa tomo III. Latin. Lutheri recitat Erasini Roterodami de Luthero judicium, quod solitus fuerit dicere, *neminem esse interpretem dexteriorem omnium, quorum exstant literæ post apostolos, Luthero.* Cum eodem elogio consentit, quod Andreas Masius, pontificius scriptor in convivio cœnobii Wingartensis audientibus multis pontificiis & Lutheranis testatus est, *in una scriptorum Lutheri pagina plus esse solidæ theologiæ, quam interdum in toto libro alicujus patris.* Episcopus Rossensis in epistola ad Erasmum Lutheri doctrinam mirifice laudat, ac *se cupere* ait *illum convenire, si possit commode, ut nonnulla ex illo quæreret, quæ ipsum malè habebant;* addit etiam, *fuisse Lutherum scripturarum ad miraculum usque peritum*, optat modo, *ut de papa tacuisset.* Ut autem de Luthero, ita quoque de Lutheranis, quos ita vocant, honestius judicant moderatiores pontificii, quam jesuitæ. Secretarius papæ Pauli IV. in actione: an restaurandum sit concilium edit. Pfortz. anno 1559. statuit, *nihil periculosius vel perniciosius fieri, quam si protestantium legati inter episcopos in concilio permittantur, quæ voluerint loqui*, addita hac ratione f. 14. *quod inter ipsos sint multi solide docti & diu versati atque exercitati in ipsis bibliorum fontibus & in veteribus scriptoribus, norint etiam linguas Græcam atque Hebræam.* Cassander in consultatione egregium de protestantibus fert testimonium, & in libro de officio pii viri vocat eos *vera ecclesiæ membra*, quo nomine irascitur ipsi Bellarminus lib. III. de laicis. c. 19.

SECTIO

displicere pertinaciam adversariorum dixit. Wolfgangus Severus olim Ferdinandi regis præceptor:

*Iapeti de gente prior, majorve Luthero*
*Nemo fuit, sed nec credo futurus erit.*

Margaretha Archiducissa Austriæ, Belgiarum rectrix, cum apud eam Lovanienses monachi sub initium reformationis de universa reipublicæ christianæ per Lutheri scripta eversione graviter conquererentur, rogavit ab illis: *Quem ergo dicerent Lutherum esse?* respondentibus ipsis, *indoctum esse monachum*, prudentissime regessit: *Scribite multi docti adversus indoctum unum, & procul dubio plus orbis crediturus est doctis multis quam indocto uni.* Erasmus Roterodamus ad Lutherum scripsit Lovanio 3. Cal. Iun. 1519. *Habes in Anglia, qui de tuis scriptis optime sentiunt, et sunt hi maximi. Sunt & hic, quorum est eximius quidam; qui tuis favent.* Et paulo post: *Degustavi commentarios tuos in psalmos, vehementer arridebant, & spero magnam utilitatem adlaturos. Est Antverpiæ Prior ejus monasterii vir pure christianus, qui te unice non damnat, tuus olim discipulus, ut prædicat. Is omnium pene solus Christum prædicat, cæteri fere aut hominum fabulas, aut suum quæstum prædicant.* Idem Erasmus Godschalco Rosemundano, Lovanienfis academiæ moderatori, scribit Lovanio 15. Cal. Nov. 1520. *non deesse magnos theologos, qui non verentur adfirmare, nihil esse in Lutbero, quin per probatos autores posset defendi.* Et paulo ante: *Toi sunt millia rabbinorum, tot sunt, qui sibi dii videntur, nullus exstitit, qui Luthero sobrie docteque responderet, sive insciția fuit in causa, sive ignavia, sive metus, quorum nihil competit in probos theologos.* Langii monachi de Luthero testimonium apud Wolfium tom II p. 173. 175. Johan. Podusea. Bohemus apud Wolfium p. 182 monachus Franciscanus ad amplectendum evangelium cives hortatur. Ex Gastio Wolfius tom. II. pag. 428. GERHARDUS.

## SECTIO XIV.

## DE NOTA ECCLESIAE DECIMA QVARTA, QVAM BELLARMINVS ADSIGNAT, QVAE EST INFELIX EXITVS EORVM, QVI ECCLESIAM OPPVGNANT.

*An infelix exitus adversariorum sit nota ecclesiæ?*

§. CCLXXXXVI. Membrum *primum.* Infelicem exitum adversariorum esse notam ecclesiæ, demonstraturus Bellarminus adfert. I.) Scripturæ dictum Deut. XXXII. *Laudate gentes populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, & vindictam tribuet in hostes eorum;* ex quo colligit, *Deum etsi puniat suos & flagellet, tamen tandem projicere virgam in ignem.* II.) *Exitus tragicos tum persecutorum ecclesiæ, tum hæresiarcharum & apostatarum, qui misere tandem perierunt.* Ad classem *priorem* refert exempla *Pharaonis*, Exod. XIV. *Dathan & Abiran*, Num. XVI. *Jezabel*, 2. Reg. IX. *Antiochi*, 2. Maccab. IX. *Pilati*, apud Eusebium lib. II. hist. cap. 7. *Judæorum*, apud Josephum de bell. Jud. *Herodis Ascalonitæ*, apud Josephum lib. XVII. antiq. cap. 9. *Herodis tetrarchæ*, apud eumdem lib. XVIII. antiq. cap. 14. *filiæ Herodis* dictæ *Herodiadis*, apud Nicephorum lib. I. cap. 20. *Herodis Agrippæ*, Act. XII. *Neronis*, *Domitiani*, *Diocletiani*, *Galerii*, *Maximiani* & *Maximini*, apud Eusebium in chron. & libr. VIII. histor. eccles. libr. IX. cap. ult. Ad classem *posteriorem* refert exempla *Simonis magi*, apud Hegesippum libr. III. de excidio Hierosol. cap. 2. *Manichæi*, (rectius Manes) apud Epiphanium hæres. CXIX. *Montani*, apud Eusebium lib. V. hist. cap. 16. *Donatistarum*, apud Optatum libr. II. contra Parmen. *Arii*, apud Athanasium orat. I. contra Arian. *Juliani apostatæ*, apud Nazianzenum orat. in Athan. *Valentis Ariani*, apud Rufinum lib. XI. hist. c. 13. *Nestorii*, apud Evagrium libr. I. hist. cap. 7. *Hunerici*, *regis Vandalorum Ariani*, apud Victorinum libr. III. de persec. Vand. *Anastasii Eutychiani* apud Cedrenum, Zonaram & P. diaconum in ipsius vita. Resp. 1.) Infelicitas exitus vitæ æstimatur vel ex adspectu externo duntaxat, vel ex vita antegressa. Si non solum ex adspectu externo, sed etiam ex antegressa vitæ impietate infelicitas æstimetur, fatemur, & persecutores & hæresiarchas justo Dei judicio horribiliter ut plurimum perire, ac Deum sua judicia etiam in hac vita contra illos sæpius ostendere. Si vero ex nudo adspectu externo infelicitas mortis æstimetur, negari nequit, etiam sanctissimos Dei martyres judicio mundi miserabilem sortiri exitum. Proinde ex mortis qualitate absoluti & simpliciter certi quidpiam de ejusdem infelicitate concludi nequit, sed respicienda est doctrina, quam antea professus est, qui misere videtur perire, & vita, quam antea egit, sic ergo redit nostra nota, quod ex doctrina de ecclesia sit pronunciandum. 2.) Fatemur quorumdam, qui ecclesiam vel persecutionibus vel hæresibus turbarunt, exitus fuisse tragicos & funestos, sed hoc de omnibus adfirmari nequit; quidam enim persecutores, quidam etiam hæresiarchæ pacate decessisse leguntur. Interdum quidem Deus etiam in hac vita judicia sua exercere incipit, sed ut potissima præmia, ita etiam potissimæ pœnæ differuntur in alteram vitam. 3.) Exempla eorum, quæ Bellarminus commemorat, sunt ab hac quæstione plane aliena, illi enim nec papam nec ecclesiam Romanam, sed Christum & ecclesiam Christi oppugnarunt, ideoque justo Dei judicio misere perierunt. Adferenda vero erant talia exempla, quæ ostenderent, papalis ecclesiæ, quatenus talis, oppugnatores misere periisse. Potuisset sane Bellarminus adferre exempla imperatorum Romanorum, qui a pontificibus Romanis excommunicati, variis bellis impliciti & a propriis filiis ac subditis instinctu &

hortatu meretricis Babylonicæ oppugnati fuerunt; itemque martyrum, qui vel linguam vel calamum adversus notissimos Romanæ ecclesiæ abusus stringentes, rogo statim impositi vel alio supplicii genere e medio sublati, sed hæc exempla Romanæ sedi parum honorifica fuissent. 4.) Quandoque eorum, qui in visibilis ecclesiæ gremio ac consortio vivunt propter antegressam vitæ impietatem exitus sunt tragici ac funesti, ex quibus non potest colligi, quod ecclesia, cui ratione externæ societatis conjuncti fuerunt, non sit vera ecclesia. Ergo nec hæc nota est propria, perpetua & inseparabilis.

*An Romanæ ecclesiæ adversarii infeliciter perierint?*

§. CCLXXXXVII. Membrum *secundum*. An infelix fuerit exitus eorum, qui contra Romanam ecclesiam pugnarunt? Bellarminus ad id probandum adfert exempla *Lutheri*, quem ex Cochlæo repentina morte sublatum esse scribit, postquam vesperi lætus & sanus opiparam cœnam sumsisset, ac facetiis suis omnes ad risum provocasset; *Zwinglii*, in bello contra catholicos trucidati; *Oecolampadii*, in lecto ab uxore mortui inventi, cum vesperi sanus cubitum iviſſet; *Carolstadii*, a dæmone interfecti; *Calvini*, vermibus consumti, & dæmonibus invocatis cum blasphemia mortui; ex Cochlæo & Bolseco. Guilielmus Besseus, jesuita Gallus, in concept. theol. sabbath. post cineres pag. 102. auget mendacium: *Lutherus* (inquit) *bene potus & cibis distentus absque ullo pietatis signo cubitum secedens apud inferos pernoctavit.* Resp. 1.) De Zwinglio, Oecolampadio, Carolstadio & Calvino, quo fine vitam clauserint, parum soliciti sumus. De morte Oecolampadii Wolfgangus Capito & Simon Grynæus, in vita Oecolampadii, Danæus in præfat. super comment. Oecolamp. in Ezechiel. De morte Calvini Nicol. Gallasius & Theodorus Beza longe alia ac diversa referunt, quod nos in medio relinquimus. Bolseci hoc non unum est mendacium, de quo a quibusdam refertur, quod *cum lachrymis confessus sit, se præter omne meritum convitiis Calvinum oneravisse.* 2.) De morte Lutheri exstat historia conscripta a Justo Jona, Michaele Cœlio, & Johanne Aurifabro, qui coram Deo & in conspectu Christi testantur, quod sancta fide & conscientia obitus Lutheri historiam referant. Summam istorum omnium commemorat Sleidanus libr. XVI. comment. pag. 488. hisce verbis. Anno 1546. Lutherus ad comites Mansfeldicos proficiscitur vocatus ab iis componendi causa dissidii. Priusquam Islebium veniret, quod erat sub exitum Januarii, valetudine utebatur tenuiori. 17. Februarii cœpit ægrotare gravius ex pectore, erant cum eo filii tres, Johannes, Martinus, Paulus & alii quidam familiares, in his etiam Justus Jonas, Halensis ecclesiæ minister, & quamquam erat imbecillior, prandit tamen cum reliquis atque cœnavit. Inter cœnandum variis de rebus locutus, hoc etiam inter alia rogabat, *num in illa sempiterna vita simus alter alterum recognituri?* cumque illi averent ex ipso scire: *Quid*, inquit, *accidit Adamo? nunquam ille viderat Evam, sed cum formaret eam Deus altissima quiete sopitus dormiebat, expergefactus cum illam videret, non rogat quæ sit, aut unde veniat, sed carnem esse de sua carne dicit, & os de ossibus suis, qui vero sciebat istud? Nimirum Spiritu sancto plenus & vera Dei cognitione præditus ita pronunciabat; ad eumdem modum etiam nos in altera vita renovabimur per Christum; & parentes, uxores, liberos, & quidquid est, multo perfectius agnoscemus, quam tunc Evam Adamus cognovit.* A cœna cum divertisset precandi causa, sicut consuevit, cœpit augeri dolor pectoris, ibi monitu quorumdam usus est cornu monocerotis ex vino, post in minori lectulo hypocausti per unam & alteram horam suaviter dormit, cum evigilasset, in cubiculum ingreditur, & ad quietem iterum se componit, & salutatis amicis, qui aderant: *Orate*, inquit, *Deum, ut evangelii doctrinam nobis conservet, pontifex enim & concilium dira moliuntur.* Hæc ubi dixit, facto silentio dormit aliquandiu, sed urgente vi morbi post mediam noctem excitatus queritur de angustia pecto-

pectoris, & præsentiens instare jam vitæ finem his omnino verbis Deum implorat: *Pater mi cœlestis, Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, Deus omnis consolationis, ago tibi gratias, quod filium tuum Jesum Christum mihi revelasti, cui credidi, quem confessus sum, quem amavi, quem celebravi, quem pontifex Romanus & reliqua impiorum turba persequitur & adficit contumelia; rogo te, mi Domine Jesu Christe, suscipe animulam meam, mi Pater cœlestis, etiamsi divellor ex hac vita, licet corpus mihi jam sit deponendum, certo tamen scio, me tecum permansurum esse in sempiternum, neque posse me tuis ex manibus a quoquam avelli.* Non multo post eam precationem, ubi spiritum suum in manus Dei semel & iterum commendasset, tamquam dormiturus paulatim e vita discedit, nullo cum corporis, qui quidem animadverti potuisset, cruciatu, fuit autem is annus Lutheri climactericus 63. qui solet esse periculosior. 3.) Neve Sleidani & Melanchthonis fidem Bellarminus in dubium vocare queat; producimus Jacob. August. Thuanum, historicum pontificium, qui lib. II. hist. pag. 30. eodem modo Lutheri obitum describit: *Sub id tempus* (inquit) *Martinus Lutherus, turbarum contra pontificiam autoritatem concitatarum autor, annos natus 63. in patria Islebia, quod est Mansfeldiæ ditionis oppidum, moritur 12. Calend. Martias, illuc Wittenberga, ubi docebat, a Mansfeldiis comitibus vocatus, & arbiter electus, ut dissidium, quod inter ipsos de finibus & hæreditate erat, componeret. Post cænam proxime ante noctem, qua decessit, cum rogaretur, num in illa altera vita simus alter alterum agnituri, ita esse ajebat & scripturis confirmabat. Ut certatim eum vivum multi complexi, sic nec morte quidem ab ejus amore divelli potuerunt. Mansfeldii siquidem cadaver, quod hinc originem duceret, in suis finibus sepeliri debere contendebant, sed vicit Johannis Friderici autoritas, qui, ut Witebergam referretur, atque ibi terræ honorifice mandaretur, obtinuit, &c.* Surius ipse in comment. rerum in orbe gestar. pag. 474. edit. anno 1566. recitat ultimam illam Lutheri precationem. Quæ omnia mendacium impudenter effusum in Cochlæi jugulum redigere merito debent.

§. CCLXXXXVIII. Membrum *tertium.* Quod si vero animus nobis esset, tragicos exitus ac repentinas mortes Romanorum pontificum commemorare, principium citius quam exitum invenire possemus. *Anastasius II.* quia sine concilio episcoporum & cleri communicavit Photino, & Achatium occulte revocare voluit, nutu divino percussus est, intestina ejiciendo. Fasc. temp. ætat. VI. ad annum 5673. *Sozimus I.* episcopatus sui die vicesimo subita morte correptus abiit. *Nicolaus III.* subito mortuus est. *Paulus II.* moritur media nocte nemine præsente, cum lætus eadem die esset in consistorio, & duos pepones edisset pridie ante mortem. *Johannes X.* cervicali in os injecto in carcere suffocatus est. *Sylvester II.* cum in Basilica s. crucis Romæ in Hierusalem sacrificasset, a diabolo ex pacto exstinctus est. *Alexander VI.* ex veneno periit, quod aliis paraverat. *Johannes XIII.* homo sceleratissimus in adulterio deprehensus & confossus periit. *Adrianus* pontifex excommunicationem Henrico II. denunciat, ipse a Deo maledictus, cum aquam e fonte haurire vellet, musca in os ejus involans gutturi adhæsit, qua misere suffocatus est. *Bonifacius VII.* suorum scelerum conscientia excruciatus subitanea morte periit. Ita referunt Platina, Balæus, Nauclerus, Sigebertus, &c. Unde Johannes Sarisberiensis in Polycrat. libr. VI. cap. 24. scribit, *se putare pontifices tam brevi vivere, ac tam repente mori, ne totam ecclesiam corrumpant.* Exempla divinæ nemeseos ac horribilis vindictæ in persecutores ecclesiarum evangelicarum & apostatas exercitæ possemus commemorare quamplurima, si ex tragicis defunctorum exemplis potius, quam ex sanctis vivi Dei oraculis de religione judicare mallemus. Anno 1522. *Emserus*, quem Caprum nomi-

*De infelici exitu persecutorum evangelii.*

nominant, eo ipso die, quo Alexium Crosnerum puram evangelii doctrinam Dresdæ publice ac fideliter proponentem, mandato ducis Georgii urbe excedere & importunis imprecationibus cum familia in exsilium ire compulisset, subitanea morte miserandis & tristibus gestibus exstinctus est. Selneccerus in orat. de init. & progr. Augustanæ confess. pag. 29. (*) Anno 1524. Noribergæ subita apoplexia exstinctus est *cancellarius Trevirensis*, qui biduo ante mortem in convivio gloriatus fuerat, *ante festum Martini abolendum esse evangelium ferro.* Refert Lutherus tom. II. epistolarum epist. ad Hausmannum p. 184. Anno 1527. *doctor Halensis Craus* in desperationem propter abnegatam evangelii doctrinam incidit, hisce ante horribilem obitum usus verbis: *Ego negavi Christum, ideo jam stat coram Patre, & accusat me.* Illam cogitationem præstigiis diaboli captus tam fortiter conceperat, ut nulla adhortatione aut consolatione, nullis divinis promissionibus pateretur eam sibi excuti, atque ita desperavit, & se ipsum misere occidit. Lutherus in comment. III. Galat. tom. IV. Jenens. lat. pag. 63. Anno eodem *Thomas Blauerus*, (alias de Balvere) regis Scotorum consiliarius summus, autor persecutionis adversus doctores evangelicos susceptæ, cum horam mortis jam ingruere intelligeret, se damnatum ac perditum esse adsidue clamavit, cumque monachi lecto adsisterent, eumque consolari vellent; *apagite*, inquit, *cum vestris ineptiis, nunquam enim adduci potui, ut crederem, Deum esse, vel satanam, infernum vel cœlum, & in pari pretio tam vestram quam evangelicorum doctrinam habui, solam spectavi in meis consiliis pecuniam, & ejus rei gratia episcoporum causam egi, regique autor fui, ut vestros adversarios ejiceret, idcirco nihil proderunt mihi vestræ vel missæ vel vigiliæ, sum enim damnatus, & satanas jam constrictum me tenet, ut in abyssum inferorum me abripiat.* In hac desperatione misere est exstinctus. Referunt Alexander Alesius Scotus, Andreas Hondorpius in speculo historiali, Wolfius cent. XVI. memorab. pag. 293. &c. Anno 1530. in comitiis Augustanis *sex comites ac barones* datis mutuo dextris stipulati fuerant, sese omnes vires ac facultates collaturos esse ad tollendos e medio Lutheranos, uti vocabant, ex quibus *Felix, comes Werdenbergius*, affirmaverat, *si bellum adversus protestantes susciperetur, se sine stipendio propriis sumtibus adversus eos militaturum.* Hic ad cœnam vocaverat abbatem monasterii dicti ad vineam vel hortum vinarium *zum Weingarten* ac superiores minas repetiverat. Peracta cœna cum jam Abbas in hospitium abiisset, discesserat & ipse cubitum. Sequenti vero die mane mortuus in cubili repertus est, & paulo post sepulturæ fuit traditus. Quod cum audiisset alius quidam ex consœderatis in gravissimum morbum & ipse incidit. Referunt Georg. Spalatinus in histor. Augustæ gestis anno 1530. quæ exstant tom. V. Jen. germ. p. 37. Joh. Rosinus in vita Johannis electoris Saxonici lit. R. 3. Anno 1541. *Hoffmannus*, papisticæ religionis acerrimus propugnator, iturus ad conventum Ratisbonensem, ut evangelicis resisteret, non procul ab Ulma in horribilibus mugitibus est mortuus. Refert Henricus Pantaleon libr. VIII. rerum in ecclesia gestarum, ubi addit, *monachum quemdam Dominicanum*, cum doctrinam evangelicam acerbe oppugnaret, in ipsa concione percussum fulmine subito esse mortuum, ac quemdam alium magni nominis virum, cum audivisset cantilenam illam ecclesiasticam: *Eine feste Burg ist unser GOtt &c.* ac dixisset: *Ich will helffen die Burg zerschiessen oder will nicht leben*, post triduum sine confessione & invocatione Dei esse mortuum.

(*) Ponchetus archiepiscopus Turonensis, primus regi Galliæ autor fuit quæsitores instituendi, qui pios cremarent. Sed is febri ardentissima primo ita exustus fuit, ut exteriora membra illi putrescerent, nec calor iste membris articulatim dissectis sedari potuerit, qui tandem ustorem combussit. Wolfius cent. XVI. anno 1513. p. 72. GERHARDVS.

tuum. (*) Anno 1543. morieus *Eccius*, acerrimus Lutheri adversarius, de nulla alia re quam de nummis locutus est, teste chronico Carionis. Petrus Lembergius in epistola de doctrina & morte Eccii anno eodem edita totam rem plenius exponit: *Scis* (inquit) *quæ de morte Eccii sparsa fuerit fama, non ab iis, qui procul erant, & doctrinam ejus oderant, sed qui officii causa decumbenti quotidie adfuerant. Initio hominem, sicut corpore firmo & robusto fuit, contemsisse morbum, subinde admonitum ab amicis noluisse cavere occasiones, quibus morbus alebatur. Cum autem manifesta signa adparerent naturæ a morbo victæ & quasi cedentis, ac non deessent, qui eum ad confessionem & eucharistiam hortabantur, ne tum quidem suorum adquievisse consilio, donec tandem totus lecto adfixus & jam mens mota esse non obscure deprehenderetur; ibi monachum egregie indoctum & tamen, ut ejus funesta oratio ostendit, ad maledicendum non ineptum, ad lectum decumbentis Eccii sacra feciss se, porrecturum postea pro more eucharistiam: hoc animadverterit Eccius, necne, ignoro, hoc audio, cum juberetur, ut præpararet se ad sumtionem πολλὰ παραφρονῆντα, dixisse de nescio quibus quater mille aureis, hos si habeat, bene habitura omnia & triumphaturum se de causa. Non ita multo post sumsisse eucharistiam ac secuta mox, quæ talem vitæ consuetudinem sequi solent, scis enim quibus morbis, qui vino & Veneri nimium indulgent, sunt obnoxii, & tandem non animadvertentibus iis, qui adstabant, cum sanguine purpuream vomuisse animam.* Hæc de Eccii morte Ingolstadio nunciata sunt, ac postea a multis magnis viris, quod comitia tum Noribergæ celebrarentur, huc perscripta. Meminit hujus interitus Eccii etiam Lutherus in comment. II. Hoseæ tom. IV. Jenens. lat. pag. 607. & addit: *Non delectant pios hi horribiles casus, mallent enim, ut omnes conferrent operam suam ad evangelii doctrinam illustrandam ac propagandam, quam dum evangelium blasphemant, sibi æternos cruciatus ut concilient. Sed dum nullum blasphemiarum modum faciunt, talibus exemplis opus est, ut Deus testetur se judicem esse, & reprimat impiorum conatus, ut alii emendentur & evangelio non ita se opponant.* Eodem anno 1543. mortuus est *Albertus Piggius*, papatus defensor non postremus, de quo scribunt, fuisse illum in tumultu oppressum in magna hominum frequentia, una cum pecunia illa, quam a papa & cardinalibus propter operam suam in causa pontificia defendenda collocatam acceperat. Anno 1545. horribili morte obiit *Johannes Minerius* summus judicii & senatus Aquensis in Gallia præfectus, Waldensium persecutor crudelissimus, ut constat ex Sleidano libr. XVI. comment. pag. 463. & Osiandro cent. XVI. histor. eccles. libr. II. cap. 54. De hoc Minerio Pantaleon in historia rerum in ecclesia gestarum scribit, quod *ex internis viscerum flammis misere perierit, quod medici eum non sanare, imo nec adspicere possent; quodque horrendas in Christum blasphemias evomens animam efflaverit.* Guarlacus, doctor Lovanienses, acerrimus

(*) Ambrosius Moibanus in lib. de mandato Christi anno 1536. edit. refert, quod prælatus quidam, cum per omnem suam vitam ex mera pertinacia evangelio fuisset adversatus, idque verum esse evangelium negasset, quia nimirum nulla ederet miracula, morbo correptus atque eo ad mortem usque laborans dixerit: *O mi Deus omnipotens, remitte mihi, quod tam pervicaciter evangelium tuum, quod hodie prædicatur, contemserim, idque nullam miracula faciendi vim habere proterve adfirmaverim. Heu quam illud modo in agone meo verissimum est, & alias in vita deprehendi, quod semper Deus mihi aliisque mei similibus prælatis idem conantibus aperte restiterit, oque nostrum ita mbibuerit, ut ne illud quidem aperire contra evangelii tui prædicatores potuerimus. Illi profecto prædicatione tua omnem missam, omne purgatorium nostrum funditus subverterunt, quod ego cum omnibus aliis papistis nunquam potui obtinere. Peto itaque veniam & imploro misericordiam Dei, ne mihi imputare incredulitatem meam velit. Atque ita prælatus iste haud multo post obdormivit.* Wolfius tom. II. memorab. pag. 417. GERHARDVS.

rimus pontificiæ sedis defensor, inter multas horrendas blasphemias, quas in morbo suo evomuit, lamentabili voce cum Caino exclamavit, peccata sua majora esse, quam ut remitti possent, atque ita desperabundus exspiravit, ut videre est in epistola Claudii Senarclai ad Bucerum. De *Munerio*, prætore Lutetiano, refert autor librorum de rebus in Gallia ob religionem gestis sub Henrico II. pag. 9. quod *primus de causis evangelicorum cognoverit, ac multa in eos crudeliter perpetrarit.* Is postquam in comitiis Seniganæ causa falsi damnatus esset, ex decreto senatus variis in locis mulctam honorariam publice perduxit, denique infami, omnibus tamen grato, spectaculo piloriis, ut loquuntur, circumductus fuit, atque ita relegatus. Dicebat ille, dum in carcere detineretur, *se agnoscere eas, quas subiret, pœnas mercedem esse male tractatorum Lutheranorum, nihilque posthac in eos se tentaturum.* Unus item ex iis consiliariis, qui fidelium causis cognoscendis atque dijudicandis vacarat, repentina morte paulo post interiit. Anno 1546. *Alphonsus Diazius*, Hispanus, fratrem suum Johannem per famulum crudeliter ob evangelicæ doctrinæ professionem ex insidiis obtruncat; ut est apud Sleidanum lib. XVII. comm. p. 491. cum vero in fratricidam pro merito non animadverteretur, factum divino judicio, ut in concilio Tridentino muli sui collo adhærens in desperatione mortuus sit. Anno 1547. die 27. Aprilis cum ob cladem & captivitatem electoris Saxoniæ, Johannis Friderici, *canonici Misnenses* in templo cathedrali supra modum jubilarent, & hoc nomine hymnum: *Te Deum laudamus*, decantarent, tum Deus in malignorum & perversorum illorum hominum ἐπιχαιρεκακίαν exemplum statuit, manifestoque signo se abominari pravorum gaudia declaravit. Actutum enim templum illud de cœlo fulmine tactum & incendio correptum ac desuper omnia ædificia in cinerem redacta sunt, campanæ & organa musicalia liquescentia perierunt, & incendium illud a quarta pomeridiana ad sextam matutinam alterius diei horam continuo duravit. Thomas Stibarus in histor. narrat. de vita Johan. Frider. Rosinus in vita Johan. Frider. lit. Ee. 3. Polandus, superintendens Misn. in præfat. conc. de mus. instrument. Huc pertinet, quod de *Hoxarienſibus* Rosinus ibidem commemorat. Oppidum est in Saxonia, quod adpellatur Hoxar, in quo multi erant cives Augustanæ confessioni addicti, & ministrum etiam ecclesiæ habebant pure docentem evangelium. Hi ergo cum audivissent de eventu hujus belli & electoris captivitate, summum inde dolorem capiebant, & tristem casum miseris modis deplorabant, sed consul ejus urbis, *Bartholomæus Masco*, adhuc a pontificiorum parte pendens iis insultabat, subinde hæc verba repetens: *Hem ubi nunc est vestrum evangelium? ubi nunc vestra sacramenta? numquid ex hac cæsaris victoria manifestum sit, quæ & ubi sit vera ecclesia atque religio?* Post hanc insultationem domum abiens adparato splendido convivio invitabat ad se alios nonnullos pontificiis corruptelis deditos, ut cum illis lætum sumeret diem, & exsultaret ob belli exitum & piorum calamitatem, sed ista lætitia non diu durabat. Peracta enim cœna & convivis digressis, cum & ipse cubitum secessisset, dolores & tormina ventris sentiebat, quibus adeo adfligebatur, ut circiter mediam noctem domestici ac familiares, quia videbant dolores subinde augeri & morbum ingravescere, mitterent adcersitum pastorem ejus urbis, licet invisum consuli, quod puram evangelii doctrinam populo publice proponeret, verum antequam veniret ecclesiæ minister, jam consul subita morte exstinctus erat. Anno 1548. in comitiis Augustanis *Johannes VI. Constantiensis episcopus, nobilis a Weza*, sive Vesalius, juratus evangelii hostis, qui bello *Smalcaldico* adversæ partis molitiones non parum promoverat, ac ob id cardinalitium galerum exspectabat, subitanea morte ex hac vita ad tremendum Dei judicium evocatus est, idque factum noctu, cum paucis horis prius inter cœnandum horribilia urbi Constantiensi & Lutheranis in diœcesi sua habitan-

bitantibus interminatus esset, hac voce usus: *Ich will sie putzen, oder die Hand Gottes soll mich rühren, Tractabo eos egregie, aut manus Domini me tangat.* Hæc vero eum ita tetigit, ut mortuus in lecto inveniretur postero die a cubicularibus, qui horribilia se quædam ea nocte audisse fassi sunt. Referunt Calp. Bruschius in annalibus episcoporum Constantiensium, Sleidanus libr. XXI. comment. pag. 641. & ex illis Wolffius cent. XVI. pag. 574. Anno eodem 1548. secutus est horribilis *Francisci Spiræ* interitus, quem Sleidanus pag. 649. hisce verbis describit. Est in agro Patavino Venetorum ditionis oppidum citadella, hic erat civis quidam homo forensis & causidicus valde exercitatus, Franciscus Spira. Is incredibili quodam ardore cœpit complecti puriorem doctrinam, & cum indies magis atque magis proficeret, non domi tantum apud amicos, quid sentiret de singulis dogmatibus, verum etiam passim apud omnes explicabat. Ea res non diu potuit esse occulta, & tandem ad legatum pontificium, qui tum erat Venetiis, Johannem Casam, archiepiscopum Beneventanum, delata fuit. Ubi hoc Spira cognovit, facile suum intellexit periculum. Cum ergo diu multumque in omnem partem deliberasset, tandem statuit vocatus convenire legatum. Itaque profectus Venetias & errorem suum, uti putabat vel metus causa dicebat, confessus veniam poscit, & obsequentiam imposterum pollicetur. Legatus, tametsi propter spontaneam confessionem gaudebat, tamen exempli causa jubet, ut domi reversus ante dicta publice revocet. Accipit ille conditionem, & licet jam tum inciperet ipsum pœnitere facti, tamen urgentibus amicis, qui non ipsius modo, sed conjugis etiam & liberorum & facultatum ipsius spem totam in eo positam esse dicerent, obtemperavit. Verum non multo post in ægritudinem incidit tum animi, tum corporis, deque misericordia Dei cœpit desperare. De consilio igitur amicorum Citadella defertur Patavium, ut & medicorum operam & doctorum hominum paratam haberet consolationem. Medici Johan. Paulus Crassus, Bellacata, Frisimelega statim ubi vidissent, ex vehementiori cogitatione natum morbum, nec ullum esse remedium præstantius judicabant, quam animi consolationes. Frequentes igitur ad ipsum quotidie veniebant homines docti & sacræ scripturæ testimoniis, quæ summam Dei misericordiam nobis explicant, mentem illius sanare studebant. Ipse vero *non inficiari quidem ista, sed ad se nihil pertinere, & quod agnitam veritatem abjurasset metu periculi, destinatum se cruciatibus æternis & illos jam animo sese persentiscere atque videre, neque Deum amare posse, verum horribiliter odisse dicebat*, in eoque perstitit: neque jam cibum amplius capere volebat, & cum pe. vim ingereretur, subinde respuit. Cum ergo frustra consumerentur omnia consilia, & ipsius tum infirmitas corporis tum angor mentis indies magis atque magis augesceret, domum relatus fuit, atque ibi miser in eo statu ac desperatione vitam finiit. Memorabilis hujus exempli meminit Flacius ejusque usum ostendit in præfat. lib. de sectis, dissensionibus & contradict. pontif. ad senatum Venetum pag. 43. *Misit*, inquit, *Deus hoc tempore visitationis & illustrandæ religionis suæ cum aliis omnibus gentibus suos quosdam doctores & monitores, tum etiam vestris illustribus dominationibus inter alios duos nequaquam obscuros legatos ac verbi voluntatisque suæ prædicatores, nempe Franciscum Spiram & reverendum virum fratrem Baldum Lupetinum civem & cognatum, veritatisque præceptorem meum. Quorum prior cum esset clarus vir, celebrisque causidicus, tum & ingenio, tum facundia, tum & eruditione multos alios præstantes viros longe antecelleret, veritatemque sinceriores religionis agnovisset & confessus esset, & antichristi errores damnasset, ac multos de veritate edocuisset, tandem istic a pontificio legato minis violentiaque coactus est, agnitum christi evangelium contra conscientiam damnare & abnegare. Verum Deus eum, velut alterum Judam, filiique sui proditorem, sensu iræ suæ ferit, in ipsissimum*

*mum infernum projecit, & præsenti dæmonum carnificina, ac plane tartareo horrendoque cruciatu viventem adhuc aliis, tum persecutoribus, tum contemtoribus veritatis suæ in conspicuum modisque omnibus expavescendum exemplum diu excarnificari sivit clamantem ac vociferantem fine fine in illustri ac frequentissimo loco publicæ academiæ Patavii, se ob abjuratam damnatamque agnitam viventis Dei veritatem in æternum damnatum esse, &c. Quod profecto valde memorabile Dei miraculum nulli omnino humanæ fraudi aut physicæ causæ tribui potuit, ut multi doctissimi viri ex omnibus professionibus & nationibus, qui eum coram sæpius inviserunt & adlocuti sunt, testantur, quæ historia multorum publicis scriptis, omnibus ferme notioribus linguis editis evulgata celebrataque est.* Anno 1552. tragicus exitus *Crescentii* pontificii in concilio Tridentino legati contigit, quem Sleidanus lib. XXIII. comment. pag. 751. his omnino verbis describit. „Crescentius valetudine detentus hærebat. Is nocturno spectro perterrefactus, ut ajunt, & ægrotare, simulque vitæ cœpit desperare, quantumvis etiam familiares atque medici consolarentur, &c. Qua cœperit occasione ægrotare, constitueram silentio præterire, quod suspicio erat in ejus invidiam esse conflictum, sed quoniam ipsius amici ac familiares, qui decumbentem aliquando consolati sunt, ita referunt, addendum esse putavi. Martii die 25. scribendis literis ad pontificem valde fuerat occupatus, & laborem ad noctem usque continuavit. Ibi surgens, ut se reficeret, ecce visus est illi canis quidam ater insitata magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram prope demissis ingredi, & ad ipsum recta contendere, deinde sub mensam dilabi. Perculsus & obstupefactus, ubi demum sese collegit, famulum inclamat, qui erat in anteriori cubiculo, jubet adferri lumen & investigari canem, cum autem nusquam adpareret, ne in vicino quidem conclavi, gravem suscepit cogitationem & in morbum incidit. Moribundus etiam subinde suis adclamasse fertur: ut canem, qui lectum conscenderet, arcerent.„ Monachus quidam Monasterienſis, cum in suggestu contra evangelii doctrinam vehementissime inveheretur, subito fulminis ictu occisus fuit, ut Pantaleon adnotavit. *Heinricus Smithaeus*, qui evangelii professionem Lovanii in Brabantia abjuravit, domum rediens se ipsum cum agno Dei collo adpenso suspendit. Foxus in martyr. pag. 2105. Anno 1556. *Jacobus Latomus*, hæreticæ pravitatis inquisitor Christique fidelium persecutor immanissimus in horrendam desperationem incidit. Nam cum ex ambitione contra conscientiam veritatem evangelii atrociter impugnasset, corpore vegeto & sano subita trepidatione & terroribus ita perculsus est, ut quos ex amicis noverat doctissimos, ad se adcerseret, suamque impietatem in extrema constitutus desperatione ultro fateretur: *Grave est*, inquiens, *peccatum meum, qui prudens sciensque in verbo Dei persequendo & opprimendo aliis meam locavi operam. Quare adversus Spiritum sanctum peccavi, nec ulla vel in hac vita, vel in æternum peccati mei condonatio mihi speranda est, sed diaboli & corpore & anima æternum sum mancipium, adeoque jam in regnum ejus incorporatus: quinimo haud porro Latomum ut hominem intuemini, sed ut ipsum diabolum, & si aperirentur vobis oculi, manus pedesque meos tetribus unguibus deformes & formidabiles deprehenderetis.* Per hæc ejus verba, qui aderant, viri docti supra modum territi sunt, inter quos quidam doctor theologiæ, amicus ejus intimus, consolari eum cœpit & docere: *nullum peccatum grave adeo esse, quin per Dei misericordiam condonetur;* ad quæ respondit Latomus, *sibi non ignotas esse plurimas ex sacris literis depromtas sententias, quae praeclarae admodum sint & consolationis plenissimae, sed deesse sibi fidem & fiduciam in Deum. Et ne vobis dubium sit, certa esse, quae de mea damnatione locutus sum, videbitis quod lecto jam adfixus moriar. Sim autem vobis exemplo, eaque de causa vos adcersi jussi, ut per me moniti respiscatis & in persequendis fidelibus finem faciatis.* Hæc & plura

cum

cum dixisset, inter horrendos mugitus mortuus est, atque oris ejus totiusque corporis adparuit fœditas, ut omnibus esset terrori. (*) Jobus Fincelius de miraculis sui temporis, & ex eo Wolffius cent. XVI. memorab. p. 667. Anno 1558. 31. Martii exseruit se nemesis divina in *Episcopo Labacensi*, accerrimo evangelicorum persecutore, Donaverdæ de paucis gradibus in templi egressu delapso & cervicem hoc casu frangente. Anno eodem 1558. Uno atque eodem die eademque ægritudine, nimirum quartana, elati fuerunt *Maria*, *regina Angliae*, *& Reginaldus Polus*, *cardinalis*, pontificis legatus, persecutores doctrinæ evangelicæ acerrimi, referente Vergerio dial. I. contra Osium f. 165. Anno 1560. *cancellarius Galliae*, *Oliverius*, in miserabili desperatione mortuus est, cum præcipue super exusto Annæburgio doleret, is inter alias desperationis voces has jactabat: *O cardinalis Lotharingiae, tu in causa es, ut omnes in aeternum damnemur.* Referunt Heinricus Petri & Beuterus. Anno 1565. *Joachimus a Neuhausen*, Bohemiæ cancellarius, hostis ecclesiarum, quæ a pontifice Romano sejunctæ puriorem doctrinam profitebantur, acerrimus, dum Danubii pontem Viennæ transit rupto pontis jugo cum cisio & equis delapsus in Danubio submersus est. (**) Refert Chytræus in chronico. Andreas Hondorpius in speculo historiali talem commemorat historiam: *Bernburgi* ante aliquot annos bonarum literarum fuit studiosus, qui ex abbatis cujusdam promotione canonicatum in cathedrali ecclesia Magdeburgensi adeptus est, hic cum otium & tranquillitatem propter annuos reditus sibi polliceretur, & Babylonicæ meretricis signaculo gauderet, subito in extremas deductus est angustias. Nam cum aliquando equo vectus Magdeburgo egressus esset, iis diabolici spectri dementatus est præstigiis, ut se corpore & anima a satana jamjam abreptum iri crederet, quod & factum esset, nisi ex Christi salvatoris dicto: *Sic Deus dilexit mundum, &c.* consolatione arrepta se ipsum confortasset, eo enim dicto tanquam sacro scuto tunc temporis satanam a se abegit, sed relicto fœtore pessimo, qualis adustarum est vestium. Mœstus itaque & animo turbidus domum revertitur, ubi cum mensæ adsideret fratrem lateri adfixum habens; spectrum illud animo ejus obversatur, & in tantas eum denuo redigit angustias, ut flebilibus gemitibus testaretur, *se satanae & corpore & animo esse proprium*, in qua desperatione festino cursu in proximum puteum se præcipitat, sed ex divina gratia urnam in aquis pensilem adprehendens se sustentavit, illæsusque inde extractus est. Ab eo tempore consolando hominem hunc turbidum, gravibusque tentationibus oppressum admodum occupati fuerant ecclesiarum ejus loci ministri animarum curam sibi demandatam habentes. Sæpe enim numero accidit, ut concioni sacræ cum interesset, tanti subito eum opprimerent terrores, ut amentis instar in sacrarium se proripiens ex concionatoribus aliquem adcerseret, supplexque ab eo consolatione ex verbo Dei desumta se erigi peteret. Tanto ipsi canonicatus iste constitit, is mirabili Dei providentia in tentationibus conservatus mavult jam plebeius esse civis, dummodo salvam habeat conscientiam, quam magnificus & dives canonicus turpi conscientiæ labe adspersus. (***)

(*) Refert Selneccerus in orat. de initiis & progressu August. conf. p. 29. GERHARDUS.

(**) Valentinus Paceus, theologiæ licentiatus & concionator evangelii Lipsiæ ab evangelica sincera religione deficiens & in Sueviam profectus, Dillingæ sese cum pontificiis conjunxit, evangeliique doctrinam blasphemavit & virulenter irrisit. Cum autem Lauingam exspatiatus esset, & deinde domum Dillingam versus rediret, in itinere incidit in quem-



dam, qui venabulum per os Valentini adversum trajecit, eumque occidit, sic ergo apostata ille miserе periit anno 1558. Wigandus de apostas. Empsychovius in refut. causar. Braunii p. 443. Osiander cent. XVI. citatur infra pag. 1313. GERHARDUS

(***) *De Carolo V. Heinrico II. Francisco II.* Galliæ regibus evangelicæ doctrinæ persecutoribus hi conscripti exstant versus:

Con-

Memorabile cumprimis est, quod de *Henrici II.* obitu a Bucholzero, Chytræo, Nigrino & aliis chronologis refertur. Is maxima supplicionum crudelitate grassabatur in eos, qui pontificiis erroribus nuncium miserant, quin imo comminatus fuerat, *se ex Lutheranorum cineribus montem maximæ altitudinis & latitudinis confecturum, cui vix similis in Gallis exstaret.* Cum vero Parisiis anno 1559. nuptiæ regis Hispani celebrarentur, & in ludis equestribus dominum Mongomerium porrecta hasta ad certamen equestre invitaret, & invitum cogeret, Mongomerius cum rege concurrens hastam quidem eleganter super regis thoracem ferreum fregit, sed galea regis non satis clausa admisit tenuissima quædam fragmenta hastæ Mongomerianæ, quæ supra oculum regis per cranium in cerebrum penetrarunt, ex quo vulnere 10. Julii intra duodecimam & primam diei horam exspiravit, qua ipsa hora 10. Junii senatores Parisienses Lutheranissimi adcusatos Mongomerio captivandos & custodiendos mandaverat, cui postea in ludo equestri propria manu hastam, qua occisus fuit, in manus tradiderat. Hasenmullerus in historia jesuitarum cap. 11. pag. 425. & seqq. multa exempla apostatarum misere demortuorum adducit. (*) *Kabus*, degener ille parentis optimi filius, apostata turpissimus, cum vino obrutus Coloniæ ad castra exiret, a militibus occisus & sine sacramento mortuus est. *Casparus Franck*, Ingolstadii moriturus neminem ad se admittere voluit, dicens: *Ego multa feci & scripsi contra conscientiam, discedite a me omnes, jam sum in foro judicii, brevi vel condemnabor, quod metuo, vel salvabor, cujus tamen nullam persuasionis rationem in corde meo sentio*, sicque solus misere exspiravit. (**) Anno 1583. Landspergæ frater quidam jesuitarum, *Johannes* nomine, qui veritatem evangelii aguitam reliquerat, & jesuiticum ordinem ingressus erat, miserabiliter plane vitam cum morte commutavit, nullam enim consolationem admittere voluit, quod Hasenmullerus se vidisse & audivisse scribit: *Adferebant* (inquit) *jesuitae ad ipsum agnos orbiculares, rosaria, grana, imagines, lignëas cruces, signa benedicta, hostiam*

*Consiliis Christum oppugnans & fraudibus ingens*
*Regum ille terror, Carolus,*
*Ipsis ridiculus pueris, furiosus & excors,*
*Totus repente corruit.*
*Tuque Henrice malis dum consultoribus utens,*
*Sitis piorum sanguinem;*
*Ipse tuo vecors inopina cæde peremtus,*
*Terram imbuisti sanguine.*
*Henrici deinceps sectans vestigia Patris,*
*Franciscus infelix puer,*
*Clamantem Christum surda dum negligit aure,*
*Aure putrefacta corruit.*
*Versuti, fatui, surdi hæc spectacula reges,*
*Vos sapere vel mori jubent.*

Potuisset autem hoc carmen longius contexi ad *Carolum IX. Henricum III. Henricum IV* quorum luctuosi exitus omnibus noti sunt. GERHARDUS.

(*) Idem Hasenmullerus in hist. jesuit. p. 427. refert, *se audivisse ex jesuita Turriano, Ignatii Lojolæ comitem adsiduum ipsumque ad aram missæ fuisse dæmonem, a quo etiam sæpe ita fuerit agitatus, ut in magna copia frigidissimum mortis sudorem effuderit, & postquam cum tremore obierit, mortuum nigerrimo vultu conspectum esse. Cum anno 1554. corpus ejus ad templum ab Alexandro Farnesio exstructum transferre vellent jesuitae, ossa cadaveris non sunt inventa, fingentibus ipsis, ea per angelos forsan esse translata, quales angeli fuerint, ipsi viderint. Nihil dicam, quam felices sortiantur exitus ipsi Esuitae, qui quo modo moriantur, vel ubi sepeliantur, vix vicina domus novit, ad quos ægrotantes novitios & extraneos non admittunt, nam mira forsan viderent & audirent.* GERHARDUS.

(**) *Stephanus Agricola*, olim pastor Helbarensis, pagi in comitatu Mansfeldensi, a religione evangelica deficiens primo cum Sidonio Michaele, Mersburgensi episcopo, in religione consensit, postea vero ad papistas velut sublatis signis manifeste se Dillingam contulit, inde progressus Romam usque ad ipsam antichristi sedem, ibi palam evangelicam veritatem, quam antea professus fuerat, abnegando, absolutionem consecutus est. Postea spe potiundi dignitatibus & reditibus papisticis in mari Adriatico in Germaniam rediturus navigans, conscientia apostatici facinoris tantopere torquetur, ut cruciatus cordis finire cupiens, in mare se præcipitem daret. Wigandus de apostas. Emplychovius contra Braunium decan. Colon. p. 444. GERHARDUS.

*ſtiam conſecratam &c. promittebant preces, miſſas, ſuffragia: hortabantur illum, ut confideret fratrum & ſanctorum meritis, verum fruſtra inania fundebant verba, ille enim viciſſim dicebat: removete hæc omnia, nam propterea, quod his credidi, jam damnabor.* Dicebam ego ipſi: *Crede in Jeſum Chriſtum;* reſpondit miſer, *in hunc credidi, ſed turpiter illum abnegavi, mihi ex Jeſu factus eſt damnator, non poſſum ſalutem conſequi.* Et Petro Hiſpano dixit: *quæſo aut me interficias, aut da mihi cultrum, ut me ipſum transfodiam, nam totus flammis infernalibus ardeo.* Quæ audientes jeſuitæ ob oculos illi ponebant crucis ſignum & herbas benedictas corpori admovebant; ille vero ait, *removete iſta, quibus oleum igni additis, nihil præterquam dæmones meam animam unguibus apertis exſpectantes video, illis jam ſum traditus, nam Deum & verba ejus abnegavi,* ſicque miſer in deſperatione obiit. Noctu paratum ipſi eſt ſepulchrum. Cumque mane ſacriſtanus aquam benedictam, priusquam corpus humaretur, foveæ infundere vellet, niger canis de ea proſiliit, quo viſo frater ſacriſtanus aufugit territus, reliquis nuncians ſe dæmonem vidiſſe &c. Hæc & plura illius generis ibidem commemorat Haſenmullerus. Talia quamplurima commemorat Foxus in martyr. Eat nunc Bellarminus & ex infelici exitu de eccleſiæ veritate judicandum eſſe diſputet.

## SECTIO XV.

## DE NOTA ECCLESIAE DECIMA QVINTA, QVAM BELLARMINVS ADSIGNAT, QVAE EST FELICITAS TEMPORALIS.

*An temporalis felicitas ſit nota eccleſiæ?*

§. CCLXXXXIX. Membrum *primum.* Sitne felicitas temporalis genuina & propria eccleſiæ nota? Negamus: I.) Scriptura teſtatur manifeſtis dictis, & hiſtoriæ illud comprobant plurimis exemplis, veram eccleſiam in hac vita ſæpius fuiſſe cruci ſubjectam. Audiatur querela eccleſiæ Iſraeliticæ: Pſal. CXXIX. 1. *Sæpe adflixerunt me a juventute mea, dicat nunc Iſrael,* v. 2. *ſæpe adflixerunt me a juventute mea, ſed non potuerunt mihi.* Cogitentur exſilia patriarcharum, ſervitus Iſraelitarum in Ægypto, commoratio per quadraginta annos in deſerto, abductio in captivitatem Babylonicam &c. (*) De eccleſia nov. teſt. prædixit Chriſtus Joh. XVI. 20. *Amen, amen, dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini* v. 33. *In mundo preſſuram habebitis.* Act. XIV. 22. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* 2. Tim. III. 12. *Omnes, qui pie vivere volunt in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.* Apoc. XII. 13. *Draco magnus, cum projectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem.* (eccleſiæ typum) v. 15. *Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam, tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine.*

(De-

(*) Cum Abrahamus in terra Canaan veram Dei notitiam docere & eccleſias plantare cœpiſſet, fames ibidem exoritur, Gen. XII. 10. Elia concionante, oritur annonæ caritas, non autem prophetæ ſed impii regis & Baaliticæ cohortis culpa 1. Reg. XVII. XVIII. XIX. Arnobius circa annum Chriſti 300. hoc gentilium commentum, quod doctrinæ imputari conſueverint temporum mala, octo libris repreſſit, Paulus etiam Oroſius, presbyter Hiſpanus, Auguſtini & Hieronymi σύγχρονος, libris VII. Sodomitæ habitabant in loco fertiliſſimo & pulcerrimo. Quinque reguli orientales non idcirco erant Dei populus, quod victoria potirentur. Gen. XIV. Cum populus Iſraeliticus a Babyloniis vinceretur inque captivitatem abduceretur, dicebant Moabitæ & Edomitæ Ezech. XXV. 8. *Ecce ſicut omnes gentes domus Juda,* id eſt, Deus non magis curat populum Judaicum, quam gentes alias, ſi eſſent populus Dei, victoriam ab hoſtibus reportarent, nec in bello ſuperarentur. Idem Moabiticum & Edomiticum ſive Eſauiticum judicium eſt Bellarmini. GERHARDVS.

(Denotantur persecutionum fluctus, quibus vera ecclesia sæpius est subjecta.) II.) Contra vero scriptura dictis & historiæ comprobant exemplis, ecclesiam malignantium, adeoque veræ ecclesiæ hostes, felicitate temporali exsultasse. Job. XXI. 7. *Quare impii vivunt, senescunt confortati divitiis?* v. 8. *Semen eorum permanet coram eis.* v. 9. *Domus eorum sunt pacatæ a timore, & non est virga Dei super illos* v. 13. *Ducunt in bonis dies suos &c.* Psal. LXXIII. 5. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur.* v. 12. *Ecce illi impii felices sunt in seculo, obtinuerunt divitias &c.* Jerem. XII. 1. *Justus quidem tu es Domine, si contendam tecum, veruntamen justa loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prævaricantur & inique agunt.* v. 2. *Plantasti eos, ac radicem miserunt, proficiunt & faciunt fructum.* Similem querelam contexit Habacuc I. 3. Quoties Philistæi, Ammonitæ, Midianitæ, Assyrii &c. victoriam ab Israelitis reportarunt? Quam graves contra christianos persecutiones primis tribus post Christum natum seculis ab imperatoribus Romanis sunt motæ? Quoties Gothi, Vandali, Hunni imperium Romanum ad christianismum perductum divexarunt? Quid hodie Turca hostis christiani nominis agit? nonne ebrius est victoriis a christiano populo reportatis? Dan. XI. 36. de antichristo prædictum, *elevabitur & magnificabitur adversus omnem Deum & dirigetur.* Ergo successus temporalis felicitatis antichristianæ ecclesiæ potius convenit. Absit igitur, ut ex felicitate temporali, divitiis scilicet, victoriis, splendore externo &c. de religionis & ecclesiæ veritate judicium velimus ferre; maneat potius firmum fixum effatum regis sapientissimi, quod ex successu externo non possit de Dei gratia vel odio certi quidpiam statui, Eccles. IX. 1. *Nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit,* in quem locum sic commentatur Hugo de S. Victore: *In ecclesia nescit homo aut amorem aut odium, quia beneficia temporalia indifferenter eveniunt bonis & malis, hæc indistinctio obtenebrat mentes hominum de providentia Dei.* III.) Intueamur Christum ecclesiæ caput, quali fortuna in mundo sit usus. Tota ipsius vita nihil aliud fuit in hoc mundo quam continua calamitatum tela; *non habuit, ubi reclinaret caput,* Matth. VIII. 20. per multas easque gravissimas *passiones in gloriam suam intravit.* Luc. XXIV. 26. Quare cum ecclesia sit corpus Christi mysticum, huic capiti suo eam oportet per tribulationes & persecutiones *conformari,* Rom. VIII. 29. neque enim *discipulus est supra magistrum, nec servus supra dominum* Matth. X. 24. Luc. VI. 40. Joh. XIII. 16. XV. 20. &c. Quod si igitur ex felicitate vel infelicitate temporali de ecclesia faciendum esset judicium, dicendum potius infelicitatem externam, quam felicitatem veræ ecclesiæ in hoc mundo adhærere. IV.) Sed nec felicitas nec infelicitas temporalis est ecclesiæ propria ac perpetua. Comparatur ecclesia in scripturis naviculæ; Matth. VIII. 23. Luc. VIII. 22. uti ergo navicula per mare interdum placide & secunda aura fertur; ita quoque ecclesia prospero rerum cursu ac successu quandoque utitur. Sed ut facile contingit, surgentibus ventis & intumescentibus fluctibus, navim periclitari: sic persecutiones & adversitates contra ecclesiam facile oriri possunt. V.) Eodem argumento a felicitate temporali ducto idololatriam suam ecclesia Israelitica propugnabat. Jerem. XXXXIV. 16. *Responderunt Jeremiæ omnes Judæi, qui habitabant in terra Ægypti: sermonem, quem locutus es nobis in nomine Domini, non audiemus ex te;* v. 17. *sed facientes faciemus omne verbum, quod egreditur de ore nostro, ut thymiama adoleamus Melecheth cæli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & patres nostri in urbibus Juda & in plateis Jerusalem, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus.* v. 18. *Ex eo autem tempore, quo cessavimus sacrificare reginæ cæli & libare ei libamina, indiguimus omnibus, & gladio & fame consumti sumus.* Eodem plane armorum genere ethnici

ethnici contra christianos pugnantes idololatriam suam defenderunt. Symmachus in epist. XXX. apud Ambrosium disputat, *permanendum esse in veteri religione Romanorum, quod illorum respublica amplissima & florentissima fuit, quamdiu Jovem & Apollinem coluerunt.* Augustinus lib. I. de civit. Dei cap. 30. *Pagani adflicti rebus adversis querebantur de christianis, & Romanæ reipublicæ cladem in religionem nostram referebant, quia diis suis sacrificare prohiberentur.* Lib. II. de civit. Dei cap. 3. memorat vulgatum olim fuisse apud ethnicos proverbium: *Pluvia defecit causa christiani nominis*, in quæ verba sic commentatur Ludovicus Vives: *Significat ita, dictum illud fuisse ab impiis hominibus jactatum, ut quidquid mali accideret, imputandum esse christianis judicarent.* Tertullianus: *Prætexentes sane ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi christianos esse causam; si Tiberis adscendit in mœnia, si Nilus non adscendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim christianus ad leonem adclamatur.* Cyprianus contra Demetr.: *Sed enim cum dicas plurimos conqueri, quod bella crebrius surgant, quod lues, quod fames sæviant, quod imbres, quod pluvias serena longa suspendant, nobis imputari, ultra tacere non oportet.* Hæc ibi Vives. Idem Augustinus lib. V. de civit. Dei cap. 22. commemoratis quibusdam diuturnis veterum Romanorum bellis subjungit: *Hæc ideo commemoro, quoniam multi prætereritarum rerum ignari, quidam etiam dissimulatores suæ scientiæ, si temporibus christianis aliquod bellum paulo diuturnius trahi vident, illico in nostram religionem protervissime insiliunt, exclamantes, quod si illa non esset, & vetere ritu numina colerentur, jam Romana illa virtute, quæ adjuvante Marte & Bellona tanta celeriter bella confecit, id quoque celerrime finiretur.* Eodem argumento utitur Turca in Alcorano, unde dicit, *gladium sibi divinitus contra christianos esse traditum.* Est igitur argumentum illud, quo Bellarminus utitur, plane ethnicum, Turcicum & Epicuræum, imo diabolus splendore regnorum mundanorum ad idololatriam Christum pellicere conatus fuit. Matth. IV. 8. Luc. IV. 6. VI.) Patres a felicitate temporali ad ecclesiæ veritatem argumentum duci posse negant. Justinus in quæst. & resp. ad orthod. quæst. CXXVI. pag. 368. quærit: *quomodo græcismus & paganismus non probetur esse sanctior christiana religione, quandoquidem quamdiu in urbe ille obtinuit, omnis ibi & in agris eorum prosperitas & rerum abundantia viguerit, idque cum illæ crebro bellis premerentur; ex quo autem in eis christiana invaluit professio, domibus & civibus & reliqua copiarum ubertate sunt destitutæ, & quia vix reliquias, quæ a Græcis olim exstructa sunt, ædificiorum retinentes, quod aliquando urbes fuerint, ostendunt?* Respondet autem hoc modo: *Ex ubertate & prolixo proventu frugum, domorumque ut urbium & agrorum solitudine de sanctitate eorum, qui aliis præstant, conjecturam capere non licet, Domino Deo ex utilitate mortalium res hujusmodi præbente atque auferente; sed sanctitas eorum, qui aliis sunt præstantiores, ex bonis, quæ animi destinatione ab eis perficiuntur, operibus dijudicatur. Enim vero ut homines dæmonibus in sacris hostiae offerrentur, & ut, qui Deo convenit, inanimis exhiberetur honor, Graecis rerum potientibus est factum. Christianis autem invalescentibus nefaria hujusmodi Graecorum sive paganorum sacra sunt prohibita. Ex talibus ergo rebus tanquam quibusdam notis christianorum sanctitatem dignoscere oportet, & non ex frugum adfluentia & aedificiis, non ex urbibus & agris.* Augustinus in epist. CXX. ad Honorat. *Beneficentissima providentia omnipotens Deus terrenam felicitatem concessit & impiis, ne pro magno quaereretur a bonis.* Lib. I. de civ. Dei cap. 8. *Placuit divinae providentiae, praeparare inposterum bona justis, quibus non fruentur injusti, & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia bona & mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius adpetantur,*

*quae mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque adficiuntur.* (*) Idem lib. II. de civit. Dei cap. 23. *Non magni pendamus terrenam felicitatem, quae malis etiam plerumque conceditur, nec eam rursus quasi malam arbitremur, cum etiam in ea multos pios ac bonos unius Dei cultores praepolluisse videamus.* Libr. XVIII. de civit. Dei cap. 54. circa finem: *Ambae civitates* (terrena & cœlestis) *temporalibus vel bonis pariter utuntur, vel malis pariter adfliguntur, diversa fide, diversa spe, diverso amore, donec ultimo judicio separentur, & percipiat unaquaeque suum finem, cujus nullus est finis.* Lib. de utilit. cred. cap. 1. hæreticum eum arbitratur, *qui alicujus temporalis commodi & maxime gloriae principatusque sui causa falsas opiniones sequitur.* Arnobius lib. II. adv. gent. pag. 120. *Nihil est nobis promissum ad hanc vitam, nec in carunculae folliculo constitutis opis aliquid sponsum est auxiliique decretum, quin imo edocti sumus, minas omnes quaecunque sunt parvi ducere atque aestimare fortunae.* Contra autem veræ ecclesiæ conditionem sic describunt, quod persecutionibus ac pressuris variis sit subjecta. Tertullianus eam comparat *silvae caeduae, quae amputata altior exit;* quod Prudentius sic expressit:

*Perdere nos frustra, Consul Romane, laboras;*
*Nam velut in silvis decisa repullulat arbor,*
*Et multi ex una veniunt radice nepotes:*
*Sic nostrorum uno centum de funere surgunt.*

Idem Tertullianus: *Plures efficimur, quoties metimur a vobis, semen est sanguis christianorum.* Et paulo ante: *Exquisitior quaeque crudelitas vestra illecebra est magis sectae &c.* Hieronymus adverf. error. Joh. Hierosolym. ad Theophil. tom. III. fol. 85. *Fundendo sanguinem & patiendo magis quam faciendo contumelias Christi ab initio semper fundata ecclesia, crevit persecutionibus, martyriis coronata est.* Chrysostomus homil. XXV. in 1. Cor. crucem & persecutiones dicit *esse characteres evangelii.* Idem super dictum Genes. III. *Inimicitias ponam;* tom. I. col. 553. scribit, *ecclesiam in confessoribus vicisse, in martyribus triumphatricem exstitisse.* Vigilius lib. I. adverf. Eutych. in princ. *Nihil novum, nihil peregrinum ecclesiae fortitudo experitur, talibus pene ab universis haereticis quaestionum turbinibus agitata triumphum de contrariis & immobilitatem sortita est de adversis.* VII.) Accedat ipsorum adversariorum confessio. Cap. *Si ecclesia* 23. quæst. 3. ex Augustino: *Si ecclesia vera est, ipsa est, quae persecutionem patitur, non quae facit. Quaeratur ab apostolo, quam ecclesiam significabat Sara, quando persecutionem faciebat ancilla?* Anglo Rhemenses in adnotat. suis in V. Matth. *Facit Deus solem suum oriri super justos & injustos; unde facile perspicimus, hominum aut nationum prosperos successus nullum signum aut testimonium esse verioris aut purioris religionis.* Claudius Espencæus in 2. Tim. pag. 103. *crucem esse notam ecclesiae* scribit. Et pag. 100. *Praedixit Christus labores, pseudo-Christi prospera.* Ribera comment. in XI. Hebr. *Oportet ut credatur Deum esse remuneratorem omnium fidelium praestantiori ratione; quam qua in hac vita eos remunerat, quia saepe etiam sine remuneratione sancti ex hac vita discedunt, ut Abel a fratre interfectus.* Acosta de temp. novissi. lib. I. cap. 14. *Bella quamvis, ex quo homines esse caeperint, nulla non aetas viderit, tamen post tempora christiana maxime orbem terrarum infestarunt, ut coactus sit Augustinus, calumniis respondere eorum, qui istas calamitates legi christianae tribuebant, & revera regnorum conturbationes haeresium furori successerunt, cum tamen nihil accidit, quod non fuerit praedictum.* Nicol. Crassus in antipraeneſi ad Baronium Patavii anno 1606. edita: *Scimus, Josiam regem Deo carissimum fuisse, qui tamen misere periit in eo calamitosissimo praelio, quod intempestive commisit cum*

(*) Idem lib. de agone Christ. cap. 12. p. 320. *Ecclesia catholica per totum orbem longe lateque diffusa impetus hostium frangens magis magisque roborata est non resistendo, sed perferendo.* GERHARDVS.

*eum Nechaone Ægyptio rege, qui arma non inferebat ipsi, sed Assyriis. Ex nostris etiam Ludovicus rex, cujus egregia pietas omnium vocibus celebratur, christianae religionis propagandae studio bis adversa fortuna cum Saracenis congressus fuit. Nam primo praelio fusus fugatusque est & insuper captus: altero pestilentiae vi magnam exercitus partem & vitam amisit.* Et postea: *Plerumque iis, quos Deus acceptissimos habet, & praecipuo quodam benevolentiae genere complectitur, res ex voto minime succedunt, imo adversa infestaque videntur omnia, ut ex iis, quae hominibus in hac vita evenire solent, qualiacunque sint, constare nullo modo possit, actiones susceptae ab iis, justaene an iniquae sint &c.* Quinimo Bellarminus se ipsum audiat, sic enim scribit lib. IV. de eccles. cap. 6. §. Jam vero: *Ut aquae diluvii arcam Noae adtollebant, ita persecutiones ecclesiam non modo non destruunt, sed etiam illustrant.* (Atqui si persecutiones illustrant ecclesiam, quomodo temporalis felicitas poterit esse ecclesiæ nota? Confer eumdem Bellarminum lib. IV. de eccles. cap. 2. §. Quarta nota) Pergit Bellarminus: *Itaque Justinus in Tryphone dicit, persecutionem id esse ecclesiae, quod est vineis putatio, ut enim vinea putatione ad ubertatem provocatur, ita quoque ecclesia persecutionibus crescit. Et Tertullianus cap. ult. apologet. sanguinem martyrum eleganter semen christianorum vocat &c.* Atqui si ecclesia persecutionibus crescit, persecutiones potius quam temporalis felicitas ipsi convenient.

*Argumenta Bellarmini pro temporali felicitate.*

§. CCC. Videamus, quomodo Bellarminus hoc loco probet, felicitatem temporalem divinitus illis collatam, qui ecclesiam defenderunt, esse ecclesiæ notam. *Numqam* (inquit) *catholici principes ex animo Deo adhaeserunt, quin facilime de hostibus triumpharent.* Ad quam thesin probandam adducit *victorias Abrahae, Mosis, Josuae, Gedeonis, Samuelis, Davidis, Ezechiae, Josiae, Maccabaeorum in vet. test. prosperitatem & victorias Constantini, Theodosii senioris, Honorii, Theodosii junioris, Justiniani senioris, Heraclii, Godofredi Bouillonaei &c. ex ecclesiastica Historia nov. test.* & addit, *imperatores orientis ab eo tempore, quo propter dissidium circa imagines se ab ecclesia Romana separaverunt, semper indies deterius se habuisse, donec tandem imperium penitus amiserunt. In occidente vero imperatores semper magis vel minus floruisse, ut magis vel minus Romanae ecclesiae addicti fuerunt.* Resp. 1.) Nemo nostrum negat, Deum piis & catholicis regibus sæpius præclaras victorias & magnam prosperitatem concessisse, sed ex eo non potest inferri, quod felicitas temporalis sit genuina & propria ecclesiæ nota, siquidem victoriæ & prosperitates illæ non sunt vel catholicæ ecclesiæ vel catholicis regibus perpetuæ. 2.) Adducit quidem Bellarminus aliquot exempla piorum regum, qui glorioſos ab hostibus suis triumphos retulerunt, sed inde non potest inferri generalis conclusio, quod omnes pii & catholici reges semper triumphaverint, multo minus inde inferri potest, quod illi, qui non triumphant, non sint catholici reges. 3.) Ostendunt hoc ipsa illa exempla, quæ Bellarminus adducit. *Jacobus*, Abrahæ nepos, quot adversis fuit exercitus, & tamen familia ejus fuit vera Dei ecclesia. Tempore *Mosis* ecclesia Israelitarum pressa fuit in servitute Ægyptiaca, post eductionem per quadraginta annos vagatur in deserto. Josuæ VII. 3. incolæ urbis Hai in prælio contra *Israelitas* evadunt superiores, non quod religio ipsorum melior, sed quia Israelitæ juxta præscriptum veræ religionis non vixerant. Tempore judicum *pugnabant Philistaei contra Israelem, & caesus est Israel, & facta est plaga magna nimis, & ceciderunt ex Israel triginta millia peditum & arca Dei capta est.* 1. Sam. IV. 10. cum paulo prius ante adlatam Dei arcam quatuor millia in pugna contra Philistæos desiderassent v. 2. Assyrii & Babylonii prævaluerunt in prælio contra Israelitas. *Josias* rex pientissimus contra Pharaonem Necho pugnans occisus est in Megiddo. 2. Reg. XXIII. Tem-

pore *Maccabaeorum* adverso Marte quandoque pugnarunt Israelitæ. 1. Maccab. IX. 2. De Alexandro magno Justinus & alii referunt, quod quocunque profectus fuerit, victoriam secum comitem habuerit. Bello sacro sive expeditioni ad recuperandam Hierosolymam speciosum prætextum obduxit papa, pollicitus multorum annorum indulgentias, qui ad illud bellum se conferrent, sed qua fortuna fuit gestum? Omne robur christiani militis eo deductum, ibique fractum fuit. In ipso templo Hierosolymitano tantum cruoris humani effusum, ut equi usque ad genua starent in sanguine humano. Ad Ascalonem uno prælio cæsa sunt centum millia &c. Tandem etiam Palæstinam imperatoribus orientalibus Saraceni anno 1187. eripuerunt anno 88. ex quo regnum Hierosolymitanum penes christianos esse cœperat. Ab illo tempore quot victorias Turcæ a christianis reportarunt? 4.) Accidit quandoque ut duo reges in ecclesia catholica pugnent, num vero is, qui vincitur, propterea fidem catholicam amittit? 5.) Diminutio imperii orientalis pontifici Romano accepta ferenda est. Illius namque fraudibus divulsio imperii orientalis & occidentalis facta, unde porro contigit, ut Græci ab imperatoribus occidentalibus deserti, ac hostibus suis copiarum viribus impares tandem a Turcis superarentur. 6.) Quorsum vero evasit imperium occidentale a Romano pontifice constitutum & juxta Bellarminum in lib. de transl. imp. a Leone III. in Carolum magnum translatum? hodie vix magni nominis umbra superest, sic enim Bossius de ruinis gent. adv. impios politic. lib. VII. cap. 3. *Imperatoris potestas nunc adeo est extenuata, viresque omnium Germanorum adeo attritae, ut ad desperationem videantur adductae.* Bellarminus ipse lib. II. de Rom. pont. cap. 2. §. prædicit: *Romanum imperium jam fere deletum esse cernimus.* 7.) Imperatores Latinos semper magis minusve floruisse, ut magis vel minus Romanæ ecclesiæ addicti fuerint, cum veritate historica non congruit. Henricus IV. fuit in summo apud pontificem Romanum odio, idem tamen multas reportavit victorias. Pontifex illum anathematizabat, & creabat alium imperatorem, Rudolphum Suevorum regem, missa ad eum corona imperatoria cum hac inscriptione:

*Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.*

sed ille in nullo prælio felix tandem ab Henrico in bello victus est. Postea secundum imperatorem creavit pontifex, qui a fœmina occisus; mortuo secundo creavit tertium, qui, in *molendina* captus, ab imperatore occisus, tandem papa ipse de sede sua deturbatus & in carcerem conjectus est.

*De felicitate ecclesiae Romanae.*

§. CCCI. Membrum *secundum.* An prospero rerum successu semper fuerint usi ecclesiæ Romanæ defensores? *Catholici* (scribit hoc loco Bellarminus) *in Helvetia, Germania, Gallia & Belgio multas victorias reportarunt ab haereticis. Carolus V. miraculo divino victoriam retulit de Lutheranis*, anno 1547. Stanislaus Hosius in scripto contra Vergerium sic rhetoricatur: *Carolus V. imperator habuit ante paucos annos perexiguas copias, fuit totius fere imperii praesidiis destitutus. Protestantes vero exercitum & numero lectissimorum militum & omnibus rebus bello necessariis instructissimum contra caesarem collegerant. Sedit autem tunc Deus pro tribunali & quasi lata sententia pronunciavit, Carolum V. imperatorem suae doctrinae propugnatorem esse, & victoriam incruentam illi concessit.* Resp. 1.) Cur prætermittere voluit Angliam? Sixtus V. pontifex Romanus anno 1588. Elizabetham Angliæ reginam anathematis fulmine percussit, regio titulo & omni autoritate exuit, omnes ejus subditos a juramento & obedientia absolvit, regnum Angliæ donavit Hispano. Is classem potentissimam diversis in locis totum ferme triennium instruit, quæ constabat navibus militaribus grandibus 150. militibus veteranis selectissimis 20000. nautis 10000. tormentis 2650. pyrio pulvere, globis, annona ac reliquis necessariis ad sex menses erat instructissima,

in

in navibus erant altaria, celebrabantur missæ, aderat magna multitudo monachorum, quæ convertere debebat Anglos ad fidem pontificiam. In maxima navi picta erat imago d. virginis Mariæ, additis hisce verbis: *Vindica causam filii tui.* Hieronymus Vida ἐπινίκιον ante victoriam canens adclamabat:

*Tu quae Romanas voluisti spernere leges,*
*Hispano discas subdere colla jugo!*

Sed quid fit? Cum vix e conspectu Hispaniæ in mare perveniisset classis, adversis rejecta fuit ventis. Rex intelligens classem nondum adfectam esse insigni clade, denuo eam exire jussit, & Belgicam quamdam classem adjecit. Antequam vero hæ classes conjungerentur, Franciscus Dracus, eques Anglus, Hispanicam classem a tergo cœpit insequi & oppugnare utens minoribus navigiis utpote agilioribus, cum Hispanicæ essent magnæ, & ad celerem motionem non satis idoneæ. Postmodum octo naves vetustas pice, sulphure, & aliis ejusmodi rebus complens, illas incensas commisit vento vehementi, qui a tergo Hispanicam classem adspirabat, quæ creberrimis incursionibus & conflictibus labefactata, pugna navali victa & profligata fuit, exercitu Hispanorum numerosissimo fuso & fugato, triremibus multis captis, dissipatis aut submersis plurimis belli ducibus captis & præda ingenti in reginæ potestatem redacta. 2.) Cur prætermittit *bella pontificum* adversus imperatores Romanos & alios dynastas infeliciter sæpius gesta? Secretarius Pauli IV. act. 2. an decreta concilii Trident. armis imperanda? pag. 72. *Eugenius IV. contra Bohemos utpote schismaticos pugnaturus cruciatam indixit, sed infauste atque infeliciter, nam in illo bello periere fere omnes crucesignati, schismatici vero victores evaserunt.* 3) In præliis *Helveticis* & *Gallicis* Mars fuit ἀλλοπρόσαλλος. In *Scotia* protestantes sæpe fuerunt superiores. De *Belgii* subjectione non habet quod magnopere glorietur Hispanus. (*) 4.) *Bellum Smalcaldicum* pacatiorem habuit exitum quam papa speraverat, unde Mendoza coram cæsaris legato conquestus est, *accidisse pontifici id, quod est apud Esaiam: Cum exspectassem ut ederet uvas, edidit labruscas.* Henricus Merckelius, Magdeburgensis, secretarius in relatione de obsidione urbis liter. F. ij. refert, se ex ore Lazari Schwendii Viennæ Austriacorum audivisse, quod imperator Carolus paulo post istud bellum Oeniponte dixerit, *se nullam apud catholicos & pontificem praesertim iniisse gratiam, quod non jussisset electori captivo caput praecidi, & omnia per Germaniam munita loca destrui ac dissipari.* Sleidanus libro XIX. comment. pag. 577. commemorat, die 24. Aprilis, quo elector Johannes Fridericus captus fuit, & aliquot post diebus solis adspectum valde fuisse tristem, obscurum, pallidum & velut caligine quadam circumdatum, ita quidem, ut plerique a Saxonia longissime remoti, & ignari, quid ageretur, judicarent magni aliquid portendi, nec enim in Germania solum, sed per Galliam etiam & Britanniam id fuit observatum, & ita rem habere multa hominum millia testificari possunt. Merckelius in relat. dicta lit. D. ij. *Pius ille princeps turbido cælo a suis abreptus, sereno & lucidissimo cælo ad suos est reversus.* Quid Misenæ canonicis ob captivitatem electoris psallentibus ac jubilantibus contigerit, commemoratum fuit superius. Quali fortuna post istud bellum Carolus V. fuerit usus, ex eo adparet, quod Thomas Stybarus in hist. relat. de vita Joh. Friderici & Henr. Merckelius in relat. de obsidione Magdeb. referunt, *ipsum saepenumero doluisse & pœnituisse, quod se instigari & exacerbari adversus laudatissimum electorem passus fuerit. Nam cum imperialem magistratum abdicasset, & fratri suo Ferdinando regi administrationem ejus commisisset, in Hispaniam concessit, & in regia sua juxta monasterium quoddam vitam con-*

(*) Jesuita Conzen de pace German. lib. I. cap. 24. p. 340. anno 1557. *victo ad s. Quintinum Francisco rege Galliarum Calviniani insolescentes &*

*regis adverso praelio elati aliquid adgrediendum rati &c.* GERHARDUS.

*consumsit, ibi tunc omnes res suas gestas, quarum viginti aut plures fuisse referunt in mappis depingi, easque in monasterio parietibus circuitus adfigi curavit. In istum circuitum monasterii illius saepe se deportari jussit, ibidemque coram mappis dictis sedit secum ipse recolens, quid in expeditionibus, obsessionibus, aciebus & alibi acciderit, quos duces belli, quos centuriones & equitum magistros habuerit, qua usus sit fortuna, quibus successibus & infortuniis. Ubi devenit ad eas mappas, in quibus Smalcaldense bellum & captivitas electoris Saxonici depicta erant, ingemiscens ac suspirans dixit: Hunc si reliquissem, qualis fuerat, manssissem & ego, qualis eram.* Posset etiam levi brachio Bellarminus admoneri, qualis exitus bellum Smalcaldicum tandem secutus sit, sed haec nota sunt ex historiis.

*An ecclesiae evangelicae destituantur omni felicitate?*

§. CCCII. Membrum *tertium.* An ecclesiae evangelicae felicitas temporalis sit conjuncta? Quemadmodum diabolus in tentationibus Christi ostentationem regnorum terrenorum ac pollicitationem amplissimae potentiae ad extremum reservavit, ut si ceteris non proficeret, hac tamen Christum superaret: ita quoque temporalis felicitas, quam postremo loco Bellarminus producit, in multorum cordibus est prima ac praecipua causa impellens ad defectionem ab ecclesia evangelica ad papatum, externus enim ille splendor & promissio dignitatum, honorum, divitiarum, &c. multorum oculos perstringunt, ut malint pinguibus praebendis frui, quam cum Christo esurire. Pontificiis certe nihil magis in ore, quam quod ministris ecclesiarum nostrarum paupertatem, contemtum & mundi odia objiciant, sed Mosis exemplum secuti *opprobrium Christi majores aestimemus divitias, quam omnes Ægypti thesauros.* Hebr. XI. 26. Nec tamen omni felicitate temporali confessores evangelii destituti fuerunt hactenus. Praeterquam enim pluribus aliis beneficiis corporalibus immensa benignitate Deus nos cumulavit, quanti illud quaeso aestimandum, quod pacem & tranquillitatem contra tot molitiones adversariorum Germaniae, patriae nostrae dilectissimae, concessit hactenus, regionibus ac regnis vicinis perpetuo ferme bello ardentibus. Eam uti porro nobis conservet, toto pectore precamur, ut hac ratione sub alis magistratus nostri pacate protecti *quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate*, 1. Tim. II. 2. ad gloriam divini nominis & animarum nostrarum salutem sempiternam.

## CAPUT XII.

## DE CAUSA FINALI ECCLESIAE.

§. CCCIII. Postquam de causa efficiente, materiali ac formali ecclesiae latissime fuit dictum hactenus, restat ut de causa *finali* ecclesiae brevissimis agamus. Deus ex immensa bonitate ex perdito genere humano ecclesiam sibi colligit fine eo, ut habeat populum aliquem peculiarem, a quo in hac & aeterna vita recte agnoscatur, colatur & glorificetur. Esa. LXI. 3. *Vocabuntur in ea arbores justitiae, plantatio Domini, ut glorificetur.* Eph. I. 11. *In Christo sumus sorte vocati;* (ἐκληρώθημεν in sortem sive hæreditatem Domini, hoc est, in ecclesiam vocati.) v. 12. *ut simus in laudem gloriae ejus.* 1. Pet. II. 9. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in adquisitionem, ut virtutes adnuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Finis igitur vocationis ad ecclesiam, adeoque conservationis ac propagationis ecclesiae, in hoc mundo geminus est. *Subordinatus*, hominum scilicet ex tenebris ad lucem conversio, ex

ex ſtatu iræ in ſtatum gratiæ translatio, & vitæ æternæ hæreditatio; ac *principalis*, Dei ſcilicet glorificatio. Nimirum ut oſtenderet Deus incomprehenſibiles gratiæ ſuæ divitias, noluit genus humanum æterni exitii vinculis, quibus protoplaſti & ſe & poſteros ſponte involverant, manere conſtrictum, ideo Filium ſuum mundo redemtorem miſit, & beneficia ejus per prædicationem evangelii hominibus offert, per quam vocat eos in gratiæ regnum & eccleſiæ conſortium. Huic vocationi ſanctæ ſi qui virtute Spiritus ſancti obſequuntur, illos transfert in regnum gratiæ, in quo ipſum recte agnoſcant, in ſanctitate & juſtitia ipſi ſerviant, & debita obſequia eidem præſtent, ac poſt hanc vitam transfert eos, ſi ſcilicet in vera fide & cultu perſeverent, in regnum gloriæ, in quo angelorum cœtui conſociati æterna laudum præconia ipſi cantent.

## CAPUT XIII.

## DE VSV HVJVS LOCI.

*Usus hujus loci.*

§. CCCIV. Agendum hoc loco eſſet de autoritate eccleſiæ, quæ primarium eſt ipſius adjunctum, & quidem primo abſolute, deinde comparate, reſpectu ſcilicet ſcripturarum ſacrarum, an eccleſiæ, an ſcripturæ major ſit autoritas? Sed quia quæſtiones illæ non poſſunt brevibus explicari, & vero jam ante hic tractatus excreverit, ideo in alium locum harum quæſtionum ἐπίλυσιν rejicimus. Coronidis vice de *uſu* hujus articuli quædam ſubjungemus, qui in ſequentibus potiſſimum conſiſtere videtur membris: 1.) Ut veram eccleſiam a ſatanæ ſynagoga diſcernentes ad illius conſortium unice adſpiremus, nihil optabilius ducentes, quam ut ſimus cives ac domeſtici Dei in hac civitate & domo Dei ſancta. Ad eccleſiæ vero triumphantis palatium non patet aditus niſi per militantis eccleſiæ προαύλιον ſive veſtibulum, nec Deum in cœlis habet Patrem, qui eccleſiam in terris non habet matrem. 2.) Ut debitas Deo agamus gratias, quod *vocaverit nos vocatione ſancta*, 2. Tim. I. 9. & eccleſiæ ſuæ cives nos fecerit, ut nobis quoque illud elogium competat: Hebr. XII. 22. *Acceſſiſtis ad montem Sion, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cæleſtem & multorum millium angelorum frequentiam*, v. 23. *& eccleſiam primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis & judicem omnium Deum & ſpiritus juſtorum perfectorum.* 3.) Ut inter eccleſiæ cives adſcripti vitam ſanctam & vocatione noſtra dignam agamus, ne velut putrida & mortua membra ex hoc myſtico Chriſti corpore abſcindamur. 4.) Ut concordiam in eccleſia, quæ eſt *Dei domus*, 1. Tim. III. 15. fideliter alamus, nec turbemus eam contentionibus non neceſſariis: 1. Cor. I. 10. *Obſecro vos, fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut id ipſum dicatis omnes, & non ſint inter vos ſchiſmata.* 5.) Ut piis & honeſtis conſtitutionibus, quæ in eccleſia ferumtur, reverenter nos ſubmittamus, nec intempeſtivo chriſtianæ libertatis uſu ſcandalum concitemus &c. 6.) Ut promiſſiones de eccleſiæ conſervatione firma fide amplexi petamus in ejus conſortio ad finem uſque vitæ conſervari ut partem habeamus ſortis ſanctorum in lumine. Col. I. 12.

§. CCCV.

*Definitio ecclesiae.*

§. CCCV. *Definitio* ecclesiæ ex superioribus potest constitui talis: Ecclesia est cœtus hominum per prædicationem verbi & administrationem sacramentorum ex mundo ad regnum Dei vocatorum & congregatorum, in quo cœtu sunt electi juxta prænotionem Patris, vere scilicet ac perseveranter in Christum credentes, quibus mixti sunt non sancti, sed tamen eamdem doctrinam profitentes. Deus Pater, qui per Filium nos redemit, & per Spiritum sanctum ad ecclesiæ consortium nos vocavit, conservet nos in hoc regno gratiæ usque ad finem vitæ nostræ, ac tandem ad regnum cœlestis gloriæ transferat! Amen!

* * *

Antequam loco de *ecclesia*, quem copiose hactenus pertractavit GERHARDVS, supplementa quædam subiungamus, præmittemus nonnulla, quæ ad argumentum *de sacra cœna*, olim jam notis nostris illustratum, propius spectant. Exhibebimus nempe lectoribus nostris

*Vindicias observationum nostrarum ad locum* GENES. XIV. 18, 19. Ecclesiæ Romanæ doctoribus oppositarum.

Constat nimirum, cœtus Romani doctores, quando dogma de *sacrificio Missatico* e sanctioribus litteris comprobare adnituntur, in *facto Melchisedeci*, quod Genes. XIV. recensetur, præcipuum quoddam causæ suæ præsidium quærere; unde & illud in *supplementis* tomi X. hujus operis *p. 455. seqq.* paucis excussimus.

Prodiit vero contra hanc tractationis nostræ particulam in universitate Friburgo-Brisgoica, auctore FRANC. FERDIN. WILLIO, *Presbytero, SS. theologiae Baccalaureo, SS. Can. & Ling. OO. Candidato*, pro suprema theologiæ laurea *dissertatio*, quæ inscriptionem gerit: *Christus Dominus sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* In hac dissertatione cum institutis hinc inde quæstionibus lacessat nos auctor eruditus, cumque nobis eamdem data opera insinuandam curauerit, a respondendo abstinere calamum eo minus licet, quo magis ipse in silentio quærere indicium amat causæ desperatæ. Uberius igitur heic loci ac fusius disputabimus, quæ antea strictim duntaxat attigimus, & aperiemus, ubicunque sollicitata fuit, nostram sententiam. Ita vero rem expediemus, ut sensim integra adversarii commentatio lectoribus nostris innotescat.

Arg. §. I. *Quod illustri illo vaticinio Ps. CIX. (CX.) 4: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, munus sacerdotale Redemptoris nostri denotetur, constantem esse unanimemque omnium christianorum adsertionem, ac diserte doceri, iterateque inculcari ab apostolo, Hebr. VII.*

Arg. §. II. *Ad quaestionem autem, quare Christus sit nuncupandus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, adfirmare Catholicos, oblatum a Melchisedeco fuisse panis & vini sacrificium; atque contendere, in eo sacrificandi ritu Christum Melchisedeco similem esse; at vero Acatholicos, in aliis omnibus eam Christum inter & Melchisedecum similitudinem collocatam esse, velle.*

Ita quidem res est. Nos non conferimus ritus externos, sed ad apostoli exemplum *Hebr. VII.* tum rationes Melchisedeci ac Christi personales, tum principales sacerdotii

tii partes, verbum ac beneficia: de collatione vero rituum quod dicatur, nihil reperire est apud Davidem, nihil apud apostolum. Quo igitur jure adversarius in sola externi cujusdam ritus collatione, in oblatione panis & vini subsistit? ritus, inquam, quem Apostolus, similitudinem inter Melchisedecum & Christum diligentissime persecutus, ne verbulo quidem dignatur? Quo jure, quaeso, negligit omnia, de quibus differit apostolus, mysteria; &, quod iste perspicacissimus praesentis rei inspector omisit, unum accipit? secus hoc modo agit Patrum amantissimus WILLIVS, ac AVGVSTINVS praecipit: *non opus est*, inquiens (1.) *mysteria promere, scripturae vobis intiment, quid est sacerdotium secundum ordinem Melchisedech.* Hac mente dixeramus (2.), *non procedendum esse ultra similitudines in s. scriptura fundatas* (3.) *quas non inepte eruat D.* TOVRNELY. Huic jam propositioni universali adversarius (*§. XIX. diss.*) addit propositionem minorem: *atqui similitudo Christum inter & Melchisedecum, quae quidem pertineat ad oblationem panis & vini, fundata est in s. scriptura, estque communibus Patrum suffragiis confirmata. Consequentiam* vero, quae est ipsius liberalitas, *nobis formandam relinquit.* Nos autem, cum per similitudines in scriptura fundatas intelligi velimus adplicationes scripturarias typi ad antitypum; minorem istam propositionem negamus ac pernegamus: neque enim *Hebr. VII.* neque alibi quidquam de similitudine, quae sita sit in oblatione panis & vini, occurrit. Haec comparatio foetus est ingenii Patristici, scriptura haud consulta luxuriantis. Patrum vero allegoriae, seu interpretationes, sine scripturae testimonio, articulis fidei condendis non sunt idoneae.

Deinde ex concessis *argumentatur* adversarius: *si D.* TOURNELY *non inepte eruit similitudines Christum inter & Melchisedecum in s. scriptura fundatas, vicimus ipso judicante adversario.* *Nam D.* TOURNELY *praeprimis adfirmat, solideque probat, similitudinem inter Christum & Melchisedecum in s. scriptura fundatam collocari debere in sacrificio eucharistico, quod in pane & vino obfertur.* Ast sermo nobis fuit de similitudinibus ex *Hebr. VII.* a Tournelio erutis (4.), ratione nominis, officii, originis, durationis: similitudinem vero, quae quidem ad sacrificium panis & vini pertineat, inferri a Tournelio, non erui, oculis dijudicari potest.

Quoniam nosmet apostolum constanter compellavimus arbitrum in omnem hanc disputationem, adversarius (§. *XXIII. & XXV. diss.*) *perstringendum* sibi sumit *id omne, quod ex Hebr. VII.* hauseramus: ita quidem, ut *neget scopum Pauli fuisse, explicare, qua in re Melchisedecus fuerit Christi typus;* ut pronunciet, circumstantias de Melchisedeco ex *v. 1. & 3.* a nobis adductas *ferri extra oleas, & esse ad id, quod quaeritur, alio declinandum arbitrarie conflictas*; ut *scopum totamque apostoli tractationem in demonstranda praerogativa sacerdotii Christi prae sacerdotio Aaronitico* ponat, & inde concludat, *minime ad rem fuisse, oblationem panis & vini commemorare. Enimvero* tum ex particula causali, ab initio *v. 1.*, tum ex clausula *v. 3.* manifestum est, voluisse Paulum adferre rationem, cur *v. ultimo cap. antec. VI.* Christum dixerit esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Legat modo Apostolum adversarius, & deseret suum *Martinum* WOVTERS, & admirabundus videbit, quomodo ille sacerdotem Melchisedecum cum Christo sacerdote conferat, non obi-

(1.) in *enarratione in Ps. CX.*

(2.) *cit. suppl. p. 455. §. XXI.*

(3.) GERHARDVS *noster hanc regulam sic exprimit*: figurae nulla vis est in demonstrandis fidei articulis, nisi aliquo perspicuo & manifesto scripturae dicto ejus adplicatio monstretur, *eandemque probatam dat ex ipsis scriptoribus pontificiis, confess. cathol. lib. II. art. I. cap. 3. th. 4.*

(4.) *quas expresse indicavimus, p. 455. not. 68.*

obiter, sed data opera, ex singulis historiæ Melchisedecianæ circumstantiis significationes typicas evolvens, ac, quis & qualis sit ordo Melchisedecianus, diligentissime declarans. Quo pacto sibi viam demum parat, demonstrandi *v. 4. seqq.* quod Christi sacerdotium præferri multis modis debeat sacerdotio Aaronitico. Ad institutum itaque apostoli, qui alias multus est in describenda oblatione ac sacerdotio Christi, quam maxime pertinuisset, exponere, si quod fuisset, sacrificium panis & vini, in quo tota vis sacerdotii Melchisedeci & Christi inclusa esse perhibetur, & constituenda omnino foret, si uterque panem & vinum obtulisset. Negligere ergo panis vinique oblationem non est nisi substitere intra oleas ab apostolo circumseptas; extendere vero typum ad panem & vinum, quorum ne semel quidem mentio iniicitur, id demum fertur extra oleas. Sed *argumentatur* (§. XXV) adversarius: *quodsi sacerdos offerre debeat, & sacerdos diversi ordinis diversum servare debeat offerendi ritum; sequitur, peculiarem fuisse sacrificandi ritum, per quem sacerdotium Melchisedeci a sacerdotio Aaronitico distingueretur.* Nos *respondemus*: non esse, quod supponatur, Melchisedeci sacrificium fuisse peculiare & distinctum a sacrificio Aaronis, cum Melchisedecus a sacerdotibus Leviticis distinguatur in aliis rebus, in quibus Christo peculiariter præluserit. Scriptura certe nusquam nominat sacrificium secundum ordinem sive Aaron sive Melchisedech, sed sacerdotium. Nec ratione sacrificii Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Ratio nobis videtur aperta, quia non nominatur sacrificium. Invictum est, quod ex silentio apostoli Crellivs (5.) deducit, ratiocinium: „*aut apostolus id, quod praecipuum erat, in tam adcurata comparatione omisit, aut Melchisedecum vel Christum vel utrumque panem & vinum Deo obtulisse, somnium est. — Melchisedecum Deo obtulisse, praeter verbum, refutat etiam locus & tempus, quo id factum fuisse narratur. Neque enim ut sacra in via peragamus, aliis occurrere solemus. Christus etiam nunquam legitur panem & vinum Deo obtulisse, sed tantum ritum sacrum instituisse, in quo panis comedatur & vinum ex poculo bibatur: non ad oblationem aliquam peragendam, sed ad memoriam Christi corporis pro nobis dati, & sanguinis effusi, celebrandam*„ (6.) Solide, licet verbis paulo asperioribus, rem hanc omnem conficit Beza: (7.) „*sit ergo*, inquiens, *haec allegoria, quod ad oblationem adtinet, una ex iis, quas Patres per se excogitarunt, quibus tamen missaticum illud sacrilegium nunquam in mentem venit. Sed omnem plane impudentiam ii superant, quos non pudet ad vicariam suam ac repetitam oblationem stabiliendam id ipsum usurpare, quod Spiritus sanctus hoc in loco idcirco citavit, ut una, semel facta, & nunquam ulla ratione iteranda, aeterni & viventis Pontificis unici oblatione, omnes electos in aeternum perfecte sanctificatos doceret. Ad haec accedit altera impudentia, quod non Melchisedecum sed panem & vinum volunt Christi figuram esse, quem ipsum iterum crucifigant, aut semel crucifixum iterum obserant. Ita fiet, ut Melchisedecus non Christum, sed istos sacrilegos repraesentet. Quid amplius? nempe tertia haec impudentissima impietas accedit, quod de pane & vino non pudet hoc in loco eos garrire, apud quos tamen summa sit impietas, dicere panem & vinum ab ipsis Deo obferri. Vel igitur infigniter lapsus est Spiritus s., qui hoc praetermiserit, quod isti pro salutis suae fundamento accipiunt (quod absit,) vel potius (quod certum est) sese non modo infigniter impudentes, sed etiam plane indoctos juxta & impios in hoc argumento produnt..*„

*Aeternitatem*, quam propheta & apostolus Christo sacerdoti secundum ordinem Melchisedech vindicant, adligat Willivs, cum suis, perpetuitati obferendi in ecclesia panem & vinum, periodicamque illam intelligit, ac *per*

(5.) in *commentario in epist. ad Hebr.*
(6.) conf. *supplem. cit. p. 448. §. X.*
(7.) in *comment. ad Hebr. VII.*

*per longioris duntaxat temporis spatium* interpretatur, cum, *in patria cœlesti cessaturum esse sacrificium missae, ultro lubenterque concedat*, & vitæ æternæ, *remoto omni externo sacrificio, immolandum Deo laudis sacrificium* adsignet (§. *XXX. ult. diss.*) *Nos autem* ab apostolo edocti sumus, perpetuitatem sacerdotii Christi non pendere a repetitis obferendi actibus, definentibus tandem in consummatione sæculi, sed a virtute oblationis semel factæ, (8.) ac non ibi demum, sed jam in hac vita hostiam laudis obferendam a nobis esse semper Deo Patri per Christum filium. (9.) Præterea *quæstionem* nobis movet, *quo teste probemus, tempore antichristi missae sacrificium penitus interruptum iri?* Audiat BELLARMINVM, qui dicit, (10.) *propter atrocitatem persecutionis, tunc cessaturum publicum & quotidianum ecclesiae officium & sacrificium, juxta vaticinium Dan. XII. — Antichristum interdicturum esse sacrosanctum Eucharistiae sacrificium.* Quibus consentit *glossa ordin.* ad eundem locum Dan. *cum, ablato Dei cultu & desolato, antichristus abominabiliter exhibebit se adorandum.* (11.)

Arg. §. *III. Catholicos quidem sacrificium Melchisedeci strenue solideque vindicasse a quibuslibet adversantium telis: quoniam tamen hi non cessent obloqui, operae pretium fore, de sacerdotio Melchisedeci, qua typo Christi, dissertationem conscribere, ut, qui ampliora dogmatistarum catholicorum volumina legere nequeant, vel ex uno hoc argumento dimetiri valeant, quam iniquo marte cum ipsis dimicent acatholici.*

Arg. §. *IV. Redeundum esse ad Gen. XIV. 18. 19. ubi, quid Melchisedech hanc in rem gesserit, exponatur.* Hoc fine exprimit adversarius *textum Hebraeum*, hujusque *versionem graecam LXX. ac latinam editionis vulgatae.* Nos *plures* etiam translationes adponemus. *Chaldaica* ita habet: & Melchisedech rex Jerusalem *adduxit* panem & vinum: *& ipse erat minister* coram Deo excelso & benedixit ei. *Arabica:* & rex justitiæ rex Salem *protulit* cibum ac vinum, *& ipse erat* sacerdos potentis excelsi. *Germanica*, de anno 1460. *wenn auch Melchisedech der König Salem, der bracht Brod und Wein. Hieronymus: protulit* panem & vinum, *erat autem* sacerdos excelsi benedixitque illi. (12.) — Et Melchisedech rex Salem *protulit* panem & vinum: *& ipse* sacerdos Dei excelsi, & benedixit ei. (13.) *Xantes Pagninus*: porro Melchisedech rex Salem *protulit* panem & vinum: *& ipse cum esset* sacerdos Deo altissimo, possessori cœli & terræ, benedixit ei. *Benedictus Arias Montanus*: & Melchisedech rex Salem *eduxit* panem & vinum. *& ipse* sacerdos Deo altissimo, & benedixit ei. *Franc. Vatablus*: & Malchi-sedec rex Salem *protulit* panem & vinum: *& hic* sacerdos erat Dei altissimi, benedixitque ei.

Arg. §. *V. Audis, fuisse panem & vinum a Melchisedeco prolata. Quo fine? inquies. In promptu responsio est. Eo nempe potissimum, ut supremo Numini eucharisticum proferret sacrificium, quod hostibus fusis glorioſus e pugna redierit Abrahamus.*„ Plena festinationis dijudicatio. Lentius festinare PERERIO visum fuit. Is enim: (14.) *quorsum*, inquit, *Melchisedech panem & vinum protulerit*, utrum *ad cibatum & refectionem militum Abrae, qui tum ex praelio tum ex itinere, labore, siti fameque fatigati ac debilitati fuerint, an in usum sacrificii pro victoria Abrae peragendi, an potius ut reliquias jam peracti sacrificii cum Abram & sociis ejus communicaret; quorsum, inquam, protulerit panem & vinum, videtur obscurum & incer-*

(8.) conf. *supplem. cit. p. 450. §. XI. p. 457. not. 79.*
(9.) *Hebr. XIII. 15.*
(10.) *lib. III. de pont. Rom. cap. 7.*
(11.) consentientes Doctores Rom. plures vid. in *Gerhardi confess. cathol. p. 1213. & 1219.*
(12.) in *epist. ad Evagrium*, opp. edit. Basil. *T. IV. p. 17. A.*
(13.) in *libro hebraicarum quaest. super Genesin.*
(14.) in *comment. & disput. in Genesin, p. 710.*

*incertum facere varietas & diſcrepantia opinionum. — Hugo S. Victoris annotavit hoc loco, apud priſcos oblationem panis & vini, venientibus ex bello, benevolentiae & pacis fuiſſe ſymbolum. Nos*, ut generatim omnia complectamur, ex locis Deut. XXIII. 4. Jud. VIII. 5. 6. 15. II Sam. XVI. 1. 2. XVII. 27 — 29. adnotamus, moris fuiſſe, alimenta dare finitimis. Willio igitur nullum aliud *reſponſum* debemus, quam quod Caietanvs dedit: *nihil*, inquiens, *ſcribitur hic de ſacrificio ſeu oblatione, ſed de prolatione ſive extractione panis & vini, quam Joſephus dicit factam ad reficiendum victores.* Ne vero indigne ferat, obiectari ſemper ſuis Caietanvm, alii etiam ex ſcriptoribus Romano-Catholicis teſtes, a communi ſuorum ſententia hic non ſine cauſa recedentes, præſto ſint, apud Gerhardvm, (15.) & Dorscheivm: (16.) quibus nos adjungimus Hieronymvm ab Oleastro, ſcriptorem inter Tridentini concilii patres ſatis clarum, cujus in *Geneſin* opus *inquiſitionis* examen ſubiiſſe in titulo ſignificatur, in *literali expoſitione* hæc habentem: *videns* (Melchiſedech) *eum* (Abrahamum) *cum ſuis laſſum, ex ſua civitate protulit panem & vinum, quo bellatores reſumerent vires; nec non in expoſitione morali*, quaſi ex viſceribus expoſiti ad literam textus, hoc poriſma practicum repetentem: *occurrendum eſt laſſis cum victu. unde praecipit Dominus, non admittere Ammonitas & Moabitas in eccleſiam Domini, in decima etiam generatione, eo quod non occurrerunt Iſraelitis ex Ægypto venientibus, cum pane & aqua. Deut. XXIII.* Sit autem inſtar omnium gloſſa illa marginalis, quam *Biblia latina Pariſ. 1540.* verſioni vulgatæ in textu retentæ adiectam habent: *Melchiſedech cibat ipſum Abram: cui ipſe Abram dat decimas. Ebr. VII.* in indice repetitam, his verbis: *Melchiſedech victori Abrahae offert munera. Gen. XIV.* Milites nimirum Abrahami, in integrum reſtituto Melchiſedeco, regnoque univerſo inſigni felicitate ſedato, redierant e prælio, victoriam Melchiſedeco adnunciaturi: decuit igitur triumphali eos excipere epulo, & ad conteſtationem meritiſſimæ gratitudinis ea proferre, quæ majeſtatem ſimul & pium Melchiſedeci animum erga Abrahamum, nobilem bellatorem Dei & pene familiarem, oſtenderent. Quilibet ſ. ſcripturæ lectores, hujus quidem veritati non minus quam ſuis opinionibus addicti, ſunto in hanc rem arbitri; videre ſine ullo negotio poſſunt, hac interpretatione ſatis quod eſt fieri narratiunculæ Moſaicæ.

Vult autem Willivs, *euchariſticum* fuiſſe, quod ipſe a Melchiſedeco peractum putat, ſacrificium. Quid id ad ſacrificium miſſæ, *propitiatorium* ex mente Romanenſium? Notum quippe eſt diſcrimen inter ſacrificium propitiatorium & euchariſticum, adeo ut ab hoc ad illud, a ſacrificio pro victoria gratias reddente ad ſacrificium pro meritanda peccatorum remiſſione aliis adplicandum, haud procedat argumentatio. (17.)

Audiamus vero *ratiocinationem adverſarii*, qua explicationi ſuæ veri ſpeciem induere contendit. „*Ad quid enim*, ita pergit, *tam magni-*

(15.) in *confeſſ. cathol. p. 1211. th. 4.*

(16.) in *myſteria miſſae, p. 80. ſqq.*

(17.) Phil. Melanchthon *in enarratione in Pſalmum 110.* hæc habet: *gratiarum actio fidei opus erat, non pro aliis valens, ſed placebat in Melchiſedeco, tanquam in reconciliato propter fidem. Si hoc modo conferatur ad cœnam Domini, nil eſt incommodi. Certe in cœna Domini fit ſanctiſſima libatio, h. e. guſtato corpore ac ſanguine Domini agimus gratias pro tanta victoria, qua Chriſtus vicit peccatum & mortem, & nobis communicat ſuam victoriam, ac teſtatur, nos quoque liberatos eſſe a peccato & morte aeterna. Et haec gratiarum actio facienti prodeſt, non meretur aliis remiſſionem peccatorum, ſed eſt in vere credentibus viva & ardens conſolatio conſcientiae. Talis gratiarum actio vocari poteſt ſacrificium, non adplicandum pro aliis, ut mereatur iis remiſſionem peccatorum aut alia: ſed quia eſt opus placens in reconciliato, ſicut obedientia in adflictionibus, aut confeſſio, ſicut ſcriptura ſaepe loquitur de ſacrificio laudis.*

*magnifica verba: erat enim sacerdos Dei altissimi, si panem & vinum, quae protulit, Deo revera non obtulit?*„ *Respondeat* iterum HIERONYMVS AB OLEASTRO: *adverte*, inquiens, *quod, licet interpretes graeci & editio vulgata vertant*, erat enim Dei sacerdos, *quasi sequens sententia priori causam reddiderit, in Hebraeo tamen est*, & ipse sacerdos. WILLIVS heic loci, ac per totam dissertationem frequentissime, jam *supponit*, quod probandum prius erat, Hebr. *vehu, & erat*, redditum recte in vulgata esse, *erat enim*. Nos certe auctoritate versionis vulgatae, juxta quam ideo sacerdos fuisse Melchisedech videtur, ut panem & vinum proferret, pressos nos non patimur. Hebraeus enim textus, qui habet *vehu cohen*, ejusque versiones supra adlegatae omnes obstant, quo minus credamus, in hoc prolata panem & vinum esse, ut obferrentur. Ad hebraicam autem veritatem, si quis nodus in dubiis V. T. locis inciderit, confugiendum, aliasque praeter latinam versiones conferendas esse, quis negaverit? Probationem placiti sui suscipit WILLIVS (§. *XXVII. diss.*) „*hoc loco sumi debere* ו *&* בְּ *pro* nam *vel* enim, *patet primo ex eo, quod statim, ac facta est panis & vini mentio, subiungatur, quod fuerit sacerdos Dei altissimi.* Secundo: *quia sancti Patres consensione perpetua tradunt, obiatum a Melchisedeco fuisse panis & vini sacrificium.* Tertio: *si non ideo panem protulit Melchisedech, quia obtulit: quaero rursus, & urgeo, quid tandem, qua sacerdos, obtulerit?*„ Rationes, *alteram & tertiam*, suo quamque loco paulo altius discutiemus. Heic vero loci incidit, ad rationem *primam* examinandam, quaestio primaria, utrum antecedentibus an subsequentibus deputari debeat particula narrationis Mosaicae de sacerdotio Melchisedeci? Nobis sic videtur. Melchisedech & rex erat & sacerdos. Tres commemorantur ejus actiones: prolatio panis & vini, benedictio, decimarum susceptio. An omnes tres actiones habeamus pro sacerdotalibus? fuit autem non sacerdos solum, sed etiam rex. Adpellatio regis praemittitur, eique additur prolatio panis & vini; sequitur mentio de sacerdotio, ac commemorantur benedictio & decimarum acceptio. Hic autem bis ponitur a Mose copulativa ו, *& erat sacerdos, & benedixit.* Hoc pacto distribuitur tota sententia, & altera actio fit regis, altera sacerdotis, hoc sensu: cum rex esset, protulit panem & vinum, ut regio convivio victorem ejusque copias excipere; quia vero sacerdos etiam erat, ideo benedixit victori, eique ut Dei legatus, tanquam superior interiori *(Hebr. VII.)*, adeoque haud vulgari sanctorum mutuo bene precantium more, fausta precatus fuit. Regis erat, proferre & praebere commeatum; sacerdotis autem, impertire benedictionem, ac vicissim decimas praedae sumere. Eo ipso enim, quod benedictio & decimarum sumtio, per interiectam sacerdotii mentionem, distinguantur a prolatione panis & vini, eas alterius ordinis actiones fuisse, colligitur. Narrata quippe, qua Melchisedech regaliter victorem excepit, honoris exhibitione, ad narrandam porro benedictionem decimarumque acceptionem Moses praeparandum prius lectoris animum esse judicavit. Nisi enim praemonuisset, fuisse Melchisedecum Dei excelsi sacerdotem seu ministrum, a cultu falsorum Deorum alienum, animo lector pependisset, undenam regi ethnico cognitio Dei excelsi, ex qua tum benedictio Abrahae impertita, tum doxologia Deo adprime digna manabat, venerit? (18.)

Anticipavimus per hanc demonstrationem simul ea, quae ad §. *XXII.* & *XXVIII. diss.* dicenda erant. Ibi enim ad verba supplementi: *Melchisedech qua sacerdos impertitus est benedictionem*, regerit adversarius: „*num idcirco, panem & vinum non obtulit? quam absona illatio! minime inter se pugnant benedicere & offerre:*„ hic vero, *parum sua referre,*



(18.) hanc deductionem in *cit. suppl. p. 455. §. XXI.* strictim ita expressimus: *Melchisedech qua rex protulit panem & vinum, qua sacerdos autem impertitus est benedictionem.*

*ferre*, adfirmat, quidquid de Hebræorum *ſoph paſuq* ſtatuatur, ſed addit: „*exiſtimamus quippe, tam oblationem quam benedictionem fuiſſe actus ſacerdotii Melchiſedeciani. Illud duntaxat curandum ſedulo, ne in benedictione ſola adaequatum Melchiſedeci ſacerdotium conſtituatur.*„ At certa & clara ſunt quæ ſcriptura dicit, ſcilicet Melchiſedecum panem & vinum protuliſſe: hoc nitimur, nec diſputamus, quid poſſibile fuerit, ſed quid factum ſit, (19.) & ad quid apoſtolus attendere nos jubeat. Moſes immolationem non exprimit, ſed ita loquitur, ut verbum *benedixit* ab initio *v. 19.* tanquam effectus conjungi debeat cum ſuppoſito *ſacerdotis* in fine *v. 18.* tanquam cauſa. Paulus neque immolationem commemorat, neque materiam ſacrificandi, ſed ſolam benedictionem, atque ita quidem hiſtoriam Melchiſedeci recitat, (*Hebr. VII.*) ut *ſacerdotem eſſe cum benedictione* conjungat. Paulum ſequitur AMBROSIVS, (20.) loco *Gen. XIV.* ita reddito: *& Melchiſedech rex Salem protulit ipſi panes & vinum*, hanc adiiciens gloſſam: *Abraham triumpho humilior factus eſt, non ſuperbior. Sacrificium denique obtulit, decimas dedit: ideoque ei Melchiſedech benedixit: erat enim ſacerdos ſummi Dei.* Conſentit SVLPITIVS SEVERVS (*hiſtor. ſacr. lib. I.*) *Abraham - in fugam compulit, tum a Melchiſedeco* ſacerdote benedictus eſt, *eidemque decimas praedae dedit.* Conſentiunt conſtructiones verborum, quæ in *verſionibus* ſupra adlegatis obſervandæ veniunt. Accedit, quod tam *Verſio LXX.* quam *Patres*, HIERONYMVS, CYPRIANVS, EVSEBIVS, aliique hebr. *vehu* adverſative, reddentes *autem*, adeoque prolationem panis & vini a ſacerdotio diſiungentes, litem eodem, quo nos, modo dirimant.

Quid ſibi velit *adverſarius* (§. *XXII.*) temere adſereus: *utrumque* (benedicere & offerre) *a Melchiſedeco peractum eſſe, ſcriptura ſ. teſtatur*, profunde ignoramus, niſi conjectura conſequi liceat, ſumſiſſe illum vocem hebr. *cohen* participialiter, quaſi actu ſecundo ſacrificans fuerit Melchiſedech Deo altiſſimo. Quæ divinatio ſi ſalva ſit; apoſtolum interpretem excitamus, qui vocem illam nominaliter reddit (*Hebr. VII. 1.*) hoc ſenſu, Melchiſedecum fuiſſe ſacerdotem, licet tum temporis ſacra non fecerit actu. *Urget* porro (*eod. §. XXII.*) adverſarius hæc contra nos: „*neceſſe eſt, ut Melchiſedeci ſacerdotium diſtinguatur a ſacerdotio Aaronico: alias Chriſtus eodem jure ſacerdos adpellari poſſet ſecundum ordinem Aaron; quod repugnat apoſtolo. Sed ſi in benedictione duntaxat fundenda ſitum fuiſſet Melchiſedeci ſacerdotium; perſpicuo adparet, ſacerdotium Chriſti a ſacerdotio Aaronico non differre, eo quod ſacerdotes etiam Aaronici benedicere populo ſoliti fuerint.*„ Sed præter ea, quæ de comparatione Chriſti cum Melchiſedeco jam diximus, *reſpondemus.* (21.) Aaron legem literæ prædicabat, in tabulis ſcriptam lapideis, quæ iram operatur, & adminiſtratio mortis eſt, maledictionem igitur nunciabat, cum lex peccatores maledictos pronunciet. *Melchiſedech non legitur maledixiſſe* Abrahamo, *ſed tantum benedixiſſe* habenti promiſſiones: *& Chriſtus* ſpiritum nobis meruit, & legem ſpiritus vitæ ſcribit in tabulis cordium carneis, *gratiam & benedictionem* Patris nobis adnunciat, & confert, ipſe benedictus in ſæcula. In *decimatione* etiam non nihil eſt diſcriminis: quamvis enim Aaron juxta legem a populo decimas acceperit, decimatus eſt tamen & ipſe in Abraha, cum interim Melchiſedech non legatur decimatus, ſed tantum accepiſſe decimas ab Abrahamo, tanto patriarcha, totius gentis auctore; ut & benedictio ſingularis Melchiſedeci & decimationis privilegium cauſæ videri poſſint haudquaquam leves,

(19.) ſic jam URBANVS REGIVS reſpondit *ad Jo. Eccii II. libros, I. & III. de miſſa, p. 31.*

(20.) *lib. II. de Abraham.* opp. edit. Pariſ. 1586. *T. I. p. 273. ſq.*

(21.) *cum Urbano Regio, l. c.*

leves, cur Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech & non potius secundum ordinem Aaron esse dicatur.

Circa vocem *hebr.* מוציא, *gr.* ἐξήνεγκεν, *lat. proferens*, cui nos inhæsimus, (22.) adversarius suas etiam format *exceptiones* (§. *XX. diss.*) „*quid tum?* inquiens, *ergo non obtulit? absit. Vox illa hebr. gr. & lat. indifferens quidem est ad significandam productionem etiam non sacram: tribuitur tamen & sacrae adductioni hostiae, ut patet ex Jud. VI. 18. Quod autem hoc loco non de alia, quam de sacra & religiosa actione accipi debeat, constat tum ex ratione mox subiuncta; erat enim sacerdos; tum ex unanimi sanctorum Patrum interpretatione.* Sed neque locus *Jud. VI.* 18. neque rationes istæ quidquam probant. De *priore* ratione jam diximus; de *patribus* infra agemus. Gideo vero *Jud. VI.* expresse addit *munus meum*, nec significat actum sacrificandi, sed deductionem muneris ex loco, ubi adservatum erat. Quibus autem idoneis argumentis evincetur, Melchisedeci panem & vinum fuisse hostiam? Nos certe argumentationem ex sensu vocis complexo, (*Jud. VI.*) ad absolutum haud admittimus, quoniam innumeris locis aliis (23.) vox ista minime sacrificialis est, sed quibusuis rebus, quæ proferuntur, educuntur vel exportantur, adcommodatur, ac quoniam consensus omnium versionum atque historiarum veterum, nec non contextus narrationis Mosaicæ heic sensum ordinarium retineri jubet. Cui enim panis & vinum prolata sunt? ipsi certe Abrahamo. (24.)

Dixeramus, contra exceptionem Tournelii, oblationem panis & vini Melchisedeco privative tribuentis, *oblationem panis & vini non propriam & singularem fuisse Melchisedeco*, sed tale quid in *Aaroniticis* quoque sacrificiis deprehendi. (25.) *Adversarius noster* (§. *XXIV. diss.*) effugium quærit in eo, quod *in sacrificiis Aaronicis integra & principalis oblationis materia nunquam fuerit panis & vinum, sed ex praescripto legis panis conspersus oleo simul cum agno obferri debuerit; quod vero Melchisedech obtulerit panem purum ac vinum merum: ex quo tanto discrimine recte concludatur, sacrificium panis & vini proprium fuisse & peculiare soli Melchisedeco.* At *respond.* Moses neutrum dicit, neque Melchisedecum obtulisse panem & vinum, neque obtulisse panem purum ac vinum merum. In sacrificiis Aaroniticis sive fuerint panis & vinum integra ac principalis materia oblationis, sive minus; fuerunt tamen oblationis materia: adeo *ut de pane, tanquam peculari oblationis genere, praecepta exstent*; (26.) *ac sacrificium panis & vini instar omnis materiae sacrificandi ponatur.* (27.) Olei præterea infusio (28.) non obstat, quo minus fuerint panes: sicut Romanenses miscent aquam vino, & vinum tamen nominant. Denique agnus eodem jure dici posset non fuisse materia integra sacrificii, cum panis ac vinum jussu Dei debuerint addi. Quidquid igitur fit, id saltem conficitur, sola ratione panis & vini prolati vel oblati habita, Melchisedecum dici non posse singularem ac præcellentem figuram Christi, veri sacerdotis; *fallique* Arnobium, qui non vereatur dicere, *Melchisedecum solum in sacerdotibus obtulisse panem & vinum*, cum in sacerdotio legali idem esse factum legamus; tutum ergo haud esse, scripturis neglectis, semper & in omnibus Patres sequi.

Id etiam male *adversarium* nostrum habet,

(22.) *cit. suppl. p. 455. §. XXI.*
(23.) vid. e. g. *Gen. XIX. 13. Exod. XII. 51. II. Sam. XII. 30. Jerem. I.I. 10.*
(24.) conf. *quae infra ad §. VIII. & IX. ex Picherello adducimus.*
(25.) *cit. suppl. p. 455, not. 70.*

(26.) *Num. XXVIII. 2. 24.*
(27.) *Hos. IX. 4.*
(28.) *de vino mero (Exod. XXIX. 40. Num. XXVIII. 7. XV. 5. 10.)* controversiam motum iri, haud putem.

bet, quod per *panem & vinum intellectum* velimus *quemvis* cibum ac potum. „*Neque*, ita sentit (§. *XXI. diss.*) *tolerari ullo pacto potest, panis & vini nomine omnis generis cibum & potum significari. quis enim sanctus Pater unquam ita sensit?* Ast evoluat velim *Ling. OO. Candidatus* loca, ubi vox לֶחֶם vel omnia ad vitam sustentandam necessaria, vel lautum etiam victum significat: Gen. III. 19. XLIII. 24. (25.) coll. v. 15. (16.) v. 30, 31. (31, 32.) coll. v. 33. (34.) Jud. XIX. 19. I. Sam. XX. 27. II. Sam. IX. 7. II. Reg. VI. 22, 23. Ps. XLI. 10. CII. 5. CXLVII. 9. Prov. XXX. 25. Jes. III. 1, 7. &c. (29.) Addat porro loca, quoad vocem & rem *parallela*, supra (30.) a nobis recensita. Propria juxta etymologiam, & prima & frequentissima vocis לֶחֶם significatio est, ut denotet omnem cibum, omne quod comedi potest: circa factum Melchisedeci tantum abest, ut circumstantiæ textus secundariam solius pisti panis significationem exigant, ut potius majestate regis Melchisedeci & re ipsa dignum fuerit, non nudo pane pisto Abrahamum ejusque milites excipere, sed lautius tractare victores. Nomen autem *aquae* vel *vini*, additum aliquando voci לֶחֶם, ex analogia denotat quemlibet potum. *Instat* vero adversarius: „*si ita sacras literas licet interpretari, quid responderet mihi, si in ultima cœna nomine panis & vini omnis generis cibum & potum a Christo Domino benedictum, discipulisque distributum adsirmarem? En! quo deducant spiritus privatus, atque licentiosa sacras litteras exponendi libido.*„ Panicus terror est, quem hæc instantia excitat. Muniunt nos contra eum omnes circumstantiæ. Actio Christi circa symbola panis & vini suscepta demum est post cœnam: quo pacto panis & vinum jam satis contraponuntur dapibus antea illatis. Actio illa non ab uno duntaxat scriptore, non concise, sed a tribus evangelistis, iisdem fere verbis, cum omnibus rei rationibus, enarrata plene; repetita a Paulo; ad imitationem inculcata; retento eorundem symbolorum panis & vini usu, a primitiva ecclesia ad nos usque tradita; ita est comparata, ut sit in suo genere unica, & parallelismos haud admittat, qui actionem occurrentis victori exercitui regis Melchisedeci, quoad rem & verba illustrant, concisæque narratiunculæ sensum fundunt ampliorem.

Ulteriore autem *argumentatione* nos urget *adversarius*, (§. *diss. V.*) ita pergens: „*Et sane praecipuum sacerdotis munus est, offerre sacrificia. Hebr. V. 1. omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia. — — Jam vero, si panem & vinum Deo non obtulit Melchisedech; dicant, quod quidem ex adversariis perlubenter audire cuperem, quid tandem illud fuerit, in quo offerendo sacerdotis munere perfunctus fuerit Melchisedech. Quodsi ad scripturam s. quam quidem unam esse volunt omnium fidei controversiarum judicem, confugiant, causa cadunt. Nam si ab oblatione panis & vini recedunt, sacrificium aliquod aliud a Melchisedeco oblatum in divinis literis frustra quærent.*„ Ante omnia consideretur locus *Hebr. V. 1.* Omisit adversarius ultima versus verba: *pro peccatis.* Cur? sine dubio, quia subodoratus ipse fuit, non esse e re sua istam adpendicem, de *levitico* sacerdotio monentem; sacrificia pro peccatis obferenda nihil facere ad sacrificium, quod ipse Melchisedech deleget, eucharisticum. (31.) Ast quomodocunque se res habet, paulo longius prospiciat velim, ad versus mox subsequentes. Apostolus enim, optimus dictorum suorum interpres, ipse transit ad Christum (*v. 5.*) quem, sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech, (*v. 6.*) obtulisse ait (non panem & vinum, sed) preces ac supplicationes (*v. 7.*) Quid vero obtulerit Melchisedech, cum

(29.) dicitur etiam *de lacte* Prov. XXVII. 27. *de fructu arboris* Jerem. XI. 19. *de eo, quod igne consumitur* Lev. III. 11.

(30.) *ab initio hujus §. V.*

(31.) conf. *Apolog. Aug. confess. p. 262. seq.* edit. Rechenb. & *cit. suppl. p. 467. §. XXIII.*

cum nec Moſes doceat, nec alibi in ſ. ſcriptura, quæ tamen ſacerdotem illum fuiſſe ſæpius teſtatur, definiatur; nemo dixerit. Ac temerarium videtur, præter ſcripturam, ſolis fretum opinionibus, definire genus ſacrificii. Moſes nil habet de ſacrificio oblato a Melchiſedeco, & Paulus in ejusmodi ſacrificio non quærit typum oblationis a Chriſto factæ. Nullius valoris eſt, quod prætenditur: Melchiſedech fuit ſacerdos, ergo panem & vinum, quæ protulit, obtulit. Nec adparet quidem, Melchiſedeci ſacrificium peculiare ac genere diverſum fuiſſe a ſacrificiis aliorum ſacerdotum: vix enim ac ne vix quidem Apoſtolus, in epiſt. ad *Hebr.* de ſacrificiis eorumque differentia agens, conticuiſſet argumentum ſuo propoſito tam adcommodatum. Cum porro juxta *adverſarii* confeſſionem (*§. XXIII. diſſ.*) *victimae a ſacerdotibus Aaronicis oblatae fuerint longe praeſtantiores, quam eſt panis & vini quaedam oblatio;* cum juxta BELLARMINI ſententiam (32.) *tum nobilioris naturae ſint agnus & ſanguis, tum melius repraeſentent carnem ac ſanguinem Chriſti, quam panis & vinum:* nonne panis & vinum eſſent materia ad ſacrificandum indigna eo, qui major fuit Aarone, & cujus juxta taxin ſacerdos futurus erat Chriſtus; Chriſtus, inquam, qui ſanguine fuſo obtulit corpus ſuum?

Arg. §. *VI. Tam Hebraicae gentis magiſtros celebriores, qui olim floruerint, quam eccleſiae chriſtianae vetuſtos patres, & latinos & graecos, uno velut ore adfirmare a Melchiſedeco, dum reduci e praelio Abrahae obviam proceſſerit, oblatum in pane & vino fuiſſe verum ſacrificium.*

Arg. §. *VII.* Ex *judaeis*, qui, *quamquam non auctoritate, tempore tamen primatum ſibi merito vindicare* dicuntur, excitantur *Rabbi* SEMVEL BAR NACHMANN, *R.* MOSES HADARSAN, *R.* PIAHAS FILIVS JAIR, *R.* JOHAI. Quorum effatis tantum adverſarius ponderis tribuit, ut ſubjungat:„ *quorum Rabbinorum dicta ſi penſarent partis adverſae patroni, nullus ex ipſis hallucinaretur adeo, ut cum* FRID. COTTA, *theol Tubing. ſupplem. Gerhard. ad locum de ſ. Cœna §. I. & VI. aſſereret, miſſae ſacrificium ſequiorum demum ſaeculorum fœtum eſſe, illiusque prima ſtamina ad quartum duntaxat aerae chriſtianae ſaeculum referri oportere. Quod quam ſit alienum a veritate, vel ex unius R. Johai ſententia perſpicuum ſit: quippe qui & ante Chriſtum vixerat multis annis, &* ſacrificium panis & vini tempore Meſſiæ non ceſſaturum *apertiſſimis verbis pronuntiaverat.*„ Superſedemus labore cognoſcendi de privatis iſtis ſingulorum Rabbinorum placitis; nec, de canenda, in gratiam oraculi illius R. Johai, palinodia deductionis noſtræ hiſtoricæ, ſerio nos adpellare videtur adverſarius, cum ſtatim *§ ſeq. VIII.* dicat, *parum ſua intereſſe, quidquid ad gentis recutitae teſtimonia reponamus.* Audiat vero ex majoris nominis ſcriptoribus judaicis, ac, quoniam patrum auctoritate quam maxime delectatur, ex patribus etiam audiat, quænam fuerit hebræorum de facto Melchiſedeci opinio communis. FLAVII JOSEPHI teſtimonium (33.) hauriemus, ut una fidelia duos dealbemus parietes, ex ſuffragante illi *ſcholaſtica hiſtoria*, in cujus *cap. 46.* hæc leguntur: *at vero Melchiſedech rex Salem obtulit ei panem & vinum, quod quaſi exponens Joſephus ait: miniſtravit exercitui xenia, & multam abundantiam rerum opportunarum ſimul exhibuit, & ſuper epulas benedixit Deum, qui Abrahae ſubdiderat inimicos, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi.* Ignorat igitur, rerum judaicarum peritiſſimus, JOSEPHVS ſacrificium illud in pane & vino; at egregie tamen tradit, quid hominibus, quid Deo exhibuerit Melchiſedech: hominibus bellatoribus xenia dedit, Deo laudes & gratiarum actionem propter victoriam. Notatu non minus digna ſunt, quæ PHILO habet (34.) *cum* Mel-

(32.) *lib. I. de euchariſt. cap. 3.* acriter defenſam.

(33.) quod *lib. I. antiq. judaic. cap. XI.* exſtat.

(34.) in *libro de Abraham.*

Melchisedech *advenientem* (Abrahamum) *laetis gratulationibus accepisset, manusque ad cœlum tendens fausta illi precatus esset; mactatis victimis splendidum epulum sociis omnibus dedit.* (35.) Promisimus quoque de Patribus judaicæ sententiæ interpretibus. AMRROSIVS (36.) hæc habet: *tradunt Hebraei — nec esse novum, si Melchisedech victori Abraham obviam processerit, & in refectionem tam ipsius, quam pugnatorum ejus, panem vinumque protulerit, & benedixerit ei, cum abnepoti suo hoc jure paternitatis debuerit.*

Ad verbum consentit HIERONYMVS. (37.) Nosse, etiamsi fontes adire ipsos noluit, hæc tamen adversarius poterat vel ex *bibliis maximis* (38.) vel ex *Pererio.* (39.)

Arg. §. *VIII. & IX. Ineluctabilia plane esse Patrum testimonia.* Excitantur ex *graecis:* CLEMENS *Alexandrinus*, EVSEBIVS *Caesareensis*, JOANNES CHRYSOSTOMVS, CYRILVS *Alexandrinus*, THEODORETVS *Cyrensis*, ISIDORVS *Peluſiota*, JOANNES DAMASCENVS, OECVMENIVS; ex *Latinis* autem: Martyr CYPRIANVS, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, CAESARIVS *Arelatensis*, ARNOBIVS, CASSIODORVS; nec non Patres *Africani.* Actum ageremus, si *ad singula* Patrum horum *testimonia responderе* sigillatim vellemus. Otia nobis hac in re fecerunt *Jo. Georg* DORSCHEVS, (40.) *Jo.* CROCIVS (41.) *Georg* ZEAEMANNVS. (42.) Sufficiat igitur, dedisse quasdam observationes, ad rei disquisitionem facientes. WILLIVS, quod *primo* loco notamus, *pro sua interpretatione* jactitat quidem, ad nauseam usque, *communem, unanimem ac perpetuam patrum consensionem*: discat vero delectum, cujus merito habenda ratio fuisset, vel ex loco PERERII supra excitato, vel ex MALDONATO: „*sed tamen*, inquiente (43.) *de tempore, quo sacrificavit Melchisedech, duae sunt praecipuae Patrum sententiae. Quidam dicunt, ut* CLEMENS *Alexandrinus*, CHRYSOSTOMVS, AMBROSIVS (quibus deinde idem sentientes adjungit AVGVSTINVM, HIERONYMVM, THEODORETVM, PHOTIVM) *Melchisedecum non tunc sacrificasse, quando protulit Abrahamo panem & vinum, sed protulisse ei panem & vinum jam antea sacrificatum, qualem decebat sacerdotem Dei obferre. Alii autem doctores catholici dixerunt, Melchisedecum sacrificasse panem & vinum, quod protulit, cum benedixit Abraham*„. (44.) Quæ si pensitasset WILLIVS, aut haud pronunciasset tam festinanter, *eo fine prolata panem & vinum a Melchisedeco fuisse, ut supremo Numini proferretur sacrificium*, aut certe non omnes promiscue Patres in unum loculum conjecisset. (45.) Quod *deinde* ad excitata Patrum testimonia attinet, observan-

(35.) Vix crediderim, quemquam juste rem æstimantem in partes PERRII tractum iri, qui, ut *incruentum* Melchisedeci sacrificium vindicet, dicit: *Philo posuit speciem pro genere; illud igitur* mactatis victimis *non aliud significat, nisi* præmisso sacrificio, *vel* cum prius sacrificasset. Vid. ejus *comment. & disputt. in Genesin p. 710.*

(36.) in *comment. in epist. ad hebraeos*, opp. edit. Paris. 1586.

(37.) in *epist. ad Evagrium*, opp. edit. Basil. T. IV.

(38.) ad *Gen. XIV. p. 138. Estius: Hebraei haec prolata volunt, quibus recrearetur exercitus.*

(39.) *l. c. p. 718. eandem opinionem tribuit Hebraeis b. Hieronymus: tradunt, addit, Hebraeis, morem fuisse antiquitus, redeuntibus e bello, parta victoria, exire obviam cum pane & vino ad eos reficillandos.*

(40.) in *Mysaria Missae, disputationi liturgicae Jo. Georg. Herberi, Argentor. Jesuitae, opposita* 1644. ubi patrum plerique, quos pro sua opinione laudat Bellarminus, nobis solide vindicantur.

(41.) in *Antibecano.*

(42.) *gründliche offenbarung des uncatholischen bapstthumbs. T. II. p. 401. seqq.* ubi sub finem tractationis, tanquam grave onus exantlandum, relinquuntur verba *Lombardi lib. IV. dist. 24. lit. I.*) *Presbyteri accipiunt calicem cum vino, & patenam cum hostiis*, ut per hoc sciant, se accepisse potestatem, placabiles Deo hostias offerendi. *Hic ordo a filiis Aaron sumsit initium.*

(43.) in *praelectionibus ad Ps. CX.* comment. conjunctim Parisiis edit. *p. 802. seq.*

(44.) AMBROSIVS, nunc, *Abrahamum obtulisse sacrificium*, nunc, *Abrahamum per Melchisedecum hostias suas obtulisse*, statuit, neutro in loco materia sacrificii expressa, vid. *not. 20. & 63.* hæc esset tertia Patrum & quarta sententia.

(45.) rei expediendae paria haud sunt, quæ adversarius

uandum venit, quod *quaedam* patrum loca (46.) sola commatum translatione adulterentur; *alia* autem, quidquid dicant, in panis tamen oblatione dativum *Deo* non exprimant; *alia*, in quibus MELCHISEDECVS protulisse dicitur Abrahamo panem & vinum antea sacrificatum, innuant *sanctificatum*, (47.) qualiter apostolus omnem cibum & potum a fidelibus vult sanctificari, per devotas ad Deum pro cœlesti benedictione preces: quo pacto phrasis non ad sacrificium missæ, sed potius ad sacramentum s. cœnæ pertinet. (48) PICHERELLVS (quod notamus *tertio*) *Sorbonnista*, ingenuus veritatis confessor, singularem huic rei lucem adfundit, (49.) cujus solida responsa non dubitamus nostra facere. „*Scio*, ita ait, multos legisse & intellexisse, Melchisedecum Deo panem & vinum obtulisse; unde in Missæ latino canone legitur sacrificium Abrahæ, & quod Deo obtulit summus Dei sacerdos MELCHISEDECH. *Sed panem & vinum oblata non Deo, sed Abrahamo, habeo etiam ex Patribus vetustissimis.* Paulus MELCHISEDECVM ait Abrahamo revertenti a prælio occurrisse, & ei benedixisse, id est, si locum Hebr. VII. conferas cum *Genesi*, & ex duobus unum conficias, MELCHISEDECVM Abrahamo revertenti a prælio occurrisse, eundemque illum Salemi regem huic panem & vinum obtulisse (feratur hoc verbum paulisper, ut videamus, cui obtulisse dici possit MELCHISEDECVS, non legitur enim, *obtulit*, sed, *protulit*,) & eum ipsum Dei altissimi sacerdotem huic benedixisse. Obsecro, quis jam in Genesi possit esse dativus verbi OBTVLIT, nisi relativum *ei*, subauditum in Ebræo quidem, a græcis vero expressum, paulo post alteri verbo, benedixit, subiunctum? Quodsi Deo; relativum *ei* post expressum quem referet? Deumne? atqui Paulus vult referre Abraham, quem sequuntur CYPRIANVS & AVGVSTINVS. Quia in hunc Pauli locum incidimus, adnotabimus obiter, apostolum, ut sacerdotii similitudo ostendatur, Christum componere cum Melchisedeco, & quæ ad similitudinem faciunt, diligenter persequi; nec tamen panis & vini oblationis, nec ipsi quidem Abrahamo factæ, meminisse, ut videatur factum, quod in Genesi legitur expressum, dedita opera prætermissum & tacitum, tanquam similitudini nihil inserviens.„ Idem auctor (50.) MALDONATO sequentem in modum *respondet*: „De veteribus ecclesiæ Patribus respondeo, fateri me, veteres ecclesiæ doctores fere omnes ad sacerdotium Melchisedeci locum transtulisse, ut CYPRIANVM, ARNOBIVM, AMBROSIVM, HIERONYMVM, AVGVSTINVM (Cypriani similium) & reliquos pene omnes; *non ubique tamen*. Sed & ante eos non sic exposuere JVSTINVS *adversus Tryphonem*, Justinumque secutus & imitatus TERTVLLIANVS. Porro veterum expositio me non in magnam trahit admirationem, quos (bona eorum venia dictum volo,) ubicunque panis & vini in scripturis inveniebant mentionem, locum fere ad Eucharistiam detorsisse, & illa hujus typum fuisse, σὺν πολλῇ παῤῥησίᾳ scripsisse, est manifestum. — Hactenus nobis sacrosancta sit valeatque Patrum auctoritas, quatenus scripturæ verbis est consentanea: neque enim juxta Pythagoræ discipulos præjudicata doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est, ut *Minerio* & *Alexandro* loquitur *Hieronymus*.„ RIGALTIVS idem fert judicium: *valde*, inquiens, *indulserunt suo ingenio Patres, ubi-*



sarius habet §. XXI. „*me equidem non fugit, esse ex sanctis patribus Clementem Alex. qui velit, panem & vinum oblata fuisse Abrahae ejusque militibus. Verum idem S. D. testatur, panem & vinum ante oblata esse Deo, & sanctificata, quam Abrahami militibus traderentur. Quod causam nostram roborat.*„ Fuit enim haec sententia *non solius* Clementis; *nec dicit* Clemens, quod adversarius prætendit, panem & vinum *oblata ante esse Deo*; nec, si Clemens ita haberet, *adversarii causa* robur inde acciperet.

(46.) v. gr. *Clementis Alexandrini & Augustini.*

(47.) quæ ipsa vox exstat in testimonio *Clementis Alex.*

(48.) uti jam notavit *Anton* REISERVS in *Augustino contra Bellarm. & alios scriptores papaeos vindicato, Tom. III. controvers. III. de eucharistia, L. I. cap. VI.*

(49.) in *opusc. p. 116. seqq.*

(50.) in *adpendice ad dissert. de missa.*

*eunque in scripturis panis & vinum occurrit.* Exempla si quis desideraverit, CYPRIANVM adeat, conquirentem e veteri testam. sacramenta ac testimonia (quæ vocat) sanguinis Christi sub figura vini, adeo ut non vereatur, primo omnium loco historiam Noæ inebriati (Gen. IX.) trahere in figuram dominicæ passionis. Nec desunt ex *recentioribus* ecclesiæ Romanæ doctoribus, qui simili modo, sobrie quidem, de Patrum exegesi judicant: e. g. *Mich. Ignat.* SCHMIDT de *Origene* sic sentit (51.) — *alios lubens praetereo, cum unus Origenes nobis instar omnium esse queat. Qualis viri fuerit eruditio, non tantum synchroni omnes, sed & opera plurima testantur. — Non caruit haec ipsa eruditio suis naevis. Plus aequo nonnunquam Origenes ingenio suo indulsit, & nonnunquam opiniones adoptavit, censuris merito a subsequentibus saeculis perstrictas. Udalricus* MAYR (52.) haec habet: *Patres ob nimium allegoriae studium, quae magis orientis ingenio, quam vocum intelligentiae conveniebat, grammaticali sensui rarius adhaerebant, & nonnunquam ab orientalium linguarum subsidiis imparati accedebant.* Concedimus ceteroquin, *quarto*, piam fuisse Patrum meditationem, qua, sub praesentem Melchisedeci historiam, monuerunt auditores, Christum demum mystico pane & vino, corpore nimirum ac sanguine suo, ad vitam aeternam pascere ac reficere suum populum, spirituales Abrahae filios, in bello adversus varios hostes continuo laborantes. Id quod non improbamus: modo hujusmodi expositio non torqueatur ad confirmandum missae sacrificium. Cum hoc enim Patrum allegoriis nihil plane negotii fuit. Patres quippe voce *sacrificii* utuntur in sensu *latiori*; (53.) nec sibi ipsis constant, cum aliquando dicant, pane & vino a Melchisedeco prolatis praefigurari *eucharistiae sacramentum*, aliquando *crucis sacrificium.* At in comparatione hujus oblationis Melchisedecianae cum sacramento eucharistiae, respicientis, ex mente testatoris, ad sacrificium in cruce oblatum, vere propitiatorium, *nihil* omnino habent *de sacrificio missae*, ut nunc a doctoribus ecclesiae rom. proponitur ac celebratur, per consecrati panis & vini transsubstantiationem, elevationem, adorationem, & oblationem pro peccatis vivorum & mortuorum: ipsamque mensam dominicam, quam oblatione Melchisedeci praefigurari putant, commutatis ex lubidine verbis nunc sacrificium memoriale, nunc memoriam sacrificii in cruce oblati adpellant. Quo pertinet illud *Augustini*: (54.) *quod hominibus vocatur sacrificium, signum est veri sacrificii.* Quae cum ita se habeant, circa locum, ubi textus hebr. & versiones, praeter vulgatam, ad unam omnes reclamitant, Patrum allegoriis, sensu Romanensium acceptis, adstringi nos eo minus patimur, quo magis rigidiores etiam ipsorum deserunt eas alibi.

Arg. §. *X — XII. Adversarius* in vindicanda generatim Patrum traditione laborat, ac in subsidium vocat tum VINCENTII, *presbyteri Lirinensis*, tum GERHARDI nostri testimonia; nec non acerbe invehitur in eos, qui sibi sumunt, ut non ubique cum Patribus sentiant. Anticipatis jam supra, quae huc pertinent, *limitationibus*, praeterire ista omnia licebit. (55.)

Arg. §. *XIII.* „*Quoniam vero* GERHARDVS (56.) *subdit*: nullum est confessionis nostrae dogma, nullum controversiarum „caput, ad cujus confirmationem non possimus „multa & evidentia Patrum testimonia proferre. *Rogatos magnopere velim e protestantium „coetu theologos, ut Patrum testimonia, quibus „hanc de sacrificio Melchisedeci controversiam, „in qua a nobis dissident, confirmari putant, „in medium proferant. Proferant, obsecro, vel „pau-

(51.) in *methodo tradendi prima elementa religionis s. catechisandi*, 8. Bamb. & Wirceb. 1769. *p. 319. seq.*

(52.) Monachus cistercienfis e monast. imper. & immed. lib. B. V. M. de Caesarea, AA. LL. & Phil. Dr. ac Prof. *in dissert. historico-theol. inaug. de nexu historiae literariae cum studio theologico*, annuente senatu theol. *Ingolstadiensi*, edita 1772. §. *XXIII. p. 34.*

(53.) vid. *Gerhardus* noster *tom. X. p. 300. not. III. & suppl. cit. p. 448. §. VII.*

(54.) *de civitate Dei, lib. X.*

(55.) conf. *Gerhardus* noster *T. I. p. 56 — 59.*

(56.) *T. I. p. 58. §. 96.*

„paucas vel probabiles veterum doctorum sen„tentias; multas enim & evidentes frustra ex„spectaverim. Videant, quam liberaliter cum „ipsis agam. Quod ubi praestare nunc non va„lent, neque valituri sunt unquam: me etiam „tacente nemo est, qui non intelligat, quam „arroganter a Gerhardo scriptum sit, quam „confidenter, ne quid gravius dicam, ab illius „assectis sit pronuntiatum: Ecclesias nostras(Lu„theranas) ab unanimi Patrum confessione in „dogmatibus, vel scripturae interpretatione se„cessionem fecisse, nondum est a Pontificiis „demonstratum.„ *Multa* sunt, quae circa adlegata Gerhardi dicta moneri possent: malumus autem sine ambagibus ad rem ipsum accedere. Utinam, cum tam confidenter nos provocaret adversarius, habuisset ante oculos vel *nostrates theologos*, qui ex professo hac de re egerunt, vel *Patres* ipsos, vel saltem PERERII, MALDONATI, PIGHERELLI loca supra citata. Tantum abest, ut penuria Patrum sit nobis sauentium, ut ex sententiis illorum duas argumentorum classes adornare, & adversario audacter provocanti opponere possimus. *Unam* constituit illa Patrum interpretatio, qua panem & vinum non Deo, sed Abrahamo data esse diserte dicunt. Ejusmodi sententias, haud paucas, haud probabiles, sed multas, sed evidentes collegit DORSCHEVS (57.) ex TERTVLLIANO, CLEMENTE ALEXANDRINO, CYPRIANO, *tractatu de Melch. Tom. II. opp.* ATHANASII *inserto*, EPIPHANIO, AMBROSIO, *Jo.* CHRYSOSTOMO. Gravamur exscribere, quae ibi typis expressa exstant, testimonia, addituri potius alia quaedam, in quae ipsimet incidimus. AMBROSIVS (58.) locum Gen. XIV. ita reddit: *& Melchisedech rex Salem protulit ipsi panes & vinum*; ac (59.) suam porro mentem hoc modo declarat: *tunc illi occurrit Melchisedech, & protulit ea, quae Abram veneratus accepit.* Consentit AVGVSTINVS: (60.) *tantus erat Melchisedech, a quo benediceretur Abraham. Protulit panem & vinum, & benedixit Abraham, & dedit ei decimas Abraham; videte, quid protulit ei, quem benedixit.* BASILIVS MAGNVS (61.) quaestionem movet: *quid est autem illud secundum ordinem Melchisedech?* ac respondet: *nisi propter mysteria, quod & ille Abrahae panem & vinum attulit, & quod sacerdotium illius fuerit a lege liberum, & propterea, quod nec finem, sicut & Paulus dicit, nec principium habuit.* Ad verbum fere consentit CHRYSOSTOMVS, (62.) qui etiam dicit: (63.) *Melchisedecum obtulisse Abrahamo panem & vinum, & hunc ab illo accepisse oblata, ast a rege Sodomorum nihil accipere voluisse, retribuisse vero etiam sua Melchisedeco.* EVSEBIVS (64.) haec habet: *Alexander autem historicus, qui multarum rerum peritiam habuit, in volumine de judaica historia Eupolemon ait haec de judaeis scripsisse: — — cum vero ab eo bello Habraam rediret in urbe Algarixa, id est latine in monte Altissimi, a Melchisedeco Dei sacerdote, civitatisque illius rege, hospitaliter susceptus, magnificis fuit donatus muneribus.* Classem *alteram* constituunt illa Patrum loca, in quibus similitudinem, quae inter Melchisedecum ac Christum intercedit, evolventes, alte de sacrificio panis & vini silent, presse autem, aeque ac nos, vestigiis Pauli insistunt. AMBROSIVS (65.) sequentem in modum differit: *Nam (Christus) & agnus ad immolandum ductus est, & sacerdos erat secundum ordinem Melchisedech — & illum Melchesedech, per quem Abraham hostias suas obtulit, — intelligit ecclesia virum sanctum at sacerdotem Dei, qui, typum gerens Domini, & sine patre & sine matre, & sine generationis enarratione, & sine initio & sine fine, describitur, ut ostenderet, sempiternum filium Dei in hunc mundum esse venturum, qui & sine patre secundum incarnationem natus*



(57.) *l. c. p. 77. seqq.*
(58.) *lib. II. de Abraham*, opp. edit. Paris. 1586. *T. I. p. 272. seq.*
(59.) *cap. VIII. de iis, qui mysteriis initiantur.*
(60.) *conc. I. in Ps. XXXIII. opp. edit. Basil. T. VIII. 1529.*
(61.) in *scholiis in psalterium, p. m. 276.*
(62.) in *expositione in ps. CIX.*
(63.) *homilia 36. in Genesin.*
(64.) *praepar. evang. lib. IX. cap. IV.*
(65.) *T. IV.* edit. cit. *lib. III. de fide, cap. V. p. 104.*

*est, & sine matre secundum divinam generationem, & sine enarratione generationis, quia scriptum est: generationem autem ejus quis enarrabit? ergo illum Melchisedech in Christi typo sacerdotem Dei accipimus: sed illum in typo, hunc in veritate, typus autem umbra est veritatis; illum in nomine unius civitatis, hunc regem in reconciliationem totius mundi.* Urget AVGVSTINVS (66.) æternum Christi sacerdotium, quatenus non est secundum ordinem Aaron, sed *secundum ordinem Melchisedech*, contra judæorum pertinaciam, verum ne verbo quidem ullam facit sacrificii missatici mentionem, quæ fieri omnino debuit, si Melchisedeci oblatio hujus, & non potius sacramenti euchar. typus, juxta Augustini sententiam, fuit. CHRYSOSTOMVS (67.) ubi ex professo de sacerdotio Melchisedeci agit, ne minimam tamen oblationis Deo factæ mentionem iniicit; ita enim disserit: *fuit Melchisedech rex idem & sacerdos, typus enim futurus erat, cujus & scriptura manifeste meminit.* Succinctam tandem, quam tradit, in Hebr. VII. commentationem his verbis absoluit: *si typus talis etiam sacerdotio judaico splendidior erat, multo magis ipsa veritas, quod tractans idem apostolus dixit: amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedeci exoritur alius rex, qui non sit juxta legem praecepti carnalis, sed juxta virtutem vitae incorruptibilis, quod nullum illius praeceptum erat carnale. Non enim oves mactare neque vitulos jussit, sed virtutem animi curare, & hoc pacto Deum colere, & horum praemia vitam nobis designavit, quae nunquam corrumpetur.* Idem s. Doctor alibi (68.) hæc habet: *assimilatus autem filio Dei: ubi est similitudo? quod & hujus & illius finem ignoramus & initium. — Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech h. e. non ad tempus, neque finem habens, sed secundum virtutem vitae insolubilis. — Paulus dicit, unum esse sacerdotem, unum sacrificium, ne quispiam existimans, esse multa, secure peccet.* Similiter etiam CYRILLVS (69.) expresse agit de sacerdotio Christi, ministerique ipsius modo, quatenus *ab Aaronis sacerdotio differt, & est secundum ordinem Melchisedech*: sed alte silet de oblatione panis & vini, subsistens potius *in vocatione facta non per mandatum legis carnalis, sed juxta virtutem vitae indissolubilis.* Accedit, quod JVSTINVS Martur, (70.) neque ubi historiam Melchisedeci e Mose enarrat, neque ubi rationem reddit, cur Christus dicatur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, de oblato pane & vino quidquam habeat. Ita enim: *incircumcisus fuit sacerdos Altissimi Melchisedech, cui etiam decimas, oblationum nomine, dedit Abraham: Abraham, inquam (qui primus circumcisionem carnis accepit, benedictione ab eo auctus) secundum cujus ordinem sacerdotem sempiternum per Davidem se Deus constituturum ostendit. — — Antistitem sacrorum eum* (Christum) *Deus secundum ritum Melchisedech esse renunciavit: hoc est, quomodo Melchisedech sacerdos Altissimi factus esse a Mose scriptus est, atque is eorum, qui cum praeputio erant, sacerdos fuit, & ei, qui (postea) in circumcisione (fuit & ante circumcisionem) sibi decimas obtulit, Abrahae benedixit: eodem modo sempiternum sacerdotem (a se ordinatum) & Dominum a Spiritu sancto vocatum, illum Deus eorum, qui in praeputio sunt, fore, eosque simul, qui in circumcisione ad ipsum accessuri i. e. ei crediturі, atque benedictionem ab eo petituri essent, suscepturum illisque benedicturum esse, significavit.*

Ex adductis testimoniis, quin adponamus plura, jam satis superque eluceſcit, quam prodiga fuerit adversarii nos provocantis liberalitas, quam inanis fiducia jactantis pro sua opinione consensum Patrum.

Arg. *XIV — XVII.* Misere *adversarius* ingenii vires exercet in ratione investiganda,

(66.) *lib. XVI. de Civit. Dei, cap. XXII.* quod adlegat quidem adversarius, ita tamen, ut verba non adscribat.

(67.) *Oratione IV. adversus Judaeos, p. 49.* opp. edit. Basil. 1527.

(68.) *homilia XII. & XIII. in epist. ad Hebr.*

(69.) *lib. II. ad Reginas de recta fide.*

(70.) *dialog. cum Typhone Judaeo*, opp. edit. Haidelberg. 1593. *p. 182, & p. 194.*

da, cur in *supplemento ad Gerhard. T. X. de Patribus* altum *conticuerimus*. Facile cura hac expedire se potuisset, si meminerit, quid hanc in rem ante nos dixerint tum nostrates theologi, tum doctorum quoque catholicorum nonnulli; si cogitaverit, quantopere claudicet, quam nulla sit, quæ ex allegoriis quorundam Patrum pro stabiliendo missæ sacrificio nectitur, consequentia. (71.) Nos certe, cum nostris temporibus in ecclesia catholica complures sint doctores, de Patrum exegesi sobrie ac liberaliter sentientes, pristina recoquere noluimus, nec præsumsimus, fore adhuc, qui nudum adeo & apertum nobis latus daturi sint, ut in Patrum, allegoriæ studio abreptorum, consensu, ficto quidem illo, *præcipuum causae suae fundamentum* ponant.

Arg. §. *XVIII.* indicat adversarius, *nos transmissis licet Patribus multa tamen alia concessisse, ad impugnandum argumentum ex Melchisedeci sacrificio petitum, suumque nunc esse, ut, quid novi, quidve solidi attulerimus, dispiciat.* Præterit quidem (§§. *seqq.*) ea, quæ cardinali Gotti & *D.* Tovrnelio, ex præsupposito Melchisedeci sacrificio ad s. cœnam concludentibus, respondimus: reliqua autem omnia, exclamationibus, quæstiunculis, paralogismis, instantiis male locatis, figmentis, compellationibus honorificis scilicet, infringenda sibi sumit.

Arg. §§. *XIX — XXV, XXVII, XXVIII, XXX*, prout res ipsa ansam nobis præbuit, jam excussimus. Quæ ad §. *XXVI.* de *Aarone*, figura Christi, & ad §. *XXIX.* de significatione vocis *Cohen*, dicenda supererent, malumus alienis verbis, egregie rem hanc omnem illustrantibus, (72.) quam nostris, exponere. „Nomen & verbum sacerdotis hebraica consuetudine loquendi metiendum esse, in promtu est. Nec minus dubio caret, in hebraico sacerdotii verbo primam & propriam significationem esse *ministerii*, unde & in libris apostolorum per λειτουργίαν exprimitur, sicut & ipse Christus sacerdotii causa, λειτουργὸς, *minister* adpellatur. Hebr. VIII. 2. 6. — Sed cum id verbum ad eos transfertur, quos sacerdotes proprie adpellat latinitas, græci ἱερεῖς, accipit significationem ministerii, quod Deo præstetur in causa religionis ad salutem populi, in quo quis sacerdotis nomen ac locum obtinet. — Nec vero negligendum hoc videtur, in cognoscendo hujus verbi usu, præsertim figurato, quod, etsi interdum universam ministerii sacerdotalis summam spectat, tamen interdum modo ad partem aliquam muneris refertur. Itaque non, ut sacerdotis vel sacerdotii nomen in aliqua re aut persona usurpatur, sic statim similitudo universa cogitanda est, sed, quomodo & quatenus figura a sacerdotio petatur, indagandum videtur, ne, latius & ultra terminos extensa similitudine, ingenii humani inventa traditis divinitus permiscentur: quo nimis semper in figuris hebraicis inclinavere viri optimi, sed consilii melioris, quam ingenii & judicii. — Tribuitur autem Messiæ nomen sacerdotis in vet. test. quidem duobus omnino locis, uno in Psal. CX. 4. altero in Zachariano oraculo: VI. 13. at in nov. test. libris, neque sermones Jesu Christi in evangeliis aut apostolorum in actis, neque epistolæ apostolicæ, sacerdotii Jesu Christi mentionem faciunt, præter unam ad Hebræos epistolam Pauli, quæ & Psalmi verba commemorat ad Jesumque refert, & sacerdotis summi nomen eidem tribuit, & ad ejus actiones pro salute hominum adplicat. Itaque nomen hoc a duplici figura Christi in vet. test. ducitur Melchisedecho & Aarone. — Illud autem intelligendum est, quod fere in disputatione de sacerdotio Jesu Christi prætermittitur, cum ad dogmaticam rationem instituitur, non eodem modo sacerdotem esse, cum Melchisedeco comparatur, & cum Aaroniticis pontificibus assimilatur; cum sacerdos æternus con-

(71.) *Dorscheus l. c. cap. III. p. 55. seqq.* pluribus ostendit, omnes ipsius textus & sacrificii, quod venditatur, Melchisedeciani circumstantias repugnare sacrificio missatico.

(72.) ex *programmate Paschali*, S. R. Dr. D. Ernesti, celeberr. theol. Lips. 1769.

confediſſe in cœlis in throno Dei dicitur, & cum ſacrificaſſe ſe ad expianda generis humani peccata in terris traditur. Nam in *ſacerdotio Melchiſedechi* nihil intelligi poteſt ac debet, quam, *primum* miniſterium univerſum Jeſu Chriſti, quod in religione ordinanda & conſtituenda Deo hominibusque præſtitit, neque ullius alius rei intelligendæ veſtigia in illo loco impreſſa ſunt, quæ a nobis notari poſſent, aut interpretatione Paulina demonſtrata: *deinde* illius ſacerdotii præſtantia, tum e conjunctione cum poteſtate regia, tum ex duratione, quæ finem habitura non ſit. Et clarum eſt, Paulum eo in loco non tam primum illud, quam poſterius intelligi velle. Nec aliud eſt in loco Zachariæ Prophetæ. At cum *pontifex ſummus* adpellatur, comparatus cum Aarone, ſola ſacrificia expiatoria, inprimisque anniverſarium illud, ſpectantur, in quibus inſignem figuram mortis Chriſti & redemtionis per mortem fuiſſe, in promtu eſt. Neque enim plus eſt in tota illa de ſacerdote Jeſu diſputatione Paulina ad Chriſtianos ex Hebræis.„ Plura adderemus, niſi filum ſcriptionis heic tandem eſſet abrumpendum.

---

# SVPPLEMENTVM EDITORIS AD LOCVM DE ECCLESIA.

## OBSERV. I.

### DE ECCLESIAE TVM GENERATIM SPECTATAE TVM SPECIATIM CHRISTIANAE NATVRA ATQVE INDOLE VARIISQVE EJVS SPECIEBVS.

### §. I.

Licet GERHARDVS ſtatim ſub initium tractationis ſuæ de *eccleſia*, inprimis *cap. II. & III. §. X. ſeqq.* itemque *cap. VI. §. LI. ſeqq.* & *cap. VII.* alibique paſſim multa eaque prorſus egregia lectuque digniſſima de hocce argumento diſſeruerit, haud male tamen nos facturos eſſe arbitramur, ſi nonnulla heic ſubiungamus, quibus dicta laudatiſſimi viri partim uberius illuſtrari, partim vero novis obſervationibus ſubinde adaugeri queunt. Prætermiſſis vero iis, quæ de vario vocis *eccleſia* ſignificatu tum ab ipſo GERHARDO, tum ab aliis ſubinde fuerunt tradita, (1.) ante omnia paucis notamus, eccleſiam, ſi *generatim* ſpectetur, nihil aliud eſſe, quam *ſocietatem* (2.) quamdam *hominum, qui religionem a Deo revelatam profitentur, eundemque ea, quam ipſemet praeſcripſit, ratione colunt.*

§. *II.* Quum homines, qui Deum ea, qua par eſt, ratione colunt, duplici modo conſiderari queant, *vel* qua in cœlum jam recepti, aut certe aliquando recipiendi ſunt; *vel* qua in hiſce terris adhuc degunt, ex hac ipſa

(1.) Evolvi heic inprimis meretur JVSTVS HENN. BOEHMER *in jure parochiali* cap. II. itemque in jure eccleſiaſt. proteſt. libr. I. tit. XXXIII. *de majoritate p. 814.*

(2.) Eccleſiam eſſe *ſocietatem* quamdam, luculenter demonſtravit PVFENDORFIVS in eximio libello *de habitu relig. chriſtianae ad vitam civ. §. 30, 39.* Idem jam ante PVFENDORFIVM ex ſcriptoribus Anglis obſervavit EDVARDVS STILLINGFLEETVS, in *irenico a weapen ſalve for the churches wound part. I, cap. VII.* PVFENDORFII veſtigia in Germania ſecuti ſunt jureconſulti celeberrimi, THOMASIVS, BOEHMERVS aliique; quibus ex eccleſiæ noſtræ theologis, præter alios, cumprimis PFAFFIVS atquo MOSHEIMIVS jungi merentur. Conferenda, quæ hanc in rem adnotavit ſcriptor anonymus, quem nonnulli liberum baronem DE METTERNICHT eſſe dicunt, in opuſculo germanico ſermone edito, *von der wahren Kirche.*

ipsa considerationе binæ emergunt species ecclesiæ, quarum altera *militans*, altera vero *triumphans*, jure meritoque adpellatur. *Militanti* ecclesiæ eam ob rationem nomen hocce recte inditum est, quia credentibus in Christum, quam diu in his terris versantur, quotidie cum infernali genio, cum mundo & cum carne sua, seu pravis cupiditatibus, pugnandum est; prout e sanctioribus litteris abunde constat; (3.) cum contra in beatorum sedes translati militia sua jam sint defuncti, victoriamque ab hostibus suis nacti, in vita illa beata ac sempiterna, quam omnes veri Dei cultores anhelant, æternum gaudeant atque triumphent. Proinde recte dicitur *ecclesia triumphans*. (4.)

§. *III.* Quod ad *militantem* attinet ecclesiam, illa ad duas *temporum* periodos universe revocari potest. *Prior* periodus antecessit Christum natum, mortuum, suscitatum e mortuis inque cœlum sublatum; *altera* vero Christum jam exhibitum subsecuta est. A binis hisce temporum periodis ecclesia militans dividitur in ecclesiam *veteris* & *novi* testamenti. *Illa* angustis terræ Israëliticæ limitibus olim fuit inclusa, &, quicunque viam ad vitam sempiternam perveniendi, addiscere voluerunt ante adventum Christi, redemtoris nostri, ii genti Israëliticæ se adjungere, cumque eadem arctius conjungi debuerunt; *haec* vero ex omnibus gentibus, voce evangelii ubique sonante, Christo fuit collecta. Prior *illa* non perpetuo erat duratura, sed adventu Christi in mundum terminanda; *haec* vero duratura est ad finem usque seculorum: Ratio hujus diversitatis exinde petenda est, quoniam ecclesia *veteris testamenti* profitebatur Christum *venturum*, multis vaticiniis tam litteralibus, quam typicis præsignificatum, cujus exspectatio ad certum aliquod tempus erat restricta; cum contra ecclesia *novi testamenti* profiteatur Christum in carne jam manifestatum atque consummatum, quæ ejus consummatio in perpetuum est duratura. Ecclesia *veteris testamenti Israelitica* itemque *Judaica* adpellari solet, atque apud LXX interpretes, itemque in libris novi fœderis sæpius συναγωγῆς nomine venit, (5.) cum contra cœtus fidelium *novi testamenti* a capite suo Jesu Christo nomen *ecclesiae christianae* acceperit. Atque de hac posteriori sigillatim jam agemus.

§. *IV.* Notamus vero ante omnia, ecclesiam *christianam* esse *coetum*, seu *societatem hominum, qui doctrinam coelestem, tum in concionibus Christi, tum in scriptis apostolicis contentam profitentur, atque Christum ceu divinum doctorem religioso cultu prosequuntur.* Nemo non videt, generalissimam esse hancce definitionem, atque ita comparatam, ut ad quasvis christianorum sectas adplicari queat.

§. *V.* Hancce societatem ipsemet instituit servator Christus, (6.) qui primum quidem duodecim apostolos, deinde LXX. discipulos, quin & alios sibi adsociavit, qui ipsius nomen libere profiterentur inter homines, iisdemque doctrinam cœlestem, quam a magistro didicerant, traderent. Atque hoc ipsum post tempora apostolorum, adjuvante Deo, præsti-

(3.) Conferenda heic, quæ de pugna ista spirituali christianorum e sanctioribus scripturis adnotarunt doctores christiani, qui ad theologiam moralem illustrandam studia sua contulerunt; speciatim b. Buddeus in *institut. theol. moral. part. I. cap II. §. LVIII. seqq.*

(4.) Hæc ecclesia *apocal. XXI, 10. 11.* adpellatur *civitas magna, sancta Hierosolyma, ἔχουσα τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ habens divinam gloriam.* Conf. & *apocal. VII. 9.*

(5) Nec tamen hoc est perpetuum; siquidem *Jac. II. 2.* nomen *synagogae* pro cœtu christianorum, ad sacra facienda coacto, usurpatur.

(6) Is enim tradidit miraculisque confirmavit doctrinam cœlestem, qua illa, quæ in veteri testamento jam obtinebat, clarior perfectiorque reddebatur. Nec tamen, quod paucis heic notamus, peculiarem mox cœtum sibi formavit, cui cum judaico nullum amplius commercium esset; sed ipse in templo Hierosolymitano inque synagogis Judæorum subinde docuit. Vid. *Matth. IX. 35. XII. 9. XXI. 12. XXVI. 55. Marc. I. 21. III. 1. VI. 2. XI. 11, 15, 27. XIII. 1. Luc. II. 46. IV. 16. VI. 6. XIX. 41. XX. 1. Joann. II. 42, 59. VII. 14. VIII. 20. X. 22, 23.*

præstiteruut quoque discipuli apostolorum eorumque successores, ecclesiamque ad nutum optimi servatoris efformatam, brevi tempore mirum in modum amplificarunt.

§. *VI.* Quum societas hæc sacra, quæ *ecclesiae christianae* nomine venit, eo comparata sit, ut, qui in eandem coivere, secundum præceptum Jesu Christi, Deum ejusdemque filium cognoscant, riteque colant, facile patet, necessarium esse, ut in illa adsint, qui *docentium* munere fungantur, & rursus, qui ab his doceantur instruanturve. Unde duplex ordo *docentium* atque *discentium*, sive *auditorum*, sponte sua resultat. (*)

§. *VII.* Quum porro ii, qui docentium in ecclesia munere funguntur, finem suum consequi nequeant, nisi discipiant quoque, an & quousque auditores doctrinam in sanctioribus litteris contentam admittant, atque ad eandem vitam suam moresque componant, nemo non videt, ipsam ecclesiæ constitutionem exposcere, ut doctores inspectionem quandam atque directionem hujus societatis sacræ exerceant. Unde & ἡγούμενοι, *antistites* sive *praefecti*, (7.) itemque ἐπίσκοποι *inspectores* (8.) in sanctioribus litteris adpellantur.

§. *VIII.* Solemnis cæteroquin est distinctio inter *clericos* & *laicos*, (9.) quæ antiquissima est, etsi post apostolorum demum ætatem fuerit enata (10.) &, ut nonnulli volunt, ex ecclesia

(*) Hæc distinctio *doctorum* & *auditorum* in ipsis sanctioribus litteris suum habet fundamentum, adeoque jure divino nititur. Vid. *I Cor. XII, 28. Eph. IV. 11.* ut alia loca taceamus.

(7.) *Act. XV. 22. Ebr. XIII. 7, 17.*

(8.) *Act. XX. 28. Philip. I. 1. I. Tim. III. 2.*

(9.) Hæc divisio ecclesiastica quidem, sed non biblica est. Ad rationem nominis *clericorum* quod attinet, recte observavit Hieronymus *epist. II. ad Nepot.* hanc denominationem a vocabulo græco κλῆρος, quod *sortem* significat, descendere, ac *ministros Dei propterea vocari* clericos, *quia de sorte sunt domini, vel quia ipse Dominus* sors, *id est pars* clericorum *est*. Alii tamen in aliam hoc descendunt sententiam, existimantque, respici hoc ad morem antiquum Judæis æque ac Gentilibus usitatum, quo hominēs ad officia sacra olim per *sortem* eligebantur. Vid. Henr. Dodwellum *diss. I. ad Cypr. §. XV.* Cæterum *clericis* jam olim opponebantur *laici*, tanquam diversum genus hominum, a voce græca λαὸς ita dicti, quæ populum seu plebem significat. Conferenda, quæ de differentia inter *clericos* & *laicos* commentati sunt illustris Boehmerus in *jure ecclesiast. antiquo, diss. VI. p. 316. seqq.* & in *jure parochiali sect. I. cap. II. §. LVII. p. 33. seqq.* Kippingius in *pleniori adsertione nominis* Cleri, *ministerio sacro divinitus impositi*, Helmst. in 4. Moshemius in peculiari dissert. de hocce argumento, Helmstad. edita, nec non in *institut. hist. ecclesiast. majoribus sec. I. p. 205. seqq.* Pfaffius in *originibus juris ecclesiast. cap. III. art. 2. not. (f) p. 106. seqq.* edit. novissimæ. itemque in *den academischen Reden über das protestantische Kirchen-Recht, cap. IX. §. 2. p. 169. seqq.* ubi & plures adlegantur scriptores, tam pontificii, quam protestantes, qui hac de re copiosius disseruerunt.

(10.) Equidem cœtus Romani doctores, ipsam *clericorum* adpellationem in sacris novi testamenti libris deprehendi, sibi aliisque persuadere annisi sunt. Fecerunt id cumprimis Cæsar Baronius, pater purpuratus, & Petrus de Marca; ille quidem in *annalibus ecclesiast. ad annum Chr. XLIV. num. LXXIV.* hic vero in peculiari *dissertat. de discrimine clericorum & laicorum ex jure divino*, quæ inter ejusdem *dissertationes selectas*, operi *de concordia sacerdotii & imperii* subjunctas, nonum occupat locum *p. 286. seqq.* Uterque provocat ad locum *Act. I. 17.* ubi de Juda proditore dicitur ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης, *accepit sortem ministerii hujus.* Adjungit Baronius alium locum, qui exstat *Act. VIII. 21.* ubi Petrus Simonem magum hisce verbis adloquitur: οὐκ ἔστι σοι μερὶς οὐδὲ κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ: *non est tibi pars, neque sors in hoc negotio.* Verum facilis est ad utrumque responsio. Quod enim ad primum effatum biblicum attinet, vox κλῆρος non tantum significat *sortem*, sed transfertur ad omnia, quæ alicui *citra suam operam obtingunt*; prout recte observat b. Bengelius in *Gnom. ad h. l.* In altero autem oraculo sacro vocabulum λόγος, ad imitationem vocis ebraicæ דבר, sæpe *rem* infert, ut *Matth. XIX. 11.* & *Luc. II, 15.* Res vero illæ vel *generatim* de evangelio ejusque promissionibus, vel *speciatim* de dono spiritus sancti, de quo ibidem sermo erat, intelligi potest. Conferenda, quæ de binis hisce locis contra Baronium disputant Christianus Kortholtus in *disquisit. ante Baronianis, disquis. V. §. 5. p. 152.* & b. Buddeus *in commentatione historico - dogmat. de statu ecclesiæ christianæ sub apostolis, p. 608. seqq.* qui & recte observant, per τὸν κλῆρον in scriptura sacra non tantum sacri ordinis viros, sed potius omnia ecclesiæ membra, omnesque fideles subinde denotari, quia pertinent ad κλῆρον & *hæreditatem* domini, prout ex *1 Petr. V. 3.* luculenter ostendi potest. Præter auctoritates

ta Judaica in christianam translata. (11.) Disputatum recentiori ævo fuit: an ea in scholis protestantium retinenda sit nec ne? Totam hancce controversiam vel tandem ad diversam vocum acceptionem redire, recte nonnulli judicarunt. Quod si enim hac distinctione nihil aliud innuatur, quam discrimen aliquod inter *docentes*, seu ministros ecclesiæ, & *auditores* intercedere, nec tam vocum, quam rei ipsius habeatur ratio, eandem a protestantibus omnino retineri posse, nemo facile dubitaverit. Verum si hæc ipsa vox ita accipiatur, ut singularem quandam ordinis ecclesiastici ἐξοχὴν, qua in veteri testamento atque ecclesia judaica sacri ordinis viri gavisi sunt, quæve evangelii præconibus in novo testamento haud debetur, designet, tum quidem distinctionem inter *clericos* & *laicos*, ab ecclesiæ romanæ adsectis hoc sensu acceptam e theologorum protestantium scholis penitus eliminandam esse arbitramur (12.) Nullam enim ejusmodi ἐξοχὴν nullumque imperium admittit natura illius societatis sacræ, in quam servatoris Christi cultores libere coiverunt.

§. *IX.* Nec ejusmodi jurisdictionem exposcit finis ministerii ecclesiastici. Is enim, ut gentium apostolus nos condocet, eo tendit, ut homines *Deo reconcilientur* (13.) atque per fidem in Christum vitam consequantur æternam. Hinc & idem apostolus officium ecclesiæ doctorum διακονίαν τῆς καταλλαγῆς *ministerium reconciliationis* vocat (14.) atque iisdem τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς *verbum reconciliationis* a Deo mandatum esse pronunciat (15.) Atque hunc ipsum ministerii ecclesiastici finem si quis attentius consideraverit, facile perspiciet, ad eundem obtinendum nullum imperium proprie sic dictum, nullamque vim coactivam requiri, ecclesiamque ita comparatam esse, ut a societate, in qua imperium quoddam est necessarium, quam longissime sit remota. Unde & ipsemet servator Christus, cum discipulis suis species quædam alicujus regni mundani aliquando in mentem venisset, longe aliter eos edocuit, hisque verbis eos adlocutus est: *gentium reges in eas dominantur, &, qui auctoritatem habent in eas, principes adpellantur. Vos autem non ita: quin vestrum maximus perinde sit ac minimus, &, qui praest, perinde ac qui ministrat.* (16.) Atque hujus moniti ejusdemque saluberrimi a magistro accepti, probe memores deinceps fuerunt sanctissimi ejusdem legati, probeque sibi caverunt, ne quidquam, quod imperii cujusdam aut dominationis speciem referret, sibi arrogarent. Quin Paulus non tantum apostolorum, sed & vel maxime reliquorum verbi divini præconum nomine pronunciat: *Sic de nobis reputent homines, ut de Christi ministris & divinorum mysteriorum dispensatoribus* (17.) Idem & Petrus serio inculcat, quando sacri ordinis viros sequentem in modum adloquitur: *Pascite gregem Dei, qui penes vos est, illius inspectioni vacantes, non inviti, sed sponte, non turpiter adfectantes lucrum, sed prompto animo; μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, neque ut gregibus imperantes, sed ut qui ovilis exempla sitis, atque ubi manifestatus fuerit pastor ille princeps, immarcescibilem gloriæ coronam adquiratis.* (18.)

§. *X.* Neque vero luculentissima duntaxat sacrarum litterarum oracula nostram stabiliunt sententiam; sed ipsa quoque ecclesiæ ab apostolis fundatæ genuina facies ita comparata

A a 2 est,

auctores modo laudatos plura hac de re adnotarunt Suicerus in *thesaur. ecclesiast. tom. II. p. 110.* Deylingius in *institutionibus prudentiæ pastoralis p. 54.* Pertschius in *dem Versuch einer Kirchen-Historie tom. I. p 291. seqq.* alii.

(11.) Est hæc sententia Joseph. Binghami, qui eandem in *origin. sive antiquit. ecclesiast. libr. I. cap. V. §. 2. p. 42.* ex loco quodam Clementis Romani comprobare annisus est.

12.) Vid. Praffium in *origin. jur. ecclesiast. p. 106. seqq.* edit. nov. Buddeum in *comment. de statu ecclesiæ sub apostolis p. 611.* & Moshemium im *Kirchenrecht der Protestanten p. 38.*

(13.) *2 Cor. V. 20.*

(14.) *ibid. vers. 18.*

(15.) *ibid. vers. 19.*

(16.) *Luc. XXII. 25, 26.*

(17.) *1 Cor. IV. 1.*

(18.) *1 Petr. V. 2, 3, 4.*

est, ut nihil prorsus in ea conspiciatur, quod imperii cujusdam, aut societatis, quæ ex *imperantium* atque *parentium* ordine constet, speciem quandam referat. Ipsi quippe apostoli, ut modo vidimus, non *principum*, aut *imperantium*, sed *docentium* tantum partes sibi sumebant; nec leges ferebant, aut legislatoriam sibi arrogabant potestatem, nec pœnas civiles minus morigeris infligebant; sed eos, qui sui officii haud observabant rationem, admonitionibus nec non increpationibus in rectum reducere tramitem, omnibus adlaborarunt viribus.

§. *XI.* Quum itaque, prout ex dictis abunde patet, ne umbra quidem alicujus jurisdictionis in ecclesia a Christo apostolisque collecta deprehendatur, nec in ea sint nisi *doctores & auditores*, h. e. *suadentes & audientes*, nulla plane jurisdictione illi pollentes, sed sola verbi virtute auditoribus sua ingesturi, sponte consequitur, oleum operamque perdere, qui ecclesiam, instar alicujus reipublicæ concipientes, de certa forma regiminis, quæ in ea olim obtinuerit, vel hodienum obtinere debeat, longam instituunt disquisitionem. (19.) Ecclesia enim non est civitas, sed collegium in civitate erectum, nec est societas quædam *inaequalis*, qualis status civilis est, sed *aequalis* & libera, adeoque ita comparata, ut imperium in rebus suis omne respuat, soloque pacto innitatur.

§. *XII.* Quando autem *ecclesia* a nobis adpellatur societas *aequalis & libera*, id tantum habito respectu ad prima ejusdem incunabula intelligendum est, neutiquam vero eo sensu accipi debet, ac si nullo mandato divino obstricti

(19.) Plurimum heic inter se dissentiunt, qui ecclesiæ Romanæ sunt addicti, ac pontificem Romanum ceu supremum ecclesiæ caput venerantur. Plerique Romanensium pro monarchica regiminis forma pugnant, & quidem tali, quæ aristocratia & democratia quidem sit temperata, ita tamen ut monarchia præponderet. Hanc sententiam amplexus est Robert. Bellarminus *libro I. de romano pontifice cap. I. p. 28, seqq.* quem complures alii sunt secuti, quos adlegavit Daniel Chamierus, celebris ecclesiæ reformatæ theologus, in *panstrat. cathol. tom. II. libr. IX. cap. II. §. XVI. p. 148.* Adjungimus tamen iisdem Petr. de Marca, archiepiscopum quondam Parisiensem superiori seculo clarum, qui statum ecclesiæ itidem monarchicum, sed ex aristocratico regimine temperatum esse contendit. Evolvat, qui ejus hac de re cogitata adcuratius nosse voluerit, ejusdem dissertat. supra §. *VII.* not. (10) p. 186. jam laudatam, *de diserimine clericor. & laicor. ex jure div. & de forma regiminis a Christo instituta in ecclesia, cap. III. §. IV. p. 299.* Eandem sententiam recentiori ævo ornandam in se suscepit Honoratvs Tournely, theologus Sorbonicus, in *prælectionibus* suis *theologicis, tom. II. part. I. de ecclesia Christi, quæst. III. art. VI. p. m. 118. seqq. & quæst. V. art. II. p. 148. seqq.* Ut alios in rerum præsentia haud memoremus. Discesserunt tamen ab his alii iique doctissimi in ecclesia Romana viri, qui monarchiam præsulis romani mascule impugnarunt. Sufficiat ex iis heic nominasse Edmundum Richerium, doctorem quondam Sorbonicum, itemque Marcum Anton. de Dominis, archiepiscopum quondam Spalatensem. Richerium quidem quod attinet, is in *histor. concil. general. libr. I. cap. I. §. V. p. m. 9.* disertis verbis adserit, *Petrum nunquam egisse monarcham, sed omnia negotia communi consensu definivisse.* M. Anton. de Dominis autem in notissimo opere *de republica ecclesiastica*, præcipue *libr. I.* data opera comprobare annisus est, statum ecclesiæ aristocraticum esse, ita tamen, ut ex democratia aliquid admixtum habeat, refutatus eapropter a Nicolao Caeffeteau, ordinis dominicani theologo, in *libris IV. de monarchia ecclesiæ catholicae & Romanae*, itemque a Martino Becano, celebri Jesuitarum societatis sacerdote, *lib. IV. de republica ecclesiastica*, aliisque. Verum hac contentione facile supersedere potuissent viri isti præstantissimi, si rite perpendere voluissent verba servatoris: *regnum meum non est ex hoc mundo, Joan. XVIII. 36.* Ex iis enim luculenter patet, ecclesiam, quæ *regni* adpellatione comprehenditur, alicujus reipublicæ, cujus aut monarchica, aut aristocratiba, aut democratica, aut ex his composita forma fuerit, speciem haud referre. Licet negare nolimus, harum vel illarum ecclesiarum particularium constitutionem simili a civitate desumto tantisper illustrari posse. Ita verb. grat. ubi solus episcopus totius ecclesiæ jura, quæ *collegialia* vocari solent, exercet, forma hæc *monarchica*; ubi vero penes presbyterium directio sacrorum est, forma *aristocratica*; ubi denique singula ecclesiæ membra in certis casibus ad directionem sacrorum concurrunt, forma *democratica*, adpellari potest. Satius tamen est, si ab omnibus hisce terminis abstineamus, ne heterogenea misceamus, prout ex vero judicavit b. cancell. Pfaffius, in *institutionibus juris ecclesiast. libr. I. cap. I. §. VII. p. 37.* edit. secundæ.

ſtricti fuiſſent primi chriſtiani, ut ſervatori optimo nomen darent, eccleſiæque doctoribus nulla ſocietatis hujus ſacræ directio a Deo fuiſſet conceſſa; ſed quod nemine cogente in cœtum quendam coiverint, nullaque jurisdictio coactiva ad hanc ſocietatem coadunandam ſervandamque fuerit adhibita, nec ulli in alterum imperium quoddam primitus competierit.

§. *XIII.* Atque hæc prima eccleſiæ chriſtianæ erat facies, cum ea ab apoſtolis eorumque diſcipulis fuiſſet plantata. Verum poſt obitum apoſtolorum ſtatus eccleſiæ ſenſim ſenſimque valde multumque fuit immutatus, ſuccedentibus in eorum locum epiſcopis, jurisdictionem quandam in plebem ſacram adfectantibus, donec tandem tempore CONSTANTINI M. cum eccleſia ob multitudinem ac corruptionem plebis, immo & epiſcoporum, ubique invaleſcentem, ſe ipſam communi conſilio regere haud poſſet, aliam acciperet regiminis formam, talem nimirum, quæ ad formam civitatis proxime accedebat. Poſt tempora CONSTANTINI M. patriarchæ tam orientis, quam occidentis dominium aliquod ſacrum ſibi arrogabant. Præcipue id egerunt eccleſiæ Romanæ præſules, ut, peſſundatis prorſus juribus eccleſiæ originariis, imperium quoddam univerſale in eccleſiam univerſam ad ſe raperent, quin & ſummos imperantes ſibi ſubjicerent. Unde tyrannis illa ſacra nata eſt, quæ bellum inter ſacerdotium & imperium, nec non ſummam tam doctrinæ chriſtianæ, quam diſciplinæ eccleſiaſticæ corruptionem peperit. Subſecuta vel tandem ſeculo decimo ſexto ſacrorum emendatione deſtructaque tyrannide illa ſacra, recuperabant quidem eccleſiæ priſtina ſua jura, æqualiumque ſocietatum formam rurſus induebant. Verum, cum multitudo illarum indolesque ac ſtatus haud permitteret, ut ipſæ jura ſua ex ſocietate oriunda exercerent, illa, non invitis, ſed adplaudentibus eccleſiis, ſtatim ſub initium reformationis adminiſtrare occœperunt ſummi imperantes, non tamen, niſi ad eccleſiæ ſalutem, eaque ratione, quæ ad indolem primitivæ eccleſiæ, quæ *collegialis* erat, quantum fieri poterat, proxime accederet, exercenda. Atque ſic, relicto eccleſiis, quæ originarie ipſis competebant, juribus *collegialibus*, a *majeſtaticis* probe diſtinguendis, exercitium horum jurium tacito quodam eccleſiarum conſenſu in ſummos imperantes fuit translatum. (20.) Prætermittimus alia, quæ de hiſce juribus dici heic poſſent, cum argumentum hocce a viris præſtantiſſimis, maxime recentioribus, data opera jam fuerit excuſſum, (21.) ejusdemque evolutio ad jurisprudentiam eccleſiaſticam propius ſpectet. Progredimur itaque ad alterum tractationis noſtræ caput, varias *eccleſiae ſpecies* pro inſtituti noſtri ratione breviter enarraturi.

§. *XIV.* Suprema igitur maximique momenti diviſio illa eſt, qua eccleſia dividitur in *viſibilem & inviſibilem* (22.) *Inviſibilis* complectitur omnes omnium locorum & temporum ſanctos verosque fideles, ſive in hac terra adhuc *militent*, ſive cum Chriſto, Domino ſuo, *triumphent.* (23.) Hæc eſt eccleſia illa una, ſancta, catholica, cujus caput Chriſtus eſt, extra quam nemo ſalvatur. (24.) Quum vero eccleſiæ inviſibilis (25.) membra eo in



(20.) Uberius hæc omnia expoſuit b. cancell. PFAFFIVS in *originibus juris eccleſiaſt. p. 355. ſeqq.* edit. Tecundæ, quam ſupra jam adlegavimus.

(21.) Auctores, qui de *juribus* hiſce *collegialibus* ſcripſerunt, magno numero adlegarunt duumviri celeberrimi, ὁ ἐν ἀγγλοις, PFAFFIVS atque MOSHEMIUS, *ille* quidem in *den academiſchen Reden über das Kirchenrecht p. 24. hic* vero in dem *allgemeinen Kirchenrecht der Proteſtanten p 31.* in nota.

(22.) Pluribus de utraque *tom. VI. cap. VII. §. LXIV— LXXXVI. p. 81. ſeqq.* ſupra diſputatum eſt.

(23.) De eccleſia *militante* & *triumphante* vidimus §. II. hujus ipſius primæ obſervationis. De illa quidem exſtant ven. D. D. CRUSII obſervationes ſelectæ, primum propoſitæ A. 1755. & ſequenti anno denuo editæ, lectu omnino digniſſimæ.

(24.) Conferri poſſunt loca *Epheſ. I. 22. 23. II. 2. III 10. IV. 4. 5. 15. 16. V. 23. ſeqq.*

(25.) Quæ ſequuntur, membrorum eccleſiæ inviſibilis prædicata ſatis docent, ſermonem nobis eſſe de eccleſia *militante*, cui & incrementis opus eſt, & integrum, cum aliis hominibus, qui nondum ſunt converſi, conſuetudinem inire, his ipſis ſalutarem.

Dominum suum amore ferantur, ut publice eum profiteri non erubescant (26.) ejusque gloria quovis modo illustranda nihil ipsis prius sit; (27.) cum eo etiam se invicem amore complectantur, ut fidem suam & spiritualem vitam mutuis adjumentis promovere volupe sit; (28.) cum denique & illos, qui a fide adhuc alieni sunt, pro suo in omnes homines amore & erga voluntatem sui Domini obsequio, christianæ beatitudinis participes reddere gestiant exemplo suo atque institutione: (29.) adparet utique, veris fidelibus externum quoque, quod ad religionem tum suam tum aliorum alendam atque promovendam facere intelligunt, commercium longe exoptatissimum fore. Unde *visibilis* ecclesia (30.) existit, vel societas hominum, ad eandem Christi doctrinam profitendam eique consentaneum cultum Domino præstandum conjunctorum.

§. *XV.* Ea autem conjunctio ob *locorum temporumque* distantiam non æque inter omnes christianos locum habere potest, quamquam paullo minus arcto vinculo omnes cohæreant. Itaque plurimæ omnino, *loco* & *tempore* disjunctæ, sunt ecclesiæ *particulares*, (31.) quæ omnes, conjunctim spectatæ, efficiunt ecclesiam *universalem*. Alia, ut de *particularibus* ecclesiis paullo adcuratius agamus, & initium quidem a *temporis* discrimine faciamus, est ecclesia *primi*, alia *medii*, alia *recentioris* ævi. Quæ quidem genera in alia plura inferiora distribui facilime possunt, modo animum diligenter attendamus ad varias easque paullo graviores mutationes, quas subinde universa ecclesiæ christianæ facies subivit. (32.) Ubi *sedem* locumque ecclesiarum respexeris, alia v. gr. *orientalis* est, alia *occidentalis*; alia *Anglicana*, alia *Gallicana*, alia *Hispanica*, alia *Ruthenica* &c. alia *Saxonica*, alia *Würtembergica* &c. ut taceamus minorum exempla.

§. *XVI.* Ex ipso *visibilis* ecclesiæ *fine* (§. XIV.) illud facile intelligitur, sanctis misceri etiam eos, qui vel evadere demum cupiunt veri christiani, vel, cum invisibilis ecclesiæ membra esse desierunt, a cæteris in viam reducendi sunt (33.) Ex quo autem ecclesiæ publica securitate frui, immo politicis etiam privilegiis ita ornari cœperunt, ut his excluderentur, qui societatem christianam inire nolebant; fieri tanto facilius potuit, ut hypocritæ multi nomen ei darent, sanctisque impii tanto magis commiscerentur. Si igitur multitudo sanctorum suas sibi res habeat, civitati nondum innexas, itaque sancti tum numero tum auctoritate ita valeant, ut reliqui, qui forte eandem inierint societatem, aut disciplinam admittere, aut secessum tandem a societate facere necesse habeant, visibilis ejusmodi ecclesia a parte sua *majore* & *potiore* dicitur *sanctorum*, (34.) cum contra ea *vocatorum* ecclesia (35.) sit societas eorum, quorum maxima pars fidem christianam ita profitetur, ut animo, de quo leges civitatis, cui innexa est ejusmodi ecclesia, non judicant, parum respondeat professio. Cæterum talis etiam societas *ecclesiae* nomen invenit (36.) tum a parte sua, *minore* quidem illa, sed *nobiliore*, veris nimirum christianis, tum a *scopo* suo, (37.) ex quo certe omnia societatis membra veri christiani esse, aut beneficio institutorum sacrorum fieri debebant. Unde & æque omnia ad sincerum religionis, quam profitentur, exercitium invitantur & *vocantur*.

§. *XVI.*

(26.) vid. *Matth. X. 32. sq.*
(27.) vid. *Phil. I. 18. 20.*
(28.) vid. *1 Cor. XII. sq. 1 Petr. IV. 10.*
(29.) vid. *Matth. V. 14 — 16.*
(30.) Etiam *visibilis* christianorum cœtus sæpissime in sacris literis *ecclesiæ* nomine venit *Act. V. 11. XII. 5 1 Cor. I, 2. &c.*
(31.) Ejusmodi plures in ipsis sacris literis commemorantur *Act. VIII. 1. XI. 22. 26. XIV. 27. XX. 17. 1 Thess. I. 1.* &c.
(32.) Diximus tantum de ecclesia *novi testamenti*, quia supra (§. III.) jam divisa est ecclesia in eam, quæ est *veteris*, & eam, quæ est *novi testamenti*.
(33.) Ita, ipsas etiam, quæ apostolorum ætate floruerunt, ecclesias mixtas fuisse, constat ex *Act. V. 1. seqq. VIII. 13 — 24. 1 Cor. V. 1 Tim. V. 11 — 15.*
(34.) v. *Rom. I. 7. 1 Cor. I. 2. III. 17. Eph. I. 1.* &c.
(35.) conf. *Matth. XXII. 14. 15.* Cæterum hujus distinctionis momentum ostendit sæpe laudatus C. M. Pfaffius in *orig. jur. eccl. p. 362.* sq.
(36.) conf. *Matth. XIII.*
(37.) conf. *Matth. XIII. 35.*

§. *XVII.* Illa igitur instituta sacra, quorum nomine ea omnia complectimur, quæ ad doctrinam, cultum & disciplinam pertinent, consentire omnino debent doctrinæ Christi & apostolorum, finique & indoli societatis christianæ. Sed ut in hominibus varia est cognitionis mensura, varium inprimis & anceps sæpe in religionem christianam studium; ita mirum videri non debet, in variis *vocatorum*, quas diximus, ecclesiis varia mentique Christi & apostolorum magis minusve conformia instituta sacra vigere. Itaque *puram* adpellamus ecclesiam, cujus doctrina, cultus publicus & regimen cum verbo divino consentit absque defectu notabili; (38.) *impuram* vero, cujus doctrina, cultus publicus & regimen a verbo divino recedit & corruptelas, veritati commixtas, habet. Illa autem impuritas plurimos gradus admittit, qui vero non efficiunt, ut *verae* nomine indigna fiat ecclesia *falsa*que dici mereatur, (39.) nisi corruptelæ, veritati admixtæ, tales sint tantæque, ut ea doctrinæ christianæ capita tollantur & negentur, per quas fides debet generari & conservari, itaque membrum talis ecclesiæ, sacrorum, quæ in ecclesia vigent, institutorum beneficio (40.) veri christiani beatitudinem obtinere nequeat.

§. *XVIII.* Ipsa illa, quam modo enarravimus, in variis ecclesiis doctrinæ cultusque varietas novæ divisionis caussa est, ut distinguantur ecclesiæ *Pontificia*, *Reformata*, *Augustanæ confessioni addicta*, *Graeca*, (41.) *Remonstrantium*, (42.) & quæ aliæ a diversis

(38.) vid: ven. D. D. Sartorii *post. theol.* 862.

(39.) vid. laudatas *positiones theologicas* §§. 863. 864. B. Canzius *compend. theol. purioris* p. 1066. sq. eam ipsam ob caussam, quod etiam *impura* ecclesia *vera* nihilominus esse potest, divisionem ecclesiarum in *puras* & *impuras* ita exprimit, ut alias dicat esse *puritus veras*, alias *impuritus veras*.

(40.) Quod lucis aliunde oritur singulis ecclesiæ *falsæ* membris, nunc non attendimus, ubi de natura *ecclesiæ* loquimur.

(41.) Ecclesia *Græca* seu *Orientalis* distinguenda est ab *Occidentali* seu *Latina*, a qua post varias antiquiores dissensiones & acerrima episcoporum Romanorum & patriarcharum Constantinopolitanorum dissidia tandem seculo IX. cum Photius, patriarcha Constantinopolitanus, in suis cum Romano pontifice contentionibus, latinæ ecclesiæ doctrinam de processione Spiritus S. a Filio, ut intrusam symbolis mala fide, exprobraret, funesto schismate sejuncta est, quod seculo XI. pontifice Romano Leone IX & patriarcha Constantinopolitano Michaele Cerulario, multo etiam manifestius erupit & ita insanabile factum est, ut unio, varie quidem & inprimis in concilio *Florentino* A 1439. tentata, parum stabilis fuerit, maximaque pars ecclesiæ Græcæ suas sibi res habere pergat, etsi in *Venetorum* ditionibus in Archipelago, & in ipso etiam oriente, reperiantur ecclesiæ Græcæ unitæ seu λατινοφρονες, de quarum historia pluribus eruditis scriptis bene meritus est doctissimus Leubet, professor Stuttgardianus meritissimus. Est autem ecclesia græca *purior* & *orthodoxa*, quæ tenet doctrinas, publicis VII. conciliorum œcumenicorum, *Nicæni*, *Constantinopolitani*, *Ephesini*, *Chalcedonensis*, *Constantinopolitani II.* & *III.* (cum *Trullano* seu *quinosexto*) & *Nicæni II.* decretis sanctas. Ea complectitur *Graecos*, patriarchis *Constantinopolitano*, *Alexandrino*, *Antiocheno* & *Hierosolymitano* parentes, qui ab obsequio erga Cæsarea decreta concilii *chalcedonensis Melchitarum* seu regiorum, cæsareorum, nomen invenerunt, (etsi strictius etiam accipi soleat *Melchitarum* nomen de iis, qui tribus postremis patriarchis subsunt, ubi nimirum primo subjecti adpellantur strictiore sensu *Græci*, nempe & religione & origine etiam ac gente tales.) Præterea vero complectitur *Georgianos* & *Ruthenos*, de quorum ecclesia adcuratissime & eruditissime egit reverendiss. cancell. D. D. Reuss in diss. A. 1762. de hoc argumento edita, inserta quoque *opusculorum theolog. fasciculo I. p. 263.* seqq. Ecclesia græca *impurior*, seu *schismatici* græci, vel *duorum* tantum primorum, vel *trium*, vel *quatuor* conciliorum œcumenicorum decreta sequuntur, prout vel sunt *Nestoriani* seu *Chaldæi*, vel *Monophysitæ*, in quorum numero sunt *Jacobitæ*, *Copti*, *Habessini* & *Armeni*, in *Syria*, *Ægypto*, *Æthiopia* & *Armenia* habitantes, vel *Monothelitae*, ut *Maronitae* antiquiores, nondum *uniti*. Pleniorem ecclesiæ græcæ notitiam haurire licebit ex Heineccii *eigentlicher und warhaftiger Abbildung der alten und neuen griechischen Kirche*; Zeltneri *breviario controversiarum cum ecclesia graeca*; Baumgartenii *Geschichte der Religions-partheyen sect. VI. VII. p. 525. seqq.* cel. Stapferi *institt. theol. polem. tom.* V. p. 56. seqq. cap. XIX. & Walchii *Einleit. in die Religions-Strittigkeiten ausser der Lutherischen Kirche* cap. VIII. p. 704 seqq.

(42.) *Arminiani*, qui a Jac. Arminio originem ducunt, *Remonstrantes* solent dici a *Remonstrantia* quo-

sis fidei professionibus & symbolis petitæ denominationes frequentantur.

§. *XIX.* Quoniam vero non omnes diversarum professionum ecclesiæ iisdem ubique *juribus* & *privilegiis* gaudent, ecclesia in imperio quodam, vel provincia, aut *privilegiata* est, aut *minus privilegiata*, aut *tolerata*, aut *pressa*. *Privilegiata* est, quæ liberum publicumque religionis exercitium habet, cum pendentibus inde effectibus civilibus. *Minus privilegiata* est, quæ libero quidem & per pacta concesso gaudet religionis exercitio, sed privato. *Tolerata* dicitur, quæ religionis suæ exercitium magistratus indulgentiæ debet. *Pressa* denique variis ob caussam religionis adficitur molestiis, immo persecutionibus (43.). Ecclesia *privilegiata* adpellatur *dominans*, respectu habito vel ad minus privilegiatas, toleratas, pressas, quæ una habitant, vel ad privilegiatas alias, præ quibus variis certe prærogativis civilibus eminet.

§. *XX.* Cæterum ejusdem etiam confessionis ecclesiæ, in iis quoque provinciis, in quibus liberum omnino habent & publicum religionis suæ exercitium, non omni ex parte æqualibus prærogativis fulgent, sed alia sæpe alii quodammodo subordinata est. Vel enim ecclesia quædam proprias ædes sacras habet, vel non habet. Si non habet, *unitur* alii ecclesiæ, ejusque templum frequentat, communemque cum ea parochum habet. Si vero habet proprias ædes sacras, varia nihilominus ratione pendere potest ab alia, sic, ut vel parochus cum alia illa ecclesia, in qua is sedem fixit, quæque *matris* nomine insignitur, communis ipsi sit, eaque inde *filia* vel *filialis ecclesia* adpelletur, vel suum quidem sibi habeat verbi divini ministrum, sed qui aut orationes tantum sacras habeat in templo, proprio ecclesiæ, quod ista ratione non est nisi *Oratorium*, animarum vero curam & sacramentorum administrationem alius ecclesiæ parocho relinquere debeat, aut animarum quidem curam gerat & sacram cœnam administret, non item vero baptismum, alii principaliori ecclesiæ adfixum. Postremum ubi obtinuerit, ecclesia audire solet *semiparochialis*, cum *parochialis* ecclesia a *suo* parocho & doceatur & accipiat utrumque sacramentum. Cæterum etiam ecclesia *filialis*, etsi *proprium* parochum non habeat, tamen in iis, quæ de baptizandi jure observata sunt, *semiparochialis* rationem sæpe sequitur, immo & nudum sæpe *Oratorium* habet, etiam sic, ut, certis temporibus, quibus a parocho conveniuntur, exceptis, cum *matre*, quam tenentur sequi, communem cultum habeant parochiani.

§. *XXI.* Ecclesiæ *parochiali* opponuntur *cathedralis* & *collegiata*. In *illa* residet *episcopus* ipse cum capitulo; *haec* est *canonicorum*, & collegium quidem habet seu capitulum, sed nullum episcopum, in ipsa residentem, verum ecclesiæ catheuralis episcopo subest, qui pluribus ecclesiis collegiatis ut filiabus præesse potest. De ecclesiis *conventualibus*, quæ monachorum sunt, dicere nil attinet. (44.)

§. *XXII.* Dum episcoporum mentionem (§. XXI) facimus, admonemur de illo ecclesiarum discrimine, quod a *forma regiminis ecclesiastici* petitur. Itaque vel *episcopalis* est ecclesia, vel *non* est *episcopalis*. *Illa* non modo varios ministrorum ecclesiæ gradus constituit, sed etiam ordinem & dignitatem, successionem & disciplinam episcopalem jure *divino* niti & necessario in ecclesia obtinere putat (45.) Hæ

quinque articulorum, decreto electionis absoluto oppositorum, quam ordinibus Belgii fœderati A. 1610. obtulerunt, & quæ damnata est annis 1618 & 1619. in Synodo *Dordracena*. Ceterum multi non iIIis quinque tantum articulis ab ecclesia reformata dissident, sed errores quoque Socinianos & Latitudinarios fovent. Conf. ZELTNERI *breviarium controversiarum cum Remonstrantibus.*

(43.) conf. ill. BOEHMERI *jus. eccl. protest. tom. II. p. 34. diss. praelim. §. XXXVII.*

(44.) Pleniorem notitiam qui desiderat, ei adeundus ill. BOEHMERVS *jur. eccles. tom. III. p. 499. libr. III. tit. XXXVII. §. LXXVIII.*

(45.) *Episcopalis* est non *Pontificia* tantum ecclesia, sed inter ipsas etiam *protestantes* ecclesias *Anglicana*, quæ, ut *presbyteros* in varios *Decanorum*, *Archi-*

Hæ (46.) vel omnino non agnoscunt ministerium ecclesiasticum, omnibusque ecclesiæ membris æqualem, ministerio verbi & sacramentorum fungendi, potestatem faciunt, (47.) vel ministerium quidem ecclesiasticum agnoscunt, sed aut omnibus evangelii ministris æqualem dignitatem tribuunt, (48) aut varios eorum gradus constituunt, quos vero juris tantum *humani* esse fatentur. (49.)

§. *XXII.* Divisioni, adhuc expositæ, conjuncta est alia, quæ *exercitium jurium ecclesiasticorum* spectat. Quum enim ecclesia *synthetica*, quo nomine sacer cœtus universus, ex doctoribus & auditoribus constans, significatur, tum ob multitudinem eorum, qui societatem inierunt, tum inprimis etiam, quod non omnes necessaria rerum tractandarum peritia ceterisque ad res bene gerendas requisitis ornati sunt, jura sua omnia exercere ipsa facile non possit: consultum omnino est mandare certis ecclesiæ membris, ut nomine totius ecclesiæ agant, obortasque v. c. de doctrina, moribus & ritibus christianorum quæstiones expendant & dijudicent. A horum delegatorum collegium ecclesia *representativa* audit. (50).

*XXIII.* Atque ita, enumeratis præcipuis ecclesiæ speciebus, finem huic observationi imponimus. Supersunt quidem aliæ nonnullæ divi-

*Archidiaconorum*, *Rectorum*, *Vicariorum* ordines distribuit, sic *episcoporum* ordinem ab ordine presbyterorum jure *divino* distinctum esse, variisque prærogativis, ut dignitatis, jurisdictionis in ecclesiam ejusque presbyteros, juris ordinandorum cum ministrorum ecclesiæ tum catechumenorum, eminere putat. Quamquam in ipsa etiam ecclesia Anglicana *Low-Churchmen*, quos vocant, secus, ac rigidiores illi, qui *High-Churchmen* audiunt, episcopalem quidem ecclesiæ formam præstantissimam judicant, sed alias tamen ecclesias, in quibus ordo & disciplina episcopalis non viget, pro veris nihilominus habere non recusant. Caeterum, non doctrinæ tantum, sed ipsius etiam *regiminis ecclesiastici* ratione habita, multum inter se distant ecclesia *Anglicana* & *Pontificia*, siquidem illa nihil potestatis in se Romano Pontifici concedit, sed supremam auctoritatem regi tribuit. Qui penitius nosse cupit ecclesiam Anglicanam ejusque adversarios, paulo post commemorandos, consulat b. Pfaffii *jus. ecclesiast. hbr. II. cap. VI. §. III. s. p.* 1 — 109. Baumgartenii *Geschichte der Religionspartheyen sect. XI. p.* 870. seqq. Bentheimii *Engelænderschen Kirch- und Schulen-Staat cap. XXV. XXVI. p.* 507. seqq. ut alios auctores taceamus.

(46.) Regiminis episcopalis adversarii in Anglia veniunt nomine *Dissentientium* (*Dissenters*,) *Nonconformistarum*, *Puritanorum*, eorumque duo potissimum genera observantur. Alterum est *Independentium*, seu *Congregationalistarum*, qui originem traxerunt a veteribus Angliæ *Separatistis*, alterum vero est *Presbyterianorum*. De utroque hoc *Dissentientium* seu *Puritanorum* genere mox plura dicemus.

(47.) In ea sententia fuit pars *Independentium* & na-



torum inde *Anabaptistarum* vel, ut ipsi loquuntur, *Baptistarum* Angliæ.

(48.) Ejus generis sunt *Independentes* plerique & *Presbyteriani* in Anglia. *Illi* singulas ecclesias sui juris & independentes esse volunt. *Hi* singulis quidem ministris jurisdictionem in ceteros nequaquam tribuunt, sed *congregationibus* presbyterorum jurisdictionem omnino concedunt in doctores singulos & ecclesias. Vnusquisque ministrorum subest *classi* suæ, hæc *synodo provinciali*, quæ ipsa subordinata est *nationali*. Similem fere regiminis formam Reformatorum ecclesiæ pleræque in Belgio & in Germania quoque sequuntur.

(49.) Ita etiam nostræ professionis ecclesiæ suos *Superintendentes* habent tam *generales*, quam *speciales*, quos alibi *Praepositos* & *Inspectores* vocant, quibusque subsunt *Pastores* & *Diaconi*. Immo in *Dania* & *Suecia Episcopos* quoque videas, quorum autem ordo non censetur juris divini esse, quorumque prærogativæ non eo valent, ut soli valide ordinare posse putentur, siquidem & *Praepositi* ordinare solent.

(50.) Variæ hoc loco quæstiones occurrunt, ut de *conciliorum* origine, convocatione & auctoritate, quibus vero satisfacere, non est nostri instituti, ad quod variorum ecclesiæ generum enumeratio unice pertinet. Consuli de illis possunt auctores systematici, e quibus Hollazium in *examine theologico acroamatico p.* 1320. *seqq. edit. novissi.* nominasse sufficiat. Adjungi potest Pfaffii *jus ecclesiast. libr. V. cap. IV. p.* 297. *sq.* Exstant quoque Jo. Chrst. Klemmii *duae disputationes*, altera *dogmaticopolemica*, altera *de ecclesia christiana repraesentativa*, quae in lucem editae sunt Tubingae annis 1747. & 1748.

diviſiones, quæ vero vel a ſcopo noſtro longius abſunt, quam ut eas prolixius commorandas eſſe exiſtimemus, (51.) vel nulla declaratione indigent. (52.)

## OBSERV. II.

### *An cognitio eccleſiæ præcedere debeat cognitionem fidei chriſtianæ? an vero ipſius doctrinæ chriſtianæ examen prius ſit inſtituendum, quam ad cognitionem eccleſiæ veræ perveniri queat? ſive* DE VIA AVCTORITATIS ECCLESIAE ET VIA EXAMINIS DOCTRINAE.

§. I. Licet controverſiæ de ECCLESIA non fuerint e primis atque *praecipuis*, quæ ſeceſſioni proteſtantium ab eccleſia romana proximam dederunt occaſionem, ſed duntaxat ex *ſecundariis*, quæ ex aliis ſuam duxerunt originem; inde tamen ab eo tempore, quo cœtus romani doctores, cauſſæ ſuæ bonitati in variis religionis ſuæ capitibus diffiſi, ſe ad eccleſiæ cumprimis receperunt auctoritatem, hæ ipſæ controverſiæ, quæ ad doctrinam de ECCLESIA ſpectant, ſenſim ſenſimque factæ ſunt principales, in quibus eccleſiæ Romanæ defenſores præcipuum cauſſæ ſuæ præſidium collocare videntur. Solent nimirum, inter alia, hoc inprimis urgere, ſi quis dijudicare velit, quænam inter chriſtianos diſſentientes vera ſit religio, in qua ſempiternam alicui certo ſperare liceat ſalutem? eundem duplicem duntaxat viam, ſeu rationem ingredi poſſe; unam eſſe VIAM AVCTORITATIS *eccleſiae*, alteram vero VIAM EXAMINIS *doctrinae*. Quum hæc poſterior via, *particularis* ſcilicet *examinis* omnium dogmatum religionis chriſtianæ, multis difficultatibus ſit obnoxia, maximaque hominum pars citius moriatur, quam ut omnes fidei articulos percurrere adcurateque examinare queat; quum porro multi ſint mortalium, qui ea judicandi facultate haud pollent, ut viam examinis ingredi poſſint, verb. grat. idiotæ, nondum adulti, mulieres, infantes, aliique; quum denique longe ſit periculoſiſſimum, ut quis ſuo privato judicio credat, hoc vel illud dogma in ſanctioribus litteris fundatum eſſe; exinde ſponte ſua conſequi, ineundam eſſe alteram *viam*, quæ eſt AVCTORITATIS, ſiquidem omnis homo, qui obligatus eſt ad cognoſcendam aliquam veritatem, quam propriis viribus invenire nequit, neceſſario ab alio quodam eandem addiſcere debeat. Atque ex hac neceſſitate rurſus hoc fluere conſectarium, quod, ſecundum præſcriptum ipſius ſanæ rationis, nihil poſſit eſſe melius, quam ſe ſubjicere AVCTORITATI *eccleſiae*, & quidem *romanae*, quæ omnium in hocce mundo ſit maxima, & pro ſe tam eximias habeat promiſſiones adſiſtentiæ luminisque divini. Eſt hæc una ex præcipuis iſtis methodis, quas nonnulli ex recentioribus eccleſiæ romanæ theologis, præſertim Gallis, excogitarunt, vel ſaltim excogitaſſe ſe aliis perſuadere voluerunt, ad reducendos in gremium eccleſiæ Romanæ eos, quos vulgo vocant, hæreticos (1); de qua, ad-

(51.) Qui v. c. diviſiones, quod eccleſiæ vel ſint *vaſallae*, bonaque, in feudum ſibi data, poſſideant, vel *non* ſint *vaſallae*; vel *patronatae*, in quas patronus, qui eas fundavit vel dotavit, certa ſibi jura ſervaverit, vel *minus patronatae*, in hac noſtra tractatione deſideraverit, juris eccleſiaſtici ſcriptores adire debebit, e quibus laudamus ill. BOEHMERI *jus eccleſiaſt. tom. II. p. 881. ſeqq. libr. III. tit. XX. n. IX. §. LXX. ſeqq.* & *tom. III. p. 462. ſeqq. libr. III. tit. XXXVIII.*

(52.) Inter has referimus notiſſimam eccleſiæ diviſionem in *plantatam* & *plantandam*, de qua conferri poſſunt ven. DD. SARTORII *poſitiones theol. §. 850.*

(1) Legenda, quae de variis hiſce methodis ſcripſerunt FRID. SPANHEMIVS *oper. theolog. tom. III. p. 1037. ſeqq.* GOTTLIEB WERNSDORFIVS, in *methodo ponti-*

adjuvante Deo T. O. M. brevem jam inſtituemus tractationem.

§. II. Antequam vero ad ipſius argumenti penitiorem evolutionem accedamus, nonnulla, quæ ad hiſtoriam hujus controverſiæ, inter viros eruditos agitatæ, pertinent, præmittemus. Notamus itaque ante omnia, fuiſſe jam ipſo reformationis tempore nonnullos, ex eccleſiæ romanæ doctoribus, qui eandem cum proteſtantibus diſputandi rationem ſibi ineundam eſſe cenſuerint, quam alii recentiori ævo magno conſenſu adoptaverint, ſtrenueque contra proteſtantes urſerint. Ex iis, qui hoc fecerunt, eminet cumprimis Jo. Eccivs, academiæ Ingolſtadienſis quondam procancellarius, ſeculo XVI. clarus. Is enim, contra Lvthervm diſputaturus, initium diſputationis ſuæ fecit ab *eccleſia*, quippe a qua ſcripturæ auctoritas atque interpretatio, adeoque omnium dogmatum firmitas dependeat; prout alibi de eo obſervavit b. Gerhardvs noſter (2).

§. III. Eccio ex ſubſequentis ſeculi ſcriptoribus adjungimus Franciscvm Veronivm, Jeſuitarum familiæ adſcriptum (3), & Bartholdvm Nihvsivm, qui, relictis proteſtantium ſacris ad romanam tranſiit eccleſiam, atque ad abbatis dignitatem in ea evectus eſt. (4) In eam enim duumviri illi deſcenderunt ſententiam, eccleſiæ romanæ non incumbere onus probandi in rebus ad religionem ſpectantibus, quia ſit in poſſeſſione veritatis, tituloque *præſcriptionis* ſe tueri queat; proteſtantium autem officium poſtulare, ut ea, quæ vel adfirment, aut contra pontificios negent, demonſtrent, & quidem ex ſola ſacra ſcriptura iisdemque verbis, quibus contraria ſententia exprimatur. Quod ipſum cum proteſtantes facere nequeant, exinde facile patere, omnem in rebus fidei certitudinem non in ratiociniis e ſcriptura deductis, ſed ab ore aliquo infallibili, quod quidem totus proteſtantium cœtus ignoret, repetendam eſſe. Jam vero, ſi hoc ipſum curatius expendamus, revera nihil aliud eſt, quam *auctoritatis* viam adprobare (5), *examinis* autem penitus



*tificiorum conciliandi pacem cum proteſtantibus per viam auctoritatis*, cujus ſecunda editio Vitemberg. *MDCCXXIII.* prodiit; Dan. Maichelivs in diſſert. hiſt theolog *de variis eccleſiæ romanæ molimnibus methodisque in revocandis convertendisque, quos vocant, hæreticis*, quae Tubing. *MDCCXXIV.* prodiit, itemque in alia diſſertatione *de via auctoritatis atque examinis, deque diverſis utriusque effectibus*, Tubing. *MDCCXXX.* typis exſcripta, & Jo. Ge. Walchivs in *der Einleitung in die Religionsſtreitigkeiten auſſer der evangel. lutheriſchen Kirche part. I. p. 55. ſeqq. part. II. p. 225 ſeqq.* nec non in *biblioth. theolog. ſelecta, tom. II. cap. V. ſect. XIII. p. 309. ſeqq. & p. 336.* Vt alios taceamus.

(2) Fecit hoc in loco *de eccleſia cap. IX. §. CIV. oper. tom. XI p. 142.*

(3) Scripſit Veronivs ſermone gallico librum, hac inſignitum inſcriptione: *methode de traiter les controverſes de la religion*, qui Pariſiis MDCXXXVIII. lucem adſpexit publicam. Latine quoque exſtat hicce liber ſub titulo ſatis thraſonico: *methodus nova, facilis & ſolida, hæreſin ex fundamento deſtruendi, & refutandi confeſſionem Gallicam, Auguſtanam, Saxonicam, libros denique omnes proteſtantium.* Licet autem Veronio praeviſſe videantur Jo. Conterivs, ſive ut alii ſcribunt Contierivs, ſocietatis Jeſu ſacerdos, atque Renatvs Benedictvs, quorum *ille* librum, ſub titulo: *la vraye procedure, pour terminer les differente en matière de Religion* Cadomi *MDCVII.* 8. edidit; hic vero *ſtromata in univerſum organum biblicum, ſ. panopliam adverſus omnes nunc vigentes hæreſes* jam anno *MDLXVI.* 8. evulgavit, Venetiis *MDCVII.* recuſam; certum tamen eſt, Veronivm methodo iſti, de qua heic ſermo eſt, non tantum majorem ſpeciem, ſed & majorem celebritatem conciliaſſe, ut paſſim *Veroniana* adpellari ſoleat.

(4) Edidit Nihvsivs *artem novam, dicto ſacræ ſcripturæ unico lucrandi e pontificiis plurimos in partes Lutheranorum, detectam nonnihil & ſuggeſtam Helmſtetenſibus, Georgio Calixto præſertim & Conrado Hornejo, qui monentur, immo etiam atque etiam rogantur, ne compendium hoc negligant*, Hildes. *MDCXXXII. 4.* Per ironiam quandam, auctorem in libri ſui inſcriptione dixiſſe, arte iſta, de cujus inventione ſe jactat, theologos Lutheranos plurimos ex pontificiis lucrari poſſe, ſapiens quisque facile intelligit. De ejus vita ſcriptisque copioſe diſſeruit Petr. Baelivs in *dict. hiſt. & critique tom. III. p. 510. ſeqq.* edit. noviſſ. Add. Jo. Fabricivm in *hiſtor. biblioth. ſuae, part. VI. p. 509 ſeqq.* atque b. Byddevm in *iſagog. in theolog. univerſam p. 1275. ſeqq.*

(5) Obſervavit hoc ipſum Baelivs, qui *loc. cit. p. 511.* de Nihvsio ejusdemque ſententia ſequentem in modum pronunciat: *il mettoit tout ſon fort dans le beſoin,*

tus reiicere, licet vocibus hisce isto ævo nondum adhuc usi sint scriptores polemici. Refutarunt vero hosce duumviros, præter alios, ex Reformatis, NICOL. VEDELIVS (6), itemque ex nostræ ecclesiæ doctoribus GEORG. CALIXTVS, Helmstadiensis academiæ olim professor (7).

§. *IV.* Nec prætermittendi heic sunt PETRVS & ADRIANVS *de* WALENBVRCH (8), fratres Batavo-Roterodamenses, ex illustri gente orti, qui post mutatum locum Coloniæ deinceps sedem fixerunt, atque episcopatibus titularibus ab ecclesiæ Romanæ præsule fuerunt ornati. Hi VERONIVM ac NIHVSIVM secuti, statuerunt inter alia, methodum præscriptionis atque *auctoritatis*, quam *Augustinianam* vocabant (9), præcipue contra protestantes adhibendam, conclusiones vero theologicas amputandas nec pro verbo Dei agnoscendas esse. Adversarios, qui cum iis, vel quibuscum ipsi disputarent bellaque litteraria gererent, habuerunt quamplurimos. Sufficiat ex ingenti eorum agmine Jo. CONRAD DANHAVE-

*soin, que les chrétiens ont d'un juge, qui décide de vive voix leurs disputes infailliblement; car l'ecriture étant une loi, qui ne peut parler que par le sens qu'on lui donne, & les controverses étant fondées sur les interpretations diverses que l'on donne a l'écriture, c'est une necessité, disoit il, ou que jamais on ne termine les contestations des chrétiens, ou qu'il y ait dans l'église une authorité parlante, à laquelle tous les particuliers soient obligés se soûmettre. Il mettoit cette authorité dans la personne du pape: & quand on lui objecta la mauvaise vie de plusieurs papes, il eut la hardiesse, de retorquer cette objection contre les auteurs de l'écriture.* Profecto non luculentius, quam hac ipsa ratione, testari poterat NIHVSIVS, quod nulla scripturae sacrae tangeretur veneratione; prout ex vero judicarunt viri quidam docti. Lectu prorsus digna sunt, quae hac de re differit laud. BAELIVS *loc. cit. not.* (E) Conferenda, quae de artis Nihusianae summa adnotata leguntur partim in illius *epistola* ad CASP. BARLAEVM ann. *MDCXXIV.* exarata, in *app. Remonstrant. p. 702. seqq.* partim vero in *litteris amœbæis* VOSSII & GROTII, *loc. cit p. 787. seqq.*

(6) Fecit id VEDELIVS in *rationali theologico; seu de necessitate & vero usu principiorum rationis & philosophiæ in controversiis theologicis, libris tribus*, Genevae ann. *MDCXXXVIII.* 8. Quum vero auctor hujus scripti causam reformatae ecclesiae heic propugnandam susceperit, atque insimul nostrae ecclesiae doctoribus objecerit, eos occasionem novae hujus methodi pontificiis suppeditasse, quum in controversiis theologicis de sacra coena, itemque de persona Christi, nullum principiis rationis locum voluerint concedere, calamum contra eum strinxit Jo. MVSAEVS, theologus quondam Jenensis isque praestantissimus, edito libro, singulari adcuratione scripto, cui titulus: *de usu principiorum rationis & philosophiæ in controversiis theolog.* qui Jenae *MDCXLIV.* in 8. primum prodiit, atque ibidem ann. *MDCLXV.* & *MDCXCVII.* fuit recusus. Scripsit quoque NIHVSIVS, cujus modo mentionem fecimus, contra VEDELIVM, qui vero partes pontificiorum, quorum sacra amplexus fuerat, in se defendendas suscepit.

(7) Occasione CALIXTI, quem supra laudavimus, paucis heic notamus, *Nihusium* eo tempore, quo religioni evangelicae adhuc erat addictus, in academia Helmstadiensi litterarum studiis navasse operam, ac postea ubi ad Romanam transiit ecclesiam *artem*que quam vocat, *novam* evulgavit, passim significasse, se artis hujus quid a theologis Helmstadiensibus, speciatim a GEORGIO CALIXTO, didicisse. Hinc laudatissimus CALIXTVS suarum duxit esse partium, NIHVSIO respondendi, ejusdemque artem novam confutandi, id quod egregie praestitit in *digressione de arte nova, quam nuper commentus est* BARTHOLD. NIHVSIVS, & quam *epitomæ* suae *theologiæ moralis*, Helmstadii ann. *MDCXXXIV.* typis exscriptae subjunxit, atque hanc ipsam ob causam *digressionem* adpellavit, quia a tractatione theologiae moralis ad refellendam *artem novam* digrederetur. Seorsim postea prodiit haec *digressio*, seu *tractatus de arte nova* Francofurti MDCLII. 4.

(8) Horum *opera* junctim prodierunt, duobus volumi. nibus comprehensa, Coloniae *MDCLXX* in fol. Vid. quae Jo FABRICIVS in *hist. bibliothe. suae, part. II. p. 127. seqq* de iis adnotavit.

(9) Titulus libri, quem ediderunt, hic est: *methodus Augustiniana defendendi & probandi fidem catholicam ex solo verbo Dei* Prodiit hicce liber Coloniae Agrippinae primum ann. *MDCXLV.* deinde auctior & emendatior MDCXLVII. 8. *MDCLX.* 4. Insertus quoque est WALENBVRCHIORVM *operibus*, in praecedenti nota adlegatis. Reste vero adnotarunt viri eruditissimi, methodum, a *Walenburchiis* in hocce scripto adoptatam, nullo modo *Augustinianam* esse, siquidem AVGVSTINVS nunquam ea usus sit, sed *Arianam* potius, vel *Donatisticam* dicendam esse. Vid. WERNSDORFFII, theologi quondam Wittebergensis praestantissimi, diss. *de methodo pontificiorum conciliandi facem cum protestantibus per viam auctoritatis, thes. IV. §. 3. & 5. p. 17.*

HAVERVM (10), theologum quondam Argentoratensem, BALTHASAREM BEBELIVM (11), qui doctrinam sanctiorem primum in academia Argentoratensi, deinde Wittebergensi publice docuit, itemque Jo. PAVL. FELWINGERVM (12), theologum Altorfinum, PETR. HABERKORNIVM (13), Giessensis academiae olim theologum, ac cumprimis Jo. GEORG. NEVMANNVM (14), qui Vittebergense olim ornavit academiam, paucis heic nominasse.

§. *V.* Binis hisce fratribus Batavis ad latus ponimus duos scriptores Italos eosque haud incelebres, VALERIANVM *magnum*, ex nobili Mediolanensium familia, qui mutato nomine Capucinorum ordini sese adsociavit; itemque SFORTIAM PALLAVICINVM, patria Romanum, ex prosapia marchionum status PALLAVICINI, ecclesiae Romanae presbyterum cardinalem. De VALERIANO ut dicendi faciamus initium, is omnes, quae de religione exortae sunt, controversias ad articulum de *ecclesia*, cujus caput pontifex Romanus sit, revocavit, vocemque *ecclesiae*, id est, pontificis, regulam praebere, quam sequi nos deceat, magna sophismatum, suppositionum & petitionum principii serie comprobare annisus est (15); refutatus eapropter a Jo. MAJORE (16), theologo Jenensi, Jo. BOTSACCO (17), Gedanensi, JAC. MARTINI (18), Wittebergensi, PETRO HABERKORNIO (19), supra jam laudato, Jo. AMOSO COMENIO



(10) Edidit DANNHAVERVS Argentorati *MDCXLVIII. polemosophiam, seu dialecticam sacram*, speciatim sic dictae *methodo Augustinianae* hujusque architectis fratribus WALLENBVRCHIIS oppositam, in 8. Spectant huc quoque ejusdem *onirocriticum Batavorum*, *Adriani & Petri de Wallenburch deliquia. MDCL, 8.*

(11) Exstat BEBELII *polemosophia victrix*, qua DANNHAVERI partes contra *Walenburchios* defendendas in se suscepit, Argentorati MDCLXIV. 4. edita.

(12) FELWINGERI *examen methodi Augustinianae, ab Adrian. & Petr. de Walenburch conscriptae*, Altorfi MDCLVII. 8. lucem adsoexit publicam.

(13) HABERKORNIVS *heptadem disputationum anti-Walenburchicarum* Giessae MDCLVIII. 4. edidit.

(14) Exstat peculiaris Jo. GE. NEVMANNI dissertatio *de methodo Augustiniana contra Walenburchios*, Vitemberg. MDCLXXXIX. primum edita, quae postea ejus *primitiis dissertat. academicar. p. 328.* fuit inserta. Caeterum, fratres *Walenburchii*, praeter eos, quos heic recensuimus, alios quoque experti sunt adversarios, qui vero ad hunccc locum non pertinent. Recensuit eosdem Jo. FABRICIVS *loc. cit. p. 130.* Adjungimus iisdem clariss. M. CAROL. FRIDER. ENGELHARTHVM, qui in peculiari dissertat. *de methodo praescriptionis ad dogmata resque sacras adplicata*, ann. MDCCLI. Tubingae edita, ac nostro sub praesidio publice defensa, *sect. II. p. 15. seqq. Walenburchios* data opera confutavit.

(15) Fecit VALERIANVS id in variis scriptis, ex singulari studio res protestantium immiuuendi in lucem publicam editis, ex quibus, praeter *methodum revocandi acatholicos ad ecclesiam catholicam*, heic cumprimis in censum venit ejusdem *judicium de acatholicorum*, nec non *de catholicorum regula credendi*. Singuli istu libelli initio seorsim, deinde conjunctim Coloniae MDCXLI 4. prodierunt. Plura de hocce scriptore, ex suis non tantum cum theologis protestantibus, sed & cum ERNESTO, Hassiae Landgravio, & Jesuitarum familia certaminibus incluto, legi possunt in FRID. SPANHEMII *oper. theol. tom. III. p. 1041. seqq.* Jo. FABRICII *hist. biblioth. stae p. 206.* Jo. FRANC. BVDDEI *isagog. in theolog. universam p. 1277.* Cumprimis vero LVCAS WADDINGVS, qui *biblioth. scriptor. ordinis minorum* edidit, evolvi heic meretur.

(16) Edidit Jo. MAIOR *castigatum Valerianum magnum de acatholicorum & catholicorum regula credendi*, Jen. MDCXXX. 8.

(17) Hujus exstat *anti-Valerianus* Lipsi. MDCXXXI. 8.

(18) Confutavit is VALERIANVM in *vindiciis ecclesiae Lutheranae*, Vitemberg. MDCXXXI. 8. editis.

(19) Edidit HABERKORNIVS, strenuus prae reliquis in hoc certamine veritatis defensor, *Anti-Valerianum, id est, solidam ac succinctam refutationem duorum illorum tractatuum falsissimorum Valeriani, quos vocat: judicium de acatholicorum & catholicorum regula credendi*; quae novem constat disputationibus, ac Giessae MDCLII. 4. typis suit exscripta. Prostat quoque ejusdem auctoris *adpendix anti-Valeriani, cum adpendice actorum Rheinfelsanorum, sive verae & candidae relationis actionum illarum, quae Rheinfelsae in disputatione privata mihi institutae & alibi occurrunt*, edita eodem loco & anno. Cum in ipsa hujus libri inscriptione colloquii *Rheinfelsensis* fiat mentio, paucis notamus, hocce colloquium privatim habitum fuisse anno MDCLI. auctoritate ERNESTI, Landgravii Hassiae, principis reformati, sed ad pontificiorum partes inclinantis, inter HABERKORNIVM modo laudatum, & BALTH. MENZERVM theologiae professores Giessenses, itemque VALERIANVM MAGNVM nonnullosque fratres Cappucinos

(20), itemque a Jo. Maresio (21), celebri ecclesiæ reformatæ theologo, aliisque. Quod vero ad cardinalem Pallavicinvm attinet, is fidem ecclesiæ Romanæ paucis hisce verbis complectitur: *Nostra fides*, inquit, *unico articulo individuo universa innititur, qui est auctoritas ecclesiae, falli nescia; quapropter statim atque quamcunque partem desereremus, universa corrueret, cum in comperto sit, individuum vel integrum perstare, vel integrum deficere* (22).

§. *VI.* Nec prætermittendum heic est, in ipsa quoque Anglia, cum ibidem superiori seculo papatus in dies magis magisque invalescere, ipsique ecclesiæ Anglicanæ ruinam atque interitum minitari videretur, viros quosdam eruditos romanensium sacris addictos, controversiam de via *examinis* atque *auctoritatis* excitasse, auctoritatemque ecclesiæ contra protestantes strenue urusse. Fecerunt id cumprimis socieratis Jesu theologi, speciatim vero Jo. Fischervs, cancellarius academiæ Cantabrigiensis & episcopus Roffensis, qui inter meliores exactioresque controversiarum sui temporis scriptores a nonnullis referri solet (23). Ast non defuerunt ex altera parte in ipsa Anglia viri præstantissimi, qui insultus Romanensium reprimere, eorumque copias profligare suarum duxerunt esse partium. Præter enim ea, quæ Wilhelmvs Lavdvs, archiepiscopus Cantuariensis (24), Fischero aliisque fidei romanæ sociis opposuit, (25) acu-

nos. Proposuerat princeps in hocce colloquio utrique parti nonnullas quæstiones, quibus unaquaevis pars pro suis hypothesibus respondit. Colloquio finito, princeps deserta religione reformata ad pontificiam transiit, eandemque Colonie publice est professus. Acta haec ab utraque parte statim sub initium sequentis anni luci publicae fuerunt exposita. Brevem ejus historiam exhibet Jo. Andr. Schmidivs, in *Sagittariana introductionis in histor. ecclesiast. tom. II. p. 1597. seqq.* qui & *loc. cit. p. 1603.* subjungit, ipsum sereniſſimum principem Ernestvm, postquam religionem reformatam ejuraverat, quaedam edita & inedita scripsisse, vel suo, vel aliorum calamo. Eminet inter ea scriptum, quod anno MDCLVI. germanice ανωνυμως prodiit, sub titulo: *der so warhafte, als ganz aufrichtig und discret gesinnte Catholische*, quodque sub Latina inscriptione, *verus, sincerus & discretus catholicus*, satis notum, sed ob exemplarium paucitatem hodie rarissimum est. *Discreto* huic *catholico* Andr. Kühne, superintendens Annabergensis, *discretum catholicum* opposuit, qui ann. MDCLXXVII. 4. lucem adspexit publicam.

(20) Comenii *judicium de judicio Valerianis magni super catholicorum & acatholicorum credendi regula*, quod sub fictio Vlrici de Neveld nomine prostat, prodiit Amstelod. MDCXLIV. 8.

(21) Samvel Maresivs, gente Gallus, professor primum Sedanensis, tandem vero Groninganus, huic certamini litterario se immiscuit, edito libro, cui titulus: *Valerianis methodus αμεθοδος & ignis fatuus, sive examen theologicum novae methodi ab ipso nuper procusae ad retrahendos protestantes sub jugum pontificis* &c. Groningae MDCLIV. 4.

(22) Exstant haec verba in ejusdem *historia concilii Tridentini*, quam, uti constat, Pavlo Sarpio opposuit, *libr. III. cap. IV. §. 6.* Prima hujus libri editio, duobus comprehensa tomis, Romae MDCLVI. MDCLVII. fol. prodiit, sub titulo: *istoria del concilio de Trento*; quam deinceps aliae in Italia sunt secutae, in quibus inprimis Mediolanensis ann. MDCCXVII. 4. tribus constans tomis, ceu nitidissima omniumque optima laudatur. Vid. *les memoires de Trevoux* ann. MDCCXX. *p. 767.* Ex lingua italica librum hunc in latinum sermonem convertit Jo. Baptista Giattinvs. Prodiit haec versio primum Antverpiae MDCLXX. tribus voluminibus, saepiusque fuit recusa, licet plena sit errorum; prout recte notavit Rich. Simonivs, in *bibliotheque critique, tom. III. p. 16.* Nec defuerunt, qui librum hunc confutarent, adlegati a cel. Walchio in *bibliothe. theol. selecta tom. III. p. 862, & 863. in not.*

(23) Ita de hocce viro judicat Lvd. Ellies dv Pin, in *nouvelle bibliotheque des auteurs ecclesiastiques, tom. XV. p. 147.* qui & *loc. cit. p. 145. seqq.* vitam Fischeri ejusdemque scripta in lucem publicam edita recenset. Prodierunt ea primum seorsim, deinde vero conjunctim, unico comprehensa volumine, Wurzburgi MDXCVII. Conferenda, quae de hocce viro adnotavit Nicol. Sandervs in libro *de origine & progressu schismatis Anglicani p. 97 seqq.*

(24) Vitam hujus archiepiscopi exhibet Antonivs a Wood in *athenis Oxonienſibus*, Anglico sermone Londini MDCXCI & MDCXCII. fol. evulgatis *vol. II. p. 30. seqq.* ubi & librorum ab ipso editorum notitiam suppeditat.

(25) Huc pertinet cumprimis liber anglica lingua conscriptus, haeque infignitus inscriptione: *a relation of the conference between* William Lavd *late Lord ArchBishop of Canterbury and Mr. Fischer the Jesuit*, qui Londini MDCXXIII. fol. primum prodiit, curante hanc editionem archiepiscopi sacellano, Rich. Baylie, qui nomen suum litteris tantum

acutissimi insimulque moderatissimi vir ingenii, WILLIAM CHILLINGWORTHVS, theologiæ in academia Oxfordiensi professor, eos, qui viam *auctoritatis* in rebus ad salutem spectantibus aliis tantopere commendarunt, in peculiari libro lectu dignissimo solide confutavit, luculenterque ostendit, religionem protestantium esse viam ad salutem pontificia longe tutiorem (26). Stoliditatem quoque viæ *auctoritatis*, protestantibus commendatæ, tam claram reddidit, tamque perspicuam vir laudatissimus, ut ejusdem liber nullo non tempore sudes fuerit in oculis Anglorum pontificiorum. Commendari quoque heic merentur scripta prorsus eximia a triumviris Anglis, iisque præstantissimis, EDVARDO nimirum STILLINGFLEETO, episcopo Vigorniensi (27), GVILIELMO SHERLOCKIO (28), magni nominis inter Anglos theologo, nec non Jo. TILLOTSONIO, archiepiscopo Cantuariensi longe celeberrimo, in lucem publicam edita (29).

§. *VII.* Nullibi tamen argumentum de via *auctoritatis* atque *examinis* majori cura atque industria fuit excussum, quam in Gallia, & quidem ab eo cumprimis tempore, quo consilia, ecclesiam reformatam in Gallia penitus exstirpandi, eandemque cum ecclesia *catholica*, seu potius *Romana*, reduniendi serio fuerunt agitata. Huncce enim finem ut eo facilius obtinerent ecclesiæ Gallicanæ præsules, ea contra Reformatos usi sunt disputandi ratione, ut, misso *examine* doctrinæ, tanquam nimis operoso, longo atque ancipiti, solam urgerent *auctoritatis* viam. Proinde ab articulo de *ecclesia* disputationis suæ duxerunt initium, certa spe freti, quod adserta semel ejus infallibilitate, spuriisque, quas illi adscribunt notis, antiquitate nimirum, successione episcopali, splendore, miraculis atque id genus aliis, quas sibi solis competere gloriantur, Romana ecclesia sola vera & catholica censeri debeat, extra quam nulla speranda sit salus; cum contra ecclesia protestantium sit novitia, omni legitima vocatione destituta, schismatica & hæretica, ac proinde ab omnibus, qui salutem consequi volunt sempiternam, jure meritoque deserenda. Sunt nonnulli, qui existimant, JAC. DAVIDEM DV PERRON, patrem purpuratum, (30) virum

tum initialibus *R. B.* expressit. Hancce editionem aliae deinceps sunt secutae ann. MDCXXXIX & MDCLXXIII. fol. typis exscriptae. Tanta vero soliditate huncce librum conscriptum pronunciant nonnulli, ut eundem *the exactest Master piece of polemique Divinity of any extant at that time* appellare haud dubitent, observante WOODIO *loc. cit. p. 31.*

(26) Titulus libri hujus anglico sermone scripti ita se habet: *the Religion of Protestants a safe way to salvation* &c. Prodiit is primum Oxoniae MDCXXXVI. in fol. postea vero Londini MDCLXIV. itemque LXXIV. &c. fuit recusus, & quidem in eadem forma. Septima ejus editio eodem loco ann. MDCCXIX. lucem adspexit publicam, cui & alia hujus auctoris opuscula fuerunt subjuncta.

(27) EX STILLINGFLEETI scriptis cumprimis huc spectat: *a rational account of the grounds of protestant religion* h. e. *vera expositio fundamentorum fidei protestantium*, quae Londini MDCLXV. primum lucem adspexit publicam, postea vero *operum* ejus, quae lingua anglicana sex tomis MDCCX. in fol. prodierunt, *tom. IV* fuit inserta.

(28) Exstat SHERLOKII *preservatif contre le papisme*, qui liber ex anglico idiomate in gallicum conversus, Hagae comit. MDCCXXI. 8. lucem adspexit publicam. Vid. de eo CLERICI *bibliotheque ancienne & moderne tom. XV. p. 206.* In priori ejus parte inter alia ostendit auctor rationem, contra pontificios, quod speciatim ad eorum argumenta generalia attinet, disputandi, eorumque objectiones contra *viam*, quam vocant, *examinis* solide confutandi.

(29) Notissimi sunt celeberrimi hujus praesulis sermones sacri, ex lingua anglica in gallicam itemque germanicam conversi, in quibus passim hocce argumentum magna dictionis perspicuitate pondereque ratiociniorum gravissimo pertractatur. Conferri quoque meretur peculiare ejus scriptum, cui titulus: *the rule of faith*, h. e. *regula fidei.*

(30) Fuit is, ministri reformati in Gallia filius, in hac ecclesia natus atque educatus, sed qui ea derelicta ad pontificiorum sacra postea transiit, atque apud hos invenit, quod ab Hugenotis suis sperare nunquam poterat. Varia de eo judicia e scriptoribus diligenter collegit THOMAS POPEBLOVNT in *censura celebriorum authorum p. 889. seqq.* Cardinalis BENTIVOGLIVS alicubi de eo adnotavit, eundem pro *Augustino* sui temporis in Gallia fuisse habitum. Vid. BÆLIVM in *diction. hist & crit. tom. I. p. 541.* Add. b. WEISMANNVM in *hist. ecclesiast. novi testam. tom. II. p. 38. seqq.* edit. secundae.

virum capacissimo ingenio, varia litteratura exculto, præditum, primum fuisse, qui hancce disputandi methodum contra reformatos, quos in Gallia *Hugenotas* vocant, adhibuerit. Hoc saltim certum, eundem contra reformatos, adplaudentibus pontificiis, ore calamoque olim strenue pugnasse, ex iisque quamplurimos, interque eos ipsum HENRICVM IV. Galliarum regem, ad amplectendam religionem Romanam permovisse, quin eadem hac methodo, quam supra descripsimus, in peculiari libro, contra JACOBVM Angliæ regem edito (31), usum esse.

§. *VIII.* Eandem, quam cardinalis PERRONIVS ingressus est, viam in subsequentibus temporibus sibi quoque calcandam censuerunt alii, iique magni nominis in Gallia viri, ecclesiæ Romanæ addictissimi. Principem inter eos locum jure meritoque occupat Jo. ARMANDVS PLESSIACVS RICHELIVS, pater purpuratus & ministler Galliarum regis LVDOVICI XIII. primarius, isque longe celeberrimus. Inter varia ejus scripta (32) prostat quoque ejusdem *methodus* convertendi reformatos, quos in Gallia *Hugenotas* vocant (33). Jubet in ea, missa tantisper dogmatum discussione, utpote nimis molesta, de *ecclesia* disputationem omnem suscipere, eandemque inquirere non ex sacræ scripturæ effatis, quæ subinde dubia sint atque obscura, sed potius ex criteriis magis obviis, atque in sensus incurrentibus, quæ ab hominibus rudioris quoque ingenii capi queant; cujusmodi sint: pontificum romanorum inde a Petro apostolo haud interrupta successio, ecclesiæ splendor, magnificentia, duratio. Addit porro, post institutam hancce inquisitionem, controversiarum, quæ inter catholicos ac protestantes intercedunt, momenta esse ponderanda, atque ostendendum sollicite, ea doctrinæ capita, de quibus hactenus fuit disputatum, ipsum fidei fundamentum haud tangere, adeoque, non obstante in iis dissensu, ecclesiam romanam atque evangelicam facili negotio conciliari posse. Recte vero observarunt viri quidam docti, RICHELIVM nihil novi heic in medium adduxisse, sed ea, quæ VERONIVS, fratres WALENBVRCHII, cardinalis PERRONIVS aliique dudum ante eum confinxerant, recoxisse. Confutarunt quoque ejusdem librum MARTELLVS (34) præstantissimus quondam ecclesiæ reformatæ in Gallia theologus, itemque DAVID ANCILLONIVS. (35). Ex altera tamen parte theologi Galli, qui de protestantibus in sinum ecclesiæ Romanæ reducendis erant solliciti, veluti LVDOV. MAIMBVRGIVS (36) Jesuitarum societati olim addictus sed ex ea, jussu INNOCENTII XI. pontificis

(31) Titulus est: *replique à la reponse du Roi de la grande Bretagne*, Paris MDCXX. Legenda cumprimis, quae PERRONIVS *libr. I. cap. IV.* & *V.* hanc in rem scripsit. Ibi enim comprobare annititur, fidem ex ecclesia potius, quam ecclesiam ex fide cognosci; nosque secures esse posse de fide, modo simus in ecclesia.

(32) Opuscula hujus cardinalis theologica recenset DV PINIVS in *bibliotheque nouvelle des auth. ecclesiast. tom. XVII. p. 180.*

(33) Titulus libri est: *Traité, qui contient la methode la plus facile & assurée, de convertir ceux, qui se sont separez de l'église.* Prodiit vero hoece opus demum post obitum auctoris, Parisiis MDCLI. in fol. Vid. de eo Jo. HENR. HEIDEGGERVM in *historia papatus p. 318.*

(34) Habetur ejusdem *réponse à la methode de Mr. le Cardinal de Richelieu*, a Rouen, MDCLXXIV. 4.

(35) De responsione ANCILLONII, quam cardinali RICHELIO opposuit vid. *die neue Zeitungen von gelehrten Sachen* MDCCXIX, *p. 344.*

(36) Edidit MAIMBVRGIVS ann. MDCLXX. libellum octo duntaxat plagulis constantem hacque insignitum inscriptione: *methode pacifique pour ramener sans dispute les protestans à la vraie foy*, 12. Scopus ejus est, ostendere, omnes religionis controversias beneficio solius *auctoritatis* esse componendas: hancce vero judicis auctoritatem non sustinere scripturam sacram, cujus suffragiis ipsi quoque haeretici in caussae suae praesidium utantur; sed *ecclesiam* eandemque *romanam*, utpote quae unice vera sit: quaecumque igitur ea, seu potius ejus antistes, pontifex scilicet romanus, statuat & tanquam credenda praecipiat, ea vera nostroque adsensu dignissima esse. Vberiorem hujus scripti recensionem dederunt auctores *der Sammlung von alten und neuen theologischen Sachen*, MDCCXXII. *p. 398. seqq.* Refutavit vero illud auctor libelli, cui titulus: *examen du premier traité de controverse du P. Maimbourg, intitulé:* methode pacifique. Coloniae MDCLXXXIII, 12. Caeterum *methodus* haec

ficis Rom. ejectus, PAVLVS PELISSONIVS, jure consultus gallus, inter elegantissima ætatis suæ ingenia numeratus, (37), itemque ISAACVS PAPINVS (38), nec non complures alii vestigia cardinalis RICHELII secuti, in defendenda *via*, quam vocant, *auctoritatis*, studium suum operamque collocare perrexerunt.

§. *IX.* Neque tamen quisquam ex cœtus Romani doctoribus in propugnanda atque exornanda sententia de *via auctoritatis*, quæ totius

haec *pacifica*, quam *Maimburgianam* vocare solent, auctoritate FRANCISCI HARLAEI archiepiscopi Parisiensis, XVII. illis methodis, quas viri ordinis sacri in Gallia MDCLXXXII. congregati evulgarunt, fuit inserta, interque eas quintum occupat locum. Hoc ipsum vero dum heic ponimus paucis simul notamus, ecclesiae Gallicanae antistites Parisiis ann. MDCLXXXII. congregatos missionariis suis XVII. praescripsisse methodos, in convertendis, quos vocant, haereticis, adhibendas easdemque reformatis quoque in Gallia, praemissis litteris encyclicis, valde multumque commendasse, quasi optionem hac ratione illis praebituri, quaenam ex methodis istis ad flectendos ipsorum animos maxime sit arrisura, eosque ad religionem praesulis Romani amplectendam efficacissime commotura. Omnium in hocce conventu cleri Gallicani actorum summam nervosa brevitate exhibet ELIAS BENOIT in *histoire de l'edit de Nantes, tom. III. part II. p. 551. seqq.* Quod vero ad ipsas cleri Gallicani methodos attinet, easdem confutarunt ex ecclesiae Reformatae theologis Jo. CLAVDIVS, pastor quondam Carentonien sis, & JAC BASNAGIVS. CLAVDIVS quidem A. MDCLXXXIII. edidit *considerations sur les lettres circulaires de l'assemblée du clergé de France de l'année* MDCLXXXII. Hag. comit. 12. BASNAGIVS vero, pastor quondam Roterodamensis, publici juris fecit libellum, cui titulus: *examen des methodes proposées par Messieurs de l'assemblée du clergé de France en l'année* MDCLXXXII. Colon. MDCLXXXIV. 12. Huc pertinent quoque alia scripta Methodistis Gallis opposita, cujus generis sunt: *reflexions solides sur le monitoire de l'assemblée du clergé addressé aux protestans* MDCLXXXII. itemque *conferences des protestans opposées aux XVII. methodes du clergé de France* MDCLXXXII. 12. porro: *réponse apologetique à Messieurs du clergé de France sur les actes de leurs assemblée de* MDCLXXXII. *touchant la religion* Amstelod. MDCLXXXIII. 12. & cumprimis libellus, cui index: *remarques sur les actes de la derniére assemblée du clergé de France*, quem GILB. BVRNETVS anglice edidit, in gallicum vero sermonem DE ROSEMOND convertit, Londin. MDCLXXXIII. 12. ac denique *reflexions sur la cruelle persecution, que souffre l'église Reformée de France, & sur la conduite & les actes de la derniére assemblée du clergé de ce Royaume*, MDCLXXXVI. 12. Quod restat, hoc unicum adjicimus, JAC. BENIGNVM BOSSVETVM, celeberrimum illum ecclesiae romanae defensorem, concinnasse *defensionem declarationis celeberrimæ, quam de potestate ecclesiastica fecit clerus gallicanus, XIX. Mart.* MDCLXXXII. quae quodam modo huc referri queat. Prodiit hoc opus in duos tomos divisum post obitum auctoris, Luxemburg. MDCCXXX. 4.

(37) Ipse PELISSONIVS protestantium sacris olim erat addictus, sed postea, ubi ad Romanensium sacra transiit, horum adsertorem ac vindicem acerrimum se exhibuit. In eo tamen laudatur a BAELIO, quod, in religione catholica propaganda, a consiliis mediisque violentis, abstinendum esse statuit. Exstant ejusdem *reflexions sur les differences de la religion, avec les preuves de la tradition ecclesiastique*, a Paris MDCLXXXVII. MDCXC. MDCXCII. Vid. de hoc libro *acta eruditor.* MDCLXXXIX. *p. 564.* & MDCXCII. *p. 241.* & BAELIVM in *dict. hist. & crit.* voce *Pellisonus*. Refutarunt vero eundem non tantum scriptores Angli, sed & ex Germanis illustris LEIBNITIVS, in peculiari scripto, cui titulus: *lettre de Mr. de Leibniz à Mr Pellisson touchant la tolerance.*

(38) PAPINVS pariter a religione reformata, quam antea professus fuerat, ad romanam se contulit ecclesiam, cumque hac de rea PETRO JVRIAEO in *lettre pastorale aux fideles de Paris* graviter reprehenderetur, exinde occasionem cepit evulgandi librum, cui titulus: *la tolerance des protestans & l'autorité de l'église, ou reponse au libelle de Mr. Iurieu, qui porte pour titre:* lettre pastorale aux fideles de Paris, Paris. MDCXCII. 12. Refutavit vero eundem auctor anonymus edito libello, cui index: *Lettre en forme de reponse au livre de Mr. Papin.* Conf. etiam *l'histoire des ouvrages des savans ad ann.* MDCXCIII. *mens. Ian. p. 2. seqq.* Constitutum equidem erat PAPINO, novam libri sui editionem eandemque multis accessionibus adauctam edere, verum morte praeventus praestare id haud potuit. Prodiit tamen hicce liber post obitum auctoris, hac inscriptus inscriptione: *les deux voyes opposées en matiére de religion, l'examen particulier & l'autorité*, Leod. MDCCXIII. 12. Exstat quoque in *recueil des ouvrages composez par feu Mr Papin en faveur de la Religion*, Paris MDCCXXIII. tribus tomis 12.

tius papismi palladium recte a nonnullis dicitur, majorem impendit operam, quam PETRVS NICOLIVS (39) theologus Gallus, Jansenistarum partibus addictus, elegantissimis suæ ætatis scriptoribus merito accensendus, qui uti caussam Jansenisticam, cui favebat, ore calamoque strenue defendit, ita ex altera parte protestantium caussam, intensis omnibus ingenii sui nervis, libris quibusdam in lucem publicam editis fortiter oppugnavit. Quod ad posteriorem scriptorum ejus classem attinet, ad eandem duo cumprimis pertinent viri doctissimi scripta, ambo gallico sermone edita, quibus magnam sibi famam non tantum apud fidei suæ socios, sed & protestantes adquisivit. Primum hac insignitum inscriptione prodiit: *Prejugés legitimes contre les Calvinistes.* (40); alterum vero titulum fert: *les pretendus Reformés, convaincus de schisme* (41). In binis hisce libris duo cumprimis momenta comprobare auctor annititur. *Primo* quidem insuperabiles difficultates cum methodo *examinis* esse conjunctas, quæ plerorumque ingeniis minus sit attemperata (42); hinc *secundo*, misso *examine* doctrinæ christianæ, ad methodum *auctoritatis*, utpote longe faciliorem, tutiorem ac præstantiorem, nimirum ad ecclesiæ romanæ infallibile tribunal, tanquam ad sacram quandam anchoram protestantibus confugiendum, inque illius *auctoritate* penitus adquiescendum esse. Addit vir doctus inter alia, catholicis cum protestantibus in discussionem dogmatum *viam*que *examinis*, tanquam valde periculosam, immo plane ridiculam, nunquam intrandum, sed hos potius tanquam hæreticos ac schismaticos, etiam inauditos condemnandos (43), idque serio agendum esse, ut protestantes, necessitate adacti, sentiant vel tandem, quam miser ipsorum status sit extra ecclesiam catholicam, adeoque quam necessarium, ut, omni ratiocinio fallaci atque illusorio procul habito, vivam ecclesiæ, matris fidelium, vocem audiant, ejusdemque mandatis saluberrimis promtissimam præstent obedientiam, nulla quippe alia, quam hac *auctoritatis via* aditum sibi ad beatorum sedes gaudiaque cælestia paraturi.

§. *X.* Non defuerunt vero inter Reformatos Gallos viri & ingenii præstantia & eruditionis solidioris copia instructissimi, qui hæc aliaque NICOLII ejusdemque sociorum tela contra protestantes evibrata non tantum feliciter sustinerent, sed & fortiter retunderent. Primum inter eos, qui hoc fecerunt, locum jure meritoque obtinet Jo. CLAVDIVS, minister ecclesiæ reformatæ Parisiensis, sive Carentonensis, præcipuus inter Gallos sui temporis theologus, vir profunda eruditione judicioque acri ac solido instructus, inque controversiis cum pontificiis versatissimus. Edidit is inter alia librum, cui titulus: *defense de la reformation*

(39) De NICOLII vita scriptisque copiose egerunt DV PIN *in nouv. bibliotheque des auth. ecclesiast. tom. XVIII. p. 110. seqq.* BAELIVS in *diction. hist. & crit. tom. III. art. Nicolle fol. 501. seqq.* edit. Amstelod. noviss. Add. PFAFFIVM in *hist. theol. litterar. part. II. p 92. seqq.* itemque BVDDEVM & WALCHIVM in libris satis notis.

(40) Primus hicce liber NICOLII Parisiis MDCLXXI. 12. deinde Bruxell. MDCLXXXIII. in lucem publicam prodiit. Huic posteriori editioni adjectae conspiciuntur: *additions considerables contre la defense de la reformation de Mr. Claude*; de quo CLAVDII libro deinceps dicemus.

(41) Alter hicce liber conscriptus fuit a NICOLIO occasione litterarum circularium a congregatis ordinis sacri Galliae proceribus emissarum, sub titulo: *lettres circulaires de l' assemblée du clergé de France de l'année* MDCLXXXII. prodiitque Lutetiae Paris. MDCLXXXIV. Vid. *les nouvelles de la republique des lettres, mens. Nov. ann.* MDCLXXXIV. *art. I.* De binis hisce viri doctissimi scriptis sequentem in modum judicat BAELIVS: *Ce qu'il a écrit contre ceux de la religion, est fort subtil; jamais on n'a poussé avec tant de force les objections du schismes, & les difficultés de la voye de l'examen.*

(42) Esse hanc propositionem quandam primariam, quam defendendam in se suscepit NICOLIVS, ipsemet docet in praefatione libri: *prejugés legitimes &c.*

(43) Hocce judicium, quod sane durissimum est, hisce verbis exprimit auctor *præjudiciorum*: *On peut donc les (protestans) condamner justement sans les entendre. C'est la conclusion, que tous ces prejugés nous donnent droit de tirer, & que j' ai eu dessein d' etablir par tout ce livre.*

*tion, contre le livre intitulé: prejugés legitimes contre les Calviniſtes* (44) qui inter pulcerrimos ejus libros referri ſolet, (45) atque argumento huic præclaram lucem adfundit. Eidem ad latus ponimus CLAVDIVM PAIONIVM, miniſtrum Aurelianenſem atque exprofeſſorem Salmurienſem, qui librum NICOLIO ejusdemque ſociis oppoſitum, gallico pariter ſermone conſcripſit, ad tuendam proteſtantium cauſſam egregie comparatum. Inſcriptio ejus hæc eſt: *examen du livre, qui porte pour titre: prejugés legitimes contre les Calviniſtes* &c. (46). Eundem ſecut eſt PETRVS JVRIAEVS, primum verbi divini in Gallia miniſter, deinde theologiæ profeſſor in academia Sedanenſi, denique, poſt hanc a pontificiis ſublatam, paſtor eccleſiæ Gallicæ Roterodamenſis. Edidit is, contra NICOLII librum *de praejudiciis*, tractatum, cui titulus: *prejugés legitimes contre le papiſme*; (47) ejusdem autem ſcripto *de reformatis ſchiſmaticis* oppoſuit: *le vray ſyſteme de l'égliſe, & la vraye analyſe de la foi* (48) Multa in hiſce libris continentur prorſus egregia, lectori judicioſo haudparum profutura, ſed quæ a cæteris minus adcurate poſitis ſollicite ſunt diſcernenda. (49) Subjungimus tandem ſcriptoribus hiſce, qui contra NICOLIVM calamum ſtrinxerunt, JACOBVM SAVRINVM, primum præfectum bellicum, deinde, poſt mutatum vitæ genus, miniſtrum eccleſiæ & concionatorem apud Hagienſes facundiſſimum, anno hujus



(44) Prodiit haec *defenſio reformationis* a CLAVDIO adornata primum Rothomagii ann. MDCLXXIII. & poſtea iteratis vicibus in Belgio fuit recuſa. Vltima ejus editio Hag. comit. MDCCXIV. typis fuit exſcripta. BAELIVS huncce librum *loco ſupra citato* vocat opus omnibus numeris modisque abſolutum (*un chef d'œuvre*). Vnde & magno eruditi orbis adplauſu fuit exceptum; nec ſtatim a NICOLIO confutatum, qui demum ann. MDCLXXXII. litteris cleri gallicani incitatus, in lucem emiſit: *les pretendus reformés convaincus de ſchiſme*, prout ſupra *not.* (41) jam obſervavimus. Quid praeterea inter laudatiſſimum Claudium atque Boſſuetum, epiſcopum Meldenſem, de hoc ipſo argumento, ad locum de *eccleſia* ſpectante, in colloquio quodam ſuperiori ſeculo inſtituto fuerit diſputatum, de eo videatur: *conference avec Mr. Claude, ſur la matiére de l'égliſe par J. B. Boſſuet*, Paris MDCLXXXII. 12. itemque *reponſe au livre de Monsr. de Meaux, intitulé: conference aux Mr. Claude &c.* quem libellum CLAVDIVS Hag. comit. MDCLXXXIX. 8. imprimi curavit. Vtriusque ſcripti argumenta recenſentur in *actis eruditor.* MDCLXXXIII. *p. 231.* & MDCLXXXIV. *p. 374.*

(45) FRID. SPANHEMIVS eundem jure meritoque vocat virum de cauſſa reformata adverſus pontificios publicis etiam ſcriptis optime meritum, in *elencho controvers p. 316.* Dolendum tamen, eundem nominis ſui famam hypotheſibus paradoxis, immo & ſubinde perniciosis, corruiſſe, de quibus conſuli poſſunt auctores, qui *de pajoniſmo* data opera ſcripſerunt, adlegati a PFAFFIO in *hiſt. theol. litterar. part. II. p. 360. ſeqq.*

(46) Hocce PAIONII opuſculum Hagæ Com. ann. MDCLXXXIII. 12. lucem adſpexit publicam. Laudat illud ſuo quodam merito JAC. SAVRINVS, idque ſui generis praeſtantiſſimum, atque ad tuendam proteſtantium cauſſam egregie comparatum eſſe judicat in libro gallico, qui inſcribitur: *l'etat du chriſtianiſme en France, p. 239.*

(47) In hocce libro, qui Amſtelodami MDCLXXXV. in 4. prodiit, luculenter oſtendit JVRIAEVS, eadem via ac ratione, qua rom. catholici convincere proteſtantes ab aliquo tempore conati ſunt, firmiter comprobari poſſe, eccleſiam romanam non eſſe veram eccleſiam. Contenta hujus libri adcurate recenſentur in *actis eruditor.* ad ann. MDCLXXXV. *mens. Nov. p. 522. ſqq.*

(48) Prodiit hicce liber a JVRIAEO concinnatus Dordraci MDCLXXXVI. 8. Mox autem reſponſionem eidem oppoſuit NICOLIVS, ediditque *traité de l'unité de l'egliſe, où refutation du nouveau ſyſteme de Mr. Iurieu*, Paris MDCLXXXVII. in 12. Quem tamen libellum rurſus confutavit laudatiſſ. JVRIAEVS, edito tractatu *de l'unité de l'égliſe, & des points fondamentaux contre Mr. Nicole*, Roterod. MDCLXXXVIII. 8. qui in *actis eruditor.* MDCLXXXVIII. *p. 602.* recenſetur.

(49) Haud pauca eſſe, quae in JVRIAEI ſcriptis adprobari nequeant, oſtenderunt, praeter alios, duumviri doctiſſimi PETR. BAELIVS, & ELIAS SAVRINVS, eccleſiae Vltrajectinae quondam miniſter; *ille* quidem in *dict. hiſt. & crit. tom. III.* art *Nicolle*; *hic* vero in libro peculiari, cui titulus; *examen de la theologie de Mr. Iurieu*, Hag. com. MDCXCIV. Reſpondit quidem JVRIAEVS in *defenſe de la doctrine univerſelle de l'égliſe contre les imputations & les objections de Mr. Saurin*, Roterod. MDCXCV. Sed nec tacuit SAVRINVS, ſed cauſſam ſuam denuo peroravit in libro, qui inſcribitur: *juſtification de la doctrine du Sieur Elie Saurin, & defenſe de la doctrine de l'égliſe Reformée ſur le principe de la foy*, Vltraj. MDCXCVII. Conferri quoque huic meretur DV PINII *bibliotheque des auteurs eccleſ. tom. XVIII. p. 121.*

seculi trigesimo fatis functum, qui in libro prorsus eximio: *l'état du christianisme en France, divisé en trois parties, ou lettres addressées aux catholiques Romains; aux protestans temporiseurs, & aux Deistes*; (50) controversiam de via *examinis* atque *auctoritatis* tam perspicue, nervose ac solide pertractavit, ut iis, qui ante ipsum in argumento hocce excutiendo studium suum operamque collocarunt, palmam reddidisse dubium haud immerito censeri queat.

§. *XI.* Antequam ad alia digrediamur, de sententia singulari FRANCISCI DE SALIGNAC DE LA MOTTHE FENELON, archiepiscopi Cameracensis celeberrimi, (51) pro instituti nostri ratione pauca subjungemus. Existimavit laudatissimus vir, methodum *auctoritatis* non tantum convincendis iis, quos *haereticos* vocant Romanenses; sed & *deistis* atque incredulis egregie inservire. Quin, teste ejusdem biographo, eo usque progressus est, ut contenderit, non aliam esse ejusmodi incredulos convertendi rationem, quam si ii, missis discussionibus omnibus, quibus utendum protestantes contendunt, primum eo adducantur, ut credant, dari in his terris infallibilem aliquem judicem, qui homines de divina religionis christianae origine non solum reddat certiores, sed & verum ac genuinum oraculorum sacrorum sensum iis pandat, omnesque controversias de religione suborituras componat. Admisso hocce judice, incredibili statim luce superfusum iri mentem incredulis, adeo quidem, ut is postea perspecturus sit non tantum revelationis in sacra scriptura contentae originem prorsus divinam, sed & veritatem omnium decretorum ecclesiae *catholicae*, h. e. ut volunt, *Romanae*. Narrat hoc occasione biographus illustris praesulis, *virum huncce illustrem* hominem quendam deistarum partibus olim addictissimum hac ipsa ratione expugnasse inque gremium ecclesiae Romanae reduxisse. (52) Legenda tamen, quae hanc in rem adnotarunt duumviri praestantissimi, CHRIST. EBERHARD. WEISMANNVS, (53) academiae nostrae quondam theologus, isque meritissimus, atque I. JACOB. ZIMMERMANNVS, (54) theologiae in gymnasio Tigurino olim professor prorsus eximius.

§. *XII.*

(50) Prodiit hicce liber gallico idiomate sub titulo: *l'état du christianisme en France, divisé en trois parties, où lettres adressées aux catholiques Romains, aux protestans temporiseurs, & aux Deistes*, à la Haye MDCCXXV. in 8.

(51) Prodiit ejusdem biographia sermone gallico inscripta anno MDCCXXIII. sub titulo: *histoire de la vie de Messire François de Salignac de la Motte* FENELON, *archevêque duc de Cambray*. Auctor hujus libelli est RAMSAEVS, nobilis Scotus, qui a FENELONIO quondam ad religionem romano-catholicam se adductum esse simulat. *Simulat*, inquam: Existimant enim haud pauci ex viris eruditis, *nunquam deistam fuisse hunc Ramsaeum, adeoque nil nisi schematismum esse, quando in cit. historia Feneloni a deismo ad catholicismum conversus esse dicitur*. Ita ex quadam WEISMANNI nostri epistola refert laudatissimus ZIMMERMANNVS *opusculor.* junctim editorum *tom. II. p. 24.* in *nota* textui subjecta, ubi & alia de hocce viro memorantur.

(52) Fatetur bonus iste proselytus, sive verus, sive fictus, quem loquentem introducit RAMSAEVS, se argumentis FENELONII, quibus necessitatem auctoritatis infallibilis, ad ingenerandam animis fidem christianam, adseruerit, victum, sibique persuasum esse, hypotheses protestantium vel deismo, vel fanaticismo, vel indifferentismo & scepticismo fores aperire, neque ad errantes in viam veritatis reducendos sufficere, quin potius sola catholicorum dogmata deismum sanare, tenebras dispellere, mentique tranquillitatem conciliare posse. Addit: *neminem sapientem deistam exsistere, quin evadat christianus, nec quenquam sapientem christianum, quin evadat catholicus*: Caeterum similia his biographi illius cogitatis leguntur in diario notissimo: *memoires de Trevoux ad ann. MDCCXV. mens. Iun. art. X.* ubi exstat: *lettre ecrite à un Milord à Londres par un Anglois voyageur en France*. Ibi enim inter alia auctor hujus epistolae sequentem in modum disserit: *clarissime perspicio, me, nisi deista essem, fieri debere catholicum, cum nullum sit justum inter utrumque medium, nullus certus status firmusque inter philosophum, nihil praeter id, quod videt credentem, & christianum etiam id, quod non videt, credentem, quia ab auctoritate divina ipsi proponitur.*

(53) Exstat inter ejus *schediasmata academica*, Tubing. MDCCXXV. 4. typis exscripta, *num. V. p. 566. sqq.* peculiaris dissertatio *de deismo, aut catholicismo eligendo*, quae multa lectu digna complectitur.

(54) Vid. ejus *opuscula* modo *excitata part. IV.* & *V.*

§. *XII.* Licet vero nec recentiori ætate in ecclesia Romana defuerint viri docti, qui in scriptis suis eristicis contra protestantes editis methodum *auctoritatis* magno cum fervore urserint, in quibus post Jac. Benignvm Bossvetvm, episcopum Meldensem (55) Jo. Jacob. Scheffmachervs, Jesuita Argentoratensis, præcipuum tenet locum; (56) illud tamen memoratu maxime dignum nobis videtur, quod recentiores ecclesiæ gallicanæ antistites hancce disputandi rationem, quam eorum antecessores, ac speciatim Nicolius, Fenelonivs aliique, tantopere deamarunt, in certaminibus cum incredulis, prorsus deserendam esse censuerunt. Quum enim ii, occasione deismi, in Gallia magis magisque invalescentis, anno hujus seculi septuagesimo, jussu regis christianissimi, conventum quendam generalem Lutetiæ Parisiorum celebrarent, (57) inque eo de mediis, funestum hocce malum penitus exstirpandi, serio deliberarent, communi tandem consilio confectus ac per totam Galliam studiose divulgatus fuit (58) libellus isque prorsus eximius lectuque dignissimus, in quo non tantum ingens, quod ex incredulitate emergit damnum, clarissime ob oculos ponitur, præstantiaque atque utilitas tum religionis generatim spectatæ, tum speciatim christianæ solide demonstratur, sed &, quod mireris, *via examinis* ac *discussionis*, pontificiis olim tantopere exosa, dilaudatur, omnibusque, qui veritatem sectantur, enixe commendatur.

§. *XIII.* Quæ hactenus diximus, ad cœtus romani doctores cumprimis spectant, qui, si a paucis quibusdam, in præcedenti paragrapho commemoratis, discesseris, inde a longo tempore viam *auctoritatis* acriter propugnarunt, atque hac ipsa disputandi methodo eos, qui ab ecclesia Romana secesserunt, ad eandem reducere adnisi sunt. (59) Sententiam protestantium ut copiose heic edisseramus, vix opus nobis esse videtur. Ex supra dictis enim jam abunde patet, eos doctrinam de *via auctoritatis* dudum unanimi quasi consensu rejecisse, nec, in inquirenda veritate, ullam aliam, quam *examinis* atque *discussionis* viam adoptasse. Hæc quippe emendatæ per Lvthervm religionis basis est ac fundamentum, cui primi nostri reformatores fortiter institerunt, rationibus longe gravissimis comprobantes, scripturam sacram esse unicam eamque perfectam fidei vitæque normam ac regulam, donum autem infallibilitatis nec ecclesiæ, sive conciliis, nec patribus, nec pontifici Romano competere, sed solam sanctiorem scripturam controversiarum judicem esse eundemque infallibilem; facultatem legendi sanctiores litteras, omnibus christianis, nè laicis quidem exceptis, competere, & quæ sunt alia hujus generis dogmata. *Cum pro concione*, inquit



(55) in libro notissimo, qui inscribitur: *exposition de la doctrine de l'église catholique*, cujus variae habentur editiones.

(56) Edidit is inde ab anno MDCCXXV — MDCCXXX. *douze lettres contre les protestans de la confession d'Augsbourg*, in quarum secunda probare annititur, nullam Lutheranis sperandam esse salutem, *parce qu'ils n'ont, qu'une foi humaine, batie sur un examen de la religion, dont ils ne sont pas capables.* Refutavit vero hancce epistolam b. cancellarius Peffvs *dans la reponse aux douze lettres du P. Scheffmacher*, inprimis *p. 48. 56. 62. seqq.* alibique.

(57) De hocce conventu paucis abhinc annis Parisiis habito, peculiare scriptulum fuit editum, sub titulo: *Avertissement du clergé de France, assemblé a Paris par permission du Roi, aux fideles du Royaume sur les dangers de l'incredulité*; a Paris MDCCLXX. in 12. Recensionem hujus libelli dederunt doctissimi auctores *der neuesten Religionsgeschichte*, quae sub auspiciis C. W. F. Walchii, theologi Goettingensis celeberrimi, prodeunt, *part. I. num. X. p. 471. seqq.*

(58) Vid. *lettre circulaire addressée aux Archevêques du clergé de France*, quae quidem epistola libello in praecedenti nota adlegato atque omnibus in Gallia episcopis atque archiepiscopis transmisso, subjuncta est. Rogantur in ea singuli ecclesiarum antistites, ut huncce libellum in dioecesibus sibi subjectis ubique divulgarent, atque salutaria, quae heic pro exstirpando deismo suppeditantur consilia, quantum fieri potest, exsequerentur.

(59) Respondit quoque eorum conatibus nonnunquam eventus; siquidem haud pauci, praesertim in Gallia, &

b. LVTHERVS (60) *dixerint: vos laici haec non intelligitis, neque licet vobis ista interpretari; erratis igitur; respondeo, jus interpretandi scripturas, aeque laicis concessum esse, atque doctis, & quemadmodum illis, ita nobis quoque mandatum est, ut credamus in Deum, ut nostram fidem confiteamur, ut omnia praecepta Dei servemus. Habemus enim eundem Deum, quem ipsi habere dicunt, quo modo autem credemus, si aut verbum ignoramus, aut non intelligimus? Cum ergo mandatum habeamus, necesse quoque est, ut verbum, cui credendum est, sciamus, neque enim potest esse fides sine verbo.* Atque his consona sunt, quae & alii theologi protestantes, non tantum evangelico-Lutherani, sed & reformati, veluti PHILIPPVS MELANCHTON, ULRICVS ZWINGLIVS, Jo. CALVINVS, Jo. GERHARDVS, HÜLSEMANNVS, CALOVIVS, CALIXTVS, SCHERZERVS, SPANHEMIVS, HEIDEGGERVS, TVRRETINVS aliique supra jam laudati, hac de re scripserunt; quibus ex recentioribus GOTTLIEB WERNSDORFIVS (61) atque Jo. GEORG. WALCHIVS, (62) ille Vitebergensis, hic Jenensis theologus, itemque JÆGERVS, (63) PFAF-

& quidem non tantum ex plebe, sed & ex ordine virorum eruditorum, via *auctoritatis* in ecclesiae romanae gremium fuerunt reducti. Ex ingenti eorum numero unum duntaxat alterumve exemplum heic commemorabimus. Ita eximiae alias eruditionis vir, PAVLVS PELISSONIVS, jure consultus Gallus, post varias fortunae vicissitudines anno MDCLXX. religionem reformatam cum romana commutavit. De ejus libro hac occasione edito supra nonnulla diximus. Vitam ejus dederunt DV PINIVS & NICERONIVS. Idem fecit ISAACVS PAPINVS, theologus Gallus, qui, a JVRIAEO eapropter reprehensus, occasionem inde arripuit peculiarem librum de *auctoritate ecclesiae* divulgandi, supra a nobis indicatum. Conferenda, quae de eo b. MAICHELIVS in dissertat. inaugurali *de variis methodis pontificiorum in revocandis convertendisque haereticis* adnotavit. Nec praetermittendus heic est illustrissimus comes de METTERNICHT, eadem *auctoritatis* via a regia veritatis via in errorum devia delapsus. Exstat ejus *soliloquium*, post ejusdem obitum Ratisbonae typis exscriptum, quod XXXVIII. propositiones seu potius motiva complectitur, quibus commotus ill. comes religionem amplexus est romano-catholicam. Sed refutatum fuit hocce scriptum ab ill. ejusdem fratre in libello, cui tit. *bescheidene und unpartheiische Gedanken über das Soliloquium* Francof. & Lipf. MDCCXXVIII. 8. Vid. *die Sammlung von alten und neuen theologischen Sachen* ad ann. MDCCXXXI *p. 756 — 764.* Atque hoc ipsum dum scribimus, non possumus a nobis impetrare, quin hac occasione paucis heic commemoremus factum aliquod plane singulare, quod scriptores quidam Angli nobis tradiderunt. Erant in Anglia duo fratres, Jo. & GVILIELMVS REGINALDI sive REYNOLDI, ambo eruditionis laude conspicui, sed diversis de religione principiis imbuti, siquidem JOANNES ecclesiae romanae, GVILIELMVS vero reformatae placitis erat addictus. Cum vero ambo subinde in arenam descenderent, deque controversiis, quae inter Romanenses atque protestantes intercedunt, inter se disputarent, factum est, ut rationibus ab utraque parte in medium adlatis, alter alterum vinceret, atque JOANNES ad reformatorum, GVILIELMVS vero ad pontificiorum castra transiret. Accidit haec pugna, quae tam memorabilem habuit exitum, anno circiter MDLXXXIV. occasionemque suppeditavit theologo cuidam Anglo in arte poetica haud parum versato, cui nomen erat GVIL. ALABASTER, sequentes componendi versus:

*Bella inter geminos plus quam civilia fratres*
*Traxerat ambiguus vellgionis apex.*
*Ille reformatae fidei pro partibus instat;*
*Iste reformandam denegat esse fidem.*
*Propositis caussae rationibus alteruterque*
*Concurrêre pares & cecidêre pares.*
*Quod fuit in votis, fratrem capit alteruterque,*
*Quod fuit in fatis, perdit uterque fidem.*
*Captivi gemini sine captivante fuerunt,*
*Et victor victi transfuga castra petit,*
*Quod genus hoc pugnae est, ubi victus gaudet uterque,*
*Et tamen alteruter se superasse dolet?*

Veritatem hujus historiae fide sua abunde comprobarunt HEYLINVS, CHAMBERLAYNIVS, MIEGIVS, alii. Equidem PETR. BAELIVS eandem olim in dubium revocavit, in *dict. hist. & crit. tom. IV.* art. *Sutlivius, p. 307. not. 8.* edit recentiss. Verum, re adcuratius examinata, postmodum dubitare hac de re desiit. Vid. ejus *nouvelles de la republique des lettres* MDCLXXXV. *p. 757, 758.* & *lettres choisies tom. III. lettr. 135, 136, 140.* Conf. b. PFAFFII *dissertat. privrem de praejudiciis theolog.* quae *primitiis Tubingens.* inserta est, *p. 61, 62.*

(60) in tract. *de sacramento altaris.*

(61) in disp., supra *p. 194. not. 1.* jam adlegata *de methodo pontif. conciliandi pacem cum protestantibus &c.*

(62) *loc.* supra *p. 195, not. 1. excitato.*

(63) Vid. b. cancell. JAEGERI *systema theolog.* in loco *de ecclesia, controv. I, p. 11. seqq.*

Pfaffivs, (64) Weismannvs (65) atque Maichelivs (66) theologi olim Tubingenses, itemque Albertvs zvm Felde, theologus quondam Kilonienſis doctiſſimus, (67); ex reformati cœtus doctoribus vero viri doctiſſimi Tvrretinvs, (68) Hedeggervs, (69) Werenfelsivs, (70) Zimmermannvs (71) atque cel. Stapfervs (72) jungi merentur. Ut complures alios in rerum præſentia haud memoremus.

§. *XIV.* Præmiſſa controverſiæ hujus inter proteſtantes ac pontificios inde a tempore bene longo agitatæ hiſtoria, ordinis ratio poſtulat, ut, quid de ea ſentiendum ſit, mentem noſtram paucis exponamus. Quum vero ad evitandas logomachias prorſus neceſſarium ſit, ut ſtatus controverſiæ recte formetur, ſequentia paucis heic notamus: *I)* non ſimpliciter negari ab eccleſiæ romanæ doctoribus, quod *via examinis* in rebus ad fidem pertinentibus adhiberi poſſit debeatque, prout eorum ſcripta polemica, proteſtantibus magno numero oppoſita abunde comprobant. Nec *II)* negare Romanenſes, ipſam *viam auctoritatis* alicui ſubeſſe *examini*, (73) unde & de motivis credibilitatis, quæ vocant, ſollicite heic diſpiciunt, quin ſummam atque infallibilem eccleſiæ auctoritatem e ſanctioribus litteris comprobare adnituntur, licet ſiculneis heic utantur rationibus. Verum, quod *III)* notamus, inficiantur eccleſiæ Romanæ ſectatores, ipſius doctrinæ examen dogmatumque diſcuſſionem ex ſola ſanctiori ſcriptura, tanquam unica fidei norma ac regula, omnibus chriſtianis, ne laicis quidem exceptis, competere; ſed potius *IV)* graviter urgent, ad ſolam eccleſiam viſibilem atque catholicam, utpote a Chriſto ſervatore fundatam atque a Spiritu S. illuminatam, tanquam ad infallibilem controverſiarum judicem recurrendum, inque ejus deciſione cæca quadam obedientia adquieſcendum eſſe. (74) Addunt *V)* hanc viam, quam vocant *auctoritatis*, eſſe facilem, brevem atque in-

(64) Legenda, quae laudatiſſ. Pfaffivs tum in libello gallico: *la verité de la religion proteſtante, p. 230. ſeqq.* tum in *primitiis Tubingens. p. 61. ſeqq.* tum denique in *reponſe aux douze lettres du P. Scheffmacher*, & quidem *dans la reponſe à la ſeconde lettre p. 48, 50 62. ſeqq.* alibique paſſim hanc in rem ſcripſit.

(65) Exſtat theologi hujus prorſus eximii peculiaris diſſertatio lectu digniſſima, cui titulus: *quæſtio ardua, an & quibus conditionibus cuique liceat, vel non liceat, de rebus religionis judicare.* Prodiit ea Tubingae anno MDCCXXVI.

(66) Scripſit is peculiarem diſſertationem *de via auctoritatis atque examinis deque diverſis utriusque effectibus*, quae Tubing. MDCCXXX. lucem adſpexit publicam.

(67) Legi meretur viri doctiſſimi diſſertatio in memoriam feſti ſecularis evangelici II. Kiliae MDCCXVII. edita ſub tit. *pontificios ſalis apoſtolici expertes in re fidei fluctuare, §. XXV. p. 24. ſeqq.*

(68) Vid. Franc. Tvrretini *inſtitut. theol. elenticæ, part. III.* loco *de eccleſia, quæſt. I. p. 1. ſeqq.* Nonnulla quoque huc in rem adnotavit ejusdem filius, Jo. Alphonsvs Tvrretinvs, vir judicioſiſſimus, in *cogitationibus de variis theologiæ capitibus*, quae ejusdem *dilucidationum philoſophico-theologicarum vol. I.* poſtea ſuerunt inſertae, *theſ. CXXXIII. CXXXIV. & CXXXV. p. 300.*

(69) Ejus hac de re cogitata legi poſſunt in ejusdem *corpore theologiæ chriſtianæ, tom. I. loco 2. §. 26. p. 31.*

(70) Edidit Werenfelsivs *diſſertationem apologeticam pro plebe chriſtiana adverſus doctores judicium de dogmatibus fidei illi auferentes*, quae prorſus egregia eſt, atque in ejus *opuſculis* junctim editis primum occupat locum.

(71) Theologus hicce Tigurinus argumentum hoc egregie pertractavit in *diſſertat. III. de præpoſteris adverſus incredulos diſputandi methodis*, quae *tom. II. part. I.* ejusdem *opuſculor.* inſerta legitur, *p. 95. 128 ſeqq.* itemque *diſſ. V. p. 201. ſeqq. 233. ſeqq.*

(72) Vid. ejusdem *inſtitutiones theologiæ polemicæ univerſæ, tom. IV. cap. XIV. §. CCCLX — CCCLXV. p. 244. ſeqq.*

(73) Faciunt hoc, ſi non omnes, ſaltim prudentiores ſcriptores eriſtici in eccleſia Romana. Sunt enim alii, qui auctoritatem eccleſiae Romanae ſupponunt potius quam probant. Ipſi Nicolio, viro alias doctiſſimo, hoc vitio vertit Clavd. Pajonivs, theologus reformatus Gallus ſuperiori ſeculo clarus, cujus librum ſupra excitavimus.

(74) Vt ea, quae de eccleſia viſibili atque catholica ejusdemque auctoritate ſupra poſuimus, clarius pateant, ipſa celebert. Bossveti verba huc ſpectantia, bona cum lectoris venia, heic adponemus, quae ita ſese habent: „Ainſi tant, qu'il y aura des diſputes, „ qui

indubiam, cum contra via *discussionis* atque *examinis* sit longa, incerta, maximeque periculosa; tandemque subjungunt *VI*) cognitionem ecclesiæ præcedere debere examen & cognitionem ipsius doctrinæ, siquidem fides seu doctrina ex ecclesia potius, quam ecclesia ex doctrina ac fide cognosci debeat, atque, ut loquitur PERRONIVS, pater purpuratus, nos *securi esse possimus de fide, modo simus in ecclesia.* Hisce præmissis, facile patet, cardinem quæstionis, quæ moveri heic solet, in eo consistere: *an ad id, ut dignoscamus, quaenam inter christianos dissentientes ecclesia vera sit atque ita comparata, ut nos eidem, sine omni salutis nostrae aeternae periculo, adjungere queamus*, VIA AVCTORITATIS, *quam vocant, an vero via discussionis atque* EXAMINIS *necessaria sit, adeoque sequenda?* Prius statuunt Romanenses, posterius vero protestantes.

§. *XV.* Theologi protestantes, qui in caussis ad religionem spectantibus, exclusa via *auctoritatis*, solam *examinis* viam sequendam esse statuunt, variis iisque gravissimis innituntur argumentis. Desumta ea sunt *partim* ex praxi Christi ejusque apostolorum, nec non clarissimis sacræ scripturæ effatis; *partim* vero ex principiis sanæ rationis ac ipsa rei natura; *partim* denique ex testimoniis antiquissimorum cœtus christiani doctorum, tam græcorum quam latinorum. De singulis hisce pro instituti nostri ratione, pauca jam dicemus.

§. *XVI.* Ab ipso Christo ut dicendi faciamus initium, apud omnes in confesso est, eundem infallibilem veritatis cœlestis doctorem fuisse. Noluit tamen, ut homines, nullo instituto examine, soli ipsius auctoritati cæcam haberent fidem, unde subinde ad miracula, quæ ab ipso fuerunt perpetrata, interdum vero ad veterum prophetarum oracula, quin & subinde ad patris cœlestis testimonium provocavit, prout ex locis infra citatis, (75) luculenter patet. Amandavit quoque idem servator Judæos ad sanctiores litteras, utique easdem sedulo scrutentur, serio hortatus est (76). Vnde recte colligimus, noluisse Christum, ut, examine doctrinæ penitus exclusso, soli suæ auctoritati fidem haberent homines. Quod si vero ipsomet servatori, in hominibus ad se adducendis, hanc viam ingredi placuit, cur magistro incomparabili sapientiores esse volunt cœtus Romani doctores? Cur hominibus viam examinis dissuadent, quam Christus ipsis suasit, plurimumque commendavit? Cur alium veritatem salutarem cognoscendi modum præscribunt mortalibus, quam Christus iisdem præscripsit?

§. *XVII.* Si porro apostolos discipulosque Christi spectemus, ii exemplum magistri sui prorsus incomparabilis, ut in aliis, ita hac quoque in re, laudabili prorsus instituto secuti sunt. PAVLVS serio monuit, ut *exploremus quid placeat domino*, (77) ut *praestabilia adprobemus*, (78) itemque ut OMNIA *probemus, quod bonum est, teneamus.* (79) Idem gentium apostolus laudavit generosam Beroënsium mentem, qui adfiduum atque sincerum præconii Paulini examen instituerunt, (80) & PETRVS præcepit, ut *semper parati simus ad respondendum cui-*

„qui partageront les fideles, l'église interposera „son autorité, & les pasteurs assemblez diront apres „les Apostres, *il a semblé bon au saint Esprit & „à nous* Act. XV. 38. & quand elle aura parlé, on „enseignera à ses enfans, qu' ils ne doivent pas „examiner de nouveau les articles, qui auront eté „resolû, mais qu'ils doivent recevoir humblement „les decisions. En cela on suivra l'exemple de St. „Paul & de Silas, qui porterent aux fideles ce pré„mier jugement des Apostres, & qui loin, de leurs „permettre une nouvelle discussion de ce, qu'on „avoit decidé, *alloient par les villes, leurs enjei„gnant de garder les ordonnances des apostres*, „Act. X. 4. C'est ainsi, que les enfans de Dieu „acquiescent au jugement de l'église, croyant avoir „entendu par sa bouche l'oracle du St. Esprit.„ Vid. ej. *exposition de la doctrine de l'eglise catholique p. 122.*

(75) *Matth. XI. 4, 5. Joann, V, 20, 31, 36, 37, 40, 47. X. 25.*
(76) *Joann. V. 39.*
(77) *Ephes. V. 10.*
(78) *Philipp. I. 10.*
(79) *1 Thess. V. 21.*
(80) *Act. XVII. 11.*

*cuilibet, petenti rationem spei ac fiduciae nostrae*, quæ in religionis christianæ veritate posita est. (81) Denique JOANNES auream hanc nobis reliquit regulam, *ne cuivis credamus spiritui*, seu doctori, *sed spiritus exploremus, an ex Deo sint.* (82) Neque hoc examen soli præsuli Romano, nec cœtus christiani tantum doctoribus in concilio congregatis; sed omnibus Christi cultoribus, absque ullo discrimine & sine ulla restrictione, commisit, plurimumque commendavit.

§. *XVIII.* Nec, quod porro notamus, sanctiores litteræ *viam examinis* duntaxat commendant, sed & simul nos condocent, eandem prius ingrediendam esse, quam quis ecclesiæ christianæ per baptismum adsociari queat. Quando enim Christus apostolos suos emisit, ut ecclesiam ipsi colligant, hisce eos verbis adlocutus est: *Vadite in omnem mundum, docentes omnes gentes, eosque baptizate &c.* (83) Quibus verbis supponit servator optimus, præmittendam esse institutionem doctrinæque sanctioris cognitionem, antequam quis membrum ecclesiæ christianæ fieri queat. Hujus mandati memores apostoli non alios in communionem ecclesiæ receperunt, nisi eos, qui antea ab ipsis fuerant edocti, (84) neque alios baptizarunt, nisi eos, qui in Christum crediderunt. (85) Quem ad modum itaque fides in Christum præcedere olim debebat susceptionem baptismi, qui est sacramentum initiationis, quo in ecclesiam recipiuntur, quotquot Christo sua dant nomina; ita & examen fidei doctrinæque christianæ cognitio præcedere debet cognitionem ecclesiæ a Christo fundatæ.

§. *XIX.* Altera argumentorum classis, quibus examen fidei, exclusa via auctoritatis, instituendum doctrinæque christianæ cognitionem priorem esse debere cognitione ecclesiæ, evincunt theologi, ex principiis sanæ rationis ac ipsa rei natura petita est. Sapientis est, in rebus omnibus, maxime vero iis, quæ ad bene beateque vivendum spectant atque valent, nonnisi cum cura & circumspectione versari. Religione vero quid gravius, quid ad felicitatem hujus & alterius vitæ procurandam efficacius, quid solida atque distincta illius cognitione salutarius? Vtrum vero homine veritatis studioso atque salutis suæ cupido dignius est, in re gravissima auctoritatibus humanis, incertis, fallacibus, secure acquiescere, & quod in rebus mere civilibus aut œconomicis sine justa imprudentiæ dicam an insaniæ suspicione nemo fecerit, in causa religionis aliorum fidei aut judicio totum se committere, an vero serium religionis & doctrinarum, quas tradit, examen instituere, & quæ voluntas Dei sit, quæ religionis, qua coli a nobis vult, natura ac indoles, quæ certissima ad conjunctionem cum deo, in qua totius religionis revelatæ medulla quasi posita est, perveniendi via, inquirere, & quam conformia his sint ea, quæ primis vitæ nostræ annis non potuimus non ex aliorum institutione haurire, instituta solida argumentorum collatione persuasum habere? Quæ cum ita sint, sana certe ratio docet, examine religionis, sine quo nulla hujus solida & salutaris cognitio adquiri potest, nihil prius, nihil antiquius esse homini posse ac debere. Patet vero etiam, quam a ratione aliena sit illa doctorum cœtus Romani methodus, qua ecclesiam prius cognosci volunt, quam fidem atque doctrinam a Christo traditam. Vt enim cognoscamus, ecclesiam tenere veram Christi doctrinam, & consequenter vigere in illa religionem a Deo præscriptam, examen ipsius religionis & doctrinæ præcedat, necesse est. Neque enim doctrina ab ecclesia, sed ecclesia a doctrina pendet, neque naturale est, id, quod ab altero pendet, prius cognosci, quam illud, a quo pendet.

§. *XX.* Accedit vero etiam non religionum modo in mundo difformitas, sed & incredibilis sectarum in quavis religione varietas, quarum quælibet se voluntatis divinæ genuinam ac fidam interpretem esse jactitat & veræ ecclesiæ gloriam sibi arrogat. Quonam igitur criterio

(81) 1 *Petr. III.* 15.
(82) 1 *Joann. IV.* 1.
(83) *Matth. XXVIII.* 19.
(84) *Act. II.* 41, 42.
(85) *Act. VIII.* 12.

terio veram a falsa dignoscere licet religionem? quomodo inter plures ecclesias inter se contendentes, quænam sit purior, quæ corruptior, quænam divino veritatis charactere munita sit, quænam corruptelas majoris minorisve momenti veritati admixtas habeat, intelligetur? qua denique via in tanta opinionum diversitate ad veritatis æque ac ecclesiæ cognitionem perveniet homo, quem æternæ felicitatis cura tangit? Aut omnibus in ea, in quam nascendi conditione pervenerunt, religione permanendum, quod ipsi pontificii nolunt, aut parentum vel doctorum auctoritati cæca obedientia obsequendum, qua quidem re nihil potest esse humilius & ad deprimendam creaturæ rationalis dignitatem adcommodatius, aut libero examini locus dandus est, quo, semoto omni auctoritatis humanæ præjudicio, quælibet religio, quævis ecclesia, ad revelationis & traditæ in ea doctrinæ divinæ normam, tanquam ad lapidem lydium, examinatur atque dijudicatur. Cognoscenda prius est regula puritatis & veritatis, quam quidem ecclesia, quæ veritatis possessione gloriatur. Sed invertunt hunc naturæ ordinem methodi auctoritatis propugnatores, dum ecclesiam credi jubent, antequam doceant, quid ecclesia credere debeat, dum populum sequi doctores suos volunt, antequam sciat, an veram Christi doctrinam, & rectam salutis viam doceant, quæ quidem a principiis sanæ rationis vehementer abludere, in aprico est. *Oportet sane*, vere ait LACTANTIVS, *in ea re maxime, in qua vitae ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio ac propriis sensibus niti, ad investigandam perpendendamque veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possent & audita perpendere.* (86) Multo igitur minus in re tanta tamque ardua, in qua salutis æternæ ratio versatur, rationi divinitus datæ renunciare, aliorum judiciis niti, & ab ore doctorum pendere decet, quos toties superstitiosos, cæcos, imperitos, imo impostores, fanaticos, enthusiastas fuisse novimus. Nostra potius interest, cavere, ne ab aliis decipiamur, aut umbram pro Junone amplectamur, quod fieri nequit, nisi ea, quæ credenda nobis proponuntur, propriæ disquisitioni & examini subjiciamus. Præclare, ut solet, hanc in rem commentatur cel. WERENFELSIVS, cujus verba integra infra dabimus. (87)

§. *XXI.* Ipsa denique rei natura & necessitatem examinis comprobat, & illud prius instituendum esse docet, quam ad cognitionem ecclesiæ perveniatur. Ecclesia enim cum sit cœtus fidelium, neque ingressus in illam detur, nisi mediante fide; nemo illi se adjungere poterit, si ignorat, quid sit esse fidelem, nec poterit cognoscere, quid sit esse fidelem, nisi doctrinam fidei prius cognitam habeat. Naturalem huncce ordinem commendat divus gentium apostolus, quando *fidem*, quæ nos ecclesiæ tanquam corpori Christi mystico jungit, *ex auditu, auditum*

(86) in *institut. lib. II. c. VII.*

(87) Ita autem ille: *Quisquis es, qui sapientiæ aliorum tuto te fidere posse putas, si dei gloria, si salus animæ tuæ tibi curæ est, subsiste, & vide, cui fidas. Forte ii, quibus in re tanti momenti credis, ex hypocritarum genere sunt, quorum plenus est orbis, qui ipsi non credunt, quod aliis credendum obtrudunt: simulant ita propter spem commodi aut honoris, aut propter metum incommodi, jacturæ, damni, infamiæ, pœnæ, aliusve mali. Sunt innumeræ, sunt valde plausibiles, talia de pluribus præsumendi, rationes. Forte is, cujus auctoritatem sequeris, sequitur ipse auctoritatem alterius & sic deinceps. Atque ita tu simul & duces tui, iris, qua itur, non qua eundum est: forte iste, qui tibi videtur dux cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditor insipientium, magister infantium, ipse cæcus, ipse caligo, ipse insipiens, ipse infans est. Forte iste in Israële magister ipse ea nescit, quæ sunt ad ingrediendum in regnum dei necessario. Forte hi speculatores tui cæci sunt, qui ipsi nihil intelligunt. Forte qui in cathedra Mosis sedent, fermento inquinati sunt, a quo tibi est solicite cavendum. Forte prophetæ tui prophetant mendacium. — Denique qui in ovium vestimentis incedunt, intus rapaces forte lupi sunt. Doctis & sapientibus tibi confidere videris: Sed num tibi difficilius videtur, judicare de paucis in verbo Dei perspicue traditis dogmatibus, quam judicare, quis sit vere doctus & sapiens?* Vid. ejus *dissertat. apologet. pro plebe christiana*, quæ ejus *opusculis* inserta est.

*tum vero ex verbo Dei esse* adserit. (88) Quibus verbis luculenter docet, cognitionem verbi divini & doctrinæ salutaris in illo traditæ, qua fides generatur, præcedere debere cognitionem ecclesiæ. Neque unitas ecclesiæ alium ordinem patitur. Quælibet enim societas plurium personarum ad communem aliquem finem obtinendum instituta supponit principium aliquod, in quo membra illius uniantur: Unitas ecclesiæ supponit unitatem fidei præcedaneam, in qua conveniunt fideles, qua conjunguntur & tanquam membra unius ejusdemque corporis arctissimo vinculo continentur. Cumque nemo sanctioris hujus societatis, quæ nobiliorem Dei familiam constituit, communione frui queat, nisi fidelis, necesse est fidem præcedere istam communionem, cum sit illius fundamentum. Præposterе igitur agunt ecclesiæ Romanæ adsectæ, quando volunt, ingrediendum esse in ecclesiam, antequam fidem & cognitionem veritatis habeamus. Hoc enim est, velle esse in familia Dei, antequam ab eo geniti sumus, & velle rem cognoscere, ignorata ejus forma, qualis est doctrina respectu ecclesiæ eidem superstructæ.

§. *XXII.* Nec vero etiam negligenda est illa theologorum protestantium observatio, quod via *auctoritatis* supponat *viam examinis*. Nemo enim sanæ mentis auctoritati ullius ecclesiæ se submittet unquam, nisi instituto prius examine compertum habeat, tum quod Deus voluerit infallibile ejusmodi tribunal constituere, cui absolute subjici fideles necesse sit, & quod in rebus fidei illimitatam habeat judicandi auctoritatem, tum quod illud in hac præsertim ecclesia, quæ illud sibi vindicat, resideat. Neutrum autem sciri potest, nisi perspecta rationum & argumentorum, quibus duplex illud adsertum nititur, soliditate & præsupposita verbi divini cognitione, ex qua utriusque notitia hauriri potest ac debet. Requiritur ergo adcurata & rationum, quas adversarii ad sententiam suam tuendam adferunt, & doctrinarum in verbo Dei traditarum disquisitio, & quomodocunque illi sese vertant, sole meridiano clarius est, in rebus ad religionem pertinentibus non humanas auctoritates, non cæcam fidem atque obedientiam valere, sed liberum cuique examen relinquendum esse. Atque ita doctores pontificii, dum viam examinis proscriptam volunt, eandem ipsa auctoritatis methodo stabilitam videre coguntur. Immo vero etiam ipsa illorum praxis, qua ad hæreticos in gremium ecclesiæ Romanæ reducendos utuntur, manifesto est indicio, quam parum præsidii in *via auctoritatis* adversus morosos atque pertinaces incredulorum animos ponant, quodque ipsam *examinis viam*, licet inviti, quam tutissimum veritatis cognoscendæ medium, agnoscant. Tanta enim voluminum farrago, quæ contra protestantes jam ediderunt & adhuc edunt, tot tamque artificiosæ methodi, tam longi & prolixi adparatus, quibus protestantes ad amplectenda ecclesiæ Romanæ sacra allicere studeant, non nisi eo spectare possunt, si quidem rem serio agant, ut argumenta, quæ nobis opponunt, examinemus, veritatem illorum atque soliditatem dijudicemus, & vi ac robore eorundem convinci atque in sinum ecclesiæ Romanæ revocari nos patiamur. Et sic dum examen in causis religionis ex una parte exosum reddere volunt, ex altera suis ipsorum scriptis illuc invitant, turpiter sibi in re gravissima contradicentes. (89)

§. *XXIII.* Superest tertia argumentorum, quibus protestantes *viam examinis*, exclusa *via auctoritatis*, tuentur, classis, quam testimonia patrum ecclesiæ antiquioris ejusdemque purioris constituunt, ex quibus unum alterumve adduxisse sufficiat. Ita quidem IRENÆVS, celebris quondam seculi II. adversus hæreticos, qui ex Orientali & Ægyptiaca philosophia prorepserunt, disputator, prorsus magnifice de verbi divini auctoritate disserit, *scripturis*, inquiens, *niti est firma petra, his derelictis, aliis*



(88) *Rom. X. 17.*

(89) Prolixius haec exemplis BOSSVETI, Meldensium praesulis, NICOLII, SCHEFFMACHERI & FENELONII illustrat atque confirmat ZIMMERMANNVS, *diss. supra laud. p. 219. sqq.* itemque *p. 226. sqq.*

*niti quibuslibet doctrinis, est in effusa arena aedificare, unde facilis fit eversio hujusmodi aedificationis.* (90) Eundem etiam *solis scripturarum praesidiis adversus haereticorum turbam pugnasse*, laudi ei ducit ERASMVS, ejusque scripta *fragrare evangelici spiritus ardorem pectusque ad martyrium paratum* adserit (91). Eodem quoque seculo CLEMENS *Alexandrinus*: *non enim*, ait, absolute *enuntiantibus hominibus fidem habuerimus, quibus licet etiam enuntiare contrarium: si autem non satis est, solum absolute dicere, sed oportet etiam probare, quod dictum est, non exspectamus testimonium, quod datur ab hominibus, sed voce domini probamus, quod quaeritur, quae est magis fide digna, quam quaevis demonstrationes, vel potius quae est sola demonstratio, per quam scientiam, qui solum quidem gustavere scripturas, sunt fideles.* (92) Ex quibus clarum est atque perspicuum, nullam patres hosce, aetati & spiritui apostolorum proximos, hominis aut ecclesiae auctoritatem agnoscere, sed cognitionem scripturae sacrae & examen doctrinarum in illa propositarum tanquam proram & puppim in causa religionis & verbis & factis commendare.

§. *XXIV.* Nec minoris momenti sunt ea, quae AVGVSTINVS, celeberrimus ille sec. IV. Hipponensium praesul, hac de re commentatur: *non audiemus*, inquiens, *hoc dico, haec dicis, sed dicit Dominus: sunt certe libri dominici, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus, ibi quaeramus ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* (93) Idem: *inter nos*, ait, *& Donatistas quaestio est, ubi sit ecclesia? quid ergo facturi sumus? in verbis nostris eam quaesituri? an in verbis capitis sui Domini nostri Iesu Christi? puto quod in illius verbis eam quaerere debemus, qui veritas est, & optime novit corpus suum* (94). Tantum abest, ut in his AVGVSTINI verbis praesidium suae causae quaerere possint coetus romani doctores, ut manifestum potius sit, eundem statuere, ecclesiae cognitionem a cognitione doctrinae pendere & consequenter serium hujus examen haud ambigue commendare & prærequirere (95). Aeque memorabile est CYRILLI, Hierosolymitani archiepiscopi, seculo IV. florentis, testimonium, quod ita sonat: *Oportet circa divina & sancta fidei mysteria ne minimum quidem absque divinis scripturis tradi, nec temere probabilitatibus argumentisque in verborum artificio consistentibus abduci. Ne mihi quidem ista proferenti ultra credas, nisi de divinis scripturis eorum, quae tibi adnuntio, demonstrationem acceperis. Haec enim fides, cui nostram salutem debemus, non commentitia disputatione, sed ex divinarum scripturarum demonstratione vim habet.* (96). Quam toto coelo distant haec a pontificiorum methodo, res ad religionem pertinentes tractandi! Sed plura hoc loco cumulare nihil attinet, cum satis ex hisce pateat, quae fuerit antiquae ecclesiae hanc in rem sententia & praxis, institutis Christi & apostolorum prorsus consentanea (97).

§. *XXV.*

(90) Leguntur haec verba in TERTVLLIANI *lib. II. contra haereses, cap. XXVII.* quem viam sibi praeviisse, perperam contendere methodistas, ipsa inspectio docet. cf. WERNSDORFFIVS & MAICHELIVS *ll. cc.*

(91) in *epistola nuncupatoria.*

(92) in *stromat, lib. VII.*

(93) *de unitate ecclesiae l. X. c. 3.*

(94) *ibid. c. 2. add. c. 16.*

(95) Verba AVGVSTINI non tantum de inquisitione notarum ecclesiae externarum agere, uti quidem *Jac. Dav. du Perron*, ecclesiae Romanae pater purpuratus excepit, sed quam maxime de examine doctrinae intelligenda esse, ostendit FRANC. TVRRETINVS, *institut. theol. elenct. part. III. loc. XVIII. de Ecclesia p. 4.* Si enim vel maxime de notis ecclesiae sermo sit, quod tamen ex verbis, prout jacent, nullo modo erui potest, & si illas in scriptura quaerendas esse vult AVGVSTINVS, tum multo magis ipsa doctrina in scriptura quaerenda est, & examinis hujus necessitas major & prior esse intelligitur, quam ecclesiae cognitio.

(96) *Oper.* CYRILLI *edit. Touttei p. 60.* quem quidem insignem locum ut e manibus protestantium eriperet, editorem frustra adlaboraſse observat ZIMMERMANNVS *l. c. p. 218.*

(97) Plura testimoniorum ex antiquis patribus ecclesiae exempla per singula fere secula collegit Jo. HVLSEMANNVS, *de praescript. p. 60. — 84.*

§. *XXV.* Quemadmodum vero ex iis, quæ hactenus disseruimus, luculenter patet, causſam protestantium, liberum religionis examen tuentium, tum praxi Christi atque apostolorum, tum sanæ rationis principiis, tum denique testimoniis antiquissimorum ecclesiæ doctorum, adprime consentaneam, contra vero pontificiorum illam auctoritatis methodum omnibus hisce contrariam esse; ita multa insuper sunt, eaque maximi momenti incommoda, quibus hanc doctorum cœtus romani sententiam laborare, dudum ostenderunt ecclesiæ protestantium defensores, quorum jam vestigia legere, & quæ illi fusius hic, ibi pertractarunt, in breve compendium contrahere nobis constitutum est.

§. *XXVI.* Et *primo* quidem loco observamus, πρῶτον ψεῦδος, cui tanquam basi superstructum est illud pontificiorum de *methodo auctoritatis* commentum, in eo positum esse, quod statuant, Deum voluisse, *partim* ut in mundo existeret *ecclesia* quædam *visibilis*, quæ esset infallibilis voluntatis divinæ interpres, & suprema controversiarum omniumque rerum ad religionem pertinentium judex atque gubernatrix; *partim* ut isto infallibilitatis ac summæ auctoritatis privilegio gauderet ecclesia *Romana* eaque sola, reliquis omnibus ad hujus oracula atque decisiones adstrictis. Ita quidem diffisi bonitati causæ suæ in aliis doctrinæ capitibus, sese receperunt ad *ecclesiae auctoritatem*, ut sub ejus clypeo tutius laterent, ut errores suos eo facilius palliare, eosdemque simplicioribus atque imperitioribus obtrudere, atque ita etiam non omne modo examen doctrinæ, quod merito expavescunt, declinare, sed & leges re[illegible]re possent, quibus omnes & singuli cæca obedientia sese subjicere teneantur. Hoc autem facto, quo nihil naturæ hominis rationali, nihil doctrinæ salutari a Christo traditæ, infensius esse potest, detestabilis illa conscientiarum tyrannis, quæ in ecclesia Romana obtinet, introducitur, ac tota religio arbitrio hominum fallacium, inconstantium atque impiorum exponitur. Neque vero est, cur falsitatem asserti illius pontificii de infallibili ecclesiæ Romanæ auctoritate pluribus ostendamus, quum id ipsum jam in tractatione articuli de ecclesia tam a GERHARDO nostro, quam ab aliis viris doctis, quos ibi laudavimus, factum sit. Docere tamen hæc satis possunt, quam suspecta non modo sed & periculosa protestantibus videri debeat illa *auctoritatis via*, quam tanto molimine stabilire conantur ecclesiæ romanæ propugnatores.

§. *XXVII.* Eadem vero via, quod *secundo* notamus loco, tot tantisque *difficultatibus* obsepta est, ut ubi pedem figat veritatis studiosus, vix ac ne vix quidem reperiat. Vt enim in auctoritate ecclesiæ securus acquiescam, necesse est, ut de duabus illis in Romanensium systemate fundamentalibus propositionibus, quas §. *XXVI.* commemoravimus, persuasus sim, quod quidem non *examinis* modo viam supponit, uti §. *XXII.* adnotavimus, sed illud etiam maxime difficile, & plerisque fere impossibile reddit. Vt enim taceamus immensam traditionum multitudinem, quæ in hac disquisitione expendendæ sunt, ut taceamus vastissima patrum volumina, quæ veritatis cognoscendæ cupido evolvenda sunt, tanto sane litterarum adparatu, tanta historiæ inprimis ecclesiasticæ cultura, tanto in discutiendis ipsorum adversariorum sententiis sibi invicem repu[illegible] tibus judicio, opus est, ut, non dicam la[illegible]untaxat & imperitæ plebis homines, sed etiam pauciſſimi eruditorum tam immenso laborisuscipiendo, aut absolvendo pares sint. Neque diffitetur hoc ipsemet ARNALDVS in suis adversus cel. CLAVDIVM disputationibus, in quibus adserit: *ecclesiae infallibilitatem non adeo per se claram esse, cum a voluntate Dei unice dependeat, qui in sacra scriptura illud nobis declaraverit: quumque ea naturaliter infallibilis non sit, nonnisi principiis fidei aut longa ratiociniorum serie probandum esse, eandem supernaturaliter esse infallibilem.* (98)

(98) *Disp. tom. I. L. I. c. VII. p. 66.*

§. *XXVIII.* Accedit porro etiam huic auctoritatis & infallibilitatis ecclesiæ examini permagna difficultas ex eo, quod ipsamet *ecclesiae* vox in pontificiorum systemate tam vagum atque ambiguum significatum habeat, ut ubinam illius auctoritas resideat, nullo modo adpareat. In hoc enim capitali prorsus ac primario puncto, quod regulam principalem fidei concernit, ita mirifice inter se dissentiunt, ut jam pontifici Romano, eique soli, & ex cathedra, ut ambigue loqui solent, pronuntianti, jam conciliis pontifice præsidente habitis, jam conciliis auctoritatem papæ non reverentibus, jam universali ecclesiæ doctrinæ, unanimi patrum consensu traditæ, & a fidelibus constanter retentæ, insigne illud infallibilitatis & supremæ jurisdictionis privilegium tribui vindicarique videas. Quotusquisque vero omnibus illis subsidiis instructus est, quibus tot tamque diversarum sententiarum examen suscipere, & omni adhibita diligentia decidere demum possit, quænam præ cæteris veritatis charactere munita sit? Quamcunque vero tandem aliquis sententiam adoptaverit, novis se difficultatibus immersum sentiet, quas superandi novis viribus, novis studiis, novis adparatibus opus est. Quomodo, quæso, ut ex multis unum hoc addamus, tot manifestos errores, tot contradictoria pontificum decreta cum infallibilitate eorum conciliare, quomodo ecclesiam, penes quam summæ auctoritatis tribunal esse volunt, ex notis illius externis, in quarum numero determinando sibi non constant, cognoscere, quomodo ea omnia, quæ de conciliis, eorumque numero, auctoritate, actis & canonibus, nec non de facultate ea convocandi, de jure præsidii, de potestate dissolvendi, de eorum inter se consensu vel dissensu, inter ipsos pontificios disputantur, discutere atque, prout par est, examinare, quomodo denique patrum scripta, quorum auctoritatibus standum esse jubent, evolvere, dissentientes illorum opiniones conciliare, & denique hæc omnia ad amussim sacrarum litterarum examinare laicus poterit? Recte proinde sentiunt theologi protestantes; quando *moraliter impossibile* esse pronunciant, ut non imperita modo plebs, cujus insciti am atque stupiditatem mirum in modum exaggerare solent methodi hujus artifices, ex illis difficultatibus sese expediat, sed & homines erectioris ingenii & plus quam mediocris eruditionis persuasum habeant, ecclesiam Romanam esse eam, quam Deus isto infallibilitatis privilegio ornaverit. (99) Ex his vero facile intelligitur, quam spinosa, quam intricata sit via auctoritatis, quæ a pontificiis tantopere laudari & commendari solet.

§. *XXIX.* Ex his vero etiam *tertio* intelligitur, *viam auctoritatis*, insuperabilibus ejusmodi difficultatibus obseptam, in adorandas *Dei perfectiones* injuriam esse. Non enim ad impossibilia obligare mortales potest numen sapientissimum & generis humani cupidissimum. Qua vero ratione bonitas Dei erga homines vindicari poterit, si viam cognoscendæ religionis adeo difficilem, adeo obscuram reddidit, ut vix unus aut alter, omni adhibita diligentia, illam invenire queat? quomodo cum divina æquitate consistere potest, ut fidem nostram, in qua æternæ salutis ratio versatur, auctoritati hominis subjiciamus, cujus infallibilitatem, quam divinitus sibi concessam esse jactitat, tam spissis involutam tenebris esse novimus, ut plerique mortales ad illius cognitio-

(99) Paradoxa sane sunt, quæ de FENELONIO & MAIMBVRGIO narrant ZIMMERMANNVS *loc. cit. p. 193. seqq. & 231. sq.* ac WEISMANNVS in *schediasm. VIII.* Quid enim a persona horum duumvirorum magis alienum esse poterat, quam ex una parte sententias suas veras, rationi conformes, ac Deo dignas pronunciare, ex altera autem pontificis decreto, easdem proscribendi, sine ullo novo instituto examine subscribere, atque ita papæ auctoritatem rectæ ratio-nis dictamini, & scripturæ sacræ doctrinis præferre? Sane totus historiæ illorum tenor docet, ipsos, etsi omni eruditionis adparatu instructissimos, de præcipuo hoc articulo auctoritatis pontificiæ non magis persuasos fuisse, quam protestantes. Fuisse etiam, qui NICOLIVM ipsum viam auctoritatis pro commento atque chimæra habuisse existimarent, docet BAILIVS *in diction. histor. & crit. art.* PELISSON *lit. D. tom. III, p.* 2220.

tionem pervenire nequeant? Quid magis infinitæ Dei sapientiæ adversum est, quam tam incertum ac lubricum fundamentum & medium, certitudinem atque convictionem in rebus ad religionem pertinentibus adquirendi, constituere, quale est infallibilitatis ac supremæ jurisdictionis tribunal, ad quod via auctoritatis nos ducit? Pontificii autem dum viam examinis periculosissimam esse contendunt, simul vero per hypothesin de via auctoritatis sequenda, omnia instrumenta cognoscendi religionem hominibus e manibus eripiunt, sententias fovent, quæ hisce Dei attributis contrariæ sunt. Suaviter itaque in veterno suo obdormiscere, securi rerum divinarum, incurii voluntatis divinæ ac suæ ipsorum salutis, in diem vivere possent homines, immo in ipso foro divino excusabiles forent, quibus ob ingenii hebetudinem, ob eruditionis defectum, & ob alia impedimenta viam hancce inviam reddentia non contingeret ad cognitionem eorum pervenire, quæ ad exsequendam Dei voluntatem atque ad procurandam suam ipsorum felicitatem scitu cognituque necessaria sunt. Neque enim hæc hominum culpa foret, sed Dei, adeo spissam veritati velamentum obducentis, ejusve sedem mortalibus inaccessam reddentis, quod cogitare nefas atque blasphemum est.

§. *XXX. Quarto* nihil certius atque evidentius est, quam quod via auctoritatis religionem christianam ludibrio incredulorum exponat. Illud quippe hominum genus, quod nil nisi rationem, examen, & sentiendi libertatem crepat, non potest non abjecte de religione sentire, quæ præstantissimæ facultatis homini cœlitus datæ usum in re gravissima proscribit, quæ examen omne respuit, quæ denique alienam auctoritatem, nullo modo probatam, cæca obedientia sequendam esse docet. Cui enim bono data est mortalibus divina revelatio, quam ut sub debito rationis usu agnoscatur, expendatur, atque in nostra commoda convertatur? quod axioma est ab omnibus omnino populis agnitum. Jure igitur liberum revelationis examen postulabit incredulus, jure ridebit principium illud: revelationem pro vera agnoscendam esse sine examine, & in infallibili pontificis Romani auctoritate atque judicio acquiescendum, jure probationem hujus adserti, sed frustra, urgebit. Fac, illum insuper videre, viam illam cognoscendi religionem, quam doctores pontificii commendant, ipsis revelationis placitis & Christi & apostolorum praxi contrariam esse; facile colliget, christianos ipsos de religione christiana non satis esse persuasos, & cavillandi illam ridendique occasionem inde arripiet. Tantum abest, ut via auctoritatis unica sit, lucrandi & convertendi deistas aliosve religionis christianæ hostes, ut FENELONIUS existimavit, ut potius plane comparata sit, ad eosdem in erroribus suis confirmandos atque a christiana religione magis magisque alienandos, haneque risui illorum ac ludibrio prorsus exponendam. Neque positis hisce principiis mirum est, quod tam multi ex ecclesiæ Romanæ sinu prodeant contemtores atque irrisores religionis, qui integro christianorum cœtui male imputant, quod quibusdam illius membris jure vitio vertitur. Neque vero a cordatioribus pontificiorum dissimulatur, deissimum primos suos natales ecclesiæ Romanæ debere, animosque liberiores & inanium tam doctrinarum quam superstitionum, quibus papismus abundat, impatientes facillime ad omnem religionis contemtum solicitari (100), id quod etiam antistites ordinis sacri in Gallia nuper publice confessi sunt. (101) Adeo sane papismus atque deismus sibi invicem contrariantur, ut quid ille ad hunc sanandum conferre possit, non intelligatur, (102) quantumvis sæpe in eadem persona coalescant & pacifice

(100) vid. b. WEISMANNI *schediasm. V. §. XV.*

(101) in scripto, cui titulus: *avertissement au clergé de France &c.* supra §. *XII. not. 57)* jam laudato.

(102) Vero certe similia non sunt, quæ auctor ille vitæ Feneloniæ, RAMSÆVS, de sua ex deismo ad catholicismum conversione, argumentis etsi parum firmis a FENELONIO prolatis effecta, ad glaucoma lectori objiciendum refert. vid. WEISMANNVS *loc. cit.* & ZIMMERMANNVS *loc. cit. p. 145. sq.*

cifice vivant; & decantatum illud: *ou deiſte ou catholique* in eo tantum caſu obtinet, quando juſtum, rationabile, ipſoque verbo veritatis inſtitutum inter dua hæc extrema medium, *examen nempe religionis*, non tenetur (103.)

§. XXXI. *Quinto* ad oculum oſtenderunt theologi proteſtantes, viam auctoritatis, dum omnem in veritate inquirenda certitudinem intellectui humano denegat, & ad unius eccleſiæ vocem tanquam judicem infallibilem ablegat, *pyrrhoniſmo* ſeu ſcepticiſmo latam portam aperire, quo vix datur capitalior & fidei & rationis humanæ hoſtis. Ex iis, qui cauſam hanc ex profeſſo perorarunt, JOANNEM PLACETTE (104.) & JO. ALPHONS. TURRETINUM (105.), celeberrimos eccleſiæ Reformatæ miniſtros, nominaſſe ſufficiat, quibus ZIMMERMANNVM ſæpe jam laudatum (106.) nec non ex noſtris D. KIESLINGIVM, celeberrimum univerſitatis Erlangenſis profeſſorem, (107.) adjungimus. Duplex nimirum eſt hominum genus: Vnum, quod debili judicio & paucis, imo fere nullis ad examen longum atque difficile ſuſtinendum ſubſidiis præditum eſt. Fac jam, hujus generis homines, qui certe maximam eccleſiæ & orbis partem conſtituunt, veritatis cupidos eſſe, ſed tot tantasque difficultates ſuis viribus multo ſuperiores, in cognoſcenda eccleſiæ, cui fidem ſuam cœco aſſenſu mancipare jubentur, auctoritate, ſibi objectas videre, quid magis naturæ conſentaneum eſt, quam ut a quærenda veritate, quam vix centeſimus adhibita omni diligentia invenire poteſt, plane deterreantur, antecedentium turbam cœci & pecorum more ſequantur, animumque dubiis inſolubilibus atque æternis miſere vexatum in ſinu gerant? Alterum vero hominum genus, quod præſtantioribus animi dotibus ac pluribus externis adminiculis inſtructum eſt, cum iſta impedimenta ſibi obverſari videt, reſpuet examen tanto cum labore conjunctum, ea potius curabit, quæ ſuaviora & ad promovendam felicitatem externam aptiora ſunt, ac tutius tandem vel certe commodius arbitrabitur, ſententiæ a pluribus adoptatæ, etſi nec diſtincte cognitæ nec ſufficienter probatæ, animo ancipiti adſtipulari, quam inextricabili diſcuſſionum atque obſtaculorum labyrintho ſe ſua ſponte implicari. Ita vero impoſſibile eſt, ut ad plenam veritatis cognitionem & oriundam ex ea animi tranquillitatem atque ſalutis certitudinem perveniant; ſed ſemper dubitationes, animum turbantes, ſupererunt, quibuscum non per omnem modo vitam ipſis luctandum erit, ſed quibus permoti tandem veritates graviſſimas, momentoſiſſima religionis & naturalis & revelatæ dogmata, in dubium vocabunt. Malum vero multo magis creſcit & celerius augetur, quod naturali plurimorum incapacitati aut oſcitantiæ, examinis religionis & lectionis ſcripturæ ſacræ publica proſcriptio, pœnis quoque temporalibus ſancita, accedit. Vnde mirum non eſt, plerosque curam religionis plane abjicere, ſtupide credere, quod eccleſia credit, probare, quæ major pars & turba probat, ſuas de religione opiniones hominibus, quos inter degunt, temporibus ac locis adcommodare, easdem quoties e re ſua eſſe ipſis videtur, aut ſacerdotes alia, & his e diametro oppoſita, ipſis credenda injungunt, mutare ac alias amplecti, aut nulli denique firmo animi ſenſu adſtipulari. Plane hac ratione ſimiles evadunt ſcepticis tum antiquioribus tum recentioribus, quos, de omnibus dubitandum, nihil

(103) Vid. *S. R. D.* JOH. GOTTLIEB FABERVS in *ſuccincta theologiae antideiſticae delineatione cap. II. p. 5. ſq.*

(104) in libro prorſus egregio *de inſanabili eccleſiae romanae ſcepticiſmo*, *Amſtelod. MDCXCVI.* 4. edito.

(105) in ſcripto, cui titulus eſt, *Pyrrhoniſmus pontificius, ſ. theſes de variationibus pontificiorum circa eccleſiae infallibilitatem*, Lugd. Batav. *MDCXLII.* typis excuſo.

(106) in diſſ. de *examine religionis indifferentiſmo non patrocinante*, quæ *opuſculorum* ejus *tomo II. p. 311. ſqq.* inſerta exſtat.

(107) in diſſ. de *inſanabili eccleſiae Romanae, circa aquae tranſubſtantiationem in ſacra euchariſtia, ſcepticiſmo, contra Paulum Areſium, Dertbonenſem epiſcopum, MDCCLXXII.* 8.

nihil pro certo habendum, judicium semper cohibendum, atque in rebus ad religionem spectantibus mores civitatis, in qua quisque natus est, sequendos esse, statuisse novimus. (108. Et vanum est ac futile FRANC. MOTTÆI VAYERII, magni quondam Galliæ litterariæ ornamenti (109), PETRI DAN. HVETII, celeberrimi illius Abrincensium episcopi (110), aliorumque doctorum pontificiorum commentum, quod sceptica philosophandi ratio optimum sit homines ad religionem præparandi & adducendi medium, cujus adserti falsitatem atque absurditatem pluribus probatam dedit ZIMMERMANNVS (111) sæpius jam a nobis laudatus.

§. *XXXII. Sexto* viam auctoritatis tantopere a pontificiis laudatam ad *fanaticismum* atque *enthusiasmum* perducere, præter alios ecclesiæ protestantium doctores EDVARDVS STILLINGFLETVS (112) & GVILIELMVS WACKIVS, (113) Angli, ex instituto demonstrarunt. Communis quippe est eruditorum sententia, fanaticum dicendum esse, qui vel dogmata, quorum nec vola nec vestigium in sacris litteris reperitur, tanquam divina alteri sine omni probatione obtrudere vult, vel rejecta omni revelatione, nescio quod lumen internum, a ratione distinctum jactitat, aliisque tanquam fidei normam absque omni firmo solidoque privilegii hujus sibi concessi argumento proponit. (114) Facile autem intelligitur, viam *auctoritatis*, quæ omne examen proscribit & cæcam fidem postulat, jure meritoque fanaticam dicendam, immo totam religionem pontificiorum mero Fanaticismo superstructam esse. Supra enim jam probavimus, infallibilitatem istam pontificis & ecclesiæ Romanæ, quæ *viae auctoritatis* principium est & fundamentum, merum esse commentum & scripturæ & rationi adversum, & tamen illi fanaticæ opinioni cæco adsensu subscribere tenentur, quotquot huic ecclesiæ addicti sunt. Atque ita ecclesia Romana facilem sibi viam parat, ad quævis alia suis cultoribus, tanquam Dei oracula, commendanda, eosque, contrarium licet persuasos, ut exemplis FENELONII & MAIMBVRGII supra adductis constat, ad fidem carbonariam & cæcam erga sua decreta obedientiam adstringendos. Hoc vero, si quidquam aliud, ineptum fanaticismum spirat & fanaticos atque enthusiastas gignit. Et si per singula doctrinæ pontificiæ capita eundi locus hic esset, fanaticismi omnia plena in systemate Romanensium reperias. Sive enim illa fidei principia, quibus *viam auctoritatis* ac totam religionem pontificiam innixi vidimus (115), sive numerosissimam sanctorum segetem (116), sive cano-

(108) vid. JAC. BRVCKERI *hist. philos. per. I. part. II. libr. II. cap. XIV.*

(109) *in quinque dialogis* Oratii Tuberonis nomine vulgatis.

(110) in tractatu posthumo de *imbecillitate humani ingenii*, *Amstel. 1723. 12.* in hoc pereleganti quidem, sed periculoso libello omnem ingenii & doctrinæ vim ad stabiliendam juvandamque scepticismi causam adhibuit, ut ipsos Jesuitas, in commentariis Trivoltiensibus ad annum 1725. mens. Junii, ejus puduerit, negaverintque HVETIVM ejus auctorem esse, donec abbas OLIVERIVS, editor libelli, & Jo. CLERICVS, qui ipsum manuscriptum HVETII vidit ejusque manum probe cognovit, sufficienter hoc comprobaverint. Certe etiam ex *quaestionibus Alnetanis*, in quibus de concordia rationis & fidei agit, nec non ex *demonstratione* ejus *evangelica*, haud obscure constat, eum scepticæ philosophiæ amantissimum fuisse.

(111) in *dissertationis adversus incredulos, part. III. opusc. p. 92. sqq.*

(112) in diss. *de idololatria, quae in ecclesia Romana obtinet, deque periculo salutis in ejus communione, nec non fanaticismo & divisionibus ejusdem ecclesiae*, anglico idiomate edita Lond. *MDCLXXVI. 8.* & *operum illius tomo V.* inserta.

(113) in scripto: *the enthusiasme of the church of Rome*, Lond. *MDCLXXXVIII. 8.*

(114) vid. quæ de varia vocis *fanaticismi* acceptione commentatur b. HEVMANNVS in *poecile tom. I. p. 283.* sq. nec non ZIMMERMANNVS *diss. adversus incredulos part. 7. IV. opusc. p. 162. sqq. & part. V. p. 242. sqq.*

(115) pluribus hoc probatum dedit GODOFR. OLEARIVS, *in diss. de fanaticismo papaeo in doctrina de principiis fidei*, Lips. *MDCCXII.*

(116) Argumentum hoc egregium pertractavit atque dilucidavit MARTIN. CHLADENIVS, in peculiari diss. *de sanctis factitiis, testibus enthusiasmi in papismo*, Witemb. *MDCCXII.*

canonisationes illorum, sive historias conciliorum, sive ordines sacros, sive ritus superstitiosos, sive denique specialia illorum dogmata, qualia sunt illa de indulgentiis, de purgatorio &c. spectemus; omnia hæc ita comparata esse intelligemus, ut doctores pontificii talia pro effatis institutisque divinis venditantes, jure meritoque fanaticismi adcusentur, ac dolenda illorum sors sit, qui omnibus hisce, misso omni examine, æque fanatica fide adsentiri coguntur. (117)

§. *XXXIII. Septimo* fanatica hæc auctoritatis methodus *tyrannidem* conscientiarum atque *intolerantiam* inter christianos, qua nihil magis genio religionis christianæ & mutuæ charitati, quæ illius anima est, contrarium esse potest, introducit, auget atque confirmat. Præterquam enim quod profundam in rebus ad religionem spectantibus ignorantiam, & quæ ex illa consequitur, diram superstitionem introducit, conscientiis humanis tam ferrea vincula injicit, ut vexantibus utcunque animum dubitationibus gravissimis, cohibente etiam quandoque consensum certa contrarii persuasione, tamen adversus decreta ac decisiones pontificis aut ecclesiæ infallibilis ne hiscere quidem liceat hominibus huic religioni addictis, nisi detestandæ tyrannidis effectus experiri velint. Quod quidem violentum in conscientias dominium uti & sanæ rationi & religioni christianæ e diametro repugnat, id quod præter multos alios HEIDEGGERVS (118), WOLFIVS (119), WERENFELSIVS (120), TVRRETINVS (121), PFAFFIVS (122), abunde satis demonstrarunt, & ipsi prudentiores inter pontificios, quorum in numero clarent DVPINIVS, doctor quondam Sorbonicus (123), ac J. A. THVANVS (124), quin & FENELONIVS ipse (125), publice confessi sunt; ita *viam auctoritatis* non potest non protestantibus atque omnibus libertatem conscientiæ, tanquam excellentissimum Dei munus ac naturæ rationalis privilegium, tuentibus, exosam atque abominabilem reddere. Eo vero etiam illa perducit plerumque homines, ut sibi omnia licere putent in eos, qui aliter sentiunt, ut quemlibet a suis suæque ecclesiæ opinionibus dissensum pro piaculo habeant, temporalibus quoque pœnis, imo ipsa morte ulciscendo, ut imbuti auctoritate pontificis & ecclesiæ, quosvis, qui eam negare audent, tanquam criminis læsæ majestatis reos, nullis plane humanitatis ac amicitiæ officiis dignos, sed irreconciliabili odio persequendos ac variis modis adfligendos esse opinentur, sibique adeo persuadeant, se, quo magis in miseros sæviant, eo majus Deo beneficium præstare. Funestissima, at proh dolor! certissima cæci hujus furoris exempla in historia *Waldensium*, *Hussitarum*, *Bohemorum*, *Hugenottorum*, *Pedemontanorum*, *Belgarum* inveniuntur, ex quibus luculentissime adparet, quam primæ christianismi legi, quæ in mutuo amore posita est, inimicos in animis humanis effectus producat *via auctoritatis*, fanaticis illis opinionibus superstructa.

§. *XXXIV. Octavo* denique observarunt viri docti, viam auctoritatis compluribus aliis nævis laborare, maximaque omnino ex hoc disputandi genere sequi *absurda*. Stante enim illo auctoritatis principio, ut vel unum alterumve heic commemoremus, impossibile est, ut homines de veritate religionis christianæ singulisque fidei christianæ articulis convincantur, nisi Deus perpetua faciat miracula. Quod-

(117) compluribus exemplis doctrinarum in systemate ecclesiae Romanae capitalium hanc theologorum protestantium sententiam illustrat atque confirmat ZIMMERMANNVS *diss. cit. P. IV.*

(118) in diss. *de violenta conversione errantium.*

(119) in diss. *de conversione legitima in fide errantium.*

(120) in diss. *de jure magistratus in conscientias.*

(121) in diss. *contra indifferentiam religionum.*

(122) in *den academischen Reden über das Kirchenrecht p. 54. seqq. & 218. sq.* nec non in diss. *de zizaniis non evellendis.*

(123) in *dissertationibus de antiqua ecclesiae disciplina.*

(124) in dedicatione operis sui historici ad HENRICVM *IV.* Galliæ regem directa, in qua inter alia hisce verbis utitur: *sola religio non imperatur.*

(125) in libello supra adlegato: *histoire de la vie de Fenelon. p. 181.*

Quodsi enim, ut contendit FENELONIVS, *nemo de articulo quocunque persuasus esse potest, nisi idem infallibiliter sciat, & quidem singulis momentis, eum ita intellectum probari pontifici;* id sane nulla alia ratione effici potest, quam si Deus ipse per miraculosam quandam inspirationem singulis momentis eum de his vel illis articulis religionis convincat, quo autem posito tum revelationis tum universalis illius judicis utilitas atque necessitas plane evanescit, id quod a ZIMMERMANNO pluribus ostensum est. (126) Deinde nec hoc silentio prætereundum est, quod, observantibus CALIXTO & FRANCISCO TVRRETINO (127), tota disputatio illa in vitiosum circulum redeat. Ut enim auctoritatem ecclesiæ aliqua cum specie probare videantur, non possunt non ad scripturam sacram provocare, quæ illam doceat atque stabiliat: Hujus autem infallibilitatem atque divinam auctoritatem quando evincere volunt, provocant ad auctoritatem ecclesiæ, quæ unicum illam cognoscendi & credendi principium sit. Quam vero hæc a sanis atque legitimis ratiocinandi præceptis ac legibus aliena sint, nemo, opinor, non intelligit. Plura alia tacemus, cum hæc, quæ hactenus disputavimus, abunde doceant, viam auctoritatis a doctoribus ecclesiæ Romanæ tantopere commendatam non modo lubricis fundamentis inniti & gravissimis difficultatibus atque nævis laborare, sed & ad convertendos incredulos aut reducendos protestantes adeo non comparatam esse, ut eorum potius animos ab ecclesia Romana magis magisque alienos reddat, id quod SHERLOCKIVS nervosa brevitate ostendit, (128) atque causæ protestantium nova stabilimenta addat majoremque favorem & gratiam conciliet.

§. *XXXV.* Restat jam, ut & de iis aliquid dicamus, quæ ecclesiæ Romanæ defensores ad causam suam tuendam adferre solent. Hac autem in re ita versantur, ut, cum viam auctoritatis nulla firma ratione probare queant, omnia tela sua adversus examen religionis dirigant, quo proscripto facilius esse existimant, idolum auctoritatis constituere. Præcipua, quibus utuntur argumenta, ad quatuor genera reduci possunt: Desumta enim ea sunt *partim* ex difficultatibus, quibus examen religionis involutum sit, *partim* ex periculo gravium errorum, in quos illud præcipiter, *partim* ex fanaticismo, quem promoveat, *partim* denique ex necessaria omnium erga omnes tolerantia, quam introducat, & oriunda inde summa rerum in imperiis confusione ac perturbatione. De singulis pro instituti ratione quædam dicemus, & quam vana, quam ficulnea ea sint, paucis ostendemus.

§. *XXXVI. Primum* igitur argumentorum genus, quibus contra viam examinis insurgunt doctores pontificii, eo tendit, ut mirum quantum difficultates illius augeant, & ostendere conentur, illud non tantum longum atque molestum, sed plerisque etiam tum ob ingenii humani imbecillitatem & præjudicatarum opinionum vim, tum ob obscuritatem scripturæ sacræ ipsius impossibile esse, (129) solam igitur auctoritatis viam superesse, quæ brevis & facilis sit & plenam perfectamque fidei certi-



(126) *in diss. adversus incredulos part. V. opp. tom. II. p. 239. sqq.*

(127) in disputationibus de *circulo pontificio.*

(128) in *preservatif contre le papisme p. 11* ubi ita: *c'est en vérité une chose surprenante, qu'un protestant puisse être capable d'embrasser le papisme sur des raisons; car dès le moment, qu'il est gagné, il faut, qu'il fasse une seconde abjuration des motifs, par lesquels il a été converti. Il faut qu'il se serve de son jugement, pour entrer en la communion de Rome & dès le moment qu'il y est entré, il faut renoncer a son jugement & en reconnoitre la non validité.*

(129) Difficultates, quas in via examinis insuperabiles esse existimat NICOLIVS *loc. cit.* huc redeunt: 1) quemlibet debere exploratum habere, num loca, quæ sibi adlegantur, sint ex libro canonico, 2) num textui originali conformia, 3) annon lectio varians probationis ex tali loco desumtæ nervos incidat? Satis vero commentum hoc refutarunt, & viam examinis multo faciliorem ac certiorem esse via auctoritatis ostenderunt CLAVDIVS, PAJONIVS & JVRIÆVS in scriptis, quæ supra laudavimus.

tudinem gignat. Verum enimvero facile est ex hactenus dictis falsitatem hujus adserti intelligere. *Primo* enim supra jam ostensum est, difficultates in via auctoritatis obvias multo plures atque majores esse quam in via examinis, (§§. XXVII & XXVIII.) & si difficile sit, sensum scripturæ adsequi, longe difficilius esse adsequi sensum ecclesiæ, cum quæstio de ecclesia ejusque auctoritate tam innumeris obscuritatibus atque contradictionibus involuta sit, ut ne ipsi etiam oculatissimi, nedum indocti & imperiti, illas evoluere & conciliare queant. *Deinde* licet examen fidei & doctrinæ non sine omni labore ac studio, quod facile largimur, fieri possit; nulla tamen est, quæ ex hoc deducitur, consequentia, quod illud plane superfluum aut impossibile sit: Non enim agitur de examine & cognitione distincta omnium doctrinarum, non de artificiali, critica & theologica articulorum fidei & dogmatum discussione, sed de doctrinis cardinalibus atque ad salutem scitu credituque necessariis, quæ in scriptura sacra satis perspicue traduntur, & quarum examen simplex, instructivum & convictivum perspicacibus facile, simplicioribus haud difficile est. Adcuratius quippe examen religionis non a singulis, sed ab universis inter se sociatis instituendum. Neque tamen ex alterius institutione veritatem cognoscere, idem est ac ab ipsius auctoritate pendere: cum non in verba magistri, nonnisi ex auctoritate pronuntiantis, juremus, sed probationem eorum, quæ docet, ab eo exspectemus atque postulemus. *Tertio* denique frustra sanctiores litteræ examen doctrinarum fidei hominibus inculcarent, si illud adeo difficile vel impossibile foret. Vana certe atque absurda forent omnia illa Christi & apostolorum præcepta toties repetita de inquirenda veritate & instituendo religionis examine. Vnde quascunque contra examinis viam objectiones movent pontificii, non protestantes modo, sed ipsum salvatorem atque viros divino spiritu actos feriunt, & operationibus gratiæ divinæ, cum verbo conjunctis, & in iis, qui sincero veri cernendi amore incensi illud tractant, sese exserentibus, ac naturales illorum vires adjuvantibus, temerario ausu limites ponunt.

§. *XXXVII.* *Secundum* argumentorum genus, quo pontificii ad præscribendum religionis examen & ad solam *auctoritatis viam* stabiliendam utuntur, a periculo desumtum est, quod cum illo inseparabiliter conjunctum sit. Caussantur enim, stante examinis libertate non posse non homines in gravissimos errores præcipitari, partim quod plerique ea laborent ingenii imbecillitate, ut quid verum, quid falsum, quid verbo Dei & sensui Spiritus S. consentaneum, quid contrarium sit, vix ac ne vix quidem adsequantur, partim quod ipsi eruditi atque doctores religionis in interpretanda scriptura sacra tam vehementer inter se dissentiant, ut a cuius partibus veritas stet, intellectu difficillimum sit; & innumera controversiarum religionis multitudo inde generetur atque quotidie augeatur; atque hinc fieri aliter non posse existimant, quam ut plerique aut errores pro veritatibus arripiant, aut omnes religiones pares habeant, aut de omnibus promiscue dubitent, & hanc etiam causam esse, quod tot sceptici, tot indifferentistæ, in ecclesia christiana, inprimis vero in cœtu protestantium prodire conspiciantur. Verum enimvero non est, quod nostræ causæ ab hac objectione metuendum sit. Etsi enim haud inficias imus, dari inter ipsos protestantes haud paucos, qui graves foveant errores, & vel scepticismo, vel indifferentismo indulgeant; inde tamen nulla ratione effici potest, libertatem examinis *in se* spectatam horum malorum causam esse. Quod vero non *per se*, sed tantum *per accidens*, ut in scholis loqui solent, ex aliquo systemate consequitur, id in ejus præjudicium nequaquam vergere potest (130). Deinde argumentum illud ab erroribus desumtum, in quos libertas examinis homines conjiciat, plus probat, quam quidem ipsimet inde probare volunt. Cum enim,

(130) Solide caussam hanc excussit ZIMMERMANNVS in peculiari diss. de *examine religionis indifferentismo non patrocinante*, quæ *opp. tom. II. p. 311. sqq.* inserta legitur.

enim, quod nec ipsi diffiteri queunt, revelatio eum in finem data sit hominibus, ut sub debito rationis usu cognoscatur, id quod absque diligenti illius examine fieri nequit: per se facile intelligitur, si examen religionis in se spectatum in errores præcipitet, Deum hominibus aut præstantissimum rationis usum eripere, aut omnem plane religionem e mundo tollere, aut denique per perpetua miracula quosvis errores præcavere debuisse. Neque illa ingeniorum imbecillitas tanta absolute & sine omni restrictione dicenda est, ut, adhibita etiam omni diligentia & attentione, paucissimi bonum a malo, verum a falso dignoscere possint. Excideret sane hoc modo Deus fine suo, propter quem revelationem hominibus concessit, imo culpa non agnitæ a plerisque veritatis in ipsum redundaret, quod cogitare nefas est. Quod vero ad dissensum illum attinet, qui inter ipsos doctores religionis obtineat, & multis litibus ac controversiis fores aperiat; satis constat, eum partim per ipsam rei naturam non evitabilem esse, cum multa sint in sacris litteris, æque ac in aliis disciplinis, quæ intellectu difficiliora sint, partim non tantum esse, quantum illi faciunt, cum maximam partem circa dogmata secundaria & quæstiones minoris momenti versetur, sed respectu plerorumque articulorum fidei, inprimis vero fundamentalium, universalis fere sit inter cœtus christianos consensio (131), partim in ipsos cœtus Romani doctores non minus ac scepticissimum atque indifferentissimum majori jure retorqueri posse, uti ex iis, quæ supra diximus §. *XXXI.* abunde patet. Adeo non in errores præcipitat, aut vel dubitare vel humiliter de religione sentire docet examen religionis, ut potius recta & unica & Deo ac homine digna via sit ad veritatem rite recteque cognoscendam.

§. *XXXVIII. Tertia* objectio, quam viæ examinis movent, fanaticismum illi impingit. Ad hoc probandum duplici medio termino utuntur, partim quod ex nostris principiis omnes promiscue religionem examinare, teneantur, quorum tamen plerique ad hoc inepti sint, & consequenter has vel illas doctrinas sæpenumero tanquam divinas amplectantur, quas tales esse probare nequeant, partim quod inter alia argumenta pro divinitate articulorum religionis ad testimonium Spiritus sancti internum provocetur, de cujus veritate nemo certus esse possit. Vtrumque hoc fanaticum esse clamitant. Sed neque hæc adcusatio causam nostram labefactare aut evertere potest. Præterquam enim quod obligatio religionem examinandi tum ab ipso Deo omnibus injuncta sit, tum propter ipsum finem, ad quem nobis data, singulis incumbat, & infimæ etiam plebis homines, nisi stipites sint aut pigri atque leves, adhibita ea, qua decet, attentione ac diligentia ad salutarem veri ac falsi, & doctrinarum scitu crediuque necessariarum cognitionem pervenire queant; testimonium illud Spiritus sancti, ad quod provocare solent protestantes, aut non intelligunt pontificii aut malevole & contra mentem nostrorum theologorum interpretantur. Nihil enim aliud per illud intelligimus, quam ipsam operationem gratiosam spiritus sancti, quæ cum verbo divino semper unita est, & per verbum omnibus, qui illud debita cum adplicatione tractant, [illegible]am certitudinem ac fidem ingenerat. Ex quo quidem satis clarum est, quantum inter illud & fanaticorum lumen internum discrimen intercedat. Incumbit igitur pontificiis onus probandi, Spiritum sanctum vim & efficaciam suam divinam in animis hominum in examine doctrinarum fidei versantium aut non posse, aut non velle exserere. Neutrum autem cum valeant, temerarium est rei ipsius existentiam in dubium vocare, aut prorsus negare, & quidem ex hac sola ratione, quod modum rei ignorant. Neque vero ad hoc unum fidem nostram adstringimus, sed cum eo alia credendi motiva conjungimus, neque si quis hic vel ibi ortus sit, abusus usum tollit. Quæ quidem viam examinis ab omni fanaticismi suspicione satis liberant, cujus prædicata ecclesiæ Romanæ omni-



(131) Vid. WERENFELSII *diss. apolog. pro plebis judicio* &c. supra laudata.

respectu competere supra (§. *XXXII.*) pluribus evicimus (132).

§. *XXXIX. Quarto* denique objiciunt, sententiam protestantium, quæ libertatem examinis omnibus omnino concedat, omnibus quoque libere de religione sentiendi & cogitata sua cum aliis communicandi facultatem dare, & sic *Tolerantismum*, quem vocant, introducere ac tot religiones efficere, quot sint capita, ex quo innumera mala, contentiones, turbæ, confusiones, in imperiis non possint non oriri. Quam difficultatem, quantum potuit, PAPINVS (133) præ aliis urgere & exaggerare annisus est. Verum heic quoque res nostra in vado est. Lubentissime enim fatemur, protestantes nulli rei magis inserviendum statuere, quam mutuæ tolerantiæ & veræ charitati, quæ religionis christianæ anima est, eosque ab omnibus illis violentis mediis abhorrere, quibus pontificii, refragante tum ratione, tum revelatione, adversus errantes & dissentientes in religione uti sibi licere arbitrantur. Sartam vero tectamque libertatem conscientiæ in rebus ad religionem pertinentibus cuilibet conservandam esse, & naturæ hominis rationali & doctrinæ litterarum sanctiorum consentaneum existimamus, & si locus heic esset, facile ostensuri essemus. Id vero negamus ac pernegamus, examen religionis *per se & necessario*, ut volunt dissentientes, rixas, turbas, contentiones, aliaque incommoda in rebuspublicis aut ecclesiis excitare, cum monumenta historiæ ecclesiasticæ satis doceant, ista omnia nonnisi ab iis profecta esse, qui imprudenti ac insano zelo, vi aliis suas opiniones obtrudendi, agitati sunt. Suppetunt autem protestantibus alia, eaque & leniora & saniora & magis evangelica media errantes in viam reducendi, veritatibus cœlestibus illos imbuendi, atque dissidia in rebus religionis dirimendi; habent etiam principes, protestantium religioni addicti, etsi non adfectant papalem conscientiarum tyrannidem, haud pauca subsidia, ad turbas, quæ *per accidens & occasionaliter* tantum, non *causaliter*, ex concessa examinis libertate in suis terris oriri possunt, vel impediendas vel sedandas. (134). Et dudum ostenderunt viri docti, ac quotidiana experientia comprobatum est, incommoda, quæ ex mutua omnium erga omnes tolerantia, oriuntur, longe minoris momenti aut periculi esse, quam quidem ea, quæ secum fert intolerantia atque tyrannis, qua de re in antecedentibus, quantum ad rationem instituti nostri pertinere nobis videbatur, diximus. (§. *XXXIII.*) Sed heic pedem figere liceat.

## OBSERV. III.

### *De Successione episcopali, speciatim ea, quae in ecclesia Anglicana adhuc viget.*

§. *I.* Successionem episcopalem, ex mente cœtus Romani doctorum, unam ex præcipuis veræ *ecclesiae notis* esse, ex iis, quæ GERHARDVS *loco XXIII. de ecclesia cap. XI. sect. V.* contra hanc sententiam copiose solideque disputavit, abunde patet. Adspersimus & nos iis, quæ vir beatus *loc. cit.* de hocce argumento commentatus est, nostras qualescunque adnotationes, partim longiores, partim breviores, insimulque promisimus, nos alibi plura hanc in rem dicturos esse. Huic promisso satis facere jam conabimur, atque iis, quæ olim hanc in rem scripsimus, nonnulla eaque pauca, supplementi loco, heic subjungemus.

§. *II.*

(132) ex professo hoc argumentum tractavit laud. ZIMMERMANNVS in diss. *de fanaticismo protestantibus falso impacto*, *opusc. tom. II. p. 247. sqq.*

(133) in scripto: *la tolerance des protestans* &c. supra adducto:

(134) vid. WERENFELSII diss. *de Jure magistratus in conscientias.*

§. *II.* Notamus vero ante omnia, successionis episcopalis valorem tum in *electione* ad veteres canones attemperata, tum in *ordinatione* canonica quærendum esse. Quod primo ad ipsam *electionem* attinet, ea olim ad totam pertinebat ecclesiam, ita ut & presbyterorum collegium & populus ad electionem concurreret suaque hac in re uteretur libertate. Etsi enim in primis religionis christianæ temporibus soli apostoli eorumque συνεργοὶ subinde constituerint episcopos (1); etsi & exstiterint olim episcopi, qui suos sibi delegerint successores (2); deinceps tamen cleri & plebis juncta erat in ejusmodi electione auctoritas, *fratres*que *omnes*, ut scribit EVSEBIVS (3), *successores ordinandi gratia in ecclesia congregabantur.* Viguit hæc disciplina per tempus satis longum, & quidem diutius in *occidentali*, quam *orientali* ecclesia. In hac enim libertas ista eligendi exeunte seculo IV. plebi erepta & fere ad concilium episcoporum devoluta fuit, cum contra in ecclesia *occidentali* seculo quinto adhuc fuerit conservata. Elapso autem hoc temporis spatio regum consensus simul requirebatur, unde jus *confirmandi*, itemque *investiendi per annulum & baculum* suam deinceps traxit originem. Tandem vero universa fere electio ad imperatores regesque transiit, qui clerum populumque mox in partes trahebant, ac *votum*, quod vocant *negativum* iisdem tamisper relinquebant, mox vero eligendi negotium solis sibi vindicabant. Quin & ecclesiæ Romanæ præsul hancce facultatem, ubi potuit, sibi arrogare haud dubitavit. Nec in subsequentibus temporibus jus eligendi, quod olim *clero plebi*que competebat, eidem fuit restitutum, sed illa potius eligendi ratio, ad capitulares devoluta, quæ adhuc hodie viget, licet iis postea a regibus subinde rursus fuerit ademta, pontifice Romano confirmationem sibi reservante, quæ primatibus olim sive metropolitanis, competebat. Quæ si quis probe consideraverit, facile perspiciet, nullam nostris hisce temporibus dari successionem *electionis* canonicæ, nunquam turbatæ. Et sane pro præsenti hominum conditione perpetuis turbis ex dissidiis eligentium oriundis exponeretur res publica, si clerus, si plebs pristina sua uti heic posset libertate, nec eandem in arbitrium summorum imperantium, vel aliarum personarum, resignasset.

§. *III.* Præmissis iis, quæ de *electione* episcoporum erant dicenda, pergimus ad eorum *ordinationem.* Amplissimam quidem hoc ipsum argumentum nobis suppeditat rerum dicendarum copiam. (4) Verum, cum instituti nostri ratio brevitatem exposcat, dabimus operam, ut ea, quæ copiosius hanc in rem dici possent, in brevem dictionis nervum constringamus, eum quidem secuturi ordinem, ut I) ad personas *ordinantes*, II) ad *ordinandos*, & denique III) ad ipsius ordinationis *formam essentialem* respectum simus habituri. Ut itaque a *primo* momento dicendi faciamus initium, notamus paucis, ordinationem olim fieri debuisse non a presbyteris, multo minus a laicis; sed ab ipsis episcopis, & quidem non

(1) Deprehenduntur apud scriptores veteres heic illic sparsa aliqua fragmenta, ex quibus patet, apostolos præfeciisse ecclesiis statim in prima earum plantatione, certos episcopos; prout exemplis hanc in rem adductis ostendit JOAN. BINGHAMVS in *originib. eccleſiaſt. tom. I. p. 60. — 68.* Specialim de TIMOTHEO nonnulli testantur scriptores ecclesiastici, eundem a Paullo *Ephesi* episcopum fuisse constitutum; quod tamen haud pauci ex recentioribus scriptoribus in dubium revocare haud dubitant. Conferenda quæ nos in *rentamine hiſtor. eccleſiaſt.* germanico idiomate conscriptæ, *part. I. p. 527. ſeqq.* hanc in rem diximus.

(2) Ostendit hoc LVDOV. THOMASSINVS in præclaro opere *de vetere & nova eccleſiæ diſciplina*, variis in locis, quæ in indice voce *epiſcopus* sub finem adlegantur. Conferri quoque heic meretur MARCVS ANTON DE DOMINIS *libr. III. de republ. eccleſiaſtic. 61. ſeqq. fol. 417.*

(3) *libr. VI. hiſt. eccleſiaſt. cap. XXIX.*

(4) Quæcunque de hocce argumento dici poterant, plene luculenterque edisserit Jo. MORINVS, presbyter quondam oratorii Parisiensis & ex reformatis pontificius, in *commentario de ſacris eccleſiæ ordinationibus.* Huic ex recentissimis scriptoribus jungi meretur HONORATVS TOVRNELY in *praelectionibus theolog. tom. IV. part. II.* ubi de sacramento ordinis ex professo agit.

non ab uno aliquo ex iis, sed tribus, vel saltim duobus. Addimus & hoc, omnino fuisse necessarium, ut episcopi isti *ordinantes* ipsimet sint valide ordinati, insimulque orthodoxi, non hæretici, non schismatici, non simoniaci, non intrusi, nec excommunicati. Eadem cautela olim in *ordinandis* quoque fuit observata. Scilicet nec hi criminibus modo commemoratis, nec ulla alia macula laborare debebant. Inculpata potius debebat esse eorum vita, doctrinaque orthodoxa. Nec quod porro notamus, ad ordinationem admittebantur nondum baptizati, neophyti, minus rite electi, aut juniores, aut qui antea jam erant ordinati, aut qui per saltum (5) ad dignitatem episcopalem adscenderant, aut in locum injuste depositorum fuerunt surrogati. Denique quod III) ad *formam* ordinationis, quam vocant *essentialem* attinet, certum quidem est, eandem olim in puriori ecclesia in sola manuum impositione precibusque ad Spiritum S. fusis constitisse (6), quibus ille rogabatur, ut dona sua novo episcopo ad rite obeundum munus sunm necessaria largiatur. Verum sequiori ævo in ecclesia latina signa quædam externa fuerunt addita (7), quæ tamen prudentiores ex

(5) Ordinatio *per saltum* ea dicitur, qua quis ad ordinem superiorem promovetur, omisso inferiori. PHOTIVS, patriarcha Constantinopolitanus, labente seculo nono exprobravit latinis ordinationes istas *per saltum*. RATRAMNVS vero, famosissimus hujus seculi scriptor, causam latinorum in se defendendam suscepit *libr. IV. contra Graecorum opposita, cap. VIII.* Jure canonico illicitæ semper ac prohibitæ fuerunt ordinationes ejusmodi *per saltum* factæ. *cap. sollicitudo* apud GRATIANVM *disp. 52.* Vid. TOVRNELY *loc. cit. p. m. 253.* BINGHAMVM in *origin. eccleſiaſt. tom. I. p. 149. seqq.* & ill. BOEHMERVM in *jure eccleſiaſt. proteſtantium tom. I. libr. I. tit. IX. §. 22. p. 432.*

(6) Habemus hic Græcos nobis consentientes, qui per solam impositionem manuum & orationem ordinationes sacras hodienum perficiunt. Patet hoc ex eorum *euchologio*, ac fatetur id, qui *euchologion* istud, *sive rituale Graecorum*, Parisiis MDCXLVII. fol. edidit, JAC. GOARVS, in suis *notis p. 250. num. II.* Nova hujus operis editio Venetiis *MDCCXXX.* prodiit in fol. Utraque editio, inprimis prior, hodie perrara est. Atque hunc ritum ordinationis, quæ fit per solam manuum impositionem, semper retinuit ecclesia non tantum Græca, sed & latina, usque ad seculum decimum, ubi doctores scholastici ad materiam ordinationis alias easque haud paucas retulerunt cærimonias, de quibus in nota subsequenti nonnulla dicemus.

(7) Huc pertinet, præter unctionem, traditio calicis & patenæ, itemque pedi pastoralis, annuli, aliorumque instrumentorum, sacerdoti atque episcopo necessariorum, ac tandem traditio libri evangeliorum. Verum hosce ritus ordinationis a doctoribus scholasticis in latina ecclesia introductos, multi iique eruditissimi in ecclesia Romana viri, recentiori cumprimis ævo jure meritoque rejecerunt, quoniam non tantum sanctiores litteræ de iis prorsus silent, sed & ex tot Latinorum, Græcorum & orientalium antiquis pontificalibus, a laudatissimo MORINO, itemque Jo. MABILLONIO, EDMVNDO MARTENE, ordinis Benedictini monacho, aliisque in lucem publicam editis luculenter patet, eos medio demum ævo in ecclesia latina introductos, in ecclesiis vero Græcis atque Orientalibus in hunc usque diem nondum receptos esse.

Non defuerunt tamen, quod hoc prætermittere nolumus, tum antiquiori, tum recentiori hocce ævo nonnulli ex Romanensibus, qui non aliam agnoverunt essentialem *materiam*, quam porrectionem illorum instrumentorum, quæ modo commemoravimus, nec aliam *formam*, quam verba huic porrectioni adjuncta; ipsam vero impositionem manuum aut confuderunt cum porrectione instrumentorum; aut si distinxere, eandem duntaxat voluerunt cærimoniale atque occidentalem. Ex his cumprimis hoc nominandi veniunt DOMINICVS SOTO, gente Hispanus, ordinis Dominicani monachus, seculo XVI. clarus, in IV. *dist. 24. qu. 1. artic. 4. conclus. 5.* Jo CAPREOLVS, Tholossanus, eidem ordini adscriptus, acerrimusque doctrinæ Thomisticæ vindex, *in IV. eadem distinctione, quaest. I. art. 3. ad 3.* GREGORIVS DE VALENTIA, gente Hispanus, societatis Jesu sacerdos, sua ætate eruditionis laude clarus, *disput. XIX de sacramento ordinis, quaest. I. puncto 5.* GVILIELM ESTIVS, Gorcomensis Batavus, theologus & cancellarius academiæ Duacensis, *in IV. distinct. 24 §. 24,* & cumprimis GABRIEL VASQVEZ, Jesuita Hispanus, olim celebratissimus, *in III. part. disput. 238. cap. 4.* ubi de materia diaconatus agens, sequentem in modum scribit: *Communis sententia est, solam traditionem libri evangeliorum materiam esse hujus sacramenti, & sola verba, quibus traditur, esse formam: quam quidem*, inquit, *ita veram existimo, ut oppositam non solum nota temeritatis, sed erroris etiam inurendam esse censeam.* Praetermittimus, brevitatis studio, alias scriptorum quorundam pontificiorum hac de re sententias, quas

HONOR.

ex Romanensibus, ad formam ordinationis essentialem haud referenda esse censent. Nec prætermittendum heic est, ecclesiæ Romanæ doctores subinde distinguere inter ordinationes *illegitimas* atque *irritas*, sive *invalidas*, insimulque adserere, ea, quæ ordinationem reddunt *illegitimam*, eandem non statim reddere prorsus invalidam. Exstant quoque, quod negari non potest, canones nonnulli veteres, qui huic favere videntur sententiæ, cui tamen alii repugnant, ut proinde traditio cum traditione heic pugnet (8),

§. *IV.* Quod si quis hæc omnia, quæ tum de episcoporum *electione*, tum de eorundem *ordinatione* hactenus disseruimus, curatius expendat, cumque iis historiam patriarchatuum, sive episcopatuum principalium (9) variosque episcoporum, quos habemus, catalogos (10) conferat, facile utique perspiciet, incertas omnino esse series istas veterum episcoporum quorumvis, atque successionem episcopalem canonicam in tota, qua patet, ecclesia christiana, cumprimis Romana, dudum periisse; quod & alibi luculenter comprobavimus (11). Posito tamen, non concesso, eandem in ecclesia Romana semper obtinuisse, & adhuc dum obtinere, ea tamen sola non est, quæ hacce prærogativa præ aliis gaudeat, siquidem successio ista in ecclesiis quoque protestantium, veluti Suecica, Danica, fratrum Bohemorum, maxime vero Anglicana, in hunc usque diem fuit conservata. De hac posteriori, de qua recentiori ævo multum disputatum fuit inter viros eruditos, speciatim jam agemus.

§. *V.* Equidem inde a temporibus reformationis inter Romanenses ac protestantes de hocce argumento disceptatum fuisse (12), nemo

Honor. Tovrnely *loco* supra *cit. tom. IV. part. II. quæst. 3. p. 222.* copiose recensuit, ac de nova Jo. Hardvini, Jesuitæ Galli, hypothesi, paucula subjicimus. Non inficiatur quidem vir iste doctus, ordinationem episcopalem in manuum impositione consistere; sed addit tamen, ad materiam ordinationis sacerdotalis præcipue etiam requiri traditionem calicis & patenæ. Hoc ipsum ut comprobet, singularem & adhuc inauditam de originibus rituum ordinationis fabulam, pro fœcunditate ingenii sui comminiscitur. Existimat nimirum, apostolum Pavlvm illam ordinationis formam præscripsisse, quæ in Græcia ecclesiisque orientalibus adhuc usitata est, Petrvm vero illam ecclesiis latinis tradidisse formam, quæ pontificali Romano continetur. Exinde hanc elicit consequentiam, a Græcis atque orientalibus negligi posse traditionem instrumentorum, eo quod Paulus eandem haud præceperit, a Latinis vero eandem neutiquam esse negligendam, quoniam apostolus Petrus, divina munitus auctoritate, eandem olim præscripserit. Si quis forte quærat, unde nova hæc inventa hauserit? ad doctorum scholasticorum provocat auctoritatem, qui veram traditionem procul dubio ab ecclesia Romana, quæ ejus custos est, hauserint, suisque postea scriptis inseruerint. Ut proinde cuncta heic quoque ad ecclesiæ Romanæ vel tandem redeant auctoritatem, de qua in *observatione I.* abunde disseruimus. Conf. Olai Kiörningii *dissert. de consecrationibus episcoporum Anglorum cap. II. §. XII. p. 159. seqq.*

(8) Exemplis quibusdam hoc comprobavit Binghamvs in *originib. ecclesiast. vol. II. libr. IV. cap. VII. p. 196, 198.*

(9) Hanc egregie descripsit Jac. Basnagivs in libro præstantissimo, cui titulus: *histoire de l'église.* Reliquos auctores huc pertinentes recensuimus in *dem Versuch einer ausführlichen Kirchen-Historie des neuen Testaments, part. I. §. 23. p. 32. seqq.*

(10) Ejusmodi catalogos dederunt Eman. Schelstrate, Christoph. Sandivs, Jo Henr. Heineccivs, Jo. Alb. Fabricivs ac complures alii, quos laudatissimus Fabricivs in *bibliograph. antiqu. c. VII. §. 293.* seqq. edit. recentiss. excitavit. Add. si placet, quæ nos hanc in rem observavimus *loc. cit.*

(11) Vid. *adnotationes* nostras ad Gerhardi *tom. XI. loc. XXIII. cap. XI. sect. V. p. 290. seqq. num. VI — IX.*

(12) Inter eos, qui statim post sacrorum in Anglia emendationem de pretio & virtute consecrationis episcopalis in ecclesia Anglicana acriter disputarunt, agmen ducit Thomas Hardingvs, quæstor quondam ecclesiæ & capituli Salisburiensis. Quum enim Jo. Jvellvs ecclesiæ hujus episcopus, a Parkero rite ordinatus, *apologiam ecclesiae Anglicanae* idiomate anglico scriptam luci publicæ exponeret, hic ipse Hardingvs, Jvelli olim collega, qui vero postea, imperante regina Elisabetha, ad Lovanienses pontificios transfugerat, mox calamum arripuit, atque *confutationem apologiae Jvelli*, Lov. MDLXIV. edidit, in qua adversarium suum acri orationis genere perstrinxit, contenditque, nullos ecclesiæ Anglica-

mo facile ignoraverit, nisi qui hospitem plane ex historiarum monumentis retulit animum.

næ ministros esse, cum ejusdem antistites justa ac legitima ordinatione destituantur. Huic se adjunxit THOMAS STAPLETONVS, canonicus olim Cestriensis, tandem vero theologiæ professor in academia Lovaniensi, qui non tantum contra JVELLVM, sed & ROBERTVM HORNVM, episcopum Wintoniensem, arma sumsit acerrimeque pugnavit. Bini ejus hanc in rem exstant libri, alter JVELLO, alter vero HORNO oppositus. *Prior* ille titulum fert: *a fortheress of faith* &c. h. e. *propugnaculum fidei primitivae Anglorum*, & Antverp. *MDLXV.* 4. typis suit exscriptus; *alter* vero hac insignitus est inscriptione: *the Horn blast, or a reply to the answer of Rob. Horne the false Bishop of Winchester, in foor books*, prodiit Lovanii *MDLXVII.* Insertus quoque est *tom. II. operum* ejus junctim editorum Parisiis *MDCXX.* in fol. Stapletonum secutus est NICOLAVS SANDERVS, qui primo quidem jus canonicum in academia Oxfordiensi docuit, postea vero tempore Elisabethæ reginæ, derelicta Anglia, Romam se contulit, ibidemque doctoris theologiæ titulo ornatus, cum cardinale Hosio concilio Tridentino interfuit. Tandem vero a GREGORIO *XIII.* ecclesiæ Romanæ præsule, tanquam nuncius apostolicus primum in Hispaniam, deinceps vero in Hiberniam suit ablegatus, ubi, oborta contra Elisabetham reginam rebellione, in sylva quadam fame miserrime periit; quam quidem circumstantiam ELLIDV PINIVS in *bibl. des auth. ecclesiast. tom. XVI. p. m. 124.* silentio prætermisit. Evolvi vero heic merentur ANT. WOOD, in *athen. Oxonienss. p. 204.* itemque BAELIVS in *dict. hist. & crit. tom. IV. p. m. 136. sqq. not.* (B) ut BVRNETVM, PITSEVM aliosque taceamus. Edidit SANDERVS inter alia *historiam schismatis Anglicani*, Coloniæ *MDLXXXV.* primum editam sæpiusque deinceps recusam, inque linguam Gallicam conversam, in qua valorem ordinationis episcopalis in Anglia acriter impugnavit ac dogma de sacro Anglorum ordine tanquam absonum & a veritate alienum pr[illegible]fus proscriptum voluit, usus hanc in rem non tam [illegible]entis, quam cavillationibus, fabulis, injuriis, scommatibus. De variis hujus libri editionibus copiose differit BAELIVS in *dict. hist. & crit. tom. IV.* art. *Sanderus p. 137. not.* (G)

Hisce triumviris, quos modo commemoravimus, HARDINGO nimirum, STAPLETONO, atque NICOL. SANDERO successerunt alii ejusdem ævi scriptores, gente Angli, sed pontificiorum sacris addicti; velut Jo. RASTALLVS, RICH. BRISTOW, primum moderator collegii Anglici, quod Duaci est, postea collegii Rhemensis in Gallia, HIERONYMVS OSORIVS episcopus Silvensis in Algarbia, cui vero *responsionem apologeticam* oppositi WALTERVS HADDON. Adjungimus iisdem reliquos auctores, qui ante tempora JACOBI I. de ordinatione episcoporum Angliæ scripserunt, veluti cardinalem WILHELMVM ALANVM, EDMVNDVM CAMPIANVM, societatis Jesu theologum, Jo. DVRREY, pariter Jesuitam, nationc Scotum, Jo. HOWLET, sub quo nomine ROBERTVS PERSONIVS latere voluit. Edidit is anglico idiomate *rationes, cur catholici recusent adire ecclesias haereticorum* Lond. *MDLXXX.* Ad latus eidem ponimus EDVARDVM WESTONVM, lectorem theologiæ in seminario Duacensi, qui eandem cum illo tibiam inflat, contenditque, omni carere dubio pluribusque constare rationibus, omnes ecclesiæ Anglicanæ ministros meros esse laicos, & id circo nullam habere potestatem administrandi sacramenta, siquidem ordinationes episcoporum Anglicorum sine impositione manuum, sine cærimoniis, solis litteris regiis fuerint collatæ. Atque hisce armis, tempore ELISABETHAE reginæ, episcopatus ac ministerium Anglicanum suit oppugnatum.

Nunquam tamen majori fervore factum id est, quam recentiori ævo, ubi duumviri in Gallia doctis-

Aliis paullisper argumentis, alibi recensendis, dignitatem consecrationis episcoporum Anglorum oppugnarunt, qui regnante JACOBO I. calamum contra protestantes strinxerunt. Eminet ex iis CHRISTOPH. HOLYWOOD, seu, ut latine vocatur, a SACROBOSCO, Jesuita Hibernus, in libro anglice scripto, sub tit. *Survey of the new religion p. 374.* cujus vestigia deinceps pressserunt ROBERTVS PERSONS, seu, ut aliis dicitur PARSONVS, magni nominis Jesuita, itemque HENRICVS FITZ-SIMON, pariter Jesuitarum familiæ adscriptus; de quibus evolvi meretur OLAVS KIÖRNINGIVS in *commentat. de consecrationibus episcoporum Anglorum cap. I. §. XI. p. 36. seqq.*

Verum omnes hosce protestantium adversarios variaque eorum commenta egregie solideque confutavit scriptor Anglus, isque præstantissimus, FRANCISCVS MASONVS, primum JACOBI I. regis sacellanus, postea archidiaconus Nortfolcensis, quem grata posteritas ad hoc usque tempus *vindicis ecclesiae Anglicanae* titulo exornat. Edidit is opus eximium, hac insignitum inscriptione: *vindiciae ecclesiae Anglicanae, sive de legitimo ejusdem ministerio, id est, de episcoporum successione, consecratione, electione & confirmatione; item de presbyterorum & diaconorum ordinatione libri quinque.* Prima hujus operis editio anglico sermone prodiit Londini MDCXIII. in fol. Cum vero ANTONIVS CHAMPNAEVS, seu CHAMPNEY, gente Hibernus, presbyter & doctor Sorbonicus, peculiari libro Anglice scripto atque MDCXVI. evulgato, opus hocce ex insti-

doctissimi Bossvetvs ac Massvetvs (13), nec non alii ecclesiæ Romanæ propugnatores, validitatem ordinationis Anglicanæ omnibus impugnarunt viribus. Diversam tamen ab his sententiam ingressus est Petrvs Francisc. Covrayervs, canonicus regularis templi Parisiensis S. Genovevæ dicati ac bibliothecæ in eo præfectus. Is enim in peculiari libello gallice scripto validitatem ordinationis Anglicanæ strenue defendit; sed hac ipsa ratione multorum in cœtu Romano animos graviter offendit, variisque scriptis ultro citroque editis dedit occasionem. Speramus haud ingratum fore lectoribus nostris, si historiam certaminis hujus litterarii paullo uberius heic edisseramus, antequam nostram hac de re sententiam exponamus, argumentisque in medium adductis comprobemus.

§. *VI.* Notamus vero ante omnia, originem controversiæ hujus repetendam esse inde ab eo tempore, quo pacis inter ecclesiam Anglicanam atque Romanam ineundæ consilia fuerunt agitata. Quum enim infelix illa bulla *Clementis* XI. præsulis Romani, *Unigenitus* vulgo adpellata, annis MDCCXV. MDCCXVI. & MDCCXVII. maximos in universa Gallia motus excitaret, multique ecclesiæ Gallicanæ antistites, præeunte Lvdovico Noaillio, præsule Parisiensi patreque curiæ Romanæ purpurato, ab hoc pontificis decreto ad concilium generale audacter provocarent, ejusdemque exemplum ipsa Parisiensis academia imitari velle videretur (14), hæ ipsæ turbæ occasionem dederunt, ut nonnulli ex theologis Gallis iique præstantissimi ac moderationis theologicæ studiosissimi viri consilium caperent, ecclesiam Anglicanam cum Gallica confociandi. Principem inter eos locum tenuit abbas Pat. Piers de Girardin, præcipuum olim Sorbonæ ornamentum, reverendissimo archiepiscopo Cantuariensi amicitia junctus. Is ann. MDCCXVII. eruditos quosdam ex collegis suis viros, speciatim Lvdov. Ell. dv Pinivm in ardui hujus consilii societatem pertraxit, qui cœtu quodam, ac veluti senatu coacto, laudatissimum dv Pinivm deligebant, qui cum Anglis per litteras de conditionibus pacis ineundæ consultaret, ita tamen, ut Girardinvs conciliatoris quodammodo partibus fungeretur. In eo vero omnes consentiebant, ante omnia alia archiepiscopi Cantuariensis Gvil. Wackii hac de re sententiam explorandam esse, qui, acceptis litteris, mense Februario ann. MDCCXVIII. ad easdem respondit, nec tantum Gallorum institutum suo adprobavit calculo, sed & leges pacis, quas ipse conceperat animo, adjunxit, eorundemque subjecit judicio. Galli, pensitatis hisce conditionibus, vix quidquam in iis desiderabant, hacque de re per dv Pinivm die XXVII. mensis Decembris ejusdem anni rescribi curarunt, se ad recipiendas istas pacis conditiones promtos esse paratosque. (15)



instituto debellandum sibi sumeret, Masono exinde nata est occasio, non modo opus suum ann. MDCXIX. MDCXX. latina civitate donandi, sed insimul quoque *Champnaei* objectiones atque exceptiones omnes graviter solideque confutandi. Quumque præter hunc, alii etiam, veluti Flvddvs, Fitzherbertvs, Fitzsimon, Kallisonivs & anonymus quidam partes quasdam hujus operis invasissent, horum quoque dubia dilvit laudatissimus vir. Nec tamen is ipse curam editionis in se suscipere potuit, sed diem suum obiit, antequam liber iste typis exscriberetur. Operam tamen hanc Nathanael Brentivs, collegii Mertonensis, quod Oxfordiæ est, præfectus, suasu archiepiscopi Cantuariensis, in se suscepit, atque novam hanc editionem variis accessionibus adauctam, ann. *MDCXXV.* luci exposuit publicæ. Secuta deinceps est Londini ann. *MDCXXXVIII.* tertia egregii hujus operis editio, quæ vero a priori illa MDCXXV. typis exscripta haud differt. Brevem totius hujus operis recensionem dedit vir doctissimus Olavs Kiörningivs *loc. cit. §. XIII. p. 46. seqq.* Nonnulla quoque de eo adnotavit b. cancell. Pfaffivs *in diss. de successione episcopali*, novæ editioni *originum juris ecclesiast.* inserta *cap. II. §. II. p. 273.*

(13) De scriptis, in quibus duumviri isti Galli, supra excitati, Bossvetvs nimirum ac Massvetvs, nec non alii validitatem successionis episcopalis in Anglia recentiori ævo impugnarunt, disseruimus in *notis* nostris ad Gerhardvm *tom. XI. p. 295.* Unde ea heic repetere nolumus.

(14) Vid. *anecdotes & memoires secretes sur la constitution Vnigenitus tom. III. part. II. p. 132. seqq.* Prodiit hicce liber Ultrajecti *MDCCXXXIV.* 8.

(15) Sequimur in tradenda memorabili hac historia Olavm Kiörningivm, supra jam laudatum, in *commen-*

§. *VII.* Quum nulli dubitemus, haud paucos fore ex lectoribus noſtris, qui noſſe voluerint, quænam fuerint iſtæ leges, quibus utrinque ſtabilitis prorſusque adprobatis, ambæ iſtæ celeberrimæque eccleſiæ, Anglicana nimirum atque Gallicana unionem quandam eccleſiaſticam inire voluerint, easdem utpote rariores, nec attentione noſtra indignas (16), heic exhibemus.

§. *VIII.* Prima lex ampliſſimum habet ambitum, paucisque verbis multa complectitur. Statuunt enim pacificatores, *amori conſentaneum & juſtiſſimum eſſe, ut altera pars alterius diſſenſionem in rebus mediis & natura ſua indifferentibus, de quibus in utramque partem diſputari poteſt, æquo animo toleret.* Quænam vero res inter indifferentes & medias ſint referendæ, heic non determinatur, adeoque in dubio relinquitur. Altera lex a Gallis poſtulat, *ut profiteantur, illum minime peccare, qui Deum, ſemotis omnibus imaginibus, precatur.* Tertia fœderis conditio vult, ut Galli concedant, *licitum eſſe omnibus chriſtianis, uni Deo, ſanctis & caelitibus neglectis, ſupplicare;* atque hanc conditionem facile inire poterant Galli: ſiquidem ſuperiori jam ſeculo *Sorbonna*, ſeu ordo theologorum Pariſienſium decreverat, *invocationem ſanctorum non eſſe neceſſariam nec præceptam* (17). Quarta lex a Gallis expoſcit, ut profiteantur, *æquum juſtumque eſſe, ut laicis ſacra euchariſtia ſub utraque panis ac vini ſpecie, exemplo veteris eccleſiae, reſtituatur.* Quinta lege utraque pars conſentit, *auctoritatem omnium epiſcoporum juris eſſe divini, nec tamen eam impedire, quo minus epiſcopi certo modo ſibi ſint ſubordinati.* Sexta denique eaque ultima lex *facultatem concedit omnibus chriſtianis, ad ſacram cœnam, ſine elevatione, quam vocant, hoſtiae, accedendi.* Jactis hac ratione fundamentis utraque pars in id incumbendum ſibi eſſe cenſuit, ut ex eccleſiæ proceribus aliisque viris eruditionis laude conſpicuis quam plurimos in partes ſuas traheret. Reſpondit quoque huic voto eventus. Neque enim diffitentur ipſimet præſulis Romani ſectatores iique rigidiores, multos viros doctos ac prorſus eximios hoc pacis inter Anglos atque Gallos inſtaurandæ negotium ſuo adprobaſſe calculo. Quo felici rerum ſucceſſu adeo commotus fuit reverendiſſimus antiſtes Cantuarienſis, ut ann. MDCCXIX. litteras exararet ad paſtores ac profeſſores Genevenſes (18), in quibus eosdem de hocce inſtituto reddidit certiores, inſimulque haud obſcure innuit, hanc eccleſiæ Anglicanæ ac Gallicanæ conſociationem faciliorem ſibi videri, quam unionem inter diverſos proteſtantium cœtus reſtaurandam. Eodem fere tempore idem præſul, pacis ſtudioſiſſimus, eruditum quendam ex ſuis virum Lutetiam ablegavit, qui cœptum pacis negotium ſerio urgeret, ultimasque eidem, ſi fieri poſſet, manus admoveret. Fuerunt quidem, præſente hocce viro, variæ inter theologos Gallos conſultationes atque deliberationes habitæ, quæ aliquandiu fauſta quævis portendebant, ſed mox mirum in modum mutata eſt hæc ſcena, cum in conventu quodam, hujus negotii cauſſa inſtituto, præſentium aliquis ſignificaret, certum ſe eſſe ac confirmatum, quæcunque heic agerentur, vana fore atque irrita, niſi pontificis Romani accedat auctoritas, ſeque inſimul plane perſuaſum eſſe, non deeſſe inter eminentioris gradus theologos, qui, etſi ad pacem hanc videantur proclives, eandem tamen nunquam ſint probaturi. Quibus auditis, mox totus

mentatione egregia *de conſecrationibus epiſcoporum Anglorum cap. I. §. XVIII. p. 58. ſeqq.*

(16) Exhibet easdem laudatiſſ. Kiörningivs *loc. cit. §. XIX. p. 59. ſeqq.* cujus veſtigia heic legimus.

(17) Vid. Nicol. Fontaine dans ſes *memoires pour ſervir à l'hiſtoire de Port Royal tom. II. p. 243.*

(18) Exſtant iſtæ litteræ in Jo. Alphonsi Turretini *nube teſtium pro moderato & pacifico de rebus theologicis judicio & inſtituenda inter proteſtantes concordia*, Genevæ *MDCCXIX.* in 4. edita, *p. 155. ſqq.* eoque tendunt, ut non tantum Genevenſes, ſed univerſos etiam Helvetiæ Reformatæ paſtores & doctores ad unionem inter omnes, quæ ubique ſunt, eccleſias, ſeque a communione pontificis Romani ſubduxerunt, ſedulo proſequendam ſerio adhortetur.

totus conticuit cœtus, ulteriores deliberationes cessarunt, ipseque legatus Britannicus, re infecta, in patriam reversus est. (19).

§. *IX.* Commeabant vero ex altera parte duo ex præstantioribus Galliæ theologis in Angliam, qui veram & genuinam Britannorum sententiam adcuratius explorarent, unionisque cum ecclesia Anglicana ineundæ conditiones politius limarent, vel &, ut suspicari licet, novis augerent accessionibus. (20). Licet vero theologi isti Galli non tantum ab archiepiscopo Cantuariensi, sed & aliis viris magna dignitate conspicuis humanissime in Anglia fuerint excepti, pacis tamen negotium ab ipsis parum promotum, nedum ad exoptatum finem perductum fuit. Revertebantur itaque viri isti præstantissimi post aliquod tempus, re infecta, in patriam, ubi ea, quæ ipsis a theologis Anglis erant demandata, Gallis pacis & concordiæ studiosis ita exposuerunt, ut simul novam pacis spem iisdem facerent, quæ tamen postmodum in irritum redacta est, prout ipse eventus docuit.

§. *X.* Et sane hæc pacis, quæ modo commemoravimus, consilia vix erant divulgata, cum mox magno conatu se iisdem opponerent acerrimi præsulis Romani propugnatores, atque hac ipsa occasione veterem de valore ac pretio consecrationis episcoporum Anglicanorum controversiam revocarent. Facile quippe intelligebant, eos, qui conciliatorum partes in se susceperant, utrimque id pro concesso sumsisse, legitimam esse successionem episcopalem in Anglia, adeoque hanc ipsam ecclesiam hac in re non deterioris esse conditionis, quam ecclesiam Gallicanam. Hinc necessarium esse judicabant, ut ipsum fundamentum unionis istius ecclesiasticæ, quam nonnulli intendebant, prorsus subruerent, atque invaliditatem consecrationis Anglicanæ validissimis adstruerent rationibus. Primus, qui hancce ingressus est viam, erat homo quidam gente Anglus, sed ecclesiæ Romanæ sacris addictus isque valde obscurus, THOMAS nimirum WARDVS (21), quem vero mox depexum dedit DANIEL WILLIAMS, ecclesiæ Anglicanæ presbyter (22). Antequam vero ejusdem libellus prelo exiret, alius quidam scriptor, qui longe majorem habebat nominis famam, abbas nempe GOVLDIVS, gente Hibernus, libellum quendam olim jam editum, quo Bossueti exemplo fidem eccclesiæ Romanæ explicuerat, ornatiorem auctioremque recudi curavit, novæque huic editioni nonnulla adjecit validitati consecrationis Anglicanæ opposita. Adjunxit quoque eidem commentariolum quendam ab EVSEBIO RENAVDOTIO concinnatum, qui omnia, quæ consecrationibus Anglicanis objici poterant, veluti in nuce exhibebat (23). Verum hac ipsa ratione binos excitavit viros eruditos, qui totam hancce causam sub adcuratius examen revocandi suarum duxerunt esse partium, alterum Hibernum, Gallum vero alterum. Prior ille erat doctor quidam Parisiensis, qui biennio elapso, suppresso nomine

(19) Quæ de celebri hoc pacis negotio supra enarravimus, desumta sunt ex KIÖRNINGII, sæpius jam laudati, *commentat* modo adlegata, §. *XX. p. 61. seqq.* Hausit vero vir iste doctissimus, quæcunque hanc in rem scripsit, ex fontibus genuinis minimeque suspectis, ab ipso *loc. cit. p. 62. not.* (**) indicatis.

(20) Binos hosce theologos *du* PINIVM, theologum olim Sorbonicum, itemque abbatem GIRARDINVM fuisse, non sine magna probabilitate conjicit KIÖRNINGIVS *loc.* modo *adlegato p. 62. not.* (*)

(21) Inscribitur ejusdem liber: *the controverse of ordination truly stated, as far as it concerneus the church of England, by Law established.* Prodiit is, pace nondum finita, Londini MDCCXIX. in 8.

(22) Edidit hicce presbyter librum hacce insignitum inscriptione: *the succession of protestant Bishops asserted of the regularity of the ordination of the church of England justify'd, wherein the first protestant Bishops are clear'd from the aspersions lately cast upon them, by Th. Ward.* London MDCCXXI. 8.

(23) Index libri hujus a GOVLDIO editi, hic est: *la veritable croyance de l'eglise catholique par Monsr. l'abbé Gould*, & primum ann. *MDCCX.* deinde vero *MDCCXX.* in 8. Lutetiae Parisiorum fuit evulgatus. Brevis RENAVDOTI commentariolus, supra a nobis commemoratus, exstat *p. 181.* ac postea a COVRAYERIO primae suae dissertationi, de qua postea dicemus, praemissus est.

mine brevem edidit dissertationem solidis observationibus refertam, qua RENAVDOTII objectiones solide confutavit; alter vero erat celeberrimus COVRAYERIVS, qui solus postea causam Anglorum strenue egit, sed hac ipsa ratione multos sibi conflavit adversarios, magnamque in Gallia invidiam. Digna nobis videtur litis hujus historia, quæ uberius heic enarretur.

§. *XI.* Possemus quidem historiæ hujus controversiæ, recentiori hocce ævo magnis animorum motibus agitatæ, nonnulla de vita fatisque COVRAYERII heic præmittere. Sed obstat, quo minus id faciamus, instituti nostri brevitas (24). Proinde iis prætermissis, statim ad rem ipsam accedimus paucisque notamus, virum huncce celeberrimum eo ipso tempore, quo consilia de Gallis & Anglis in unam ecclesiam consociandis Lutetiæ agitabantur, desiderio hæc consilia adjuvandi incensum, in animum induxisse, rationes RENAVDOTI, validitati ordinationis episcoporum Anglorum obmotas, quæ remorari hoc negotium poterant, confutandi, luculenterque comprobandi, in Anglia legitimam florere episcoporum successionem (25). Evulgavit eum in finem peculiarem librum, magna cura atque industria concinnatum (26), eundemque in binas partes divisit. In priori parte MATTHAEI PARKERI, primi post sacrorum in Anglia instaurationem antistitis Cantuariensis & magni Angliæ primatis consecrationem legitimam omnisque vitii expertem demonstrat. In altera autem parte, ejusdemque quatuor prioribus capitibus secus sentientium exceptiones refellit, inque capite penultimo sigillatim ostendit, successionem episcoporum Angliæ per secessionem eorum ab ecclesia Romana haud fuisse interruptam. Sequitur deinceps caput postremum, quod brevem totius operis summam exhibet. Subjunguntur tandem monumenta, sive documenta, ab archiepiscopo Cantuariensi maximam partem auctori transmissa, ex quibus cognoscere lectores possunt suæ narrationis veritatem eamque exactissimam (27). Cæterum hic ipse liber, a Cov-

(24) Evolvat, qui haec nosse voluerit, KIÖRNINGIVM *loc. cit. p. 60. seqq.* Vt alios auctores taceamus. Observavit vir laudatiss. inter alia, COVRAYERIVM Rothomagi in Normannia natum esse anno *MDCLXXXI.* die XVII. mensis Novembris; sed anno MDCXCV. quatuordecim annos natum Lutetiam Parisiorum missum, ibidemque, rite jactis philosophiae fundamentis, post biennium ann. MDCXCVII. in collegium canonicorum regularium, quod S. Genovefae dicatum est, receptum, anno MDCCVI. presbyterum consecratum, insimulque professoris theologiae spartam suscipere jussum, tandem vero Anno *MDCCXI.* in collegio isto bibliothecae praefectum esse. Reliqua ejus fata & scripta ex controversiae, cui implicitus fuit, historia, quam paucis heic enarrabimus, hauriri possunt.

(25) Ipsemet COVRAYERIVS haud diffitetur, ea unice de causa se defensionem consecrationis episcoporum ecclesiae Anglicanae suscepisse, ut inimicitiae inter Gallicanam ecclesiam atque Anglicanam dudum obortae certos limites poneret, atque binas hasce ecclesias commode in concordiam redigi posse ostenderet. Ita enim disertis verbis scribit: *I.a reconnoissance de la validité des ordinations Anglicanes nous facilite les moyens de nous reunir avec les Anglois, & il n'y a rien, que nous devions souhaiter avec plus d'ardeur.* Leguntur haec verba in extrema ejus *dissertatione part. II. p. 154. 155.*

(26) Titulus hujus libri, gallico sermone conscripti, ita se habet: *dissertation sur la validité des ordinations des Anglois & sur la succession des evêques de l'église Anglicane, avec les preuves justificatives des faits avancez dans cet ouvrage*, a Bruxelles *MDCCXXIII.* 8. In linguam Anglicanam hunc librum convertit, eundemque Londini *MDCCXXV.* in lucem publicam edidit DANIEL WILLIAMS, ecclesiae Anglicanae presbyter, supra §. *X.* jam laudatus. Quod ad editionem gallicam attinet, paucis notamus, eandem non *Bruxellis*, ut in titulo exstat, sed *Nanceji*, quae Lotharingiae urbs est, lucem adspexisse publicam, prout ipse COVRAYERIVS nos condocet in libro: *relation historique & apologetique &c.* Amstelod. *MDCCXXIX.* edito, *tom. I. cap. I. p. 1. — 10.* ubi & alia leguntur, ad historiam libri supra indicati, spectantia, nec lectu indigna.

(27) Uberiorem hujus libri recensionem dederunt *le Journal des savans, tom. LXXIV.* ad annum *MDCCXXIV. p. 31.* & *155. seqq.* cujus recensionis auctor dicitur abbas GOVLDIVS, uti ex *mem. de Trevoux MDCCXXIV. art. 70. p. 1393.* patet, itemque KIÖRNINGIVS in dissertat. saepius adlegata *de consecratione episcoporum Anglorum c. I. §. XXIV. p. 72.* ut alios haud memoremus.

COVRAYERIO elucubratus, non tantum soliditate, sed & magna perspicuitate dictionisque elegantia se plurimum commendat.

§. XII. Licet vero liber iste *Courayerii*, quem modo commemoravimus, ab eximiis quibusdam in Gallia viris, iisque omnis ordinis, nec paucis, cum adplausu fuerit exceptus (1), aliis tamen plurimum displicuit, variisque scriptoribus contradicendi suppeditavit occasionem. Inter eos, qui hoc fecerunt, agmen ducunt Jesuitæ Parisienses, qui in *memoriis*, ut adpellantur, *Trivoltiensibus*, eundem, ubi mox prodierat, non tantum recensuerunt, sed & suum hac in re dissensum acerbiori, ut solent, dictione publice testati sunt (2). Hos mox insecutus est JACOBVS GERVASIVS, ex monacho Carmelitano abbas Trappensis factus, qui vero vitæ monasticæ postea valedixit. Edidit is, inter alia, opusculum COVRAYERIO oppositum, quod vero exigui admodum est momenti, magisque injuriis ac contumeliis, quam solidis rationibus est superstructum (3). Majori veritatis specie COVRAYERII causam impugnandam in se suscepit Jo. HARDVINVS, celebris Jesuita Gallus, cujus opus, in binas partes divisum, eodem fere tempore, quo GERVASII liber, anno nimirum MDCCXXIV. lucem adspexit publicam, typis fuit exscriptum (4). Secutus in eo est *Harduinus* eandem viam, quam in auctoribus omnibus tam græcis, quam latinis, sacris & profanis, interimendis atque explodendis, ingressus est, siquidem omnia scripta atque documenta, quæ ejus opinioni adversabantur, insigni atque inaudita hactenus audacia supposita atque ab impostoribus conficta contendit. Longe aliam in confutando COVRAYERIO viam ingressus est MICHAEL LE QVIEN, eruditissimus familiæ Dominicanæ monachus, editisque Jo. DAMASCENI operibus, nec non aliis scriptis clarissimus. Is enim in confutatione sua, quam COVRAYERIO opposuit (5), & cardinali NOAILLIO dicavit, eo audaciæ non processit, ut fidem monumentorum publicorum, ad quæ theologi Angli subinde provocant, aperte impugnaret, eaque conficta statueret; sed, relictis inanibus conjecturis ab HARDVINO confictis, hoc tantum efficere adlaboravit, ut persuaderet lectoribus, tot dubiis atque difficultatibus hocce argumentum circumseptum esse, ut penes quam disputantium partem stet veritas, certo determinari nequeat. Quum vero prudentiæ regulæ suadeant, ut in rebus dubiis atque incertis tutior eligatur via, hæc-

que

(1) Profecto ex ipsis quoque Galliae episcopis fuerunt nonnulli, qui laborem hunc auctori suo gratulabantur. Vid COVRAYERII *relation historique & apologetique* &c. *p.* 12. Vbi sequentem in modum scribit laudatissimus vir: *Cette prevention favorable, dans laquelle une première lecture de l' ouvrage avoit fait entrer presque tout le monde, m' attira quantité de lettres & d' approbations d' autant plus flateuses, quelles venoient de theologiens très capables, & qui auroient aisement discerné les erreurs, si elles eussent eté aussi sensibles, qu'elles l'ont paru depuis à quelques uns de nos evêques.*

(2) Vid. *les memoires de Trevoux ann.* MDCCXXIII. *mens. Novembr. p.* 2257. itemque ann. MDCCXXIV. *mens. Maji p.* 946.

(3) Titulus hujus opusculi est: *lettre d'un Theologien à un ecclesiastique des ses amis sur la validité des ordinations des Anglois*, à Paris MDCCXXIV. in 8.

(4) Opus hocce HARDVINI hac insignitum inscriptione prodiit: *la dissertation du P. le* COVRAYER, *sur la succession des evêques Anglois, & sur la validité de leurs ordinations, refutée par le* P. HARDOVIN *de la compagnie de Jesus*, in 8. Prior operis hujus pars, quae anno supra a nobis indicato prodiit, COVRAYERIO est opposita, atque copiose recensetur in *Journal des savans, tom. LXXVI.* ad *ann.* MDCCXXV. *p.* 626. *seqq.* Altera vero anno insequenti, nempe MDCCXXV. prelo exiit, atque argumentum de ordinatione, non tam secundum mentem ecclesiae Romanae, quam potius secundum sua placita exponit, multaque continet nova ipsisque auribus Romanis hactenus inaudita; prout uberius ostendit KIÖRNINGIVS *loc. cit. p.* 78, 79. Conf. le *Journal des savans tom. LXXIX.* ad ann. MDCCXXVI. *p.* 275. *seqq.* & *tom. LXXX. ad ann.* MDCCXXVI. *p.* 435 *seqq.*

(5) Prodiit haec confutatio, in binas pariter partes distincta, Lutetiae Parisiorum ann. MDCCXXVII. sub titulo: *Nullité des ordinations Anglicanes, ou refutation du livre intitulé*: dissertation sur la validité des ordinations des Anglois, *par le* R. P. MICHEL LE QVIEN, *professeur en theologie de l' ordre des frères prêcheurs* in 8. 2. *vol.* Recensetur hicce liber in *Journ. des savans tom. LXXVIII.* ad ann. MDCCXXVI. *p.* 180. *seqq.*

que regula, ex mente theologorum Romanensium, in nullis causis magis sit necessaria, quam in quæstionibus arduis de iis sacramentis, quæ maximi ad salutem hominum sunt momenti, sponte exinde consequi, episcoporum Anglicanorum consecrationem omnino repetendam, ac proinde eam, quæ præcessit, pro invalida declarandam esse. Tutius enim esse, repetere ordinationem, quam ecclesiam in dubio relinquere, utrum ea veris, an vero falsis regatur episcopis. In primis vero secunda commentationis suæ parte comprobare annisus est vir doctissimus, formam consecrationis Anglicanæ manifesto laborare vitio, siquidem in illa diserta sacrificii mentio haud fiat, cum tamen in potestate sacrificandi consecrationis forma, ut BELLARMINVS docet, consistat. Prætermittimus alia, quæ hanc in rem differit LE QVIENIVS, utpote longiora, quam ut iis immorari heic possimus. Convertimus nos itaque ad alium COVRAYERII adversarium, qui tamen & dictionis elegantia, & eruditionis copia, aliis qui eum præcesserunt, longe fuit inferior. Digitum heic intendimus in JACOBVM FENNEL, qui in inscriptione libri sui contra COVRAYERIVM editi, decanum se se Laonensem in Hibernia vocat. (6) Est vero liber iste rursus in duas partes divisus, in quarum prima insulsam illam dudumque exsibilatam fabulam de PARKERO in caupona consecrato variis rationibus in medium adductis comprobare annititur; in altera autem totam sacrorum in Anglia instaurationem, ac speciatim formam consecrationis ab EDVARDO VI. Angliæ rege, præscriptam, rejiciendam penitusque proscribendam esse censet, hac unica potissimum innixus ratione, quod regia ac proinde laica tantum auctoritate utraque susceptа fuerit atque introducta, cum tamen ad arduum ejusmodi negotium suscipiendum auctoritas sacra seu ecclesiastica prorsus fuerit necessaria (7). Præmissa est huic operi longa de materia sacramenti præfatio, qua ea, quæ ab aliis dudum hac de re fuerunt disputata, repetuntur. Alia hujus generis scripta, contra COVRAYERIVM edita, quæ levioris ut plurimum sunt momenti, infra indicabimus (8).

## §. XIII.

(6) Inscriptio hujus libri haec est: *Memoires, ou dissertation sur la validité des ordinations des Anglois & sur la succession des evêques Anglicans &c. par Mr. Fennel, Doyen de Laonne en Irlande, à Paris* MDCCXXVI. 2. *parties.*

(7) Vid. KIÖRNINGIVM *loc. cit.* p. 81. seqq.

(8) Huc pertinent PETRI LE BLANC, monachi Cluniacensis, *lettre* au R. C. COVRAYER *sur son traité des ordinations des Anglois*, ubi tamen auctor nomen suum in titulo non expressit, sed duntaxat Benedictinum se nominavit; ANTON. BOVCAT, presbyteri ordinis minorum, *theologia scholastico-dogmatica, sed maxime positiva, de sacramentis, tom. XIX. part. III. Paris* MDCCXXV. in 8. & HONORATI TOVRNELY, facultatis Parisiensis doctoris, socii sorbonici regii & emeriti professoris &c. *praelectiones theologicae tom. III. loco de sacramento ordinis, quaest. II. art. II. p. m. 214.* — *222.* ubi contra COVRAYERIVM variis argumentis comprobare vult vir doctissimus, ordinationem episcoporum Anglorum ad formam & legem ritualis Eduardi VI peractam, irritam esse, nullam atque invalidam. Adjungimus scriptis hisce COVRAYERIO oppositis *observations importantes sur le livre intitulé:* dissertation sur la validité des ordinations des Anglois &c. MDCCXXVI. Vid. *mem. de Trevoux* MDCCXXVI. *p. 213. seqq.* itemque *la vraye manière de contribuer à la reunion de l'eglise Anglicane à l'église catholique, contre le P. le Courayer, par* Mr. FRANCOIS VIVANT, prêtre, docteur, chanoine, chancelier, vicaire general de Paris, à Paris MDCCXXVIII. in 4. Refutatus quoque fuit COVRAYERIVS in ipsa Anglia in *remarks upon Father le Courayer's* &c. uti observarunt auctores *des mem. de Trev.* MDCCXXVII. 4 *mens. Sept. p. 1738. seqq.* Sed defensionem ejus in se suscepit JOANNES STRYPE in *annals of the reformation of the church of England*, ut refert DE LA CHAPELLE in *bibliotheque Angloise, tom. XIII part. II. art. I.* Totam controversiæ hujus historiam copiose enarravit ipse COVRAYERIVS in libro supra jam excitato, cui titulus, *relation historique & apologetique des sentimens & de la conduite* du P. le COVRAYER. Amsterdam MDCCXXIX. in 12. maj. 2. vol. Vid. *acta erudit.* ad ann. MDCCXXXI. *p. 380. seqq.* Conferri tamen merentur *die fortgesetzte Sammlungen von alten und neuen theologischen Sachen auf das Jahr. 1730. p. 975* — *989.* OLAVS KIÖRNINGIVS, Suecus, in dissertat. sæpius jam laudata *de consecrationibus episcoporum Anglorum*, Helmstadii edita, *cap. I.* CHRISTIAN. EBERHARD. WEISMANNVS in *hist. sacra nov. testam. part. II. p. 391* — *398.* & b. cau-

§. XIII. Hisce scriptoribus, qui contra legitimam nec interruptam episcoporum Anglorum successionem calamum strinxerunt, Hardvino cumprimis & Lequienio, responsionem opposuit Covrayerivs, ediditque *defensionem dissertationis* suæ (9), quæ Rothomagi lucem adspexit publicam, licet Bruxellarum nomen in ejusdem inscriptione sit expressum. Non patitur instituti nostri brevitas, ut singula hujus libri lectu dignissimi capita heic enarremus (10). Hoc tantum vel tribus heic notamus, alteram hujus libri partem maxime esse memorabilem, & quidem eam præcipue ob rationem, quoniam Covrayerivs, occasione examinis quæstionis principalis *de validitate ordinationum Anglicarum*, & objectionum, quæ ipsi hac occasione fuerunt obmotæ, in ejusmodi incidit doctrinas formasque docendi, quæ systemati doctrinæ in ecclesia Romana receptæ, verbi gratia de incruento missæ sacrificio, itemque de transsubstantiatione & elementorum panis & vini in corpus & sanguinem Christi mutatione, aliisque penitus adversantur. Ita verbi gratia quando Mich. Lequienvs eidem objecit, „non perinde esse, quibus precibus *forma* sacramentorum exprimatur, sed in iisdem & finis & effectus mentionem esse faciendam, adeoque in *forma* ordinationis & *sacrificii* & potestatis sacrificandi, quæ candidato confertur, disertam fieri debere commemorationem. Quum vero hoc ipsum in consecratione Anglicana, ex præscripto Edvardi VI. Angliæ regis, haud fiat, hanc ipsam ob rationem consecrationis „Anglicanæ formam manifestissimo laborare „vitio: „ respondit Covrayervs, necessarium haud esse, ut in *forma* sacramentorum præcipuus eorum finis atque effectus disertis verbis exprimatur; legitimam enim ac validam eandem fore, si vel maxime Angli nullum in sacra eucharistia sacrificium statuerent. Vlterius deinceps progreditur laudatissimus vir, atque ostendere annititur, nullum plane in hocce argumento inter ecclesiam Gallicam atque Anglicanam esse dissensum, siquidem Angli non tam sacrificium ipsum, quam vocabulum *sacrificii*, quo subinde absurdi quidam errores a doctoribus scholasticis tegantur, rejiciant, ac vel tandem subjungit, Anglos sacrificium *repraesentativum* & *commemorativum* laudis & gratiarum actionis omnino admittere, id quod sufficiat. Ita porro, quando Covrayerio objectum fuit, Anglos non credere præsentiam corporis ac sanguinis Christi in S. Cœna, regessit, verum quidem esse, quod præsentiam *corporalem*, seu transsubstantiationem atque elementorum metamorphosin haud credant; sed admittere tamen eos præsentiam *spiritualem*, eandemque veram, quod rursus sufficere queat. Prætermittimus alia hujus generis dogmata, Covrayerio ab adversariis suis exprobrata (10), quæ fideles præsulis Romani adsectatores plus exacerbarunt, quam defensa Anglorum consecratio. Agnovit quoque ipse vir alias doctissimus, licet nimis sero, longe se prudentius facturum fuisse, si vulgares de sacra cœna ejusque natura sententias suo loco reliquisset, atque ab iis suam de Anglorum consecratione tractationem plane sejunxisset (11).

§. XIV.

cancell. Peaffivs in *originibus juris ecclesiast. p. 104. seqq.* & *p. 173.* Adjungimus iisdem ex recentissimis scriptoribus theologum Gœttingensem celeb. Christ. Gvil. Francisc. Walchivm, qui in *comp. hist. ecclesiast. cap. V. sect. V. §. XXVII. p 331. seqq.* brevem celebris hujus controversiæ historiam exhibuit.

(9) Integra libri hujus, gallico idiomate concinnati, inscriptio hæc est: *defense de la dissertation sur la validité des ordinations des Anglois, contre les differentes réponses, qui y ont été faites; avec les preuves justificatives des faits avancés dans cet ouvrage, par l' autheur de la dissertation &c. à Bruxelles* MDCCXXVI. 4. vol. in 8. Recensionem hujus libri satis adcuratam dederunt auctores *du Journal des Savans*, tom. LXXXII. ad *ann* MDCCXXVII. *mens. Aug. p. 454. seqq.*

(10) Exhibentur ea in *censuris* cardinalis Noaillii & reliquorum episcoporum, de quibus infra dicemus. Recensentur quoque a b. Weismanno in *hist. sacra nov. test. tom. II. p. 395. edit. recentiss.* itemque in *den fortgesetzten Sammlungen von alten und neuen theologischen Sachen auf das Jahr 1730. p. 985.*

(11) Ipsa Covrayerii verba, quæ ingenuam hanc con-

§. *XIV.* Equidem non defuerunt in ipsa Gallia, cumprimis vero in Anglia viri moderatione, prudentia libertatisque amore præditi, qui scriptum hocce apologeticum magno cum adplausu exciperent (12). Verum ex altera parte longe major in Gallia eorum erat numerus, qui pontificis Romani partibus erant addictissimi, interque eos cumprimis societatis Jesu sacerdotes, qui illud pro libro prorsus pernicioso habebant, eam præcipue ob rationem, quod in eo de natura sacrificii eucharistici nimis audacter & crude, ut putabant, disseruisset Covrayerivs. Hinc eundem non calamo tantum adoriebantur, sed & alios eosque potentiores ipsi concitabant adversarios, qui vi quadam adhibita litem hanc in Gallia exortam vel tandem terminarent. Principem inter eos, qui hoc fecerunt, locum tenuit Clavdivs Pelletierivs, doctor theologiæ & canonicus Rhemensis, turbulenti vir ingenii, nec una, ut viri fide digni testantur, infamiæ nota insignitus (13). Edidit is jam ann. MDCCXXVII. adeoque eo tempore, ubi vix prodierat Covrayerii *defensio*, peculiarem libellum, quo hanc ipsam defensionem tanquam gravissimis refertam erroribus, conventui cleri Gallicani publice ac data opera denunciavit (14). Eodem fere tempore Jesuitæ *Parisienses*, *Pictavienses*, *Rhemenses*, in sermonibus sacris contra auctorem hujus libri valde multumque declamabant, ipsumque regem non minus, quam ecclesiam ad ulciscendam hominis hæretici temeritatem graviter exhortabantur. Fuerunt etiam ex concilii Embredunensis (15) patribus nonnulli, qui haud iniquum esse judicabant, ut in eum eadem ratione, quam olim in Jo. Hvssvm ac Hieronymvm Pragensem, animadverteretur (16), eoque vel tandem rem perducebant, ut in ultima, seu vigesima octava concilii congregatione, quæ die XXVI. *Septembris* habebatur, utrumque Covrayerii scriptum, quod supra indicavimus, tanquam pestilentissimum damnaretur. Nec prætermittendus heic est Henricvs Franciscvs Xavierivs Debelzvnce de Castel Moron, episcopus Montispessulanus, Jesuitis, quorum sodalitati olim erat adscriptus, longe addictissimus, qui Pelletierii accusatione induci se passus est, ut non tantum anno MDCCXXVII. mense Aprilis, *instructionem pastoralem* adversus librum Covrayerii, quem tamen, ut ipse fatetur, haud lege-

confessionem continent, recitavit Kiörningivs *loc. cit. p. 93.* in *nota*, textui subjecta.

(12) Uberius hoc ostendit laud. Kiörningivs *loc. cit. p. 90* in *not.*

(13) Vid. eundem *loc. cit. p. 94.* in *not.* cumprimis vero Covrayerivm ipsum in *relat. hist. & apolog. tom. I. p. 66. & tom. II. p. 124. seqq.*

(14) Inscribitur hicce libellus: *denonciation aux evêques de France sur un livre intitulé*, defense de la dissertation sur la validité des ordinations des Anglois, *dans laquelle on defend le sacrifice de la Messe contre les Anglois & le P. Courayer de S. Genevieve, par Mr Claude le Pelletier, prêtre docteur en theologie & chanoine de Reims*, MDCCXXVII. in 12. Conquestus quidem est Covrayerivs de hujus viri importunitate in epistola quadam ad cardinalem Noaillivm exarata; sed ipsum ejus scriptum responsione prorsus indignum judicavit, observante Kiörningio, *loc. excitato p. 95.* Extat quoque alius Pelletierii libellus An. MDCCXXVIII. editus, sub tit. *traité dogmatique de la Messe* &c. 12 Vid. *die fortgesetzte Sammlungen von alten und neuen theologischen Sachen*, ad ann. MDCCXXX. *p. 387.*

(15) Constat habitum fuisse hocce concilium contra episcopum Senitiensem anno MDCCXXVII. Acta ejus prodierunt sub titulo: *concilium provinciale Embredunii habitum ab illustrissimo ac reverendissimo domino* D. Petro de Gverin *de Tencin, miseratione divina archiepiscopo Embredunensi, sacri Rom. Imp. Principe, & Tricamerario throno pontificio adsistente, regi ab omnibus consiliis, anno domini* MDCCXXVII. *mensibus Augusto & Septembri habitum. Gratianopoli, apud Petr. Fauve, in 4.*

(16) Audiamus hanc in rem ipsam Covrayerivm, qui ita infit: *les péres du concile d'Embrun ne parloient de rien moins, que de renouveller sur moi les exemples de Jean Hus & de Jerome de Prague, en me brulant moi & mes ouvrages. J'en fut cependant quitte alors pour quelque chose de moins: & quoique l'asservissement s'augmente de jour à autre dans l'eglise de France, il est encore des momens heureux, ou un reste de respect pour la liberté publique suspend les effets du faux Zele* Vid. ejus *relation hist. & apolog. &c. p. 70.*

legerat, in lucem publicam emitteret (17); sed & alios episcopos, ac inprimis cardinalem de Bissy in partes suas pertrahere adniteretur. Obtinuit quoque, quod optaverat. Licet enim Covrayervs nihil intentatum relinqueret, ut ictus, quos sibi imminere cernebat, evitaret, sed binas hanc in rem litteras ad cardinalem exararet, nihil tamen iisdem effecit. Sed mense Augusto hic ipse præsul conventum episcoporum in cœnobio S. Germani instituit, in quo de Covrayerii libris deliberaretur, qui tamen, ut ex certis documentis constat, jam ante istas deliberationes censura erant notati. Nihil itaque restabat, quam ut in hoc ipso conventu inducerentur episcopi ad censuram istam suffragiis suis comprobandam. Cum vero eodem tempore episcopi, in cœnobio isto congregati, pergratum acciperent nuncium, cardinalem Noaillivm pariter statuisse, auctorem librorum de consecratione episcoporum Anglorum, licet inauditum, publico aliquo scripto condemnare, significari curabant huic præsuli, se censuram suam non prius esse publicaturos, donec ipsius animadversio publicæ luci fuerit exposita. Atque hoc ipsum factum vel tandem est, & quidem die quinto Septembris circa vesperam, ubi illa, jussu Noaillii publice locis consuetis adfixa, statimque diligentia episcoporum, in cœnobio St. Germani antehac congregatorum, distributa fuit. Insequebatur die X. ejusdem mensis censura ipsa horum episcoporum, cui subjuncta erat sententia consilii regii, Versaliæ die VII. Sept. lata, qua ambo Covrayerii libri, ob judicium antistitum de iis latum, e conspectu publico tolli & apud præsidem politiæ Parisiensis, dominum de Heravlt lacerari jubentur, dictata simul mulcta mille librarum Gallicarum iis, qui huic sententiæ quacunque ratione obniti auderent. Subscripserunt viginti episcopi, in quibus ipsemet cardinalis de Bissy, strenuus bullæ *Vnigenitus* sedisque Romanæ defensor, principem tenet locum (18).

§. *XV.* Haud male nos facturos arbitramur, si, ubi de censuris Noaillii & reliquorum episcoporum heic differimus, istas quoque propositiones, quæ e libris Covrayerii fuerunt excerptæ, ac tanquam erroris plenæ, quin hæreticæ ab antistitibus Galliæ condemnatæ, heic breviter indicemus. Omnes vero istæ propositiones, quarum sunt septem ac triginta, ad octo commode revocari possunt capita. *I)* Adcusatur Covrayervs violati dogmatis de *sacrificio missae*. Statuit enim, sacrificium illud esse tantum *repraesentativum* & *commemorativum*, ecclesiamque Anglicanam in hoc capite non dissentire a Romana, nisi verbis. Huic *II)* connexa est adcusatio de *sacerdotio*, quod ideo sustuliisse dicitur Covrayervs, quia sacrificium in sacra eucharistia proprie & stricte sic dictum exhiberi negavit. Dicitur *III)* graviter in eo peccasse, quod *veram* ac *realem Jesu Christi praesentiam* in sacra cœna negaverit; quod tamen de *transsubstantiationis* dogmate potius est intelligendum. Christum enim vere præsentem esse in sacra cœna, licet modo ignoto atque inexplicabili, nunquam negavit. *IV)* In eo quoque hæreseos notam deprehendisse sibi videbantur Covrayerii adversarii, quod is formam sacramentorum judicavit certis verbis, exclusis reliquis, adligatam haud esse; itemque *V)* quod existimavit, sacramenta, quæ characterem, ut vocant, indelebilem imprimunt, si vel maxime extra ecclesiam sint collata, nullo modo iterari posse, modo rite ac legitime fuerint collata. Præsertim autem *VI)* in eo culpandus videbatur, quod de ritibus ac cærimoniis ecclesiasticis pessime sensit. Existimavit quippe, multitudinem cærimoniarum a prima christianorum simplicitate prorsus abhorrere, recteque feciisse antistites Anglos, quod multos ritus olim usitatos abrogaverint. *VII)* Id quoque in eo reprehendebant, quod de ecclesia, nec non ecclesiastica potestate minus recte sentiret. Statuit quippe, singulas ecclesias jus habere, in



(17) Vid. *bibliotheque Janseniste, ou catalogue alphabetique des principaux livres Jansenistes* MDCCXXXV. in 8. *p.* 105.

(18) Quæ heic strictim a nobis fuerunt indicata, uberius exponuntur in *commentatione Kiörningiana cap. I. §. XXX — XXXII. p. 90. seqq.*

rebus ad essentiam religionis haud pertinentibus ejusmodi ferendi leges, quæ rebus suis maxime convenirent; nec illicitum, aut incongruum judicavit, quod regibus Angliæ externa ecclesiæ politia subjecta est, quodque ea, quæ a clero Anglicano constituuntur, regis ac senatus regni auctoritate adprobari debent atque confirmari. Etenim plus simplici vice professus est, jusjurandum illud, quo cives Angli se regem pro supremo ecclesiæ capite habere testantur, omni prorsus vacare culpa, planeque ineptum fuisse, quod cardinalis BELLARMINVS multique ex Jesuitarum sodalitate hocce sacramentum impugnandum sibi sumserint. Cæterum mirum fortassis videri poterat, quod in censuris NOAILLII nec non reliquorum Galliæ episcoporum, ne minima quidem *consecrationis Anglicanae* facta fuerit mentio. Fortassis eam ob rationem hocce argumentum haud tetigerunt, quod existimarunt, illud a præstantissimis in Gallia viris jam abunde fuisse excussum, nec tantum secum vehere momentum, ac quidem ea doctrinæ capita, quæ modo a nobis fuerunt indicata. Nec omittendum heic est, quod in censuris istis circa finem ejusmodi adjiciatur formula, per quam liberum relinquebatur episcopis, animi sui sensa de validitate consecrationis Anglicanæ in posterum declarandi, eandemque rejiciendi. Dicunt enim isti antistites, se, licet has duntaxat, quas modo commemoravimus, COVRAYERII propositiones, obelo notaverint, haud tamen reliqua, quæ in ipsius libris traduntur, suo adprobare calculo: esse enim in iis plura, reprehensione dignissima.

§. *XVI.* Dum in Gallia hæc agerentur, in *Anglia* theologi Oxonienses die XXVII. Augusti hujus anni honorificas valde ad COVRAYERIVM dederunt litteras, (19) eundemque unanimi suffragio doctoris theologiæ titulo atque juribus condecorarunt, (20) cum contra ejus inimici Galli in fama ejus quovis modo maculanda strenue pergerent, variaque contra eum mandata evulgarent. Ex iis, qui hoc fecerunt, primo nobis loco commemorandus est archiepiscopus *Cameracensis*, cujus mandatum pastorale die XV. mensis Septembris prodiit. In eo COVRAYERIVS *Jansenismi* maxime arguitur, licet ab eo semper fuerit alieniſſimus. (21) Eodem die *Suessionensis* antistes Jo. JOSEPHVS DE LANGVET, ad archiepiscopatum postea evectus, gravem in eum censuram publicavit. Huic accedebant patres concilii *Embrodunensis*, de quibus supra jam nonnulla diximus (22), itemque episcopi *Lucionensis*, *Pictavensis*, *Laonnensis*, *Noviodunensis*, *Cenomanensis* (23), nec non *Bellovacensis*, qui tum temporis, jussu Galliæ regis, apud Jesuitas, Lutetiæ ob varia delicta captivus detinebatur, & nihilo tamen minus durior em in COVRAYERIVM epistolam typis exscriptam in publicum prodire jussit. An plura hujus generis mandata ab episcopis Gallicanis in lucem fuerint emissa, nobis quidem non constat. Hoc tamen novimus, cardinalem DE BISSY omnem navasse operam, ut reliquos episcopos, qui conventui San-Germanensi haud interfuerant, ad amplectendam publiceque probandam censuram ibidem latam adduceret. Sed

(19) In istis litteris universitatis Oxonienſis id cumprimis memoratu dignum occurrit, quod in iis dissertis verbis testantur Oxonienses, sententias COVRAYERII de sacra eucharistia, aliisque doctrinæ capitibus, dogmatibus ecclesiæ Anglicanæ prorsus esse consentaneas. Exhibet has litteras lectu dignas KIÖRNINGIVS *loc. cit.* p. 105. not. (**)

(20) Huncce honorem, post duram istam sententiam a cardinale NOAILLIO aliisque contra eum latam, ac supra commemoratam, epistola mense decembri Ann. MDCCXXVII. exarata, gratissimus recepit COVRAYERIVS.

(21) Recte hac occasione observavit KIÖRNINGIVS, *loc. cit. p. 109.* in Gallia *Jansenistas* & *Adpellantes* subinde confundi, omnesque *Jansenistis* a nonnullis accenseri, qui a bulla *Vnigenitus* a CLEMENTE XI. P. R. evulgata ad concilium adpellarunt, licet *Adpellantium* haud pauci *Jansenismum* aeque fuerint detestati ac ii, qui Jesuitarum familiae sunt adscripti. Conferenda, quae hanc in rem disserit ipse COVRAYERIVS in *relatione hist. apolog. tom. I. p. c.*

(22) Vid. supra §. XIV. p. 234.

(23) Hocce mandatum episcopi Cenomanensis nomine die XVIII. Novembris MDCCXXVII publicatum, omnia reliqua, quae praecesserunt, copia & amplitudine superat, continetque longiorem de sacrificio eucharistico atque reali Christi praesentia in sacra coena tractationem.

Sed frustraneum fuisse istum conatum, ipse eventus docuit. Faventiorem tamen aurem patri huic purpurato præbuit summus ecclesiæ Romanæ tum temporis præsul, BENEDICTVS XIII. Ab eo enim impetravit, ut eam ipsam censuram, quæ in conventu S. Germanensi fuerat confecta, solemni decreto Romæ *d. XXV.* Jun. MDCCXXVIII. lato adprobaret, suoque confirmaret suffragio.

§. *XVII.* Quæ hactenus edisseruimus, non tam ad ipsum COVRAYERIVM, quam potius ad ipsius dogmata, sententiasque spectabant. His vero rejectis publiceque damnatis, nihil aliud supererat viro optimo, quam ut vel sententias suas ab ecclesia proscriptas demisse repudiaret solemniterque revocaret; vel carcere perpetuo aut gravioribus etiam suppliciis pœnas promeritas sanctæ matri ecclesiæ persolveret. Non licet jam, nec necesse id est, ut quæ ad negotium hoc pertinent, heic referamus omnia. Sufficiat vel tribus heic adnotasse, jam paratas fuisse litteras regis minori sigillo firmatas, quibus COVRAYERIVS in arcem *la Bastille* dictam, abduci fuerit jussus, ipsum vero, cognito hocce nuncio, fuga sibi consuluisse. Die enim duodecimo mensis Januarii ann. MDCCXXIX. Lutetia Parisiorum relicta, in Angliam trajecit, ibidemque, omnibus ereptus periculis, eodem illo die, quo mandato regis Galliæ, in carcerem perpetuum erat conjiciendus, nimirum die vigesimo secundo ejusdem mensis, feliciter adpulit. Facile licet conjicere, fugam hanc prorsus inopinatam plurimum perturbasse animos hostium ejus, qui sibi persuaserant, nullam plane salutis viam supereresse COVRAYERIO. Ipse NOAILLIVS, pater purpuratus, lapsum hujus viri acerbe deplorabat, atque *epistola pastorali* die XV. Februarii ejusdem anni evulgata, omnes fideles serio hortabatur, ut pias pro eo preces funderent, ne a fide catholica prorsus deficeret (24), tristique ejus exemplo discerent, quanto periculo se exponant ii, qui ingenii sui viribus, plus quam par est, tribuentes, ecclesiæ auctoritatem susque deque habere haud dubitent. Quod vero ad abbatem S. Genovevæ attinet, is sine mora in absentem id statuit, quod res ipsa postulare videbatur, eum nimirum ordinis, cui adscriptus fuerat, juribus ac beneficiis privando, insimulque ex universa canonicorum regularium familia, tanquam putridum membrum ejiciendo, donec cum ecclesia & ordine suo per submissionem seriamque pœnitentiam fuerit reconciliatus.

§. *XVIII.* Quæ de secessu COVRAYERII Anglicano adhuc dicenda restant, paucis quibusdam observationibus heic complectemur, cum nobis longioribus esse haud liceat. Notamus itaque I) exulem hunc statim post adventum suum in Anglia non tantum a proceribus utriusque reipublicæ, speciatim reverendissimo archiepiscopo Cantuariensi GVILIELMO WAKIO, quovis honorum beneficiorumque genere fuisse mactatum, sed & eidem a magnæ Britanniæ rege GEORGIO II., glorioſissimæ memoriæ, annuum ducentarum librarum Sterlingicarum stipendium fuisse decretum, ut vitam tranquillam & omni curarum genere vacuam in Anglia agere posset. II) Primum scriptum, quod COVRAYERIVS simul atque in Angliam pervenerat, elaborandum in se suscepit, fuisse *relationem* quandam, qua is totam historiam controversiarum & fatorum suorum complexus est. Prodiit hicce liber lectu dignissimus anno MDCCXXIX. sæpiusque jam in hac ipsa commentatione a nobis fuit excitatus (25). Equidem probe novimus, illi, qui res suas ipse narrat, non facile fidem habendam, omnemque



(24) Paucis hac occasione notamus, COVRAYERIVM eo ipso die, quo Lutetiam Parisiorum reliquit, litteras ad cardinalem NOAILLIVM misisse, quibus non tantum criminationes nonnullas in *instructione* ejus *pastorali* adversus se commotas depulit, suumque ex patria abitum eidem denunciavit; sed & insimul spopondit, *se*, ut ut exulem, *sic victurum esse*, *ut hominem ordinis sui decet*, *nec ab unitate ecclesiae receſſ rum*, *quamvis nonnullis Romanae ecclesiae optimonibus addictus esse nolit.* Vid. ejus *relationem* saepius jam adlegatam, *p. 311.* nec non *commentationem Kiorningianam p. 116. seqq.*

(25) Titulus libri est: *relation historique & apologetique des sentimens & de la conduite du P. le Courayer &c.*

que heic adhibendam esse circumspectionem ac prudentiam. Ast, quod ad COVRAYERIVM attinet, ejus fides eo minus potest esse suspecta, partim quod in cæteris quoque ejus candor veritatisque amor ubique elucescunt, partim vero quod aliunde etiam constat, pleraque, quæ refert vir optimus, aliis hujus temporis commentariis *atque publicis* prorsus esse consentanea. Nec III) prætermittendum heic est, eo ipso tempore, quo innocentiam suam demonstrare adnitebatur COVRAYERIVS, nonnullos scriptores Gallos ipsum denuo invasisse, quin & subinde veteres renovasse criminationes. In huncce censum referimus CLAVDIVM PELLETIERIVM, cujus tamen librum *de missa* (26) responsione æque indignum judicavit COVRAYERIVS, atque ejus adcusationem, cujus supra (§. XIV.) fecimus mentionem; THEODORICVM *de S. René*, Carmelitarum ordini adscriptum, qui controversiam de dignitate consecrationum Anglicanarum in peculiari libro persecutus est (27); Jo HARDVINVM, societatis Jesu theologum, supra jam commemoratum (28), cujus tamen declamationes salis omnis nescias merito despexit COVRAYERIVS; FRANCISCVM VIVANT, canonicum, cancellarium & vicarium generalem, cujus librum supra jam judicavimus (29); & vel maxime MICHAELEM LE QVIENVM, supra a nobis laudatum (30), cui uni, quoniam reliquis omnibus eruditionis famam præripuit, librum oppositum COVRAYERIVS, eundemque magna eruditionis copia refertum (31), quo & mentem suam de natura sacramenti eucharistici & sacerdotii exposuit, insimulque objectiones omnes, quæ contra dignitatem consecrationis Anglicanæ tum temporis fuerunt prolatæ, egregie solideque diluit. Vltimum hoc est COVRAYERII scriptum in argumento *de consecratione Anglorum* luci publicæ expositum (32). Nam, quod IV) notamus, post hoc tempus aliis rebus, quæ majorem adferunt utilitatem, cum-

(26) Inscriptio libri gallica haec est: *traité dogmatique de la Messe, pour servir de justification de la censure des évêques contre le P. Courayer & les Anglois, par Claude le Pelletier, à Paris* MDCCXXVIII. in 8.

(27) Titulus libri est: *la justification de l'eglise Romaine sur la reordination des Anglois episcopaux, ou reponse a la* dissertation & à la defense de la dissertation sur la validité des ordinations Anglicanes, *a Paris* MDCCXXVI. *2. tomes. in 8.* In hocce libro ita Courayerium oppugnavit auctor, ut consuetudinem ecclesiæ Romanæ, eos, qui ab ecclesia Anglicana ad Romanam transeunt, denuo consecrandi, propugnandam in se susceperit.

(28) Diximus de eo supra §. *XII. p. 231.* inprimis *not.* (4) Addimus vero jam, eundem in peculiari libro, qui binis constat voluminibus, commenta illa, quæ jam anno MDCCXXIV. aliis temerario ausu persuadere annisus est, denuo repetisse. Inscriptio libri hæc est: *la defense des ordinations Anglicanes refutée par le P. Hardouin*, à Paris MDCCXXVII. in 8.

(29) Vid. supra *p. 232.* not. (8) Conf. *Journ. des sav. tom. LXXXVII.* ad *ann.* MDCCXXIX. *p. 366. seqq.*

(30) Disseruimus de hoc viro ejusdemque scripto priori supra §.XIII. p.233 Adjungimus nunc eidem alterum scriptum, quod post secessum COVRAYERII in Anglium eidem opposuit LEQVIENVS sub titulo: *La nullité des ordinations Anglicanes demontrée de nouveau, tant pour les faits, que pour le droit, contre la* defense du P. Courayer. *à Paris* MDCCXXX. *2. vol. in 8.* Vid. *le Journal des savans tom. XCII.* ad ann. MDCCXXX. *mens. Nov. p. 332. seqq.*

(31) Titulus libri hujus gallici hisce conceptus est verbis. *Supplement aux deux ouvrages faits pour la defense de la validité des ordinations Anglicanes, pour servir de réponse* au nouvel ouvrage du P. Le Quien sur cette matiere & aux censures de quelques evêques de France. *Par le P. Courayer, Chanoine regulier de S. Genevieve. Amsterdam* MDCCXXXII. vel potius MDCCXXXI. Hocce enim anno liber hicce a COVRAYERIO ad finem fuit perductus.

(32) Eodem tamen anno, quo COVRAYERIVS ultimum de hoc argumento librum evulgavit, THOMAS BROWNE s. theol. baccalaureus, & collegii s. Joannis, quod Cantabrigiæ est, tum temporis socius, historicam hujus controversiæ partem, eam nimirum, qua pontificiorum de primis Angliæ episcopis narrationem, non tantum recens inventam, sed & oppido absurdam esse luculenter demonstravit, luci publicæ exposuit, sub titulo: *the story of the ordination of our first Bishops in Queen Elisabeths reign, at the Nag's head Tavern in cheapside thoroughly examined and proved to be a late-invented, inconsistent, self-contradicting and absurd fable. Lond.* MDCCXXXI. 8. In hoc ipso libro non tantum uterque liber LEQVIENI, sed & observationes ignoti cujusdam scriptoris Angli COVRAYERIO oppositae solide confutantur, prout observavit KIÖRNINGIVS *loc. cit. p. 126.*

cumprimis conversioni gallicæ *historiae concilii Tridentini*, a PAVLO SARPIO olim compositæ, jussu ac nutu nunquam satis laudandæ reginæ *Carolinae*, totum se consecravit, quæ & variis ejus observationibus tam historicis, quam theologicis, iisque eruditissimis ornata, A. MDCCXXXVI. binis comprehensa voluminibus in lucem publicam exiit, magnoque eruditi orbis adplausu excepta est (33). Plurimum tamen, quod IV) notamus, hic ipse liber displicuit episcopis Gallicanis, cumprimis vero, archiepiscopo *Embrodunensi*, qui *mandatum pastorale*, omni convitiorum genere plenum eidem opposuit. Aliud ejusdem generis scriptum contra eum meditabatur episcopus *Montispessulanus*. Sed morte præventus consilium suum exsequi haud potuit. Præcipua tamen hujus libri momenta, adjuncta episcopi *Antissiodorensis* adprobatione, post mortem auctoris promulgarunt Jansenii adsectæ. Nec V) mirum videri debet, hunece librum plus quam reliqua hujus viri scripta exacerbasse atque irritasse ecclesiæ Romanæ zelotas, siquidem in eo liberiori calamo ecclesiæ Romanæ ulcera speciatim ejusdem abusus, superstitiones, ac præcipue intolerantia, quam vocant, tanguntur. Licet vero quod VI) notamus, in quamplurimis protestantium partes potius, quam catholicorum defendendas in se susceperit COVRAYERIVS (34), maluit tamen in communione atque unione Romanæ ecclesiæ perseverare, quam ea derelicta ad Anglicanam transire. Atque hoc ipsum *unitatis ecclesiasticae* commentum, ut recte judicat KIÖRNINGIVS, sæpius jam a nobis laudatus, (35) est unicum illud impedimentum, quod quamplurimos ex Gallis terret & detinet, ne ad Anglos, vel alios protestantes desciscant. Neque vero hoc a COVRAYERIO, vel alio quocumque unquam postulavit ecclesia Anglicana, quæ conscientiæ libertatem cuivis, quicumque is fuerit, ex principiis suis lubens meritoque relinquit. Prætermittimus alia, quæ de religione COVRAYERII dici heic possent, vel ab aliis jam dicta sunt (36), ac de ipsa controversia, quam is recentiori ævo renovavit, nimirum de *successione episcopali in Anglia*, ejusque *veritate* ac *pretio*, pro instituti nostri ratione pauca dicemus.

§. *XIX.* De episcoporum in Anglia successione mentem nostram paucis exposituri, ante omnia notamus, non tam de ecclesia Anglicana antiquissima, qualis illa inde a prima sua fundatione, usque ad sacrorum emendationem exstitit, sed potius de recentiori illa qualis fuit post repurgata sacra, quæstionem subortam esse inter eruditos, an & hæc legitima & canonica successione gavisa sit? Certe ipsi præsulis Romani sectatores ingenue fatentur, originem hujus ecclesiæ inde ab apostolorum temporibus esse derivandam inque ea successionem episcopalem semper servatam fuisse, atque propagatam. Licet enim, ut aliarum, ita & Anglicanæ ecclesiæ origines subinde obscuræ sint atque incertæ; licet etiam ea, quæ scriptores non-

(33) Prima hæc est operis Courayeriani editio, hoc ipso anno MDCCXXXII. 2. vol. in fol. Londini typis exscripta, ac mox repetita eodem anno Amstelodami, pariter binis vol. in 4. Secuta deinceps est MDCCXXXVIII. editio Basileensis, itidem binis voluminibus in 4. comprehensa. In linguam quoque Anglicanam nec non Italicam librum hunc conversum fuisse, constat.

(34) Ita verb. grat. in controversiis de primatu pontificis, de justificatione, de sacra cœna, de missa, de sanctis, aliisque rebus, plus favet ecclesiæ protestantium, quam Romanæ, solet vero ejusmodi errores, quos protestantes damnant, non tam ipsi ecclesiæ Romanæ imputare, quam potius inter scholasticorum inanes subtilitates & absurdas opiniones referre, quæ ipsi ecclesiæ tribui nequeant.

(35) Vid. ejusdem dissertationem sæpe adlegatam *de consecrat. episcop. Anglor. p. 119.*

(36) Lectu digna sunt, quæ hanc in rem scripserunt auctores, *du journal litteraire* ad *ann.* MDCCXXXVII. *tom. XXIV. part. I. art. I. p. 48.* KIÖRNINGIVS *loc. cit. p. 119.* b. WEISMANNVS, partim in *dissertat.* quæ inscribitur: *notae Courayerii & Calixti in concilii Tridentini canones praecipuos illustratae* MDCCXLI. 4. partim vero *in historia sacra nov. testam. tom. II. p. 397. seqq.* cumprimis vero CHRISTOPH. AVGVSTVS HEVMANNVS, vir doctissimus, in peculiari programmate *de theologia Courayeriana*, Gœttingæ ann. MDCCXLV. proposito, quod in ejusdem *novae sylloges dissertationum part. I. p. 260. seqq.* postea fuit translatum.

nonnulli speciatim de JOSEPHO ARIMATHÆO, primo Britannorum apostolo, tradunt (37), vel plane falsa sint atque conficta, vel saltim, si aliquid veri in se continent, plurimis contaminata sint fabulis (38), licet denique ea, quæ de nova Britannorum conversione sub ELEVTHERIO, ecclesiæ Romanæ antistite, & rege LVCIO, seculo secundo facta, vulgo tradantur, (39) cordatioribus, ex rationibus sat gravibus, dudum sint suspecta maximeque dubia (40); id tamen extra omnem dubitationis aleam positum est, salutarem evangelii doctrinam in primis statim christianismi temporibus in Britannia fuisse adnunciatam, nec defuisse isto jam ævo, qui Christo fidem dederint; prout TERTVLLIANVS, EVSEBIVS aliique scriptores ecclesiastici disertis verbis testantur. Id quoque notatu dignum nobis videtur, quod jam ante fundatam ecclesiam Romanam, doctrina servatoris nostri altas jam in Britannia radices egerit, fatentibus ipsis Romanensibus. Ex quo sponte consequitur, ex oriente primum, non Roma, in Britanniam venisse, qui fundamenta religionis christianæ in fortunatissima hac insula posuerint. Idem quoque exinde uberius confirmari potest, quod AVGVSTINVS monachus, Anglorum apostolus vulgo dictus, cum sociis quibusdam stipatus, a GREGORIO M. ecclesiæ Romanæ præsule, seculo sexto ad finem vergente in Angliam mitteretur, ut Anglos ad Christi fidem perduceret, non tantum multos, qui inde a longo tempore religionem christianam jam erant amplexi, ibidem deprehendit, sed & observavit, eos circa diem festi paschalis, ad veterem Asiaticorum morem, contra Romana decreta, praxin suam conformare, quin & in baptismi administratione aliisque ab ecclesia Romana haud raro recedere. Colligunt exinde nonnulli, ecclesiam Romanam matrem Anglicanæ dici haud posse, cum prima hujus gentis ad christianissimum conversio, urbis Romanæ conversionem antecesserit, maximeque sit probabile, Britanniam proprium sui jam olim habuisse primatem, qui eodem cum Cypro privilegio gavisus, nullique patriarchæ fuerit subjectus (41). Cum & ipse AVGVSTINVS monachus a VIRGILIO, archiepiscopo Arelatensi, fuerit ordinatus, intelligitur exinde, ordinationes Anglicanas a Gallicanis esse repetendas, quæ non Romæ, sed orienti suam debent originem. Plura ut de successione episcopali Anglicana eaque antiquissima heic dicamus, eam ob rationem necessarium haud est, cum ea ipsorum Romanensium calculo confirmetur.

## §. XX.

(37) Hæc traditio de JOSEPHO *Arimathaeo*, Britannorum apostolo, etiam a scriptoribus ecclesiarum Britannicarum passim asseritur, veluti PALYDORO VIRGILIO, BALEO, CAMBDENO, PITSEO, CRACKANTHORPIO, GODWINO aliisque, adlegatis a THOM. ITTIGIO in *selectis capitibus histor. ecclesiast. sec. I. cap. VII. sect. VIII. §. VIII. p. 484.*

(38) Ostendit hoc ipsum JACOB USSERIVS in *antiquit. Britann. cap. II.* Explodunt quoque hanc fabulam EDVARD. STILLINGFLEETVS, SAMVEL BASNAGIVS, JACOBVS USSERIVS, aliique. Ex antiquis scriptoribus NICEPHORVS, scriptor seculi IX. *hist. eccles. libr. II. cap. XL.* memorat, SIMONEM *Zelotem* apostolum in Britanniam venisse, quam profectionem alii apostolo Paulo tribuunt. Verum utrumque valde est incertum. Vid. Jo. ALB. FABRICIVM in *salutari luce evangelii* p. 406.

(39) Referunt BEDA, ADO aliique scriptores sequioris ævi de LVCIO, Britannorum rege, quod is, acceptis monachis quibusdam, ab ELEVTHERO, episcopo Romano, ad eum ablegatis, circa ann. CLXXIX. cum conjuge sua & gente tota, Christi sacra amplexus, in sacro fonte Christo fidem dederit. Dissentiunt vero scriptores tum in aliis, tum in *modo* conversionis & *motivo*. Alii enim ELEVTHERVM papam ad LVCIVM legatos istos misisse ajunt; alii vero LVCIVM ad ELEVTHERVM. Legatorum quoque, quos miserit episcopus Romanus convertendo regi, diversa a scriptoribus exprimuntur nomina, & quæ sunt hujus generis alia, quæ rem omnem, prout narratur, ambiguam faciunt atque incertam.

(40) Uberius hoc ostendunt FRID. SPANHEMIVS *tom. II. oper. p. 390. seqq.* & Jo. ALB. FABRICIVS in *salutari luce evangel. cap. XVIII. p. 407.* cumprimis vero FRANCISCVS MASONVS in *vindiciis eccles. Angl. libr. II. cap. I. seqq.*

(41) Vid. *the corruptions of the church of Rome, in answer to the Bishop of Meaux's queries p. 172. seqq.* Latius hæc omnia exposuerunt duumviri Anglii, iique doctissimi, JAC. USSERIVS in *Britannicarum*

§. *XX.* Præmissis iis, quæ de veritate successionis episcopalis Anglicanæ, ante sacrorum emendationem, erant dicenda, ad controversiam *Courayerianam* propius jam accedimus, ostensuri breviter, eos quoque episcopos, qui post reformationem ecclesiæ ad nostra usque tempora cathedras ecclesiæ Anglicanæ occuparunt, veri nominis esse episcopos, nec quidquam illis deesse, quo minus pro legitimis haberi possint debeantque. Hoc ipsum ut solide heic comprobemus, longo argumentorum syrmate opus haud est. Sufficit, si paucis ostendamus, præcipua ista requisita, quæ in legitimo episcopo adesse debent, deprehendi in iis Anglis, qui ad hancce dignitatem recentiori hocce ævo fuerunt evecti. Supra jam observavimus (42), requiri ad verum legitimumque episcopum: 1) ut is ab ejusmodi descendat episcopo, qui & ipse a veris episcopis sit consecratus; 2) ut, quod ipsa negotii hujus gravitas exposcit, hæc ipsa consecratio in loco ad hancce rem idoneo olim fuerit peracta; ac denique 3) ut illa neque in *materia*, neque in *forma*, ut in scholis loquuntur, quidquam habeat vitii. Jam vero omnes Angliæ episcopi, qui, inde a tempore discessionis suæ ab ecclesia Romana ad nostram usque ætatem, a CRANMERO itemque PARKERO, archiepiscopis Cantuariensibus descendunt, 1) ab ejusmodi consecrati fuerunt episcopis, qui & ipsi fuerunt veri episcopi riteque ordinati; 2) eorum ordinatio facta est in loco legitimo atque ad hocce negotium maxime idoneo, ac denique 3) suscepta fuit expræscripto formulæ ab EDVARDO VI. sanctæ, nihilque habet vitiosi neque quoad *materiam*, neque quoad *formam*, sed in rebus ad essentiam pertinentibus omnis labis expers est, prout per inductionem exemplorum potest demonstrari; Ergo veri sunt atque legitimi ecclesiæ christianæ antistites. Atque hæc est summa argumentorum COVRAYERII, quibus suam confirmare sententiam adnisus est. Audiamus jam, quid secus sentientes excipiant, & quibusnam rationibus evincere velint, episcopos Anglos justa ordinatione destitui, neque adeo legitimos esse episcopos.

§. *XXI.* Nolumus vero, ubi tractationem hanc polemicam jam adgredimur, omnia, quæ antiquiori jam ævo contra validitatem ordinationum Anglicanarum ab ecclesiæ Romanæ sectatoribus prolata sunt, argumenta in medium heic adducere, atque ad singula distincte respondere, partim quod hoc ab instituti nostri brevitate prorsus foret alienum, partim vero quod hoc ipso labore dudum magna cum laude defunctus est FRANCISCVS MASONVS, scriptor Anglus, isque præstantissimus (43). Id duntaxat heic agemus, ut speciatim ea, quæ recentiori maxime ævo COVRAYERIO ab adversariis suis objecta sunt dubia, præcipue ea, quæ præ cæteris haud exiguam habere videntur speciem, heic indicemus, eaque breviter solideque confutemus.

§. *XXII.* Faciemus vero tractationis hujus initium ab iis argumentis, quæ *generatim* totam ordinationem episcopalem post repurgata sacra in Anglia factam, maxime suspectam, quin plane spuriam reddere videntur. *Primo* enim forma hujus ordinationis erat plane nova, non auctoritate spirituali atque *ecclesiastica*, ut par erat, sed *civili* tantum regis & senatus Anglicani introducta atque recepta. Introduxit quippe eandem EDVARDVS VI. Angliæ rex, senatus autem Anglicanus eandem confirmavit, ita ut episcopis obsequii tantum gloria heic fuerit relicta. Jam vero ejusmodi potestatem regibus

*carum ecclesiar. antiquitatib.* & EDVARD. STILLINGFLEETVS in *originib. Britann. cap. V. p.* 356. Conferenda, quæ EMANVEL A SCHELSTRATE heic opposuit in *dissertat. de auctoritate patriarchali & metropolitica*; cui vero respondit JOSEPH. BINGHAMVS in *antiquit. eccclesiast. vol III. libr. IX. cap. I. §. XII. p. 401. seqq.* ubi luculenter comprobat, ecclesiam Britannicam pontificis Rom. jurisdictionem in se tunc non agnovisse, quando eo pervenit AVGVSTINVS supra commemoratus, nec cum ecclesia Romana, sed cum orientalibus potius ecclesiis communionem coluisse. Quis itaque ecclesiæ Anglicanæ vitio vertere potest, quod ea tempore reformationis, jugo præsulis Romani excusso, ad statum suum antiquissimum, pristinaque jura rediit?

(42) De hisce requisitis *supra §. III. p. 223. seqq.*

(43) Opus hujus scriptoris Angli, quod prorsus eximium est, supra jam commemoravimus in *nota* (12) *§. V. p. 226.*

gibus haud competere, contendunt dissentientes, sed ecclesiæ duntaxat universali, in cujus jura temere heic involaverit rex EDVARDVS, dum auctoritatem ac potestatem in ipsum munus episcoporum perperam sibi arrogaverit. Addunt *secundo*, ordinationem Anglicanam eapropter quoque haud levi laborare vitio, quod ejusdem *forma*, inscia plane, immo invita ecclesia Romana concepta fuerit atque introducta. Hanc enim esse ecclesiam illam universalem ac *matrem omnium ecclesiarum*, ad cujus præscriptum omnes ecclesiæ particulares se componere debeant. Nec proinde ulli ecclesiæ particulari competere jus ac facultatem, veterem religionis vel disciplinæ formam abrogandi, aliamque in ejus locum surrogandi, nisi consensus & suffragium ecclesiæ universalis, h. e. Romanæ, aut præsulis Romani, ut principis totius ecclesiæ, accesserit. Illud quoque *III*) nonnulli urgere heic solent, ordinationem, quæ in Romana obtinet ecclesia, divinam habere originem. Eandem enim ab apostolo Petro ecclesiis occidentalibus fuisse traditam (44), qui eandem procul dubio ab ipso servatore Christo acceperit. Cum vero id omne, quod a Christo servatore est profectum, inviolabile esse debeat nullaque ratione immutandum, exinde luculenter patescere arbitrantur, eos plurimum peccasse, qui rationem ordinandi ab hominibus profectam formæ ordinationis divinæ præferre haud dubitaverint. Subjungunt *IV*) episcopos Anglos, qui, abrogata veteri consecrandi forma, novam condiderint, fuisse hæreticos, presbyterianis de episcopatu & sacerdotio principiis imbutos, unde & *V*) a nulla ecclesia, ne Anglicana quidem, eo tempore, quo PARKERVS consecratus fuit, quod exeunte anno MDLV. factum, auctoritatem obtinuerit, nec *VI*) veteres episcopi Anglicani novos sub ELISABETHA consecratos pro veris episcopis habuerint; cum quibus & olim ecclesiæ Romanæ præsul consenserit, & hodienum consentiat. Illos enim, qui ex Anglis Romam veniant, atque ibidem ecclesiæ catholicæ se adsociare velint, licet in Anglia jam inaugurati fuerint, nihilo tamen minus more rituque Romano ibidem rursus consecrari.

§. *XXIII.* Quomodo ex hisce dubiis, quorum nonnulla prima fronte valde videntur speciosa, se expediant Angli, &, qui eorum vestigia heic legit, COVRAYERIVS, paucis jam dispiciemus. Quod ad *primam* attinet objectionem, respondent, falsissimum esse, quod forma ordinationis, quæ EDVARDI VI. dicitur, auctoritate *civili*, id est, regis & senatus fuerit introducta, siquidem ex actis constet, eandem auctoritate *ecclesiastica* conceptam, compositam receptamque fuisse. Regem nimirum atque senatum ex episcopis Angliæ conventum quendam delegisse, a quo nova hæc forma fuerit concinnata. Hanc deinceps regi ac senatui fuisse oblatam, atque ab eodem in omnibus adprobatam. Consensisse quoque in hanc formam reliquam ecclesiam, ut proinde rex & senatus id tantum, quod ab episcopis litteris consignatum, atque ab universa ecclesia adprobatum fuerit, fixum ratumque esse jusserit. Nec objici heic posse, „ reges Angliæ inde a temporibus HENRICI VIII. splendidum „ titulum, *capitis ecclesiae Anglicanae in tem-* „ *poralibus & spiritualibus* sibi sumsisse (45), „ proinde & episcopos, qui sub EDVARDO VI. „ novam composuerunt consecrationis formam, „ verbis & nomine regis duntaxat egisse, non „ autem suo & ecclesiæ nomine.„ Huncce enim titulum nihil aliud significasse, quam hoc

(44) Est haec sententia Jo. HARDVINI, societatis Jesu theologi, quam supra §. *III. not.* (7.) *p. 225.* edidimus.

(45) Fecit id ipsum HENRICVS, Angliæ rex, iratus ob excommunicationis sententiam ab antistite Romano in se latam, nec veri simile est, eundem eousque fuisse progressurum, si divortium suum cum CATHARINA *Arragonia* novumque conjugium cum ANNA BOLENIA initum suo calculo adprobasset pontifex. Objiciunt obliquam hanc intentionem præsulis Romani defensores; neque eandem inficiantur protestantes, licet simul persuasum habeant, consilia hominum a providentia divina, justitiamque causæ ab intentione agentis sollicite distingui oportere, observante b. WEISMANNO in *hist. sacra nov. testam. tom. I. p. 1662.* edit. nov. Quonam vero sensu HENRICVS titulum *capitis ecclesiae Anglicanae* usurpaverit? de eo non una omnium est sentue-

hoc; omnes personas, ecclesiasticas regi, tanquam uni domino suo, subjectas esse regnique ac senatus sententiis in caussis civilibus, nec non externam ecclesiæ formam spectantibus, stare & cadere debere, neque ad ullum alium extra Angliam provocari posse (46). Ad *alteram* dissentientium objectionem duplici ratione respondere solent theologi Angli. Primo quidem probe distinguendum esse monent inter res, quæ partem quandam ipsius *religionis* conficiunt, & inter res, quæ ad *externam* duntaxat *disciplinam* spectant; dicunt, ecclesiam quamcunque particularem vel nationalem habere jus & facultatem, non quidem in ipsa religione, sed tamen in ritibus ac cærimoniis, quin omnibus iis, quæ ad externum christianorum cultum ac sacramentorum formam pertinent, pro arbitrio ordinandi, vel mutandi, modo illæ res maneant salvæ, quibus ipsa sacramentorum essentia continetur. Licuisse itaque ecclesiæ Anglicanæ, non exspectato ecclesiæ universalis consensu, formam ordinationis ecclesiasticæ, servatis iis, quæ sunt essentialia, ad veterem simplicitatem ævique apostolici consuetudinem revocare. Præterea jure meritoque negant Angli, ecclesiam Romanam esse *universalem*, cum ea duntaxat sit *particularis*, quæ a reliquis ecclesiis nullo jure exigere potest, ut illæ legibus regulisque suis sese subjiciant. Quod vero ad *tertiam* attinet objectionem, vix operæ pretium esse videtur, ut eandem data opera heic refellamus. Innititur enim illa hypothesi falsissima, quæ in cerebro Hardvini nata, ipsique soli relinquenda est. Neque enim quisquam sanæ mentis adseveraverit unquam, totam ordinationis Romanæ formam divinitus dictatam, atque ab ipso apostolo Petro, jussu servatoris optimi, ecclesiis occidentalibus traditam præceptamque fuisse. Missis itaque hisce somniis, pergimus ad *quartam* objectionem, paucisque notamus, falsissimum esse, quod episcopi illi, qui sub Edvardo VI. ad novam ordinationis formam conficiendam fuerunt electi, *presbyterianorum*, ut in Anglia vocantur, sententiis fuerint imbuti. Licet enim, quod negare nolimus, Cranmervs itemque Barlovivs tum temporis ad Genevensium magis, eorumque, qui Calvini partibus erant addicti, quam ad ecclesiæ Romanæ placita accesserint, de reliquis tamen, qui huic negotio interfuerunt, episcopis ex Bvrneti *historia reformationis Anglicanae* aliisque documentis fide dignis constat, eos longe aliam heic tenuisse sententiam, atque receptam apud Anglos de episcopatu opinionem fortiter defendisse. Deinde, si vel maxime tantisper concederemus, quod tamen falsum est, conditores ordinationis Edvardi VI. principiis *presbyterianorum*, quos tamen perperam in hæreticorum classem referunt pontificii, (47) fuisse addictos, nihil tamen exinde contra validitatem ordinationis Parkeri cæterorumque episcoporum concludi posset, siquidem, ex mente ipsius ecclesiæ Romanæ, ea ordinatio semper est valida, ubi *materia* & *forma* essentialis ordinationis adcurate observatur. Neque, quod ad *quintam* dissentientium objectionem notamus, apud æquos rerum æstimatores quidquam valet, quod multi episcopi ætate Edvardi VI. jam consecrati, subsequenti tempore, ubi Maria clavum imperii tenuit, denuo fuerunt ordinati; itemque quod Parkeri aliorumque consecrationes a doctoribus quibusdam pontificiis, qui ecclesiam Anglicanam oppugnarunt, tanquam futiles atque irritæ fuerunt rejectæ. Neque enim exemplis, sed rationibus heic pugnandum, neque ex opinionibus recentiorum ecclesiæ Romanæ doctorum, sed potius ex veteri jure ecclesiastico tota hæc res æstimanda est atque dijudicanda.



sententia. Si Bossvetvm audiamus, idem hoc erat, ac se *papam* declarare. Vid. ejus *hist. des variations des églises protestantes*, *tom. I. p. 192.* Denegat quoque regi huncce titulum æque ac rem ipsam Jo. Calvinvs; secus sentiente Petro Jvriaeo, theologo reformato Gallo, qui ex Bvrneto observat, Henricvm non eo sensu, quem scriptores pontificii exagitant, se caput ecclesiæ adpellasse, sed jurisdictionem ecclesiasticam reliquisse integram, atque a civili distinctam. Legenda, quæ hanc in rem adnotavit laudatiss. Jvriævs in libro gallico, quod Maimbvrgio opposuit, *tom. II. p. 151. seqq.* Conf. quoque Jac. Basnagivs in *hist. de la religion des églises Reformées*, *tom. III. cap. XI. p. 185. seqq.*

(46) Uberius hoc ostendit Kiörningivs *loc. cit. p. 170. seqq.* & *p. 216. 217.*

(47) Neque enim iis imputari potest haeresis, qui ab haeresi ecclesiam liberarunt.

da. Atque hac ipsa ratione *sexta* quoque Romanensium objectio facile dilui potest. Adjungimus hoc unicum, ipsos ecclesiæ Romanæ præsules JVLIVM III. itemque PIVM IV. satis benigne de ordinationibus Anglorum olim factis judicasse. Quod enim ad JVLIVM attinet, is in mandatis cardinali POLO, quem ad MARIAM legatum misit, datis, disertis verbis testatus est, se nolle episcoporum jam consecratorum ordinationes renovari. PIVS autem IV. reginæ ELISABETHAE significari curavit, se libellum *communium precum*, seu liturgiam Anglicanam, cui, præter alia, ordinationis quoque forma inserta est, adprobare ac confirmare velle, si regina ecclesiæ Romano - catholicæ se adsociare velit; prout observavit OLAVS KIOERNINGIVS, sæpius jam a nobis laudatus (48).

§. *XXIV.* Pergunt tamen ecclesiæ Romanæ sectatores, atque exemplis quibusdam in medium adductis comprobare adnituntur, post injuste depositos a GVILIELMO III. episcopos, alios successisse, qui, utpote illegitimi, successionis episcopalis ordinem turbaverint. In hancce classem referunt trigam virorum celeberrimorum, THOMAM nempe CRANMERVM, a quo ordinationes Anglicanæ omnes suam ducunt originem, MATTH. PARKERVM, archiepiscopum olim Cantuariensem, atque Jo. TILLOTSONIVM. Quod primo ad CRANMERVM attinet, contendunt disputatores pontificii, eundem fuisse hæreticum & schismaticum, adeoque, licet charactere episcopali fuerit gavisus, tamen ordinare legitime haud potuisse. In MATTHAEO autem PARKERO duo cumprimis, desiderant, primo quidem, quod ejusdem ordinatio fuerit futilis & [illegible], nec in loco legitimo, sed in caupona quadam Londinensi, cærimoniis ineptis atque ridiculis peracta; deinde, quod princeps eorum, qui PARKERVM muneri suo initiarunt, fuerit GVILIELMVS BARLOVIVS, episcopus Cestriensis, cujus vero consecratio valde sit dubia, maximeque incerta. Denique de TILLOTSONIO referunt nonnulli, eundem fuisse Anabaptistæ cujusdam filium, sedemque archiepiscopalem ingressum fuisse haud baptizatum, ut proinde nec ordinem episcopalem accipere, nec eundem dare aliis potuerit (49). Atque ex his omnibus, quæ paucis heic complexi sumus, satis patere arbitrantur præsulis Romani adsectæ, successionem episcopalem, eandemque veram & canonicam in Anglia servatam haud fuisse. Sed facilis est ad hasce exceptiones responsio. Quod enim primo ad CRANMERVM attinet, dudum observavit FRANC. MASONVS, (50) si vel maxime is fuerit hæreticus, hoc tamen remanere, quod *valide*, si non *legitime* alios ordinaverit. Sed nos addimus, virum hunc celeberrimum non tantum *valide*, sed & *legitime*, ordinasse, siquidem tantum abest, ut is in hæreticorum classem referri mereatur, ut potius ecclesiam ab errore ac superstitione liberaverit. Objectionem a PARKERI ordinatione cauponaria desumtam ut heic refellamus, opus non est. Dudum enim fabulam hanc, quæ nullam plane meretur attentionem, exploserunt scriptores Angli, luculenterque commonstrarunt, ejusdem ordinationem tempore HENRICI VII. in sacello Lambethano, adeoque loco legitimo, institutam fuisse (51). Legitimam quoque fuisse BARLOVII consecrationem laudatissimus MASONVS & post eum COVRAYERIVS, aliique abunde demonstrarunt. Nec denique dici potest, interruptam fuisse successionem Anglicanam in TILLOTSONIO, antistite Cantuariensi, qui baptizatus nunquam fuerit. Vt enim taceamus, fuisse inter veteres episcopos rite ordinatos, qui baptizati haud fuerint, ut de NECTARIO, episcopo Constantinopolitano notum est, hodie tamen certissime constat, TILLOTSONIVM natum in agro Eboracensi, ann. MDCXXX. in ecclesia sua parochiali Halifaxiæ die III. ejusdem anni, sacro-sancto salutis fonte tinctum fuisse (52).

LOCVS

(48) Vid. ejus *dissert.* sæpius *excitatam p. 170.*

(49) Vrserunt olim hanc objectionem *Jacobitae*, quos vocant in Anglia, neglexerunt vero eandem, qui recentiori ævo argumentum de consecrationibus episcoporum Anglorum excusserunt.

(50) Vid. ejus *vindiciæ ecclesiae Anglicanae cap. XIII.*

(51) Facit id cumprimis MASONVS *loc. cit.* quem tamen alii sibi debellandum sumserunt. Vberius hoc exposuit KIORNINGIVS *loco excitato*, *p. 43 — 45.*

(52) Vid. *vitam* TILLOTSONII scriptam ab F. H. ex schedis Joungianis & Londini MDCCXVII 8. editam, itemque b. PEAVII *origines juris ecclesiast. p. 279.* in nota.

# Locvs XXIV.

## DE

# MINISTERIO ECCLESIASTICO.

## PROOEMIVM.

### §. I.

*Ratio ordinis.* Quemadmodum inter angelos sanctos, qui contra *draconem* infernalem & *ipsius angelos* in perpetua acie versantur, Apoc. XII. 7. certi ordines divinitus constituti sunt; (unde τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὁράτα distribuuntur ab apostolo in θρόνους, κυριότητας, ἀρχὰς, ἐξουσίας, δυνάμεις, Eph. I. 21. Col. I. 16. quo etiam pertinet adpellatio *cherubim*, Gen. III. 24. *seraphim*, Esaj. VI. 2. *archangelorum* 1. Thess. IV. 16.) ita quoque in ecclesia in his terris *militante*, *quæ triumphantis* ecclesiæ in cœlis est quoddam ἀπεικόνισμα & ἀποσπασμάτιον, certi ordines ac status itidem divinitus sunt definiti. Unde Cant. VI. 3. dicitur *terribilis ut castrorum acies ordinata*, Hebr. כְּנִדְגָּלוֹת ad verb. *ut vexillatæ*, id est, ut castra cum suis vexillis, quod latius diducitur Ps. LXVIII. 14. *Si adcubueritis inter terminos, quasi alæ columbæ, quæ opertæ videntur argento & alæ, quæ fulgorem habent auri*; hoc est, ut in exercitu arma ob splendorem solis in ea incidentem ita refulgent, ac si omnia essent argentea & aurea, quales colores in pennis columbarum conspiciuntur, quasi argento & auro sint obductæ, prout diversimode versus solem convertuntur: ita quoque ecclesia Spiritus sancti charismasi in membris suis a Christo justitiæ sole pulcerrime exornata conspectum sui exhibet spiritualibus oculis longe suavissimum, cum non sit confusa quædam multitudo & colluvies, sed aciei probe instructæ, ordinatæ & vexillis certis distributæ faciem obtineat. Respicit dubio procul Spiritus sanctus ad *castra Israelitarum* in deserto, quæ certo ordine divinitus instituto erant collocata, Num. II. 1. & seqq. ita ut tabernaculum seu sanctuarium, in quo erat arca fœderis esset in medio, quem castrorum israeliticorum ordinem respiciens Bileam dicebat Num. XXIV. 5. 6. *Quam pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israel, sicut torrentes extenduntur, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ plantavit Dominus, quasi cedri prope aquas!* Quemadmodum igitur castra israelitica in de-

ferto certo ordine erant disposita: ita quoque in ecclesia militante certi sunt ordines ac status divinitus constituti, in *quorum medio*, perinde ut olim in castrorum israeliticorum meditullio, *Deus habitat.* Psal. XLVI. 6. Chrysostomus homil. V. in 1. Tim. p. 1546. Καθάπερ ἐπὶ τῶν στρατοπέδων ὁ πάντες εἰς ἓν εἶδος στρατεύονται, ἀλλ' ἐν διαφόροις τάγμασιν, οὕτω καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὁ μὲν εἰς διδασκάλου τάξιν, ὁ δὲ εἰς μαθητῆς, ὁ δὲ εἰς ἰδιώτου. *Quemadmodum in exercitu non omnes una figura, sed in distinctis ordinibus militant, sic etiam in ecclesia alius docentis, alius discipuli, alius idiotæ locum habet.* Quare cum de ecclesia in genere hactenus dictum fuerit, convenienti ordine succedit tractatus de statibus distinctis divinitus in ea institutis.

*Tres status in ecclesia.*

§. II. Tales status sive ordines in ecclesia a Deo instituti numerantur tres, videlicet *ecclesiasticus, politicus* & *œconomicus*, quos etiam *hierarchias* adpellare consueverunt. (*) Oeconomicus ordo inservit generis humani multiplicationi; politicus ejusdem defensioni; ecclesiasticus ad salutem æternam promotioni. Oeconomicus ordo oppositus est a Deo vagis libidinibus; politicus tyrannidi ac latrociniis; ecclesiasticus hæresibus ac doctrinæ corruptelis. In lingua germanica hi ordines vocantur; 1.) *Der Lehr-* 2.) *Nehr- und* 3.) *Wehrstand*, officia ipsorum comprehenduntur hoc versiculo:

*Tu supplex ora, tu protege, tuque labora,*

ad imitationem Anshelmi, qui in lib. de similitud. c. 126. inquit: *Tres sunt hominum ordines, videlicet orantes, agricultores & defensores.* (**) De *ecclesiastico* ordine primo loco agendum, tum propter dignitatem *objecti*, sive *materiæ circa quam*, quæ sunt animæ hominum, tum propter dignitatem *materiæ in qua*, quæ sunt mysteria divina, tum denique propter dignitatem *finis;* hujus enim ordinis institutio atque constitutio immediate animarum salutem, ac propagationem & incrementum ecclesiæ spectat, *politicus* vero & *œconomicus* ordo mediate duntaxat ac certo respectu: *politicus* ordo est ecclesiæ septum, vallum ac propugnaculum, *œconomicus* est ejusdem seminarium, ideo siquidem ac fine eo per ordinem politicum conservatur disciplina externa, administratur justitia, adferitur tranquillitas & εὐημερία, ut per ministerium verbi Deo ex genere humano colligi possit ecclesia. Cum enim per lapsum ac post lapsum genus humanum tam misere ac horribiliter

(*) Fuerunt tamen recentiori ætate, qui distinctionem hanc in tres ordines, *ecclesiasticum* nimirum, *politicum* & *œconomicum* non tantum improbarunt, sed & antichristianismum ac Babelismum redolere clamarunt. Fecit id post alios Christianvs Democritvs, seu, qui sub hoc nomine latere voluit, Jo. Conradvs Dippelivs, in peculiari libro, qui titulum fert. *Christen Stadt auf Erden, ohne gewönlichen Lehr- Wehr- und Nehrstand &c.* atque insertus est ejus *operib. p. 445. seqq.* Refutavit vero eundem Franc. Alb. Aepinvs in *maracologia fanatica cap. XV. p. 994. seqq.*

(**) Lutherus in cap. XIX. Gen. f. 234. *Instituit Deus tres ordines, quibus mandatum dedit, ne peccata sinant impune abire. Primus est* parentum, *qui domi suae disciplinam custodire debent in regenda familia & liberis. Secundus ordo est* politicus; *magistratus enim gladium gerit, ut contumaces & negligentes disciplinae vi cogat. Tertius est* ecclesiasticus, *qui verbo gubernat. Sic adversus diabolum, carnem & mundum munivit Deus genus humanum hac triplici autoritate in eum finem, ne scandala crescerent, sed praeciderentur. Parentes sunt ceu pædagogi, bos, qui adulti sunt & negligunt, coerces magistratus per carnificem. In ecclesia contumaces qui sunt, excommunicantur.* Sicut Noa arcam a se fabricatam in tristega, id est, in tres distinctas contignationes divisit, Gen. VI. 16. ut omnis generis animalia ad ipsum ingressa κατὰ τάξιν easdem occuparent: sic Deus ipse universam hominum societatem in tres vitæ ordines divisit. Potest huc adplicari typus arcæ fœderalis. In ea erat virga Aaronis, quæ denotat ordinem ecclesiasticum, tabulæ decalogi, quæ denotant ordinem politicum, quia magistratus est custos utriusque tabulæ, & urna cum manna, quod denotat ordinem œconomicum victui parando incumbentem. De tribus illis hierarchiis vide Lutherum tom. III. Jen. germ. f. 511. tom. V. f. 205. tom. VI. f. 128. tom. VII. f. 275. Gerhardvs.

ribiliter peccato sit corruptum, ut absque politico regimine omnia in eo sint confusa atque ἄτακτα, ideo propter ecclesiam etiam politias Deus instituit, quo respicit apostolus præcipiens, *obsecrationes fieri pro regibus & omnibus in sublimitate constitutis, ut quietam & tranquillam sub eis agamus vitam in omni pietate & modestia.* 1. Tim. II. 2. Ideo etiam ac fine eo per conjugium sive ordinem œconomicum generis humani propagationem, liberorum generationem & educationem Deus fieri voluit, ut ecclesiæ termini longius propagarentur, & ex seminario illo plantulæ paradisi, & arbores justitiæ, in cœleste viridarium transferrentur.

*Ministerii ecclesiastici* 1.) *Necessitas.*

§. III. Commendat vero nobis hanc doctrinæ cœlestis partem ministerii ecclesiastici 1.) necessitas, 2.) utilitas, 3.) dignitas. *Necessitas* dependet ex divina ordinatione. *Placuit enim Deo per stultam prædicationem salvos facere credentes*, 1. Cor. I. 21. cujus εὐδοκίας consequens est effecti illius summi & pretiosissimi, conversionis scilicet & salutis hominum a prædicatione evangelii ac proinde etiam a ministerio ecclesiastico dependentia & necessaria utriusque connexio. Rom. X. 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent in eum, de quo non audiverunt? aut quomodo audient sine prædicante?* Eph. IV. 11. *Christus ad dextram Dei collocatus dedit ecclesiæ quosdam quidem apostolos, quosdam prophetas, alios vero evangelistas*, v. 12. *ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* 1. Tim. IV. 16. *Hoc faciens te ipsum salvabis, & eos, qui te audiunt.* Unde etiam in Obadia v. 21. vocantur *servatores.* Hanc suam ordinationem atque institutionem adeo sancte & intemerate Filius Dei observavit, ut ne ipsum quidem Cornelium per angelum, qui cum ipso loquebatur, de via salutis erudire voluerit, sed ad ministerium ecclesiasticum, videlicet ad Petrum eum remiserit, a quo *audire debuit, quid ipsum facere oportuerit*; Act. X. 6. ac licet Paulum extraordinarie per cœlestem adparitionem converteret, (unde is negat se suum *ab homine* evangelium accepisse Gal. I. 12.) tamen in honorem ministerii ad Ananiam ipsum remisit, a quo itidem discere debeat, quid ipsum facere oporteat. Act. IX. 6. Augustinus in prolog. lib. I. de civ. Dei. *Cogitemus, ipsum apostolum Paulum licet divina & cœlesti voce prostratum & instructum, ad hominem tamen missum esse, ut sacramenta perciperet atque ecclesiæ copularetur.* Necessitas illa ministerii confirmatur etiam tristissimis exemplis Israelitarum & gentilium prædicatione verbi publica destitutorum. De Israelitis dicit Asarias propheta ad regem Asam: 2. Paral. XV. 3. *Transibunt dies multi in Israel absque Deo vero, absque sacerdote, absque doctore & absque lege.* De gentilibus nondum ad Christi regnum per evangelii prædicationem vocatis dicit apostolus: Eph. II. 12. *Eratis in illo tempore sine Christo, alienati a republica Israelis & hospites testamentorum promissionis, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.* Et quam tristis sequi soleat effectus sublato verbi ministerio, brevibus sed valde emphaticis verbis docet Salomo Prov. XXIX. 18. *Cum non fuerit visio* sive prophetia, hoc est, cessante publico verbi ministerio, וְפֹרֵעַ *rebellis erit populus.* פרע varias habet significationes, quæ pleræque omnes huic loco congruunt. Significat enim 1.) *denudare*, 2.) *rebellare*, 3.) *feriari*, 4.) *dissipare;* sublata autem verbi prædicatione populus denudatur vera & salutari Dei cognitione, rebellis & inobediens fit Deo creatori, feriatur ac cessat a studio bonorum operum, & *dissipatur instar ovium non habentium pastorem.* Marc. VI. 34. Quo pertinet etiam gradatio apostolica, Rom. X. 14. evidenter ostendens, sublato ministerio verbi tolli fidem, invocationem & salutem hominum, si nimirum ordinarium agendi modum respicere velimus. Notandum tamen, quod hæc necessitas non sit *absoluta*, posset enim Deus immediate & extraordinarie etiam absque verbi prædicatione

& absque ministerii ecclesiastici συνεργία homines convertere ac salvare; sed *hypothetica*, ex hypothesi divinæ εὐδοκίας institutionis atque ordinationis unice dependens.

§. IV. *Utilitas* Ministerii elucet ex præstantissimis illis effectis, quæ mediante ipsius opera a divina gratia ad nos descendunt, qualia sunt *hominum conversio a tenebris ad lucem & a potestate satanæ ad Deum*, Luc. I. 16. Act. XXVI. 18. *reconciliatio cum Deo*, 2. Cor. V. 20. *illuminatio spiritualis*, Matth. V. 14. *Spiritus sancti collatio*, Gal. III. 2. & *salvatio*. 1. Tim. IV. 16.

2.) *Utilitas.*

*Dignitas* ejusdem ex necessitate & utilitate conspicitur, ad quam accedit, quod Deus hunc ordinem non solum instituerit, sed etiam benigne hactenus conservarit contra satanæ & mundi furores, (*) quod tota sacrosancta Trinitas eo fuerit perfuncta officio, quod honor & contemtus ministerii ad ipsum Deum ordinis hujus autorem redundet, Matth. X. 40. Luc. X. 16. quod propheta *speciosos* adpellet *pedes evangelizantium, adnunciantium pacem*, Esaj. LII. 7. & ex illo Paulus, Rom. X. 15. quod Deus donorum necessariorum largitionem, successum in laboribus vocationis & peculiarem defensionem hujus ordinis hominibus promiserit. Luc. XXI. 15. 1. Cor. XV. 57. Esa. LI. 10. &c. Summatim, dignitas ministerii ubique elucet, sive respiciamus ad *causam efficientem*, Deum scilicet ordinis hujus autorem, sive ad *subjectum*, in quo occupatur, mysteria scilicet divina, sive ad *objectum*, circa quod versatur, animæ scilicet hominum, sive ad *effectus* divinos, hominum scilicet conversionem & salutem, sive ad *socios* hujus ordinis, Christum scilicet, patriarchas, prophetas, apostolos &c. sive ad honorifica *encomia*, huic ordini adtributa, quorum enumerationem paulo post subjungemus. Succedit igitur

3.) *Dignitas.*

## CAPVT I.

## DE ONOMATOLOGIA MINISTERII ECCLESIASTICI.

*Status ecclesiasticus vocatur in scriptura sacra* 1.) *ordo ecclesiasticus.*

§. V. Ad ὀνοματολογίαν & *ministerii* & *ministrorum* adpellationes pertinent. Illas nominare possis *abstractivas*, has vero *concretivas*. Ad abstractivas pertinent voces *ordinis*, διακονίας *ministerii*, λειτουργίας *custodiæ*, *militiæ*, ἐπισκοπῆς, οἰκονομίας, ἱερωσύνης, & ἱεραρχίας. 1.) *Ordinis* ecclesiastici adpellatio est ἄγραφος, nisi quis ex sacerdotii levitici descriptione, vel, quod verisimilius, ex 1. Cor. XII. 28. eam transumtam esse statuere velit. Admonet autem nos, 1.) de ministerii ecclesiastici autore sive causa efficiente, qui est Deus, de quo apostolus testatur, quod non sit ἀκαταστασίας sed *pacis & ordinis Deus*. 1. Cor. XIV. 33. Is enim, cum in aliis operibus suis omnibus, tum vel maxime in ecclesiæ collectione & propagatione omnia certo ordine peragit, ideo etiam instituit in ea certum personarum ordinem, ut quidam sint docentes, quidam vero auditores. 2.) De admi-

(*) (Lutherus tom. III. latin. in cap. XL. Esai. f. 386. *Praedicare verbum Dei nihil aliud est, quam derivare in se furorem totius inferni & satanae, deinde omnium sanctorum in mundo & omnem potentiam mundi. Est autem periculosissimum vitae genus tot dentibus satanae subjici.* Tom. IV. lat. f. 326. super XII. cap. Matth. *Similiter significat, ministros verbi versari in periculis tantis a diabolo, mundo, carne, ut egeant etiam divino auxilio, nec defendi possint, nisi solius Dei auxilio, postquam contra eos fremunt gentes, reges consurgunt, & quidquid est aliquid mundi, vexat legatos Dei. Ideo promittit se ipsum fore defensorem contra illos omnes. Et nisi hoc faceret & nos facturum sciremus, quis vellet subire docendi laborem & pericula? Quod enim Christo accidit, omnibus ministris accidet.* GERHARDVS.

administratione levitici sacerdotii in veteri testamento. Num. VII. 5. Moses jussu Domini donaria & oblationes principum israeliticorum tradit Levitis *juxta ordinem ministerii sui.* Hebr. אִישׁ כְּפִי עֲבֹדָתוֹ ad verb. *viro juxta os servitii sui*, id est, unicuique secundum opus & servitium suum, prout scilicet quisque ratione ministerii sui illis indiguit. 2. Reg. XII. 6. Accipiant sacerdotes pecuniam sanctuarii *juxta ordinem suum*, sed in Hebræo ibi aliter legitur, מֵאֵת מַכָּרוֹ *a noto suo*, id est ab Israel noscente ipsum, ita quoque vertit Lutherus. Osiander, *de pretio*, id est, de salario suo eam detrahent. 2. Reg. XXIII. 4. nominantur *sacerdotes secundi ordinis* Hebr. כֹּהֲנֵי הַמִּשְׁנֶה ad verb. *sacerdotes secundi*, qui inferioris erant gradus, quam primus sive summus sacerdos. Targum סִגַּן כָּהֲנַיָּא *præfecto sacerdotum*, qui constitutus erat sub sacerdote magno, ut ipsius loco ministraret, si quid labis ei accidisset. Eodem modo explicat Targum locum Jeremiæ LII. 24. *Et tulit magister militiæ Saraiam, sacerdotem primum, & Sophoniam, sacerdotem secundum* כֹּהֵן הַמִּשְׁנֶה, quod accipiendum sit de סִגַּן כֹּהֲנִים præfecto sacerdotum vicario ac subsidiario. 1. Par. XXIII. 6. commemoratur, quomodo David, propheta regius, circa vitæ suæ finem Levitas distribuerit per vices יְחַלְּקֵם מַחְלְקוֹת *partitus est eos in partitiones*, id est, in certos ordines eos distribuit & per sortem ministeria obeunda eis adsignavit, unde cum postea Salomon templum erigeret, primo dedicationis die illum ordinem sacerdotum non potuisse statim observari dicitur, 2. Par. V. 11. *nec adhuc in illo tempore vices & ministeriorum ordo inter eos divisus erat*, postea vero ille ordo sacerdotum & Levitarum exemplo patris Davidis a Salomone in templum fuit introductus. 1. Par. VIII. 14. *Constituit juxta dispositionem patris sui officia sacerdotum in ministeriis suis & Levitas in ordine suo* מִשְׁמְרוֹתָם *in custodiis suis*, id est, in functione sua, (divisi enim erant in XXIV. custodias, & singulis sabbatis permutabantur) *ut laudarent Dominum, & ministrarent coram sacerdotibus juxta ritum uniuscujusque diei. Et janitores in divisionibus suis per portam & portam, sic enim præceperat David, homo Dei.* Pari modo a Nehemia in templo secundo tales ordines sacerdotum ac Levitarum in obeundis ministeriis sunt constituti. Nehem. XIII. 30. *Statuerunt sacerdotes in ordinibus suis Hebr.* בְּפִלְגָתָהּן *divisionibus suis, & Levitas in partitionibus suis super opus Dei, quod in Jerusalem.* Esr. VI. 18. 3.) De distinctis gradibus personarum, quas Deus ministerio ecclesiastico præfecit. Quamvis enim quoad spiritualem potestatem ac jurisdictionem eadem omnium ministrorum sit conditio, tamen gradus & ordines distinctos inter ipsos esse divina voluit providentia, ut inferius pluribus demonstrabitur. 4.) De officio ministrorum ecclesiæ, quod in verbi prædicatione, sacramentorum administratione ac reliquis officii sui partibus omnia κατὰ τάξιν καὶ εὐχημόνως instituere debeant; 1. Cor. XIV. 40. nisi enim omnia debito ordine peragantur, ac singula suo tempore & loco habita diligenti circumstantiarum ratione curentur, sperandum non est, ut cum fructu quidquam in ecclesia paragatur.

§. VI. II.) Διακονίας sive *ministerii* adpellatio (*) in sacris literis ecclesiastico ordini sæpissime tribuitur. Est autem vox *διακονίας ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων.* 1.) In *genere* significat quodvis ministerium sive servitium alteri exhibitum. Luc X. 40. Martha *περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν.* Hebr. I. 14. Angeli mittuntur *εἰς διακονίαν.* Ac monent grammatici, *διακονίας* vocem originem ducere a *κόνις* vel *κονία*, quæ pulverem significat, ut *διακονεῖν* sit servire & laborare in pulvere, ad sudorem quasi pulvereum. 2.) In *specie* accipitur de ordine ecclesiastico. Sic Act. I. 17. de Juda proditore 2.) διακονία.

(*) Conferenda, quæ de hac voce adnotarunt Suicerus in *thesauro ecclesiast. tom. I. p. 801. seqq.* Ziegler in libro *de diaconis & diaconissis*, ipseque Gerhardus *infra §. XXX.*

ditore ad apostolatum vocato dicit Petrus: *Connumeratus erat nobis & accepit sortem* sive partem διακονίας ταύτης *ministerii hujus*; ac v. 25. orant discipuli, divinitus per sortem ostendi, uter exillis, quos in medium produxerant, accipere debeat *sortem ministerii illius & apostolatus*, quo Judas exciderat. Act. VI. 4. dicunt apostoli: *Nos orationi &* διακονίᾳ τῷ λόγῳ, *ministerio verbi, instabimus, & intenti erimus.* Act. XX. 24. *Dummodo consummem cursum meum cum gaudio & ministerium, quod accepi a Domino Jesu, testificari evangelium gratiæ Dei*; ubi & causam efficientem & materiam circa quam, sive objectum hujus διακονίας exprimit apostolus. Act. XXI. 19. narrat Paulus καθ' ἓν ἕκαστον, *quæ Deus fecisset in gentibus per ministerium ejus.* Rom. XI. 13. *Quamdiu sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo*; in Græco est tempus præsens διακονίαν μου δοξάζω, id est, ministerio meo prædicandi evangelium quam plurimos ex gentibus lucrifacere conor, id quod ministerio meo gloriosum est, cum qua explicatione consentit altera, extollam & celebrabo Dei misericordiam, quod ministerio meo gentiles quamplurimi ad fidem Christi pervenerint, quod enim hactenus egerat apostolus, id etiam porro acturus erat. XII. 7. *Si quis in ecclesia gerit ministerium, sedulus sit in illa* διακονίᾳ, ubi in genere de ministerio in ecclesia vel docendi, vel sacramenta administrandi, vel alia officia præstandi vox διακονίας accipi videtur. 1. Cor. XII. 5. Sunt διαιρέσεις διακονιῶν *divisiones ministeriorum*, ubi conjunguntur χαρίσματα, διακονίαι & ἐνεργήματα. Per χαρίσματα intelliguntur varia Spiritus sancti dona, quæ alias vocantur gratiæ gratis datæ; per διακονίας ministeria ad ædificationem ecclesiæ necessaria; per ἐνεργήματα opera miraculosa, in quibus virtus ac potentia Dei relucet. Χαρισμάτων appellatio monet, quod ex gratuita Dei donatione hominibus obveniant; διακονίας, quod in aliorum usum ac ministerium converti debeant; ἐνεργημάτων quod sint dona salutaria & efficacia. Quidam tamen statuunt, διακονίας & ἐνεργήματα accipienda esse ut duas species χαρισμάτων, sunt enim quædam χαρίσματα omnibus ecclesiæ ministris communia, quædam vero certis quibusdam personis propria, ad quæ pertinet donum ἐνεργημάτων sive miraculorum. XVI. 15. de Stephanæ domesticis dicitur, quod *se ipsos ordinarint* εἰς διακονίαν τοῖς ἁγίοις, ubi in genere quidem intelliguntur quævis ministeria sanctis in ecclesia præstanda, ad quæ operam suam promte atque ultro Stephanæ domestici obtulerant, qualia erant cura egenorum, ægrotorum, peregrinorum, exsulum &c. interim tamen cum in illis ministeriis præcipue emineat ministerium docendi, cumque ὑποταγὴν erga illos διακόνους v. seq. apostolus præcipiat, ideo haud incommode locus ille huc refertur. 2. Cor. III. 6. & seq. confert apostolus inter se ministerium veteris ac novi testamenti, sive quod idem est, *ministerium legis & evangelii*, illud vocat διακονίαν τοῦ γράμματος, τοῦ θανάτου καὶ τῆς κατακρίσεως, quia lex hæret in literis, multa quidem præcipit, sed non confert Spiritum sanctum, per quem vires ea præstandi obtineantur, peccatum manifestat, adcusat, damnat, & spiritualiter hominem occidit; hoc vero adpellat διακονίαν τοῦ πνεύματος καὶ τῆς δικαιοσύνης, quia per evangelium datur Spiritus sanctus corda vivificans & lætificans, Gal. III. 2. per evangelium offeruntur beneficia Christi, & in his præcipue justitia coram Deo valens. Eodem omnino sensu ministerium evangelii in novo testamento vocatur διακονία τῆς καταλλαγῆς, 2. Cor. V. 18. quia prædicat λόγον καταλλαγῆς, v. 19. testatur Deum in Christo nos sibi reconciliasse, ac vera fide hujus summi beneficii adplicationem fieri. 2. Cor. VI. 3. *Nemini dantes ullam offensionem*, sive scandali materiam, *ne vituperetur ἡ διακονία, ministerium nostrum*, nimirum offendicula ministrorum parum pie viventium occasionem exhibent adversariis, ut de ministerio evangelii pessime sentiant & loquantur. 2 Cor. XI. 8. *Alias ecclesias exspoliavi accipiens stipendium* πρὸς τὴν ὑμῶν διακονίαν, uti scilicet sine vestro sumtu evangelium vobi-

præ-

prædicarem, ita enim exponitur v. 7. Col. IV. 17. *Dicite Archippo, vide ministerium, (την διακονίαν) quod accepisti in Domino, ut illud impleas*, id est, ut partibus muneris ecclesiastici divinitus tibi commissi undiquaque satisfacias, & fidelem operam ecclesiæ præstes. Hæc admonitio & auribus & cordibus ministrorum verbi quotidie insonare debet. 1. Tim. I. 12. *Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit ponens εἰς διακονίαν in ministerio* vel ad ministerium, id est, quia curæ ac fidei meæ ecclesiasticum ministerium commisit. Quos Christus ἡγήσατο πιστὺς θέμενος αὐτὺς εἰς διακονίαν, illi etiam sese exhibeant πιστὺς ἐργάτας καὶ διακόνους, 1. Cor. IV. 2. Eph. VI. 21. &c. 2. Tim. IV. 5. *Opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple*, την διακονίαν σκ πληροφόρησον, plena animi fiducia & spiritu intrepido partes officii tui perfice; qui mundi odia nimium pertimescunt, in ecclesiastico ministerio non poterunt cum fructu versari, requiritur igitur παῤῥησία ac πληροφορία, per quam pericula, odia & quævis adversa contemnantur. Ibidem v. 11. *Marcus est mihi utilis ad ministerium.* Posset quidem accipi de privatis ministeriis Paulo in carcere præstandis, sed commodius accipitur de ministerio ecclesiastico, ad quod Marci opera Paulus uti voluit, majorem enim ecclesiæ, quam sui ipsius curam habebat apostolus. Quod si hic est Marcus ille, cujus mentio fit, Act. XII. 25. XV. 37. quem Paulus nolebat sibi & Barnabæ comitem itineris adjungere, propterea quod in Pamphilia periculorum metu fortassis territus ab ipsis discessisset, ac languidius in evangelii propagatione egisset, monemur fieri posse, ut qui primum in ministerio ecclesiastico sunt remissi ac languidi, postmodum majori studio ac zelo illud promoveant. Apoc. II. 19. *Angelo*, sive ministro *ecclesiæ Thyatirensis*, scribit Dei Filius: *Novi opera tua & caritatem & ministerium & fidem & patientiam tuam &c.* hæc omnia in ministerio ecclesiastico rite peragendo requiruntur, ἔργα scilicet non ἀεργία vel περιεργία, ἀγάπη, ut ex sincero Dei & auditorum amore omnia proficiscantur; πίστις, ut debita fidelitate partes gravissimi illius muneris administrentur; ὑπομονή, ut in periculis & adversis magna animi constantia perduretur. In scriptoribus ecclesiasticis vocabulo διακονίας quædam addi solent, quibus ad præsentem, de qua agimus, significationem restringitur. Vocatur enim *ministerium evangelii*, ratione materiæ sive objecti, quod tractat: *ministerium ecclesiasticum*, quia præcipuæ muneris hujus partes in ecclesia, id est, in congregatione fidelium peraguntur, atque ut a politico ordine hac denominatione discernatur. 3.) *Specialissime* vox διακονίας accipitur de certa ac determinata quadam ministerii ecclesiastici parte, puta de distributione βιωτικῶν ac necessariorum inter sanctos in communione. Act. VI. 1. *Græci murmurant adversus Judæos, quod despicerentur ipsorum viduæ* ἐν τῇ διακονίᾳ τῇ καθημερινῇ *in quotidiana illa distributione* necessariorum ex bonis communibus. Item de distributione collectarum sanctis egentibus transmissarum. Act. XI. 29. christiani Antiocheni decernunt pro ratione suarum facultatum mittere εἰς διακονίαν *in ministerium*, sive subsidium, summam aliquam pecuniæ habitantibus in Judæa fratribus, per manum Pauli ac Barnabæ, quo pertinet locus Rom. XV. 31. ut διακονία *ministerium meum fiat acceptabile sanctis in Jerusalem.* Quidam generaliter accipiunt de ministerio docendi, cum v. 16. dicat apostolus, se esse λειτουργὸν *Christi in gentibus* ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος, quo respiciens vulgatus interpres vertit, ut *obsequii mei oblatio accepta fiat sanctis in Jerusalem*, sed ex nexu v. 25. & 26. manifestum est, διακονίαν hoc loco accipi de collectarum distributione. Eodem sensu accipitur Act. XII. 25. 2. Cor. VIII. 4. ubi appellatur κοινωνία τῆς διακονίας εἰς τοὺς ἁγίους, IX. 1. 12. 13. ubi διακονία τῆς λειτουργίας vocatur.

§. VII.

*Causae, propter quas hic status vocetur διακονία, ministerium. 1.) Respectu doctorum.*

§. VII. Admonet autem διακονίας adpellatio ordini ecclesiastico adtributa de multis necessariis & utilibus rebus tum ipsos ministros ecclesiæ, tum ipsorum auditores. *Ministros* quidem 1.) ut agnoscant officium suum non esse regimen politicum, ἀρχὴν δεσποτικὴν, sed ministerium ecclesiasticum, ἐπιμέλειαν καὶ διακονίαν. Opponenda igitur hæc adpellatio fastui Romani pontificis & episcoporum pontificiorum, qui prætextu muneris ecclesiastici dominatum sibi arrogant, ac potestatem ferendi leges in conscientia obligantes, & pro arbitrio in fidei dogmatibus decidendi sibi tribuunt. Sane magistratus politici itidem adpellantur διάκονοι θεῦ, Rom. XIII. 4. cum & ipsi in munere suo administrando Deo serviant, quæ ipsorum διακονία respectu *Dei* ipsis adtributa non excludit δεσποτικὴν αὐτῶν κυριότητα respectu *subditorum*, unde ibidem v. 1. vocantur ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι, quibus *omnis anima* debeat esse subdita. Sed ecclesiæ pastoribus non solum respectu Dei, verum etiam auditorum sive gregis tribuitur διακονία, unde non solum vocantur διάκονοι τῦ θεῦ, 2. Cor. VI. 4. 1. Thess. III. 2. διάκονοι τῦ χριςῦ, 2. Cor. XI. 23. Col. I. 7. 1. Tim. IV. 6. διάκονοι τῆς καινῆς διαθήκης, 2. Cor. III. 6. διάκονοι τῦ εὐαγγελίυ, Eph. III. 7. Col. I. 23. sed etiam διάκονοι τῆς ἐκκλησίας, Col. I. 25. διάκονοι δι' ὧν, *per quos* & quorum opera ad fidem per evangelii prædicationem homines adducuntur, 1. Cor. III. 5. de quibus ibidem v. 21. apostolus subjungit: *Omnia vestra sunt*, v. 22. *sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura, omnia vestra sunt;* v. 23. *vos autem Christi, Christus autem Dei*, ubi totus ecclesiæ cœtus ministris verbi præponitur. 2. Cor. IV. 5. *Non prædicamus nos ipsos, sed Jesum Christum Dominum, nos autem servos vestros per Christum.* Atque ex hoc fonte profluit gravissima Christi admonitio oppositа apostolis dominatum quemdam politicum adfectantibus: Matth. XX. 25. Marc. X. 42. Luc. XXII. 25. *Principes gentium dominantur, & majores potestatem in eis exercent, sed non ita erit inter vos, verum quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.* Quo etiam pertinent illa apostolica: 2. Cor. I. 24. *non dominamur fidei vestræ;* 1. Pet. V. 3. μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων &c. 2.) Ut in officii sui partibus omnibus ac singulis debitam fidelitatem & diligentiam adhibeant, cum audiant se esse legatos alterius, servos summi illius monarchæ, atque œconomos cœlestis patrisfamilias, cui olim rationem suæ administrationis sint reddituri. Ac, velut de sacerdotibus & Levitis debitas officii sui partes in tabernaculo ac templo peragentibus phrasi vet. test. dicitur, quod *stent in conspectu Domini, sive coram Domino, in ministerium*, Deut. X. 8. propter peculiarem Dei præsentiam circa arcam fœderis: ita quoque ecclesiæ ministri tanquam coram Domino, cujus vicem agunt, omnia officii sui munia perficiant. Huc referendum est dictum apostoli: 1. Cor. IV. 1. *Sic nos æstimet homo ut ministros Christi & œconomos mysteriorum Dei;* 2. *quod superest autem, hoc requiritur in dispensatoribus, ut fidelis aliquis inveniatur.* Itemque parabolæ Christi: Matth. XXIV. 45. *Quis putas est fidelis & prudens servus, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore* &c. XXV. 14. *Sicut homo peregre proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua* &c. Luc. XII. 42. *Quis, putas, est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus in tempore super familiam suam* &c. *Auditores* hæc adpellatio monet, 1.) ut debitum honorem ac reverentiam pastoribus suis, tanquam Dei legatis ac ministris, exhibeant, inde, cum de Stephanæ domesticis apostolus dixisset 1. Cor. XVI. 15. quod se *ordinaverint ad ministerium*; subjungit v. 16. ἵνα καὶ ὑμεῖς ὑποτάσσησθε τοῖς τοιούτοις, καὶ παντὶ τῷ συνεργοῦντι καὶ κοπιῶντι. Sunt quidem pastores, Dei & ecclesiæ ministri, interim

*2.) respectu auditorum.*

interim tamen non sunt habendi pro vilissimis mancipiis, sed pro talibus ministris, quibus honor, reverentia & obedientia ex ipsius Dei præscripto debeatur. 1. Tim. V. 17. Tit. II. 15. Hebr. XIII. 17. &c. 2.) Ut filiali amore ac sincera benevolentia ipsos complectantur, cum audiant, non cogi se sub jugum servitutis civilis, sed vocari ad κοινωνίαν spiritualis libertatis ab illis, qui non cupiant ipsis δεσποτικῶς nedum τυραννικῶς imperare, sed πατρικῶς, paterna benevolentia eos complecti atque tractare, inde est, quod apostoli suos auditores passim vocant *filios*, 1. Cor. IV. 14. 2. Cor. VI. 13. 1. Joh. II. 1. 18. &c. se vero ipsorum *patres*. 1. Cor. IV. 15. Gal. IV. 19.

§. VIII. III.) Λειτουργίας vocabulum (*) itidem accipitur 1.) in *genere* pro quovis ministerio. Phil. II. 30. *Epaphroditus implevit* τὸ ὑμῶν ὑστέρημα τῆς πρὸς με λειτουργίας, operam & subsidium vestras vices sustinendo mihi præstitit, ubi vox λειτουργίας privata humanitatis ac beneficentiæ officia notat. LXX. interpretes usurpant pro עֲבֹדָה *servitus*, *servitium*, פְּעֻלָּה *opus*, *operatio*, Ezech. XXIX. 20. ac generaliter pro quovis ministerio 1. Reg. I. 4. & 15. 2. Par. XVII. 19. Dan. VII. 10. Eodem modo accipitur apud Aristotelem II. œconom. & apud Lucianum. 2.) In *specie* ac proprie significat ministerium publicum, munus publicum, est enim λειτουργία *quasi* λητουργία. Suidas in Lexico. λειτουργία κυρίως ἡ δημοσία ὑπηρεσία *a voce* λητὸν, quod publicum significat, & ἔργον, quod est munus seu opus. Ad hanc classem pertinent variæ significationes. 1.) In veteri testamento a LXX. interpretibus usitatissime accipitur pro *ministerii Levitici administratione*, quod magna ex parte in offerendis sacrificiis erat positum. Exod. XXXVIII. 21. Num. IV. 25. & seqq. VIII. 22. &c. Eodem modo accipitur Luc. I. 23. *Cum impleti essent dies* τῆς λειτουργίας, *officii sacerdotalis in templo* per vices sustinendi. Hebr. IX. 21. vocantur *vasa* τῆς λειτουργίας, quibus Levitici sacerdotes in obeundis muneris sui partibus utebantur. Hebr. X. 11. *Omnis sacerdos præsto est quotidie ministrans*, λειτουργῶν, *& easdem sæpe offerens hostias*. 2.) In novo testamento accipitur pro *sacerdotio Christi*, cujus typus fuit tota illa Levitica λειτουργία. Hebr. VIII. 6. *Nunc autem melius sortitus est ministerium*, διαφορωτέρας τέτευχε λειτουργίας, *quanto & melioris testamenti mediator est*. 3.) Pro *ministerio ecclesiastico* seu functione muneris publici in ecclesia. Phil. II. 17. *Etsi immolor super sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo,* ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν, *ubi* θυσίαν καὶ λειτουργίαν πίστεως vocat prædicationem evangelii, qua Philippenses ad fidei obedientiam perduxerat, perinde ut Rom. XV. 16. dicit se esse λειτουργὸν Χριστοῦ ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος. Respicit vero ad officium Levitarum in veteri testamento, quod λειτουργίας adpellatione ubique fere a LXX. interpretibus exprimitur, illud occupatum erat circa victimas corporales, sed per ministerium evangelii in novo testamento offeruntur Deo hostiæ spirituales. Act. XIII. 2. λειτουργούντων αὐτῶν τῷ κυρίῳ *ministrantibus illis Domino*, in publico scilicet ecclesiæ cœtu. Hæc significatio non solum scriptoribus ecclesiasticis, Dionysio scilicet de divinis nominibus, Theodoreto in historia ecclesiastica & aliis, sed etiam profanis usitata est, unde apud Plutarchum, est λειτουργὸς θεῶ, cui sacrorum & cultus divini cura commissa est. 4.) Pro *parte quadam ad ministerium ecclesiasticum in primitiva ecclesia spectante*, videlicet distributione collectarum inter sanctos egentes, adeoque pro beneficentia erga pauperes. Rom. XV. 27. *Si spiritualia ipsorum communicata sunt gentibus, debent in carnalibus* λειτουργῆσαι, *ministrare illis*, id est contributione pecuniaria Judæo-

3.) λειτουργία.

(*) De variis hujus vocabuli significationibus vid. Suicerum *loc. cit. tom. I. p. 220.*

Judæorum credentium inopiam sublevare, qui rapinam bonorum suorum fuerant passi. 2. Cor. IX. 12. ἡ διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης, *ministerium officii hujus supplet ea, quæ desunt sanctis.* 5.) Pro *administratione muneris politici.* Apud Polybium de ministeriis seu muneribus castrensibus usurpatur. Apud Xenophontem τῇ πόλει λειτουργεῖν est publicum munus in civitate gerere. Pollux ex Dinarcho vocat ἀσίαν ἀλειτούργητον, bona libera onere isto publicorum munerum, quæ est immunitas. Lysias in orat. pro pecuniis Aristophanis: Πεντήκοντα ἔτη ἐστὶν, ὅσα ὁ πατὴρ αὐτὸς χρήμασι καὶ σώματι πόλει ἐλειτούργει. *Quinquaginta anni sunt, quibus pater ipse tam pecuniis quam corpore in civitate muneribus publicis functus est.* Aristoteles lib. II. polit. vocat κοινὰς λειτουργίας. & lib. V polit. cap. 8. λειτουργεῖν τὰς διαπανηρὰς λειτουργίας. Huc pertinet, quod magistratus dicuntur λειτουργοὶ θεῶν. Rom. XIII. 6. 6.) *Pro administratione cœnæ dominicæ*, quæ est ministerii ecclesiastici in novo testamento pars non postrema. Hæc significatio scriptoribus ecclesiasticis usitata est, unde *liturgia* Jacobi, *liturgia* Chrysostomi, *liturgia* Basilii *&c.* sed in sacris literis nusquam occurrit, nisi quis forte huc referre velit locum Act. XIII. 2. λειτουργούντων αὐτῶν τῷ κυρίῳ, sed rectius generaliter intelligitur de omnibus officii ecclesiastici partibus: cum occupati essent Barnabas, & ipsius σύνεργοι in ministerio publico, puta docendo, orando, baptizando, cœnam administrando &c.

*An ex voce λειτουργίας missaticum sacrificium probari possit?*

§. IX. Pontificii ex voce λειτουργίας sacrificio suo missatico robur quærunt; existimant enim λειτουργεῖν de ministris ecclesiæ in scripturis usurpatum inferre, quod sint tales sacerdotes, qui externum aliquod sacrificium proprie sic dictum Deo offerant. Bellarminus lib. I. de missa cap. XIII. *Septimum argumentum pro missæ sacrificio stabiliendo sumitur ex* Act. XIII. 2. Ministrantibus illis Domino & jejunantibus, dixit Spiritus sanctus &c. *Ministerium enim illud Domino exhibitum non videtur aliud esse potuisse, quam sacrificium & sacrificium missæ, quod probatur* 1.) *ex voce græca* λειτουργούντων. *Nam imprimis etiam adversarii confitentur, & potissimum apologia Augustanæ confessionis in articulo de missa, vocem illam* λειτουργέω *non significare quodcunque ministerium, sed publicum. Itaque hoc loco non significat aliquid privatum & internum, sed publicum & proinde externum. Neque significare potest ministerium verbi & sacramentorum, quia ista publica quidem sunt, sed non exhibentur Deo. Non enim concionamur Deo, neque sacramenta dispensamus Deo, sed populo, hic autem dicitur:* Ministrantibus illis Domino. *Dices, qui concionantur aut sacramenta populo præbent, Domino ministrare dici possunt, quia ad ejus honorem id faciunt. At si ista esset causa, cur Lucas scripserit:* Ministrantibus illis Domino? *non addidisset:* & jejunantibus, *nam etiam jejunare est eo modo Domino ministrare. Qui enim bene jejunant, ad honorem Dei jejunant, juxta illud* Rom. XIV. 6. Qui manducat, Domino manducat: qui non manducat, Domino non manducat. *Præterea verbum illud* λειτουργέω *licet possit adcommodari ad sacra & profana ministeria, tamen cum adcommodatur ad sacra, & absolute ponitur in scripturis, ubique accipitur pro ministerio sacrificii, ut patet ex* Luc. I. & Hebr. II. VIII. IX. & X. *Quare hoc loco Erasmus vertere ausus est: Sacrificantibus illis Domino, & hinc etiam factum, ut Græci missæ celebrationem* λειτουργίαν *adpellarent.* Conjunge Salmeronem tom. XII. tractat. 36. pag. 237. Resp. 1.) Ostendimus superius, λειτουργεῖν significare in genere quodvis ministerium obire. 2.) Sed libenter concedimus, Act. XIII. pro publico ministerio accipi. 3. Damus insuper, pro ministerio ecclesiastico ibidem usurpari. 4.) Concedamus etiam pro administratione sacræ cœnæ vocem λειτουργίας ibi accipi; ex eo tamen nondum inferri potest, sacrificium missaticum ab apostolis ibidem fuisse celebratum.

a.) Λει-

a.) Λειτουργίας enim vox in genere significat publicum ministerium, ergo ex ea non potest inferri sacrificium missaticum in specie, cum a genere ad speciem affirmate mala fiat illatio. Rom. XIII. 6. politici *magistratus* vocantur λειτουργοὶ τοῦ θεοῦ, num igitur statuemus, illos quoque esse missifices? Hebr. I. 13. *angeli* vocantur λειτουργικὰ πνεύματα, num igitur statuemus, illos etiam in cœlis missas celebrare & cantillare? Versio vulgata hoc loco reddidit *ministrantibus*, non autem sacrificantibus. Jam vero a vulgata versione prohibetur Bellarminus discedere Tridentini concilii fulmine. b.) Missatici sacrificii celebratio ad ministerium novi testamenti non pertinet, ubicunque enim officia ministrorum ecclesiæ novi testamenti describuntur, nullibi cujusdam externi sacrificii missatici celebratio ad ea refertur, proinde ex voce λειτουργίας missa erui nulla arte poterit. c.) Qualis λειτουργία ministris ecclesiæ novi testamenti tribuatur: manifeste constat ex Rom. XV. 16. *data est mihi a Deo gratia* εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ χριστοῦ, *ut sim minister Jesu Christi in gentibus sacrificans evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta sanctificata in Spiritu sancto;* ubi ministerium novi testamenti non in externi cujusdam sacrificii oblatione, sed in evangelii prædicatione constituitur, ac respectus habetur ad vaticinium propheticum Mal. I. 10. & 11. d.) Qualis λειτουργία Act. XIII. describatur, colligitur ex v. 1. illius capitis, ubi λειτουργοῦντες illi non adpellantur missifices, sacerdotes aut sacrificuli, sed *prophetæ & doctores*, quorum officium præcipue in docendo & prædicando consistit. e.) Inde plerique interpretes λειτουργίαν illam de prædicatione verbi exponunt. Chrysostomus homil. XXVII. in Act. vocem λειτουργούντων exponit κηρυττόντων αὐτῶν. Oecumenius in comment. illius loci: Τί ἐστι λειτουργούντων; τουτ' ἔστι κηρυττόντων. Cajetanus in comm. *Non explicatur species ministerii, sed ex eo, quod dixerat:* prophetæ & doctores, *insinuatur, quod ministrabant Domino docendo & prophetando.* Erasmus in adnot. hujus loci; *Ministrantibus, quod proprium est operantium sacris. Nullam autem sacrificium Deo gratius, quam impartiri doctrinam evangelicam.* Quod si ergo Bellarminus Erasmum legit in versione, debuisset eundem etiam legere in versionis suæ explicatione. f.) Libenter damus, præter docendi partes etiam sacramentorum administrationem adeoque totum divini cultus exercitium publicum in ecclesia voce λειτουργούντων describi, ut sit sensus: Cum occupati essent in ministerio ecclesiastico scripturam interpretando, docendo, orando, baptizando, cœnam administrando &c. unde Syriaca & arabica translatio vertunt: *Orantibus.* Lyranus in comm. *Ministrantibus, scilicet in operibus bonis secundum suos gradus & officia.* Dionysius Carthusianus in comm. *Ministrantibus in actibus virtuosis, in observantiis præceptorum & consiliorum, in conversione aliorum.* Salmeron invehitur in quosdam, qui de publicis precibus hunc locum exponunt. Sed ex eo nondum stabiliri potest sacrificium missaticum; probandum enim prius foret ex aliis scripturæ dictis, ad partes ministerii ecclesiastici missatici sacrificii celebrationem etiam pertinere. g.) Non in *singulari*, sed in *plurali* dicitur λειτουργούντων αὐτῶν, quod si ergo vocabulum λειτουργίας missaticum sacrificium notaret, consequens foret, illos omnes, qui v. 1. enumerantur, celebrasse missam. h.) Consequens etiam foret, privatas missas non esse conformes missæ apostolorum, quippe quæ fuerit λειτουργία, hoc est, juxta Bellarmini interpretationem, publicum aliquod in ecclesia ministerium, non autem privata canonis missatici demurmuratio. i.) Bellarminus ipse structuram sui argumenti penitus evertit, quando lib. I. de missa cap. XV. §. *de loco:* sic scribit: *Verba Lucæ* Act. XIII. *sunt generalia, neque explicate continent certum aliquod ministerium, non enim dixit Lucas, offerentibus illis Domino sacrificium corporis Christi; sed in genere, ministrantibus illis Domino.* Hæc ibi totidem verbis Bellarminus.

*Bellarmini instantiæ.*

§. X. Nec ullum robur obtinent ἐνστάσεις Bellarminianæ. I.) Quod enim probare conatur, λειτουργίαν hoc loco significare *publicum & externum ministerium*, libenter ei damus, sed ex eo nondum inferri potest sacrificium missaticum, ut ostendimus. II.) Quod negat, *verbi & sacramentorum ministerium voce* λειτουργίας *hic accipi posse, cum illud non præstetur Deo, sed populo*, ad illud ipsiusmet Bellarmini verbis respondemus: sic enim scribit lib. I. de missa cap. 15. §. de loco: *Non inepte potest, qui concionatur, dici Domino ministrare, & eodem modo potest, qui eucharistiæ vel baptismi sacramentum dispensat, dici ministrare Domino.* Si quid roboris inesset huic argutiæ Bellarminianæ: *Non concionamur Deo, neque sacramenta dispensamus Deo, sed populo. Ergo per* τὸ λειτουργεῖν θεῷ *non potest intelligi verbi prædicatio & sacramentorum administratio*; consequens foret, linguam apostoli corrigendam esse, quando Rom. XIII. 6. magistratus vocat λειτουργοὺς τοῦ θεοῦ, illi enim itidem justitiam administrant non Deo, sed populo. Atqui invertimus argumentum: Quemadmodum magistratus politici recte dicuntur λειτουργοὶ θεοῦ, ac Deo in officii sui administratione λειτουργεῖν, licet subditis suis, non autem Deo, præmia & pœnas distribuant, & justitiam administrent, nimirum quia *non hominis, sed Dei judicium exercent*, teste Josaphato: 2. Par. XIX. 6. quia *a Domino ipsis potestas est data, cujus ministri sunt in regnorum gubernatione*, Sap. VI. 4. & 5. & quia *Dei ministri sunt ad bonum;* Rom. XIII. 4. ita quoque ecclesiæ ministri recte dicuntur λειτουργοὶ θεοῦ, & Deo in officii sui administratione λειτουργεῖν, licet non Deo, sed hominibus verbum prædicent & sacramenta dispensent, nimirum quia *legatione funguntur Dei nomine*, 2. Cor. V. 20. & quidquid in officio suo juxta præscriptum verbi agunt, id Deo agunt, id est, ut ipsius mandatum impleatur, ut honor debitus illi præstetur, ut ecclesia ex genere humano ipsi colligatur, a qua glorificetur ac celebretur. 2. Cor. V. 13. εἰ ἐξέστημεν, θεῷ· id est, zelo nostro inservimus Deo, de cujus gloria agitur, & cujus ministri sumus. Rom. XIV. 6. *Qui manducat, Domino manducat*, id est, qui discrimen ciborum in lege Mosaica præscriptum non amplius observat, sed absque discrimine ciborum Levitico manducat, facit hoc in honorem Domini, qui credentes in nov. test. a legibus ceremonialibus Mosaicis liberavit, quod ipse certa scientia novit. *Qui non manducat, Domino non manducat;* id est, qui discrimen illud ciborum in lege Mosaica præscriptum adhuc observat, facit in honorem Domini, qui discrimen illud præcepit, quod abrogatum esse adhuc ignorat. III.) Quod jejunium huic liturgiæ additur, nondum probat sacrificii missatici celebrationem, jejunium enim illud partibus ministerii ecclesiastici publice obitis fuit additum, ut majore zelo ac spiritus devotione omnia peragerentur. Et cum Bellarminus ipse concedat, *eum, qui bene jejunat in honorem Domini, recte dici posse Domino jejunare*; cur negat, vocem τῷ θεῷ hic additam tum ad λειτουργούντων tum ad νηστευόντων commode referri posse? cur negat ministros ecclesiæ in prædicatione evangelii & administratione sacramentorum dici posse λειτουργεῖν τῷ θεῷ, cum partes illas sui officii non minus ad honorem Dei dirigant? IV.) Quod Bellarminus adserit, *verbum* λειτουργέω, *quando ad sacra adcommodatur & absolute in scripturis ponitur, ubique accipi pro ministerio sacrificii;* id si accipiatur sensu Bellarminiano pro ministerio sacrificii externi proprie sic dicti, generaliter verum non est: λειτουργία enim vocatur *prædicatio evangelii* inter gentes, cum nullo externo sacrificio proprie sic dicto conjuncta, Rom. XV. 16. λειτουργία etiam vocatur *eleemosynarum distributio*, cum nullo sacrificio externo proprie sic dicto conjuncta, 2. Cor. IX. 12. Rom. XV. 27. &c. Sane quoties vel de Leviticis sacerdotibus, qui corporales hostias in vet. test. Deo obtulerunt, vel de Christo, qui se ipsum victimam Deo in ara crucis obtulit, λειτουργίας vox usurpatur, quod

quod fit in locis a Bellarmino adlegatis, concedimus sacrificii externi proprie sic dicti oblationem simul notari; (quamvis non solam, cum etiam aliæ partes ministerii Levitici & officii a Christo peracti connotentur) sed ex eo inferri nequit, quando vox λειτουργίας de ministris ecclesiæ nov. test. usurpatur, tunc itidem sacrificii externi proprie sic dicti oblationem per eam significari: sed contrarium potius inferendum est, Christus enim *unica oblatione* sui corporis in cruce peracta finem imposuit sacrificiis Leviticis, nec ministros ecclesiæ novi test. constituit missifices, qui externum aliquod sacrificium proprie sic dictum offerre debeant, sed evangelii præcones & sacramentorum dispensatores, ut alibi plenius docetur. V.) Quod pii veteres sacram eucharistiam vocant liturgiam, illud itidem missatico sacrificio nihil quidquam patrocinatur; fit enim illud cumprimis hoc nomine, quia eucharistiæ administratio est λειτουργίας sive publici illius muneris, quod ministris ecclesiæ commissum, pars non postrema; deinde quia cum administratione eucharistiæ in primitiva ecclesia conjuncta fuit eleemosynarum collatio ac distributio, quæ cum in scripturis sacris λειτουργία adpelletur, inde factum, ut ad ipsam quoque eucharistiæ administrationem vocabulum illud fuerit translatum: denique quia spiritualia sacrificia nov. test. videlicet preces, gratiarum actiones, totius hominis consecratio &c. vocantur λειτουργίαι, quippe quæ respondent Leviticæ liturgiæ in externis & corporalibus sacrificiis positæ, ideo etiam λειτουργίας vox ad eucharistiæ administrationem fuit translata, quippe in qua solennes preces, gratiarum actiones, totius hominis consecratio, & sacrificii in cruce a Christo peracti commemoratio fieri soleat atque etiam debeat. Interim tamen liturgiam generaliter pro cultus divini in ecclesia exercitio acceptam a sacrificii oblatione, hoc est, eucharistiæ administratione distinxerunt. Ignatius Martyr. in epist. ad Smyrnenses, ubi hortatur ecclesiam illam, ut sibi caveat a conventiculis clandestinis seductorum, inter cætera sic scribit: *Non licet sine episcopo, neque* offerre, neque *sacrificium immolare, neque* λειτουργεῖν. Falsum igitur est, quod Bellarminus scribit, λειτουργεῖν quando ad sacra adcommodatur & absolute ponitur, ubique accipi pro ministerio sacrificii.

§. XI. IV.) Ministerium Levitarum vocatur מִשְׁמֶרֶת *custodia* Levit. VIII. 35. Num. I. 53. III. 32. &c. quia custodes sacrorum constituti erant, unde jubentur *observare custodias Domini*, id est, debitam in officio suo adhibere vigilantiam. 1. Par. IX. 27. ipsi & filii ipsorum super portis domus Domini per מִשְׁמָרוֹת *custodias*. Sacerdotes a Davide in viginti quatuor custodias erant divisi, & singulis sabbatis permutabantur. V.) צָבָא cultus, ministerium, proprie *militia*, Num. VIII. 24. *& omnem ingredientem* לִצְבֹא צָבָא *ad militandum militiam*, id est, ad serviendum servitium in tabernaculo. LXX. interpretes reddunt per λειτουργεῖν, ad Dei enim cultum conveniebant magna multitudine tanquam exercitus aliquis; officium ut omnium piorum, ita cumprimis ecclesiæ ministrorum est spiritualis quædam militia adversus Dei hostes. 2. Cor. X. 3. 1. Tim. I. 18. VI.) Ἐπισκοπὴ, *episcopatus*, inspectio. Act. I. 20. 1. Tim. III. 1. VII.) Οἰκονομία, *dispensatio*, familiæ domus Dei administratio. 1. Cor. IX. 17. Eph. III. 2. Col. I. 25. de quibus adpellationibus dicetur inferius §. XXIII.

4.) *Custodia.*

5.) *Militia.*

6.) *Inspectio*

7.) *Oeconomia.*

§. XII. In veteribus scriptoribus vocatur I.) ἱερουργία, adpellatione transumta ex Rom. XV. 16. ubi apostolus dicit, se esse λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ. Bellarminus lib. I. de missa cap. XV. §. *adde ultimo*, recte fatetur vocem ἱερουργίας esse *ambiguam ac generalem, quæ quamvis sacram actionem significet.* Est enim ἱερουργεῖν in *genere* sacris operari, sacra peragere. Plutarchus

*In scriptoribus ecclesiasticis.* I.) ἱερουργία.

in Alexandro. Philo de vita Moſis lib. I. In *ſpecie* ſignificat ſacrificia offerre, quippe quæ cultus ſacri non ſolum in miniſterio Levitico vet. teſt. ſed etiam apud gentiles ex *κακοζηλίᾳ* populi Iſraelitici fuerunt pars facile primaria, inde *ἱερατεία*, adfinis *ἱερεργίας* adpellationi, a LXX. interpretibus ponitur pro ſacerdotio, Oſe. III. 4. pro כְּהֻנָּה functione & adminiſtratione ſacerdotii, Exod. XXIX. 9. XXXV. 18. Num. III. 10. &c. ac *λειτουργεῖν καὶ ἱερατεύειν* conjungunt; Eccl. XLV. 25. inde facile adparet, quo ſenſu ac reſpectu apoſtolus dicat ſe *ἱερεργεῖν τὸ εὐαγγέλιον*, videlicet quia prædicatio evangelii inter gentes eſt ſacrificium illud ſolenne & publicum, de quo prædictum Mal. I. 10. quod in locum ſacrificiorum Leviticorum in nov. teſt. ſit ſucceſſurum, ac quia munus docendi pars eſt ſacri officii in eccleſia quam maxime neceſſaria. II.) Ἱεραρχίας adpellatio, quam quidam veterum miniſterio eccleſiaſtico tribuunt, nec in verſione græca vet. teſt. nec in nov. teſt. uſpiam occurrit, petita igitur eſt ex ſcriptoribus profanis, apud quos ἱεραρχεῖν eſt præeſſe ſacris, fungi imperio ſacro, ſacroque magiſtratu, ut Budæus ex Dionyſio oſtendit. Nequaquam vero politicam quamdam *ἀρχὴν* ſive dominatum, ſed talem poteſtatem *ἐξουσίαν* ac honorem, qualem ſcriptura eccleſiæ miniſtris tribuit, *ἱεραρχίας* nomine huc adplicato intelligere debemus, cujus reſpectu vocantur *προεστῶτες* 1. Tim. V. 17. in quibus vero illa poteſtas, *ἐξουσία* & honor eccleſiæ miniſtrorum conſiſtat, ſuo loco inferius expoſitum dabitur.

2.) *ἱεραρχία.*

*Adpellationes miniſtrorum eccleſiæ.*

§. XIII. Atque hæc de miniſterii eccleſiaſtici adpellationibus nobis dicta ſint. *Miniſtrorum* adpellationes, quas *concretivas* ſuperius diximus, variæ ac diverſæ occurrunt. Poſſunt vero eæ in haſce claſſes diſpeſci: 1.) ut quædam ſtatuantur *generales* omnibus eccleſiæ miniſtris competentes; quædam vero *ſpeciales* certo miniſtrorum ordini ac gradui duntaxat convenientes. Ubi monendum, in compluribus adpellationibus duplicem illam ſignificationem concurrere, ita ut quandoque generali, quandoque vero ſpeciali ſenſu accipiantur, id quod ex adpellationibus prophetarum, epiſcoporum, diaconorum, &c. manifeſte conſpicuum. 2.) Quædam ſunt *propriæ*, quædam vero *tropicæ*, *periphraſticæ* & *encomiaſticæ*. 3.) Quædam a *cauſa efficiente*, quædam ab *objecto*, quædam ab *officio* ſunt deſumtæ; ubi notandum, quod pleræque miniſtrorum adpellationes debitas officii ipſis incumbentis partes ſimul inſinuent, quia miniſterium nemini committitur propter pingue otium, amplum ſalarium & inanis honoris aucupium, ſed ad opus Domini ſedulo ac diligenter peragendum. Auguſtinus lib. XIX. de civ. Dei cap. 19. *Epiſcopatus nomen eſt operis non honoris*, quod probat ex dicto apoſtolico 1. Tim. III. v. 1. *Si quis epiſcopatum deſiderat*, *καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ*, *bonum opus deſiderat.* 4.) Quædam in *ſcripturis ſacris*, quædam in *ſcriptoribus eccleſiaſticis* occurrunt. 5.) Quæ in ſcripturis habentur, earum quædam *veteris*, quædam vero *novi teſt.* miniſtris ſunt peculiares. Ad quam iſtarum claſſem ſingulæ miniſtrorum adpellationes pertineant, ex ſpeciali earum examine & explicatione evadet conſpicuum.

§. XIV. Adpellationes miniſtrorum in vet. teſt. ſunt vel *propriæ* vel *methaphoricæ*. Inter *proprias* uſitatiſſima eſt: I.) adpellatio *ſacerdotum*, quæ etiam ante Moſen & conſtitutum Leviticum ſacerdotium uſurpata legitur. Gen. XIV. 18. Exod. XIX. 22. Huic adpellationi in Hebræo reſpondet כֹּהֵן, a radice כָּהַן functus eſt officio publico vel eccleſiaſtico, vel politico. Erit igitur כֹּהֵן in ſacris miniſter Dei, ſacerdos, antiſtes eccleſiaſticus, Exod. XXIX. 9. XXXI. 10. &c. in politicis dux, princeps, primarius regis miniſter, conſiliarius, & in genere

*ex vet. teſt.* I.) *Propriæ.* 1.) *Sacerdotes.*

genere vir magnus, in præcipua dignitate constitutus. Psal. XCIX. 6. *Moses & Aaron in sacerdotibus ejus.* 2. Sam. VIII. 18. *Filii Davidis erant sacerdotes &c.* Targum רַבְרְבִין *principes, aulæ magnates*, pro quo habetur. 1. Par. XIX. 17. *& filii David erant* הָרִאשׁוֹנִים לְיַד הַמֶּלֶךְ *primi ad manum regis.* Ante datam legem sacerdotio fungebantur primogeniti in qualibet familia, unde Jacob Patriarcha de Rubeno primogenito suo dicit: Gen. XLIX. 3. *Tu es fortitudo mea & principium roboris mei, prior in donis, major in imperio* יֶתֶר שְׂאֵת וְיֶתֶר עָז ubi שְׂאֵת *donum*, ponitur pro sacrificiis. Postea lege Mosaica dignitas sacerdotii ad Levitas fuit translata, quos ob id loco primogenitorum a se electos dicit Dominus: Num. III. 12. *Ego tuli Levitas a filiis Israel, pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israel, eruntque Levitæ mei.* v. 13. *Meum est enim omne primogenitum, ex quo percussi omne primogenitum in terra Aegypti*, hoc est, quia peperci primogenitis Israelitarum in percussione primogenitorum Ægyptiorum, ideo omnes primogeniti mei sunt, ut sacerdotio coram me fungantur, sed ipsorum loco elegi Levitas, in quorum sustentationem cedere debet pecunia, qua primogeniti redimentur. Inter Levitas illos ministerio in vet. test. deputatos talis fuit ordo, ut unus ex eis esset *summus sacerdos*, כֹּהֵן הַגָּדוֹל, sacerdos magnus, כֹּהֵן רֹאשׁ *sacerdos primus* dictus, reliqui vero dicebantur *sacerdotes secundi ordinis*, quibus ministrabant Levitæ, de quorum gradibus, officiis & discrimine infra dicetur. Κατ' ἐξοχήν *sacerdotis* adpellatio tribuitur Christo, cujus typi fuerunt omnes Levitici sacerdotes vet. test. Psal. CX. 4. Zach. VI. 13. Heb. V. 6. VII. 3. In nov. test. sacerdotis adpellatio nullibi in specie tribuitur ministris ecclesiæ, sed in genere omnibus christianis vere piis, qui sunt uncti Spiritu sancto, ac proinde spirituales sacerdotes offerentes Deo spirituales victimas: Apoc. I. 6. *Christus fecit nos reges & sacerdotes*, V. 10. XX. 6. quo pertinet etiam locus apostolicus: 1. Pet. II. 5. *Vos estis sacerdotium sanctum, ut offeratis spirituales hostias acceptabiles Deo per Christum.* v. 9. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 10. *Soli episcopi ac presbyteri in ecclesia jam vocantur sacerdotes, omnes autem christiani sic dicuntur propter mysticum chrisma, quoniam sunt membra unius sacerdotis.* Prior significatio est ecclesiastica, posterior scripturæ usitata.

§. XV. Notandum hoc contra pontificios, qui ex nomine sacerdotis de ecclesiæ nov. test. ministris a scriptoribus ecclesiasticis usurpato missaticum sacrificium stabilire conantur. Sic enim ratiocinatur Bellarminus lib. I. de missa cap. XVII. *Sacerdotes proprie ordinantur ad sacrificium. Jam vero patres frequentissime hanc vocem tribuunt ecclesiæ ministris. Ergo statuerunt eos ordinatos esse ad sacrificium externum proprie sic dictum. Neque obstat*, (inquit) *quod in nov. test. ministri ecclesiastici non dicantur sacerdotes, causa enim in promtu est: Quia enim tempore apostolorum adhuc vigebat sacerdotium Judaicum, & sacrificia cruenta offerebantur in templo Hierosolymitano, apostoli Domino inspirante non utebantur nominibus sacerdotii, sacrificii, templi, altaris & similium rerum, ut facilius distinguerent christiana sacra a Judaicis, & ne putarentur si iisdem uterentur vocibus, eosdem illos ritus innovare aut confirmare. Sed paulo post everso templo Hierosolymitano, & cessantibus omnino sacrificiis Hebræorum, libere cæperunt antiquissimi patres uti nominibus templi, altaris, sacerdotis & sacrificii, ut res ipsa postulabat.* Resp. 1.) Ex phrasi *ecclesiastica* præsertim in peregrinum sensum detorta non potest duci argumentum apodicticum in articulis fidei. *Sacerdotum* adpellatio ministris ecclesiæ a veteribus adtributa juxta scripturæ sensum & fidei analogiam explicanda, nequaquam vero contra scripturæ & ipsorum veterum mentem de exter-

*An ex nomine sacerdotis sacrificium missaticum stabiliri possit?*

externo quodam pròprie dicto sacrificio accipienda. 2) Ex scriptura colligitur, *sacerdotis* vocem diversimode accipi: primo *proprie* pro tali persona, quæ externum & corporale sacrificium Deo offert, in hac significatione accipitur, quando vel de Levitis vel de Christo usurpatur; secundo *improprie*, pro spiritualibus sacerdotibus spirituales victimas Deo offerentibus, quo sensu ac respectu omnes vere pii dicuntur sacerdotes. Quæ posterior significatio itidem occurrit in scriptis veterum. Cyprianus in lib. de unctione chrismatis p. 516. *Participes Christi quotquot sunt, consortes sint tam unctionis quam nominis, & dicantur a Christo christiani, ut sint sub Christo duce rectores & duces, & offerant Deo quotidianum sacrificium, ordinati a Deo sanctimoniæ sacerdotes.* Cyrillus in Lev. tom. I. col. 725. *Omnes, quicunque unguento sacri chrismatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt.* Lib. X. contra Julian. *Sacrificamus nunc multo melius, quam illi olim. Descendit enim cœlitus non sensibilis ignis, sed ex Patre per Filium Spiritus sanctus illustrans ecclesiam. Adhibemus autem & sacrificia, spiritualia scilicet & mentalia. Nam illi quidem offerebant Deo boves, oves, turtures & columbas, & ex fructibus, & similam oleo sparsam & lagana & thura. Nos autem crasso ministerio relicto præceptum habemus, ut tenue ac spirituale & subtile perficiamus. Offerimus enim in odorem suavitatis Deo virtutes omnigenas, fidem, spem, caritatem, justitiam, continentiam, perpetuas laudes & alias virtutes &c.* Quod si igitur a nomine *sacerdotis* ad sacrificium missaticum firma procedi posset consequentia, inferri etiam posset, omnes christianos sacrificium externum & corporale proprie sic dictum offerre posse ac debere, quod ne ipsi quidem pontificii concedunt. 3.) Quamvis scriptura sacra nullibi in specie ministros ecclesiæ adpellet sacerdotes, tamen concedimus, sano sensu vocem illam εἰδικῶς ministris ecclesiæ tribui posse, & a veteribus adtributam esse. Quemadmodum enim Paulus Rom. XV. 18. dicit, se ἱερουργεῖν εὐαγγέλιον τῷ θεῷ, *ut fiat oblatio gentium accepta, sanctificata in Spiritu sancto*: ita quoque ministri ecclesiæ dici possunt sacerdotes, non solum in generali illa significatione, secundum quam omnes pii dicuntur sacerdotes, sed etiam speciali quodam respectu, quatenus scilicet prædicatione evangelii sacrificant, & *mundam oblationem* Deo offerunt. Mal. I. 11. Itemque quatenus peculiariter se Deo consecrant, specialem pauperum curam habent, ac pro suis & ecclesiæ necessitatibus preces fundunt. 4.) Nequaquam vero sensu eo *sacerdotis* adpellatio ministris ecclesiæ tribui potest vel debet, quasi externum aliquod ac proprie dictum sacrificium, ad exemplum Leviticorum sacerdotum Deo adhuc offerant, cum tale mandatum sacrificandi nusquam legantur accepisse, cum talis sacerdos in nov. test. unicus duntaxat sit, Christus scilicet, qui solus dicitur *nov. test. sacerdos*, Hebr. V. 6. VII. 3. IX. 15. qui se ipsum *semel duntaxat obtulit* pro peccatis hominum, Hebr. VII. 27. IX. 28. atque *unica oblatione consummavit in aeternum eos, qui sanctificantur*; Hebr. X. 14. cum in enumeratione graduum ac ordinum inter ministros nov. test. non fiat mentio talium sacerdotum; Eph. IV. 11. 1. Cor. XII. 28. denique cum nec secundum ordinem Aaron, nec secundum ordinem Melchisedech illo quidem sensu sacerdotes esse possint; sequeretur enim ex priore, quod victimas cruentas debeant offerre; ex posteriore, quod non solus Christus sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, cujus contrarium adseritur Hebr. VII. 1. 5.) Falsum est, apostolos non fuisse usos nominibus sacerdotii, sacrificii, templi, altaris & similium rerum vigente adhuc sacerdotio judaico; contrarium enim ex scriptis ipsorum est manifestissimum, in quibus his & similibus adpellationibus sensu spirituali & mystico sæpius utuntur, cultum Leviticum vet. test. externum in novo test. in spiritualem esse conversum, quod ipsum cum disertis verbis apostoli docerent, periculum nullum fuit, ne usu illarum vocum

ritus

ritus Leviticos innovare aut confirmare videren tur. 6.) Illud etiam recte explicandum, quod Bellarminus dicit, *tempore apostolorum adhuc viguisse sacerdotium judaicum;* de facto id verissimum est, sed si divinum consilium & εὐδοκίαν respicere velimus, morte Christi omnibus sacrificiis corporalibus & externis, adeoque toti cultui Levitico finis fuit impositus, ut non debuerint amplius vigere. (*)

*De Bellarmini instantia.*

§. XVI. Neque quidquam roboris inest Bellarmini instantiis. I.) *Sequeretur*, (inquit) *omnes patres graecos & latinos vel ignorasse vim hujus vocis, vel de industria illa abuti voluisse. Nam ut ait apostolus* ad Hebræos V. Omnis pontifex constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia. *Et* Hebr. VIII. Omnis pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur. *Et inde probat idem apostolus, Christum non esse sacerdotem, si nihil habeat, quod offerat. Quis ergo credat, doctissimos patres nomen sacerdotis tribuisse iis, qui solum docent populos, & iis sacramenta ministrant, sed Deo nullum offerunt sacrificium?* Resp. eadem ratione colligi posset, etiam Spiritum sanctum, qui in scripturis sæpius utitur adpellationibus impropriis, metaphoricis ac figuratis, vim vocum ignorare, vel de industria illis abuti velle. Negari certe nequit, & Bellarminus ipse hoc loco concedit, *sacerdotum* nomen omnibus christianis in novo test. a Spiritu sancto tribui, quod si igitur ex adpellatione *sacerdotis* firmiter colligi posset externi ac proprie dicti cujusdam sacrificii oblatio, consequens foret, vel Spiritum sanctum ignorasse vim hujus vocis juxta Bellarmini collectionem, vel christianis omnibus externi ac proprie dicti cujusdam sacrificii oblationem competere. Quæ ex epist. ad Hebr. adferuntur, ab hoc loco plane aliena sunt, quippe cum ex professo agant de pontifice vet. test. atque ostendant, officium ejus fuisse sacrificia externa Deo offerre. Sed hic typus Leviticorum sacerdotum in Christo, unico nov. test. sacerdote, jamdum completus: is enim *offerens se ipsum Deo in ara crucis, unica illa oblatione consummavit in aeternum sanctificandos;* Hebr. X. 14. nequaquam igitur in ministris ecclesiæ nov. test. sed in solo Christo hujus typi impletio quærenda est. Quod si ea, quæ de pontifice vet. test. in epist. ad Hebræos dicuntur, ad ministros novi test. adcommodari deberent vel possent, sequeretur ministros nov. test. itidem *exemplari & umbrae adhuc deservire*, quod de vet. test. sacerdotibus eadem adserit cap. VIII. 5. sequeretur, ministros nov. test. cruentas hostias offerre debere, & ex Levitica duntaxat tribu ad ministerium eligendos esse, ea enim de sacerdotibus vet. test. scriptura passim testatur. II.) *Docere & sacramenta ministrare non solum convenit episcopis & presbyteris, sed etiam diaconis; & tamen diaconi a veteribus non dicuntur sacerdotes, ut constat ex* Augustino lib. XX. de civ. Dei cap. 10. & concilio Carthag. IV. can. 4. *ubi dicitur*, diaconos non ad sacerdotium sed ad ministerium ordinari. *Resp.* juxta phrasin scripturæ non solum diaconi, sed etiam quivis christiani dici possunt sacerdotes. Temporibus Augustini in ecclesia usitatum fuit, ut per solos presbyteros eucharistiæ celebratio peragaretur, inde factum, ut illi soli dicerentur sacerdotes; sed tale discrimen inter presbyterum & diaconum ignotum fuit apostolis, quippe qui omnes ecclesiæ ministros, sive episcopi, sive presbyteri, sive diaconi

(*) Ratio Bellarmini, *quod primi christiani propter recentem memoriam sacerdotii Aaronici a vocabulo sacerdotii abstinuerint, ac propterea apostolos suis in epistolis pro sacerdotibus episcopos & presbyteros dixisse*, lib. I. de missa cap. 13. & lib. III. de cultu sanct. cap. 4. hæc inquam ratio nulla est, sed quia apostoli sciebant, nullum aliud esse nov. test. sacrificium, quam quod Christus ipse in ara crucis obtulit, sicut epistola ad Hebr. ex professo docet, ideo sacerdotum & sacrificiorum nullam fecere mentionem. Deficiente enim re ipsa usus quoque vocis exspirat, vel κατ' ἐξοχήν duntaxat retinetur. GERHARDVS.

diaconi sint, vocant οἰκονόμους μυστηρίων θεῦ, 1. Cor. IV. 1. ignotum etiam fuit ecclesiæ primitivæ apostolis vicinæ, quod ipsa Augustini verba innuunt, quæ sic habent: *Soli episcopi & presbyteri jam vocantur sacerdotes*, ex consuetudine scilicet post apostolorum tempora in ecclesiam introducta, qua solis presbyteris eucharistiæ celebratio fuit adsignata. III.) *Concilium Nicaenum can. 14. reddit hanc causam, quod* diaconi non habeant potestatem sacrificia offerendi, sed solum in sacrificio sacerdotibus ministrandi. *Resp.* verba canonis græca sic habent: ὥσπερ οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκεν, τοὺς μὴ ἐξουσίαν ἔχοντας προσφέρειν, *id est: Quemadmodum nec canon nec consuetudo tradit, ut ii offerant, qui non habent potestatem;* ubi verbum προσφέρειν *improprie* accipitur pro ipsa eucharistiæ administratione, non autem pro sacrificii cujusdam externi proprie sic dicti oblatione. Vide Hutterum in tract. contra missam pontificiam lib. I. c. 15. (*)

§. XVII. A nomine *sacerdotis* transimus II.) ad adpellationem *patriarcharum*, qua plerumque honorantur, qui sacris deservierunt ante Mosen & institutum cultum Leviticum. Origo adpellationis videtur orta ex politia israelitica, in qua totus populus in certas tribus fuit distributa, primates ac proceres istarum tribuum dicebantur οἱ ἀρχαὶ vel οἱ ἄρχοντες πατριῶν, *principes familiarum*, Exod. VI. 25. Num. I. 4. Jos. XIV. 1. &c. ex quibus duabus vocibus in unam contractis adpellatio πατριάρχων postmodum prosluxit. 1. Par. IX. 9. enumerationi primatum ex aliquot tribubus subjungitur: *Omnes illi viri,* רָאשֵׁי אָבוֹת *capita patrum sive familiarum ad domum patrum suorum.* LXX. interpretes ἄρχοντες πατριῶν πατριάρχαι. Eodem sensu usurpatur 1. Par. XXIV. 31. XXVI. 12. 2. Par. XIX. 8. Itemque 1. Par. XXVII. 22. & 2. Par. XXIII. 20. ubi in hebræo est, שָׂרֵי שִׁבְטֵי *principes tribuum* & שָׂרֵי הַמֵּאוֹת *principes centuriarum.* Quoniam igitur ex duodecim filiis Jacobi duodecim tribus israeliticæ sunt propagatæ, inde factum, ut κατ' ἐξοχὴν & εἰδικῶς dicti sint πατριάρχαι, *hoc est*, ἄρχοντες τῶν πατριῶν. Act. VII. 8. Jacob genuit τοὺς δώδεκα πατριάρχας, v. 9. *& patriarchae vendiderunt Josephum in Aegyptum.* Cumque ante Mosen primogenitus in qualibet familia, ἄρχων τῆς πατριᾶς, & regno & sacerdotio functus fuerit, inde factum, ut doctores ecclesiæ illorum temporum dicti fuerint patriarchæ. Heb. VII. 4. *Abraham* ὁ πατριάρχης *dedit decimas.* Denique cum David eodem, quo patriarchæ ante Mosen, honore ac munere defunctus fuerit, inde speciali quadam vocabuli acceptione vocatur & ipse *patriarcha.* Act. II. 29.

2.) *Patriarchae.*

§. XVIII. Succedit III.) adpellatio *prophetarum*, illis ecclesiæ doctoribus præcipue ac peculiariter in scripturis adtributa, qui post constitutum Leviticum sacerdotium extraordinarie a Deo ad repurgationem doctrinæ ac illustriorem repetitionem promissionis de Messia vocati & excitati fuerunt, ac spiritu prophetiæ illuminati futura prædixerunt; quamvis interim non negemus, etiam aliis sensu generaliori hanc adpellationem tribui, ut postea adparebit. Respondet huic voci Hebræum נְבִיאִים, a radice נָבָא, *futura praedixit;* quidam deducunt a radice בּוֹא, *venit*, vel quod

3.) *Prophetae.*

(*) Gregorius de Valent. lib. I. de miss. c. 4. objicit locum Esa. LXI. 6. *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri.* Resp. 1.) Propheta loquitur in genere de omnibus christianis, ut non sit necesse ad ministros verbi in specie restringere 2.) Si maxime de illis ageret, nihil tamen aliud diceret, quam quod sensu metaphorico phrasi vet. test. ministros Domini sacerdotes nominat, qui ministerio verbi faciunt hominum oblationem dignam Deo, & pro ecclesia orant, quo sensu hoc vaticinium in apostolis impletum esse, scribit Franciscus Forerius theol. Ulyssiponensis in comm. super Esaiam f. 219. *cum ministros mensarum elegerunt, sibi vero orationem & verbi ministerium reservarunt.* GERHARDVS.

quod Deus peculiari modo per visiones & revelationes ad eos veniat, & modo arcano ad ipsos loquatur, (sicut de Bileamo dicitur Num. XXII. 9. וַיָּבֹא & *venit ad eum Deus nocte*) vel quod alii consilii capiendi causa ad eos veniant, vel quod adnuncient futura, quæ certo eveniunt, (sicut de Samuele dicit Saulis famulus: 1. Sam. IX. 6. *Quidquid loquitur, eveniendo evenit.*) Nomen προφήτης deducitur (*) a προφημι *praedico*, quia prophetæ non solum capita cœlestis doctrinæ proponebant, sed etiam de futuris vaticinia proferebant. Plato in Timæo f. 544. discernit prophetam a vate. De vate dicit, quod *arreptus numine oracula edat & futura denunciet, qui tamen quid loquatur, non intelligat;* prophetam constituit *vatis interpretem*, qua ratione prophetis vet. test. non competeret adpellatio vatum proprie accepta, cum ipsi quid loquerentur, probe intelligerent, & aliis explicarent. Sed quod prophetæ dicuntur vatum interpretes, illud adcommodari potest ad significationem hujus vocabuli apostolo Paulo usitatam, qua etiam illi dicuntur prophetæ, qui prophetarum & apostolorum scripta explicant, quamvis futurorum revelatione & prædictione destituantur.

§. XIX. *Prophetae* nomen 1.) ἐξοχικῶς καὶ ἐξαιρέτως tribuitur *Christo*, qui est caput & princeps omnium prophetarum. Matth. XXI. 11. Marc. VI. 15. Luc. VII. 16. XXIV. 19. Joh. IV. 19. &c. Origo denominationis petita est ex divino oraculo: Deut. XVIII. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum eorum, sicut tu es.* Rabbinorum quidam intelligunt de Josua, qui Mosi in regimine successit, quidam de Jeremia, qui eisdem verbis, quibus Moses, populum redarguit; sed ex Act. III. 22. & VII. 37. firmissime colligitur, de Christo hanc prophetiam intelligendam esse, qui Mosi dicitur similis *ad formam carnis, non ad eminentiam majestatis*, ut notat Augustinus tract. XV. in Joh. Id ipsum ex textu Mosaico colligi potest, ut alibi ostenditur, & agnoverunt Nazarethani. Luc. VII. 16. Vide Paulum Fagium in paraph. Chald. h. l. comm. 2.) *Illis*, qui extraordinarie a Deo missi & spiritu vatidico illuminati, doctrinæ cœlestis integritatem negligentia Leviticorum sacerdotum collapsam instaurarunt, vaticinia de Messia clarius illustrarunt, atque aliarum rerum futuros eventus prædixerunt. Horum prophetarum seriem Petrus orditur a Samuele: Act. III. 24. *Omnes prophetae a Samuele, & iis, qui deinceps fuerunt, adnunciaverunt dies istos*; ac terminatur illorum series in Malachia, qui fuit ultimus vet. test. Propheta. Augustinus lib. XVII. de civ. Dei cap. 1. *Quamvis & ipsum Noa patriarcham & alios supra & infra usque ad hoc tempus, quo reges in populo Dei esse caperunt, propter quaedam per eos futura sive quoquo modo significata, sive praedicta, quae pertinerent ad civitatem Dei regnumque coelorum, non immerito possumus adpellare prophetas, praesertim quia nonnullos eorum id expressius legimus nuncupatos, sicut Abraham, sicut Mosen, tamen dies prophetarum praecipue maximeque hi dicti sunt, ex quo coepit prophetare Samuel.* Rabbini ex sacris 48. prophetas & prophetissas fuisse colligunt. Ad hanc classem quodammodo referri possunt prophetæ illi, qui in principio nov. test. dono prædicendi futura instructi fuerunt, qualis fuit Agabus: Act. XI. 27. *In his diebus supervenerunt ab Hierosolymis prophetae Antiochiam.* v. 28. *Et surgens unus ex eis nomine Agabus significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe.* 3.) Illis, qui absque dono prædictionis futurorum divinæ voluntatis sunt interpretes, ac verbi divini præcones; Jer. XXVI. 11. XXIX. 1. Matth. X. 41. XXIII. 34. 1. Cor. XIV. 29. &c. (quamvis quidam malint hæc dicta referre ad præcedentem classem.) Atque hi dicuntur prophetæ, tum quia funguntur officio illo sacro & ecclesiastico, quo perfuncti fuere prophetæ in vet. test. tum quia scripta prophetarum enarrant & explicant,



(*) vel ἀπὸ τῦ φάναι, quia arcana per visiones illi adparebant, vel παρὰ τὸ φαίνειν, quia eventus insolitos populo denunciabant. GERHARDUS.

tum denique quia de futuro die judicii & præmiis bonorum ac pœnis malorum æternis adnunciant ea, quæ in scripturis exstant prædicta. Gregorius part. II. pastoralis cap. 4. *Prophetae in sacro eloquio nonnunquam doctores vocantur, qui dum fugitiva esse praesentia indicant, quae futura sunt, manifestant.* Photiniani hanc significationem vocis *prophetae* proterve negant; sic enim Andreas Radeccius in notis ad librum Smiglecii, quem vocat refutationem dissolutionis nodi sui Gordii pag. 7. *Falsus propheta est, non qui falsa docet, sed qui de relatione divinitus facta injuria gloriatur. Unde constat, ad ministros nullo modo ista Christi verba* Matth. VII. 15. *Cavete a pseudoprophetis &c. pertinere.* (*) 4.) Καταχρηστικῶς & juxta aliorum opinionem dicuntur prophetæ, qui nomine & munere prophetico abutentes sese prophetas esse mentiuntur, ac vel falsa quædam prædicendo, vel prædictioni veræ doctrinam falsam admiscendo, hominibus turpiter imponunt; Deut. XIII. 1. 1. Reg. XVIII. 19. Esa. IX. 15. &c. Ad hanc classem quodammodo referri potest, quod Epimenidem, poetam ethnicum, Cretensium prophetam adpellat apostolus. Tit. I. 12.

*Quaestiones de hac adpellatione.*

§. XX. Quæritur hoc loco: I.) Quo sensu ac respectu Johannes baptista dicatur περισσότερος προφήτου Matth. XI. 9. Luc. VII. 26. Resp. causa ibidem subjicitur: *quod praeiverit faciem Domini praeparans viam ante ipsum*, id est, prophetæ vet. test. vaticinati sunt de Messia post aliquot secula demum venturo, sicut Bileamus Num. XXIV. 17. dicit: *Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non prope*, ac Malachias ultimus vet. test. propheta 466. annis ante Christum natum prophetavit, sed Johannes Christum præsentem digito monstravit, ministerium nov. test. inchoavit, novum baptismi sacramentum divina autoritate instituit, id quod nulli prophetarum vet. test. contigit. Irenæus lib. III. cap. 11. p. 185. *Reliqui omnes prophetae adnunciaverunt adventum paterni luminis, concupierunt autem digni esse videre eum, quem praedicabant. Johannes autem & praenunciavit similiter sicut alii, & adventum vidit & demonstravit & credere in eum suasit multis, ita ut ipse & prophetae & apostoli locum habuerit.* II.) *Quo sensu idem baptista se neget esse prophetam* Joh. I. 21. *cum non solum a Zacharia parente*, Luc. I. 76. *sed etiam a toto populo israelitico propheta fuerit habitus, ac prophetae adpellatione honoratus!* Matth. XIV. 5. Marc. XI. 32. *Resp.* quidam Hierosolymitanorum legatorum quæstionem accipiunt de insigni illo propheta, Deut. XVIII. 18. promisso, sed quia jam ante quæsierant a Johanne: *an sit Christus?* otiose repetita fuisset quæstio, an sit magnus ille propheta, cum non nisi de Messia dici possit, quod sit insignis ille propheta per Mosen promissus, nisi dicere velimus, legatos ac synedrium Hierosolymitanum a vero hujus prophetiæ sensu plane aberrasse, quod qui stuporem & cœcitatem eorum expendit, facile credet. Quidam respondent, Johannem propterea se prophetam negasse, quia major ac præstantior prophetis a Christo fuerit dictus. Quidam statuunt, Johannem, quando se prophetam esse negat, eo respexisse, quod non sit ex numero prophetarum vet. test. de quibus Matth. XI. 13. dictum: *Omnes prophetae usque ad Johannem prophetarunt.* Quidam statuunt, legatos quæsivisse, & Johannem respondisse de Eliæo, qui & ipse jusserit Naamanum aquis immergi. Quidam existimant, Johannem ex humilitate negasse se esse prophetam, cum tamen vere esset

(*) Socinus *in* defens. animadv. contra Eutrop. cap. I. p. 3. *Christi admonitio:* adtendite a falsis prophetis, *non recte adcommodatur ad eos, qui ab ecclesia Romana desciverunt, etiamsi aliquin falsa dogmata docerent. Quidquid enim isti docent, id non tamquam sibi singulari aliqua ratione divinitus patefactum docent, quod prophetarum est proprium, sed ex ea patefactione divina se id colligere profitentur, quae communis est omnium, ex ea numerum, quae sacris literis continetur.* GERHARDVS.

esset propheta. Quidam suspicantur, Johannem ideo noluisse honorem prophetæ suscipere, quia non adtingebat partem aliquam muneris politici, quod prophetis vet. test. in usu erat. Sed simplicius respondetur, Johannem adtemperasse responsum suum ad quæstionem legatorum. Interrogabant illi, an sit propheta, hoc est, unus ex antiquis illis prophetis jam olim demortuis, & per μετεμψύχωσιν quamdam Pythagoricam in vitam revocatis. Testatur enim Elias Levita in Thisbi, judaicos præsules sententiam de μετεμψυχώσει illo tempore fuisse amplexos, quod ipsum etiam colligitur ex verbis Herodis, Matth. XIV. 1. Marc. VI. 14. ubi de Christo sic judicat: *Johannes baptista surrexit a mortuis, ideo virtutes operantur in illo.* Cumprimis vero quæstionis sensus ex antecedentibus elucet. Quo enim sensu quærant, an Johannes sit Elias, eodem etiam sensu quærunt, an sit propheta. Sed quærunt, an sit Elias hoc sensu, an sit Elias ille Thesbites, qui curru igneo in cœlum vectus, cujus reditum in persona propria exspectabant, ex vaticinio Mal. IV. 5. male intellecto. Ergo etiam quærunt, an sit propheta, hoc sensu, an sit unus ex veteribus prophetis, divino miraculo ad hanc vitam revocatus, quod ipsum clarissime colligitur ex verbis Luc. IX. 7. 8. *Audivit Herodes tetrarcha omnia, quae fiebant a Christo, & haesitabat, eo quod diceretur a quibusdam, Johannes surrexit a mortuis: a quibusdam vero Elias adparuit: ab aliis autem propheta unus de antiquis surrexit.* Quemadmodum igitur Johannes prius negaverat se esse Eliam, sensu scilicet eo, quo legati quæsiverant, an sit Elias in persona propria, cum tamen ab angelo, Luc. I. 17. & a Christo ipso Matth. XI. 14. alio sensu dicatur Elias, nimirum, quia in spiritu & virtute Eliæ Messiam præcessit: ita quoque negat se esse prophetam, sensu scilicet eo, quo legati quæsiverant, an sit propheta, id est, quidam ex prophetis veteribus redivivus, cum tamen alio sensu vere fuerit propheta, nimirum pœnitentiæ ac justitiæ præco, Messiæ præcursor, novi test. minister &c. III.) *Quinam prophetarum nomine veniant in dictis apostolicis?* 1. Cor. XII 28. *Quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde charismata curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.* Eph. IV. 11. *Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, quosdam vero evangelistas, quosdam vero doctores & pastores.* Resp. manifestum est ex textus circumstantiis, non de prophetis vet. test. sed de certo quodam gradu atque ordine ministrorum novi test. apostolum loqui, cum de Christo ad dextram Patris exaltato dicatur, quod ecclesiæ suæ mittat *apostolos, prophetas, evangelistas, pastores & doctores.* Manifestum etiam illud ex textus circumstantiis, *prophetae* adpellationem ibidem non accipi generaliter pro quovis ecclesiæ ministro, ac vaticiniorum propheticorum interprete, cum prophetæ a doctoribus & pastoribus distinguantur; restat igitur, ut nomine prophetarum accipiamus eos, qui in exordio nov. test. prophetiæ dono instructi futura prædicebant; viguisse enim tum temporis etiam hoc charisma in ecclesia, colligitur ex Act. XI. 27. Quidam tamen statuunt, per prophetas in illis locis intelligi, qui prophetarum scripta ex singulari quadam revelatione Spiritus sancti ἀσφαλῶς & infallibiliter interpretari potuerint, ac potest utraque interpretatio haud incommode conjungi. Neque tamen ex eo inferri debet, Eph. II. 20. *prophetarum adpellatione itidem non veteris sed novi test. prophetas ipsos intelligi*, ut vult Socinus in explic. loci Matth. XVI p. 66. est enim dispar ratio illius loci & aliorum. Doctrina apostolica de Christo constituitur ibi fundamentum ecclesiæ, illa, quia cum prophetica exacte congruit, Act. XXVI. 22. Rom. III. 21. ideo apostolis in describendo ecclesiæ fundamento prophetæ vet. test. conjunguntur: qua de re alibi plenius.

§. XXI. IV.) Usitatum etiam in vet. test. prophetas vocari *videntes*. 1. Sam. IX. 9. *venite, & eamus ad videntem, qui enim hodie prophetа dicitur, is olim vocabatur* הָרֹאֶה *videns.* Esa. XXX. 10. *Qui dicunt* לָרֹאִים *ad videntes, ne videatis.* Targum לְנְבִיָּיא *ad prophetas*; tum quia prophetiæ per spirituales visiones ac revelationes fieri solebant; Ezech. I. 1. *Vidi visiones Dei*: Joel. II. 28 *juvenes vestri visiones videbunt*; tum quia prophetæ illuminati Spiritu sancto futura & absentia e longinquo posita videbant, quam appellationis rationem tradit Lutherus in explic. cap. I. Habac. inde Saul amissas parentis sui asinas requirens abit ad Samuelem prophetam, eumque rogat, *ut indicet sibi viam*, cui scilicet insistere debeat, ut asinas inveniat. 1. Sam. IX. 6. Dicuntur etiam חֹזִים a radice חזה *vidit, praevidit, consuluit.* (*) Esa. XXX. 10. *Qui dicunt* לַחֹזִים *ad videntes, ne videatis nobis.* Targum לְמַלְפַיָּיא *ad doctores*, quia prophetæ in causis perplexis solebant consuli, ac per illos, ut scriptura loquitur, *os Domini interrogari*, ipsi enim per visiones responsum a Deo accipiebant. Insuper quod oculi sunt in corpore humano, id prophetæ ac doctores sunt in ecclesia, merito ergo *videntes* vocantur. Huc pertinent vaticinia prophetarum & apocalypsis Johannea, in quibus *videndi* verbum pro divinis revelationibus per mentales, vel etiam externas visiones factis sæpissime occurrit. Quemadmodum visiones externæ in rebus naturalibus requirunt lucem aliquam, quia sine luce nihil potest videri: ita quoque revelationes illæ propheticæ interiorem quamdam illuminationem Spiritus habent conjunctam. (**) 4.) *Videntes.*

§. XXII. V.) Prophetæ etiam fuerunt adpellati *viri Dei*, quia scilicet sunt divinæ voluntatis interpretes, legati Domini & ministerio Dei peculiariter destinati. 1. Sam. II. 27. *Venit vir Dei,* אִישׁ אֱלֹהִים, Targum נְבִיָּא דַיְיָ *propheta Domini:* LXX. interpretes: ὁ ἄνθρωπος θεοῦ. Rabbini monent, decem fuisse hoc nomine in vet. test. adpellatos, Mosen scilicet, Elkana, Samuelem, Davidem, Samaiam, Iddo, Eliam, Elisæum, Micham, Amoz; sed ostendunt exempla, fuisse nomen generale omnibus prophetis adtributum. 1. Sam. II. 27. *Venit ad sacerdotem Heli vir Dei*, id est, propheta quispiam, cujus nomen non exprimitur. 1. Sam. IX. 6. *Vir Dei est in hac civitate*, id est, propheta aliquis. 1. Reg. XIII. 1. *Vir Dei venit de Juda in verbo Domini*, cujus prophetæ nomen non additur. In nov. test. Paulus non solum Timotheum discipulum suum, sed & quemvis ecclesiæ ministrum vocat ἄνθρωπον θεοῦ, *virum Dei.* 1. Tim. VI. 11. *Tu o homo Dei haec fuge.* 2. Tim. III. 17. *ut perfectus sit homo Dei.* Syrus utrobique reddidit בַּר־נָשָׁא דַאלָהָא *filium hominis Dei*, cum ipsi quoque sint peculiariter servitio Dei in verbi præconio addicti, & legatione pro ipso fungantur. 2. Cor. V. 20. 5.) *Viri Dei.*

§. XXIII. VI.) Vocantur insuper *angeli & cum adjectione angeli Domini.* Esa. XLII. 19. *Quis cæcus nisi servus meus, & surdus sicut nuncius meus,* כְּמַלְאָכִי, *sicut angelus meus?* Mal. II. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Dominі exercituum ipse.* Mal. III. 1. Johannes baptista peculiariter 6.) *Angeli.*

(*) חָזָה *vidit* per revelationem divinitus factam, inde Am. VII. 12. vocatur חֹזֶה & quis alius propheta olim ita dictus fuit, 1. Sam. IX. 9. & prophetarum oracula dicuntur חֲזוֹנוֹת Joel. II. 28. Esai. I. 1. 2. Chron. IX. 29. Dan. VII. 7. GERHARDVS.

(**) Dicuntur *videntes*, quia muneris eorum erat, videre, ne populus detrimenti quid caperet. Ob eandem causam propheta etiam dicebatur עֹפֶה *speculator*: Ezech. III. 17. Jer. VI. 17. erant enim prophetæ divinitus quasi in specula constituti & collocati, ut excubias agerent pro communi totius populi salute. Chrysostomus in cap. I. Esai. tom. I. col. 718. duas adfert causas, quare prophetæ dicti fuerint *videntes*, quarum prima est, quia videbant, quæ essent eventura; altera, quia ea, quæ prophetabant, tam certa erant, ac si coram jam vidissent. GERHARD.

riter vocatur *angelus Domini*, juxta interpretationem evangelistarum Matth. XI. 10. Marc. I. 2. Luc. VII. 27. In apocalypsi etiam nomine angelorum sæpius veniunt ministri ecclesiæ. Apoc. I. 20 II. 1. & seqq. Dicuntur autem ministri ecclesiæ angeli, tum quia divinitus mittuntur, ut sint divinæ voluntatis interpretes, tum quia exemplo Galatarum IV. 14. sicut angeli Dei sunt excipiendi. Ad hunc locum haud inconcinne refertur locus propheticus, Esa. XXXIII. 7. מַלְאֲכֵי שָׁלוֹם, *angeli pacis amare flebunt.* Targum: *Nuncii populorum, qui abierunt ad adnuntiandam pacem, reversi flebunt.* Quidam exponunt de angustiis Hierosolymitanorum ante liberationem e manu regis Assyrii hoc sensu: Nulla erit pax, cum dominabitur regnum Assur, sed quia calamitas illa fuit præludium finalis interitus, in quem ob Messiæ contemtum Judæi inciderunt, ideo adcommodari etiam potest ad apostolos & reliquos primitivæ ecclesiæ doctores, qui pacem spiritualem per prædicationem evangelii Judæis obtulerunt, ob cujus contemtum in lacrymas eruperunt, perinde ut Christus prophetarum & apostolorum Dominus *intuitus civitatem flevit super eam dicens: Si cognovisses & tu, quae ad pacem tibi &c.* Luc. XIX. 42. Plerique etiam interpretes huc referunt locum: Jud. II. 1. *Ascendit angelus Domini de Galgalis in Bochim*, ubi nomine *angeli* vel summum sacerdotem Pineam vel alium quemdam prophetam intelligendum esse dicunt, argumento ducti eo, quod hic angelus *de Galgalis venisse* vel ascendisse adseratur. Tostatus quæst. II. in Judic. II. cap. argumentis quibusdam evincere conatur, fuisse angelum creatum. Sed quia angelus ille miraculosam ex Ægypto liberationem sibi tribuit, dicens: *Ego eduxi vos de Ægypto & introduxi in terram promissam*; ideo convenientius hoc nomine intelligitur angelus increatus, Dei scilicet Filius, qui non solum in aliis scripturæ locis, Gen. XLVIII 16. Exod. III. 2. Esa. LXIII 9. &c. sed etiam in hoc ipso libro Judicum ita vocari consuevit; Jud. VI. 11. *venit angelus Domini ad Gideonem*, qui v. 14. vocatur *Jehova*, ac v. 16. promittit Gideoni: *Ego ero tecum*, & *percuties Midian quasi unum virum*: Jud. XIII. 3. *Angelus Domini adparet uxori Manuae*, qui v. 18. dicit, *nomen suum esse mirabilis*, cui etiam opus eductionis ex Ægypto peculiariter tribuitur. Exod. XXIII. 20. dicit Dominus: *Ecce ego mittam angelum meum, qui praecedat te, & custodiat te in via, & introducat in locum, quem praeparavi.* Num. XX. 16. *Misit Deus angelum, qui eduxit nos de Ægypto.* Facile autem fieri potuit, ut Filius Dei in hac adparitione visus fuerit a Galgalis in Bochim venire, cum ad tempus eo fine hominis formam adsumserit.

§. XXIV. VII) Psalm. CV. 15. patriarchæ, qui docendi munere ante Mosen functi fuerunt, dicuntur מְשִׁיחַי *uncti.* v. 14. *Non permisit hominem opprimere eos, & corripuit propter eos reges*, (ubi respicitur ad historiam, Gen. XII. 17. & XX. 3.) v. 15. *Ne adtingatis unctos meos, & prophetis meis ne malefaciatis.* Ungebantur autem olim post constitutum Leviticum sacerdotium summi sacerdotes, reges & prophetæ, qui omnes dicebantur *uncti.* Sed cum patriarchæ externæ illius unctionis non fuerint facti participes, statuendum est, ipsos vocari unctos vel ob spiritualem & internam unctionem Spiritus, vel quod David verbis su temporis verbis sui temporis de præteritis rebus fuerit locutus, id quod in scriptura sæpius occurrit. In nov. test. ministri ecclesiæ nusquam speciali quadam adpellatione dicuntur uncti, quod contra pontificiam unctionem Leviticæ æmulam notari potest, sed omnes Christi fideles, ut a מָשִׁיחַ, מְשִׁיחִים ita a Christo christiani dicuntur, quo nomine primum vocati sunt Antiochiæ, Act. XI. 26. cum antea dicerentur *μαθηται*, discipuli, & per contemtum Nazaræi & Galilæi; accipiunt enim a Christo summo & unico nov. test. sacerdote unctionem Spiritus, 1. Joh. II. 27. per quam redduntur spirituales sacerdotes & reges coram Deo. Apoc. I. 6.

§. XXV.

§. XXV. *Metaphoricae* ac *parabolicae* adpellationes sunt, quando prophetæ vet. test. ac quivis ecclesiæ ministri dicuntur 1.) *speculatores*. Ezech. III. 17. XXXIII. 2. *Speculatorem te constitui domui Israel &c.* Targum: נָטָר, *doctorem*, LXX. interpretes σκοπὸν. Esaj. LII. 8. LVI. 10. Jer. VI. 17. Ose. IX. 8. Dicuntur autem prophetæ *speculatores*, quia prævident futura, & populum de illis admonent, sicut speculator e longinquo videt adventum hostis, & dato signo incolas urbis de eo admonet. Quivis ecclesiæ ministri dicuntur speculatores, quia debent προσέχειν ἑαυτοῖς καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, *ne irruant lupi*; Act. XX. 28. & 29. debent etiam immorigeros & impœnitentes de futuris pœnis temporalibus & æternis admonere, quam rationem Deus ipse adsignat: Ezech. III. 18. *Si dicente me ad impium, morte morieris, & non adnunciaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a vita sua impia, & vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

2.) *Adpellationes metaphoricae.* 1.) *Speculatores?*

§. XXVI. II.) *Architecti*, הַבּוֹנִים Psal. CXVIII. 22. *Lapis, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* LXX. interpretes vertunt οἰκοδομοῦντες. Hic locus adlegatur a Christo Matth. XXI. 42. Marc. XII. 10. Luc. XX. 17. & a Petro Act. IV. 11. 1. Pet. II. 7. Ratio adpellationis est, quia ministri ecclesiæ laborant in exstruenda ecclesia, quæ est *templum Dei spirituale*, Zach VI. 12. 1. Cor. III. 16. 2. Cor. VI. 16. *ac domus Dei spiritualis.* 1. Tim. III. 15. Hebr. III. 2. 1. Petr. II. 5. &c. Quemadmodum enim Salomon in exstructione templi usus est opera fabrorum, lapicidarum, cœmentariorum &c. ac veluti paterfamilias architectorum operam in exstruenda domo adhibet: sic cœlestis Salomon ac paterfamilias in spirituali suo templo ac domo exstruenda utitur ministerio ecclesiastico, unde etiam ministri ecclesiæ vocantur συνεργοὶ ἐν τῇ οἰκοδομῇ τοῦ Θεοῦ. 1. Cor. III. 9. Lapis angularis & fundamentalis in hoc ædificio est *Christus Jesus*, 1. Cor. III. 11. *in quo omnis aedificatio exstructa crescit in templum sanctum Domino*, Eph. II. 21. huic superstruuntur vere credentes, ut *vivi lapides*, vitam scilicet ac Spiritum ab hoc ἀκρογωνιαίῳ accipientes. 1. Pet. II. 5. Ac veluti lapides, ex quibus templum Salomonæum construebatur, jam ante erant politi & præparati, quam ad structuram templi adhiberentur; unde 1. Reg. VI. 7. commemoratur, quod *nec malleus, nec securis, nec ullum omnino ferramentum auditum fuerit in domo, cum aedificaretur:* ita quoque per prædicationem legis ac per crucem in hac vita dolamur, exasciamur & præparamur, ut in exstructione spiritualis ac cœlestis domus locum habere possimus. Quemadmodum de architectis templi Salomonæi dicitur, quod ex singulari Dei dono impleti fuerint *sapientia, intelligentia & doctrina ad operis illius perfectionem:* 1 Reg. VII. 14. sic promittitur apostolis & omnibus sinceris verbi doctoribus σοφία, Luc. XXI. 15. ac σύνεσις, 2. Tim. II. 7. *Dabit tibi Dominus in omnibus intelligentiam.* Sed quemadmodum insani & insipientes architecti sæpius lapidem aliquem reprobant & abjiciunt, cujus in ædificio magnus esse posset usus: sic sacerdotes, scribæ & pharisæi Judæorum doctores lapidem angularem, Christum scilicet, rejecerunt, quem Paulus *ut sapiens architectus* fundamenti loco in ministerio suo posuit. 1. Cor. III. 10. III) Cumprimis vero huc pertinet, quod ministri ecclesiæ dicuntur *pastores*, Num XXVII. 17. Es. LXIII. 11. Jer. III. 15. Ezech. XXXIV. 2. &c. quæ adpellatio repetitur in nov. test. Eph. IV. 11. debent enim ecclesiam, Domini gregem, pabulo cœlestis doctrinæ pascere, a venenatis hæreticorum pascuis auditores abducere, lupos ab ovili abigere, oves sibi commissas pedo disciplinæ ecclesiasticæ corrigere, quod *infirmum est, consolidare; quod aegrotum, sanare; quod confractum, adligare; quod errans, redu-*

2.) *Architecti.*

3) *Pastores*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841154-p0274-2

reducere; quod periit, quaerere. Ezech. XXXIV. 4. IV.) Itemque *patres*, 2. Reg. VI. 21. quæ adpellatio repetitur in nov. teſt. 1. Cor. IV. 15. Gal. IV. 19. non ſolum honoris cauſa, ſed etiam quia per verbum ſpirituales Deo filios generant, inſtrumentaliter ſcilicet, quo ſenſu & reſpectu etiam *ſe ipſos & auditores ſuos ſalvare* dicuntur. 1. Tim. IV. 16.

4.) *Patres.*

§. XXVII. Propriæ adpellationes in *nov. teſt.* ſunt complures, quia paſſim vocantur I.) ἐπίσκοποι, q. d. *ſuperintendentes*. Auguſtinus lib. XIX. de civ. Dei cap. 19. ἐπισκοπεῖν, *ſi velimus, latine ſuperintendere poſſumus dicere, ut intelligat, non ſe eſſe epiſcopum, qui praeeſſe dilexerit, non prodeſſe*, quod opponendum titularibus illis in Romana eccleſia epiſcopis, qui ſolo nomine gloriantur, & nullam interim epiſcopalis muneris partem adminiſtrant. Quidam ſtatuunt hanc adpellationem deſcendere a *methaphorica* voce צפה *ſpeculator*, qua in vet. teſt. prophetæ adpellantur. (*) Spigelius in comm. ad verſus Guntheri commemorat, Athenienſes eos vocaſſe epiſcopos, id eſt, ſpeculatores, quos ſpeculatum mittebant, quid in unaquaque ſubditarum civitatum boni malique, æqui aut iniqui ageretur, quo refert cap. epiſcopatum cauſ. 8. q. 1. quæ ſignificatio haud inconcinne huc adcommodari poteſt. Sic enim *epiſcopi* nomen interpretatur Iſidorus lib. VII. etymol. c. 12. & citatur c. cleros. diſt. 21. *Epiſcopi vocabulum inde dictum eſt, quod ille, qui efficitur epiſcopus, ſuperintendat, ſcilicet curam gerens ſubditorum*, σκοπεῖν enim graece, *latine intendere dicitur, epiſcopi enim graece, latine ſpeculatores interpretantur, nam ſpeculator eſt praepoſitus in eccleſia ideo dictus, eo quod ſpeculetur & proſpiciat populorum infra ſe poſitorum vitam & mores; ac quos bonos probaverit, honorando confirmat, quos deprehenderit vitioſos, arguendo emendat*, ut addit Proſper lib. II. de vita contempl. c. 2. Tribuitur autem hæc adpellatio *epiſcopi* 1.) ἐξοχικῶς & κατ' ἐξαίρετον λόγον ipſi *Chriſto*, qui eſt ποιμὴν καὶ ἐπίσκοπος τῶν ψυχῶν ἡμῶν, *paſtor & epiſcopus animarum noſtrarum*. 1. Petr. II. 25. שֹׁמֵר יִשְׂרָאֵל *cuſtos Iſraelis, qui nec dormit nec dormitat*. Pſalm. CXXI. 4. ἀρχιτοίμην καὶ ἀρχιεπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας αὐτοῦ. 2.) *In genere* quibuſvis *eccleſiae miniſtris*, quorum omnium munus eſt ἐπισκοπεῖν proſpicere gregi fidei ſuæ commiſſo, & diligentem ejus curam habere. Act. XX. 28. dicit apoſtolus Paulus ad presbyteros eccleſiæ Epheſinæ: *Adtendite vobis ipſis & univerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus vos poſuit epiſcopos paſcere eccleſiam Dei*. Tit. I. 5. *Ideo te reliqui Cretae, ut conſtituas per civitates presbyteros*; v. 7. *oportet enim epiſcopum ſine crimine eſſe*, ubi in genere omnes miniſtri eccleſiæ dicuntur epiſcopi Petrus 1. epiſt. V. 2. presbyteros hiſce verbis hortatur: *Paſcite eum, qui inter vos eſt, gregem Dei*, ἐπισκοποῦντες *providentes*, inſpectioni ipſius vacantes. Syrus interpres addidit רוּחָנָאִית πνευματικῶς *ſpiritualiter*, quod gloſſema in contextum ex margine irrepſit. 3.) *In ſpecie* illis eccleſiæ miniſtris, quibus non ſolum gregis commiſſi cura, ſed etiam paſtorum inſpectio demandata eſt, quibus & docendi eccleſiam, & in doctrinam, vitam ac mores paſtorum inquirendi munus commiſſum eſt, quo nomine etiam a diaconis diſcernuntur. Phil. I. 1. *Sanctis in Chriſto, qui ſunt Philippis, cum epiſcopis & diaconis*. 1. Tim. III. 2. *Epiſcopum oportet eſſe irreprehenſibilem*. v. 8. *Diaco-*

2.) *Ex nov. teſtamento adpellationes* 1.) *propriae*, 1.) *Epiſcopi.*

(*) Balbus de coronat. p. 29. *Epiſcopi nomen a vetuſtis temporibus deductum. Nam Athenienſes, quos ſpeculatum mittebant, quid in unaquaque ſubditorum civitate boni malive ageretur, eos epiſcopos, id eſt, ſpeculatores vocabant, ut apud Plutarchum Scipio Africanus epiſcopus gentium: & Cicero ad Atticum epiſcopus in oris maritimis dicebatur.* Non multo aliter Onuphrius tract. de obſcur. vocum eccleſ. interpret. GERHARDVS.

*Diaconos similiter modestos.* Videtur autem *episcopi* adpellatio deducta ex versione græca veteris testam. in qua usurpatur pro מְפַקֵּד vel פָּקִיד *praepositio*, *epistata*, *antistite*, qui aliorum opus urget, cui administratio quædam super ἐργάτας est commissa. Num. III, 32. Eleazar summus sacerdos vocatur *episcopus*, quia reliquis sacerdotibus ac Levitis præfectus erat, ut eorum operas urgeret, dirigeret atque disponeret, commissa ipsi erat inspectio ac visitatio omnis tabernaculi & omnium quæ in eo, sicut textus hebræus ibidem loquitur. 2. Reg. XI. 18. *Et posuit summus sacerdos Jojadah*, פְּקֻדֹּת *praefecturas* sive præfectos *super domum Domini*. LXX. interpretes ἔθηκεν ὁ ἱερεὺς ἐπισκόπας εἰς τὸν οἶκον κυρίου, ipse tanquam generalis superintendens constituit speciales superintendentes, qui in reliquos sacerdotes ac Levitas, eorumque officium intenderent, distribuit unicuique officium suum in templo peragendum, qualis functionum distributio a Davide ac Salomone olim facta fuerat, sed per baaliticos sacrificulos obliterata. Nehem. XI. 22. *episcopus Levitarum* in Hierusalem fuit Huzzi, qui promoveret reliquorum sacerdotum operas, & in quibusdam officii partibus summi sacerdotis ablentis vicem sustineret. Tribuitur etiam nomen *episcopi* præfectis politicis, præfectis exercitus, præfectis architectorum: Num. XXXI. 14. Judic. IX. 28. 2. Reg. XI. 16. 2. Paral. XXXIV. 12. &c. sicut & Homerus Hectorem vocat ἐπίσκοπον τῆς πόλεως. Quæ significationes certo modo ac respectu huc adcommodari possunt. Quidam huc referunt locum Esa. LX. 17. ubi græca versio sic habet: Δώσω τὰς ἀρχοντας καὶ τὰς ἐπισκόπας σε ἐν δικαιοσύνῃ. Vulgata: *ponam praepositos tuos justitiam*, id est, præficiam tibi tales doctores, qui ex evangelio pacem adnuntient & veram justificationis viam tibi ostendant. Sed in Hebræo est נֹגְשַׂיִךְ, quod significat *collectorem tributorum*, *exactorem* &c. *Ponam censum sive oppressionem tuam pacem*, & *exactores tuos justitiam*, id est, hactenus tyrannidem passa es ab omnibus & injuste tractata, nunc vero ab oppressionibus & servitutibus pax sive quies dabitur, succedet vera libertas, & pro exactionibus justitia exercebitur.

§. XXVIII. II.) Πρεσβύτεροι *presbyteri* sive *seniores*. Ex 1. Tim. V. 17. *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina*, colligi potest, duplices fuisse in ecclesia presbyteros, ac duos presbyterorum ordines. Quidam enim laborabant in verbo & doctrina, hoc est, erant pastores & doctores ecclesiæ, quidam erant duntaxat ἡγούμενοι, qui una cum doctoribus ecclesiam gubernabant, & curam doctrinæ ac religionis habebant. Ad classem *priorem* pertinent illi, quorum mentio fit Act. XIV. 23. ubi apostoli per singulas ecclesias constituunt presbyteros. Tit. I. 5. *Ideo reliqui te Cretae, ut constituas per singulas civitates presbyteros.* Jac. V. 14. *Infirmatur quis inter vos? inducat presbyteros ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Dei.* Ad classem *posteriorem* referunt eos, de quibus Act. XV. 2. *Adscenderunt Hierosolymam ad apostolos & presbyteros*, hoc est, eos, qui una cum apostolis gubernabant ecclesiam. 1. Tim. V. 19. *Adversus presbyterum adcusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus.* Sed rectius etiam in hoc posteriore loco intelliguntur ecclesiæ pastores, quorum inspectio pertinebat ad Timotheum ecclesiæ episcopum. 1. Tim. IV. 13. *Presbyterium* significat totum collegium presbyterorum, hoc est, ecclesiæ ministrorum & seniorum, per quorum χειροτονίαν ordinabantur pastores. In græca versione vet. test. πρεσβύτερος, 1.) in *genere* accipitur pro eo, qui ætate est senior, ac respondet hebræo זָקֵן Gen. XVII. 11. XIX. 4. 2. Paral. XV. 13. &c. eodem modo accipitur in nov. test. Joh. VIII. 9. 1. Tim. V. 1. &c. Ministri ergo ecclesiæ dicuntur seniores, quia vel ætate vel senili prudentia alios antecellere debent, ac quia plerumque ex senioribus deligebantur, sicut etiam apud 2.) *Presbyteri.*

Roma-

Romanos a senibus nomen mite senatus habet: atque apud Homerum Iliad. β. dicuntur γέροντες iidem qui ἀριστῆες. 2.) In *specie* pro senioribus, hoc est, gubernatoribus populi israelitici. Sic septuaginta illi viri honorati ac prudentes, quos Moses in politiæ israeliticæ gubernatione sibi adjunxit, Num. XI. 24. vocantur *seniores*. Inde in historia evangelica sacerdotibus, pharisæis & scribis passim conjunguntur *seniores* populi Matth. XXI. 23. XXVI. 3. &c. per quos intelliguntur *proceres tribuum*, qui ablegabantur una cum sacerdotibus & scribis in sacrum synedrium. Quando vero mentio fit traditionum ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων a *senioribus* profectarum, Matth. XV. 2. Marc. VII. 3. &c. non intelliguntur seniores populi, adsessores synedrii, ut quidam statuunt, sed doctores veteres, quos Christus vocat ἀρχαίους, Matth. V. 21. 27. 33. &c. Pharisæi enim non contenti erant scripto Dei verbo, sed adjiciebant eidem traditiones ἀγραφους, quas a majoribus profectas dicebant, quin imo ad ipsum Mosen δευτερώσεις illas, ceu ad primum ac præcipuum earum autorem, revocabant, testibus Josepho lib. XVIII. antiquit. cap. 18. Galatino lib. I. de arc. cathol. verit. cap. 2. & aliis.

§. XXIX. Ex dictis scripturæ, in quibus episcoporum & presbyterorum fit mentio, evidenter colligitur, in ecclesia apostolica eosdem fuisse dictos *episcopos* & *presbyteros*. Paulus enim ecclesiæ Ephesinæ *presbyteros* vocat *episcopos*; Act. XX. 28. in ἐπιγραφῇ epistolæ ad Philippenses nomine episcoporum presbyteros intelligit; Philip. I. 1. quas virtutes in episcopo requirit, easdem etiam in presbyteris spectandas esse docet; 1. Tim. III. 1. ac Titum eo fine *in Creta relictum* esse monet, *ut constitueret per civitates presbyteros*, Tit. I. 5. quos ipsos postea v. 7. adpellat *episcopos*. Juxta nomenclaturam igitur apostolicam idem, qui est presbyter, recte vocatur episcopus. Hieronymus in comment. cap. 1. Tit. *Idem est presbyter, qui episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephae, communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur; postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos etiam putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electis superponeretur reliquis, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret, & semina schismatum tollerentur.* Quod ipsum tam evidens est, ut Bellarminus lib. I. de clericis cap. 15. §. *facilior*: cogatur fateri, *tempore apostolorum nomina illa*: episcopus & presbyter, *communia fuisse omnibus sacerdotibus tam majoribus, quos nunc episcopos vocamus, quam minoribus, quos presbyteros adpellamus;* cujus observationis usus est in quæstione de discrimine episcoporum & sacerdotum, quoad potestatem jurisdictionis, de qua concilium Trident. sess. XXIII. can. 7. decernit: *Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, anathema sit*; cujus quæstionis tractatio suum inferius habebit locum, quando de gradibus ministrorum ecclesiæ disputabitur.

§. XXX. III.) *Diaconi*, de cujus vocis ambiguitate judicari 3.) *Diaconi.* potest ex §. VI. præcedente. 1.) In *genere* significat *quemvis ministrum*, qui alteri vel ex debito vel ex gratuita caritate inservit. Matth. XX. 26. XXII. 13. Joh. II. 9. &c. Eodem modo accipitur in versione græca vet. test. Esth. I. 10. II. 2. VI. 3. ubi respondet Hebræo מְשָׁרְתִים, a verbo שרת, quod *liberalius quoddam ministerium* significat, & opponitur verbo עָבַד, quod *durius servitium*, ac gravem servitutem notat. Adpellatio igitur διακόνων ministris ecclesiæ adtributa principes ac magistratus politicos monet, quod non debeant eos tanquam vilia mancipia tractare. 2.) In *specie* tribuitur primo *magistratui politico*, qui dicitur διάκονος θεοῦ, Rom. XIII. 4. quia officii sui administratione gratum Deo cultum & servitium præstat: secundo *ordini ecclesiastico*, idque iterum diversimode. Nam a.) κατ' ἐξοχὴν tribuitur *Christo*, qui est ἀρχιποίμην, & suo

in terris ministerio consecravit & sanctificavit ecclesiasticum ministerium. Rom. XV. 8. *Dico autem Christum factum esse διάκονον περιτομῆς, ministrum circumcisionis*; hoc est, phrasi hebræa apostolo familiari circumcisorum israelitarum, ut sit sensus, Christum fuisse prædicatorem eorum, qui ex circumcisione, sicut Ambrosius & Anshelmus in comment. recte exponunt, de qua parte ministerii sui Christus loquitur, quando ad mulierem Cananæam dicit: Matth. XV. 24. *Non sum missus, nisi ad oves, quae perierunt, domus Israel.* Gal. II. 17. *Si quaerentes justificari in Christo, inventi sumus & ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister? absit;* hoc est: Si nos, qui per fidem in Christum justificari quærimus, nondum soluti sumus a peccatorum reatu, antequam legis observatio & impletio accedat, consequens fuerit, Christum non esse ministrum justitiæ, nec adtulisse nobis perfectam justitiam, sed esse adhuc ministrum peccati, sicut Moses revelans peccatum per legem. Lutherus tom. IV. Jen. lat. fol. 47. b.) *Generaliori* quadam significatione tribuitur *omnibus ecclesiae ministris*, qui docendo, sacramenta administrando, & aliis ministerii ecclesiastici muniis peragendis Deo & ecclesiæ serviunt. 1. Cor. III. 5. *Quid est Apollo? quid Paulus? διάκονοι, δι' ὧν ἐπιστεύσατε, diaconi, per quos credidistis.* 2. Cor. III. 6. *Qui fecit nos idoneos ministros novi testamenti.* In eadem significatione usurpatur 2. Cor. VI. 4. ubi dicuntur *διάκονοι θεοῦ*, XI. 15. ubi vocantur *διάκονοι τῆς δικαιοσύνης*, v. 23. *διάκονοι χριστοῦ.* Eph. III. 7 *διάκονοι εὐαγγελίου*, VI. 21. *πιστοὶ διάκονοι ἐν κυρίῳ.* Col. I. 7. 23. 25. IV. 7. 1. Thess. III. 2. 1 Tim. IV. 6. Eodem sensu vocantur *λειτουργοὶ ministri Christi*, Rom. XV. 16. *δοῦλοι θεοῦ*, Act. XVI. 17. Tit. I. 1. *δοῦλοι τοῦ χριστοῦ*, Rom. I. 1. Philip. I. 1. &c. *δοῦλοι κυρίου*, 2. Tim. II. 24. *σύνδουλοι ἐν κυρίῳ*, Col. IV. 7. *ὑπηρέται τοῦ χριστοῦ*, 1. Cor. IV. 1. quæ adpellatio transsumta est ex græca vet. test. versione, in qua Moses vir Dei, Jos. I. 1. XIV. 7. &c. Samuel, 1. Sam. III. 9. David, propheta regius, 2. Paral. VI. 42. Psal. XVIII. 1. & alibi passim, sacerdotes in templo ministrantes, Psal. CXXXIII. 1. ut & prophetæ 2. Reg. XVII. 23. &c. vocantur *δοῦλοι κυρίου, servi Domini.* c.) In *specialiori* significatione accipitur pro illis, qui circa eam ministerii ecclesiastici partem potissimum occupati erant, quæ *τὰ βιωτικὰ* & necessariorum distributionem complectitur, unde dicuntur *διακονοῦντες ministrantes mensis*, hoc est, distribuentes unicuique necessaria ex communibus bonis. Act. VI. 1. *In diebus illis crescente discipulorum numero factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos, eo quod despicerentur ἐν τῇ διακονίᾳ in ministerio quotidiano ipsorum viduae.* v. 2. *Convocantes igitur duodecim apostoli multitudinem discipulorum dixerunt: Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* v. 3. *Inquirite ergo viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus.* v. 4. *Nos vero orationi & ministerio verbi vacabimus.* Ex quo loco adparet occasio diaconorum ordinem in ecclesiam introducendi. Quia vero bonorum ista communio in Hierosolymitana duntaxat ecclesia locum habuit, in ecclesias vero gentilium ad Christum conversorum nunquam fuit introducta, inde factum, ut diaconi dicerentur, qui pauperum, ægrotorum ac peregrinorum in ecclesia curam habuerunt, non quidem ex bonis in commune collatis, sed ex collectis ecclesiasticis. Rom. XII. 7. *εἴ τις (ἔχει) διακονίαν, ἐν τῇ διακονίᾳ*, (quamvis nihil impediat quo minus hic locus generaliter accipiatur pro quovis in ecclesia ministerio.) Ad hoc munus quandoque etiam fœminæ adhibitæ fuerunt; unde Phœbe vocatur *διάκονος ecclesiae Cenchreensis*, Rom. XVI. 1. quod de ministerio erga ægrotos potissimum intelligendum videtur, sed nihil impedit in genere de cura ægrotorum, pauperum ac peregrinorum id accipere; sequitur enim v. 2. *καὶ γὰρ αὐτὴ προστάτις πολλῶν ἐγενήθη, καὶ αὐτοῦ ἐμοῦ, multis hospitium praebuit*, & operam suam libe-

liberaliter ipsorum necessitatibus impendit. Ac quomodo tales diaconissæ, antequam ad illa ecclesiæ ministeria suscipiantur, probari ac deligi debeant, docet apostolus 1. Tim. V. 9. & seq. Tandem vero diaconis illis etiam ordinarium docendi munus fuit commissum, (a quo & illi, quorum mentio fit Act. VI. non fuerunt simpliciter exclusi, quamvis principaliter mensis præfecti fuerint) ut presbyteris adjuncti una cum ipsis verbum prædicarent, sacramenta administrarent, ægrotos visitarent &c. ut hac ratione facti fuerint inferioris ordinis doctores in ecclesia, unde Phil. I. 1. cum episcopis sive presbyteris conjunguntur diaconi, ac 1. Tim. III. 8. postquam virtutes episcopi apostolus descripsisset, subjungit, quæ in diaconis, hoc est, inferioris ordinis ministris requirantur: *Diaconos similiter oportet esse modestos &c.* v. 13. addit: *οἱ καλῶς διακονήσαντες*, qui in inferiori illo ministerii gradu recte ac fideliter officium suum fecerint, *gradum bonum sibi adquirent*, hoc est, ad altiora postmodum evehi poterunt.

4.) *Doctores.* §. XXXI. IV.) *Διδάσκαλοι*, *doctores*, quia præcipuum ac principale munus ecclesiæ ministrorum est docere verbum Dei. Hieronymus in comm. cap. IV. Ephes. notat, apostolum, cum in ceteris discreverit officiorum genera, duo conjunxisse, neque enim dictum est, quosdam pastores, quosdam doctores, sed alios pastores & doctores, quod *quicunque sunt pastores, iidem etiam debeant esse doctores.* Tribuitur autem *διδασκάλȣ* adpellatio 1) *ἐξοχικῶς Christo*, qui unicus magister humano generi audiendus voce cœlitus delata commendatus est, Deut. XVIII. 18. Matth. XVII. 5. qui est unus noster *καθηγητὴς* Matth. XXIII. 8. & 10. *qui ex sinu Patris* absconditam Dei voluntatem protulit, nobisque *enarravit;* Joh. I. 18. unde in evangelica historia passim vocatur *διδάσκαλος.* Joh. XIII. 13. *Vos vocatis me: ὁ διδάσκαλος καὶ ὁ κύριος, & bene dicitis, sum etenim.* Matth. VIII. 19. IX. 11. &c. 2.) *γενικῶς* cuivis *doctori* Matth. X. 24. Luc. VI. 40. *Discipulus non est supra magistrum suum.* Hebr. V. 12. *Cum deberetis esse διδάσκαλοι, rursum indigetis, ut vos doceamini.* Jac. III. 1. *μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε.* 3.) *εἰδικῶς* tribuitur *ecclesiae ministris*, utpote primo *synagogae israeliticae doctoribus.* Luc. II. 46. *Invenerunt eum sedentem in medio τῶν διδασκάλων.* Joh. III. 10. Nicodemus dicitur *magister, διδάσκαλος, in Israel.* Rom. II. 20. *Confidis te esse διδάσκαλον νηπίων.* Secundo *apostolis Christi*, sic Paulus se vocat *διδάσκαλον ἐθνῶν.* 1. Tim. II. 7. 2. Tim. I. 11. Tertio *quibusvis ecclesiae doctoribus.* Act. XIII. 1. *Erant in ecclesia Antiochena προφῆται καὶ διδάσκαλοι.* 1. Cor. XII. 28. *Posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, &c.* Eph. IV. 11. *Christus ad dextram Dei exaltatus dedit quosdam quidem apostolos, quosdam vero prophetas, alios autem evangelistas, alios pastores & doctores;* quæ verba apostoli a quibusdam accipiuntur *distributive*, ut doctores a pastoribus distinguantur, ac *doctorum* nomine accipiantur, qui vel in scholis vel in templis docent, reliquas vero ministerii partes non adtingunt; *pastorum* vero nomine, quibus omnes & singulæ functionis ecclesiasticæ partes incumbunt. Sed Hieronymus & alii accipiunt *connexive*, ut iidem intelligantur esse doctores ac pastores.

5.) *Praesides.* §. XXXII. V.) Dicuntur etiam *προεςῶτες*, *praesides*, *praefecti.* 1. Tim. V. 17. *οἱ καλῶς προεςῶτες πρεςβύτεροι, qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina:* ubi quidam ad solos presbyteros sive seniores, non autem ad doctores ecclesiæ, vocem *προεςώτων* referendam esse statuunt; sed rectius ad utrosque refertur, cum duo presbyterorum ordines constituantur, ut superius admonuimus. Syrus vertit אִילֵין דְּשַׁפִּיר מִתְדַּבְּרִין *qui bene gubernant:* LXX. interpretes vocant *προεςηκότας τῆς οἰκίας, œconomos*, familiæ gubernan-

bernandæ præfectos. Amos VI. 10. Prov. XXIII. 5. Apud profanos scriptores προστάτης accipitur de magistratu politico. Apud Xenophontem lib. III. hell. προστάται τῆς Ἑλλάδος *praefecti Graeciae*. lib. VII. pædiæ. προστάτης τῦ πολέμυ summus belli capitaneus. Huc pertinet, quod Christus ecclesiæ ἀρχιποίμην & ministerii caput vocatur ἐπίσκοπος. Luc. V. 5. VIII. 24. &c.

§. XXXIII. VI.) Ἡγούμενοι

6.) *Praepositi.* *praepositi*, *antecessores*; ἡγεῖμαι proprie significat: *ducem viae me praesto*, *praeeo*. Aristophanes in Pluto: οἱ μὲν βλέποντες τοῖς τυφλοῖς ἡγεμεθα, ἕτος δὲ ἀκολυθεῖ. Inde adplicatur ad eos, qui vel in magistratu politico, vel in ministerio ecclesiastico aliis præsunt. Thucydides lib. III. Λακεδαιμονίων ἡγησαντο. Plutarchus in Romulo scribit, Romanos adpellasse *patres conscriptos*, quos Græci ἡγεμόνας sive ἡγεμένας suo etiamnum tempore vocabant. LXX. interpretes variis modis hanc vocem usurparunt, plerumque tamen ad magistratum politicum ab ipsis adcommodatur. In nov. test. tribuitur 1.) ἐξοχικῶς *Christo*. Matth. II. 6. vaticinium Michææ de Christo sic redditur: *Ex te egredietur* ἡγούμενος. In Hebræo Mich. V. 2. est מוֹשֵׁל *dominator*, quod LXX. interpretes reddiderunt ἄρχοντα. 2.) γενικῶς quibusvis *viris primariis*, qui alios autoritate, honore ac potestate excellunt. Luc. XXII. 26. *Qui major inter vos est*, *fiat sicut junior*, καὶ ὁ ἡγεμενος ὡς διακονῶν, *qui praecedit*, *tanquam ministrans*. Act. XIV. 12. Paulus dicitur ἡγεμενος τῦ λόγυ *dux sermonis*, partes oratoris sustinens. 3.) εἰδικῶς illis, qui præsunt vel in *magistratu politico*; Act. VII. 10. *Deus constituit Josephum* ἡγεμενον ἐπ' Αἰγύπτου, vel *in ministerio ecclesiastico*. Act. XV. 22. *Judas & Silas* dicuntur ἡγεμενοι ἐν τοῖς ἀδελφοῖς, vulgata versio generaliter reddidit: *primi in fratribus*; sed ostendit actorum historia, ministerio ecclesiastico ipsos fuisse functos: subjungitur enim v. 32. *Judas autem & Silas*, *cum ipsi quoque essent prophetae*, *verbis plurimis consolati sunt fratres*. Hebr. XIII. 7. μνημονεύετε τῶν ἡγεμένων, ubi statim subjicitur ἔξηγησις, quosnam hoc nomine velit intellectos, *qui locuti sunt vobis verbum Dei*. v. 17. πείθεθε τοῖς ἡγεμένοις ὑμῶν, ubi itidem subjungitur explicatio, *ipsi enim vigilant pro animabus vestris*, *utpote rationem reddituri*. v. 24. *Salutate omnes praepositos vestros*. Dicuntur autem ministri ecclesiæ ἡγεμενοι, non quod politicum aliquem dominatum in ecclesiam exercere debeant, contrarium enim præscribit eis Christus Luc. XXII. 25. sed a.) quia fidelibus sese exhibere debent viæ duces: 1. Tim. IV. 12. *Esto typus fidelium in verbo*, *in conversatione*, *in caritate*, *in fide*, *in castitate*. Hanc rationem adpellationis videtur subministrare epist. ad Hebræos XIII. 7. *Mementote* ἡγεμένων *praepositorum vestrorum*, *quorum intuentes conversationis exitum imitemini fidem*. b.) Quia Deus ipsos πιστὲς ἡγήσατο, quibus verbi ministerium commendaret. 1. Tim. I. 12. *Christus fidelem me judicavit ponens in ministerio*. c.) Quia πάσης τιμῆς ἀξίως ipsos debemus ἡγεῖσθαι. 1. Tim. V. 17. &c.

§. XXXIV. VII.) *Scribarum* nomen tribuitur proprie illis, 7.) *Scribae.* qui divini juris præ reliquis periti tum in synagogis tum in templo legem docebant, qui ideo dicebantur scribæ, quia legi describendæ & interpretandæ vacabant, quorum in historia evangelica & actorum passim fit mentio. Sed Christus συνεκδοχικῶς nomine *speciei ad genus* translato quemvis ecclesiæ doctorem & ministrum vocat scribam. Matth. XIII. 52. *Omnis scriba eruditus ad regnum cælorum profert ex thesauro suo vetera & nova*. XXIII. 34. *Ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes & scribas*.

§. XXXV. *Metaphoricae* ac *parabolicae* ministrorum ecclesiæ adpellationes in nov. test. occurrunt longe plurimæ. Vocantur

II.) *Adpellationes metaphoricae.*

1.) *Sal terræ.*

enim

enim I.) *sal terrae*, Matth. V. 13. tum propter typum, 2. Reg. II. 21. tum propter collationem, debent enim conciones suas conspergere sale Mosaico, hoc est, doctrina legis peccata arguere, ac veteris hominis putredinem spiritualem prohibere. Hilarius in h. l. Matth. *Apostoli sunt aeternitatis quasi salitores, merito sal terrae nuncupati, quia per virtutem doctrinae quasi salientes aeternitati corpora servant.* Hieronymus in h. l. Matth. *Sal nominantur apostoli, quia per illos universum genus humanum conditur,* Theophylactus in c. IX. Marc. *Quemadmodum sal carnes cohibet, nec vermes inde creari finit: ita & sermo doctoris si recens & mordax sit, carnales homines constringens, non finit in ipsis generari vermem irrequietum.* 2.) *lux mundi.* II.) *Lux mundi*, Matth. V. 14. non eo quidem sensu ac gradu, quo Christus dicitur τὸ φῶς, *vera illa lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*; Joh. I. 9. VIII. 12. IX. 5. hoc enim sensu ipse Johannes Baptista major omnibus natis ex mulieribus negatur esse lux: Joh. I. 8. sed quia sunt λύχνοι καιόμενοι καὶ φαίνοντες *lucernae ardentes & lucentes.* Joh. V. 35. sunt luminaria illuminata & illuminantia, a vera & essentiali luce illuminata & accensa, ut lucem doctrinae spargant, eaque mundi tenebras illuminent, quin & vita ac moribus lucere debent. Matth. V. 16. Phil. II. 15. Rabbini in genere sapientes vocant אור עולם *mundi lucem*, unde in l. select. gem. in c. de sapientia dicunt: *Sapientes in terra sunt quod luminaria in cœlo: nam illuminant mundum & pellunt tenebras eorum.* Hilarius in h. l. Matth. *Mundus extra cognitionem Dei positus obscurus tenebatur ignorantiae tenebris, cui per apostolos scientiae lumen invehitur, & cognitio Dei claret, & de parvis eorum corpusculis, quocunque incesserint, lux tenebris ministratur.* Quidam, inter quos Theophylactus, etiam huc accommodant verba sequentia: *Non potest civitas abscondi supra montem posita, nec accendunt lucernam, ut ponant eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui sunt in domo.* Isidorus Pelusiota lib. I. epist. XXXII. p. 8. *Deus lucernam, h. e. sacerdotem accendit ac candelabro imponit, hoc est, cathedrae suae lucem ferenti* τῆς ἑαυτοῦ φωτοφόρᾳ καθέδρας, *ut & dogmatum & actionum ab omni caligine liberarum splendorem ecclesiae fulgetri instar adferat, quo nimirum plebs vivifici fulgoris radios spectans ad eos sese dirigat, patrisque luminum gloriam spectet.* Sensus igitur est, & doctrinam & vitam ministrorum esse in conspectu omnium positam instar civitatis supra montem positae, sedulo igitur ipsis cavendum esse, ne errorum & peccatorum tenebris involvantur; contra vero in id incumbendum ipsis unice, ut candelabri aurei in tabernaculo Mosaico & templo Hierosolymitano typum exprimentes, lucem doctrinae & vitae aliis praeferant. Vide Gregorium hom. VI. in Ezech. Huc pertinent dicta illa scripturae, in quibus ministri ecclesiae comparantur *candelabris*: Zach. IV. 2. Apoc. I. 13. XI. 4. respectu scilicet habito ad candelabrum illud aureum in tabernaculo Mosaico. III.) Comparantur *operarii in vineam* conductis; Matth. XX. 1. ad illos enim specialiter illa parabola Christi adplicatur ab Irenaeo lib. IV. c. 70. p. 305. Hilario can. XX. in Matth. Chrysostomo sive quisquis autor alius, homil. XXXIV. oper. imperf. Hieronymo lib. II. contra Jovinian. Gregorio hom. XIX. in evang. sicut etiam Matth. XXI. 33. Marc. XII. 1. Luc. XX. 9. conferuntur γεωργοῖς *vineae cultoribus.* Interim non negandum, in genere & quidem longe commodius ad quosvis in vineam Domini, hoc est, in ecclesiam vocatos parabolam illam adcommodari posse, quod faciunt Origenes hom. X. in Matth. Nazianzenus in conc. de bapt. Chrysostomus hom. LXV. in Matth. Augustinus serm. LIX. de verb. Dom. &c. Distinctis mundi aetatibus ac temporibus mittit Deus ecclesiae suae doctores, qui in vinea non otientur, sed sedulo laborent, largissimam olim laborum suorum mercedem reporta- 3.) *Operarii vineae.*

portaturi. IV.) *Servis invitantibus ad nuptias regias:* Matth. XXII. 3. mittuntur enim a cœlesti patrefamilias, ut nuntient hominibus: *omnia parata sunt, venite ad nuptias*, sed mundus malam illis reponit gratiam. Huc pertinet encomium illud, quo ministri ecclesiæ dicuntur *amici sponsi*, Joh. III. 29. qui sponsam Christo adducunt ac despondent. 2. Cor. XI. 2.

4.) *Servi invitantes ad nuptias.*

5.) *Ad cœnam.*

V.) *Servis invitantibus ad cœnam magnam:* Luc. XIV. 17. nuntiant enim hominibus, in Christo parata ipsis esse omnia ad salutem necessaria, & ad participationem illorum beneficiorum amice ipsos invitant. VI.) Vocantur *piscatores hominum.* Matth. IV. 19. Marc. I. 17. Luc. V. 10. tum propter divinam promissionem: Jer. XVI. 16. *mittam piscatores multos & piscabuntur:* tum propter typum; Ezech. XLVII. 10. *Piscatores ambulant in magno illo mari*, quod in visione prophetæ ostenditur; tum propter convenientiam: *Profundum est hujus seculi mare, ex cujus limo, opera ministrorum ecclesiae, trahendi sunt homines in lumen cœleſtis habitaculi*, ut loquitur Hilarius can. III. in Matth. Piscatores quandoque *per totam noctem* frustra laborant, Luc. V. 5. coguntur imbres & pluvias sustinere, projiciunt rete suum, nescii, quos ac quot pisces capturi sint, concludunt reti suo pisces bonos ac putres: Matth. XIII. 47. quæ omnia ad ministerium ecclesiasticum adcommodari possunt. VII.) *Operarii in messe dominica;* Matth. IX. 38. quæ adpellatio cumprimis apostolis & reliquis nov. test. ministris competit. Joh. IV. 37. *In hoc verum est proverbium: alius est qui seminat, alius qui metit.* v. 38. *Ego misi vos metere, quod non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiistis*, ubi per *seminantes* intelliguntur prophetæ & ministri ecclesiæ vet. test. per *metentes* apostoli & ministri nov. test. cujus tempus comparatur *messi.* Esa. IX. 3. Prophetæ & doctores vet. test. agrum dominicum sentibus idololatricis undique oppletum expurgarunt, concione legis velut aratro eum proscinderunt, & semina promissionum evangelicarum de Messia sparserunt, sed maturitatem segetis, impletionem scilicet earum, ac tempus messis, universalem scilicet gentium vocationem non viderunt. Vide Irenæum lib. IV. cap. 40. p. 274. Quamvis vero Christus ibidem locutione proverbiali & comparate accipienda seminantibus solum laborem tribuat; negari tamen nequit, etiam messoribus pondus & æstum diei tolerandum esse, unde ab Asinæo Poeta tempus messis vocatur καματῶδες: ita quoque ecclesiæ ministris multæ in officio suo tolerandæ sunt molestiæ. Quando igitur ministri ecclesiæ conferuntur operariis in messe, significatur: 1.) Ministerium ecclesiasticum non esse ignavum otium, sed negotium. 2.) Summam esse ministerii necessitatem. Quemadmodum in messe opus est ἐργάταις, qui fruges demetant & in horrea colligant: sic in messe spirituali, hoc est, in ecclesiæ collectione operariis est opus, quorum ministerio ecclesia colligatur. 3.) Dominum ministerii vocantem, adeoque extrudentem operarios in messem esse ac manere solum Deum, piis precibus ob id compellandum, ut operarios mittat. VIII.) Adfinis huic adpellationi est ea, qua dicuntur συνεργοι θεῦ *cooperarii Dei* in spirituali scilicet agricultura. 1. Cor. III. 9. Collectio ecclesiæ est γεώργιον, *agricultura quaedam.* Ibidem summus γεωργὸς est *Pater cœlestis*, Joh. XV. 1. συνεργοι ipsius in hac agricultura sunt ecclesiæ ministri, illi *plantant ac rigant*, sed Deus solus *dat incrementum.* 1. Cor. III. 6. Huc etiam pertinet, quod ministri ecclesiæ dicuntur ἐργάται, *operarii*, qui scilicet in agro & vinea Domini, quæ est ecclesia, strenue laborare debent; Matth. IX. 37. X. 10. Luc. X. 2. quod si recte ac fideliter officium suum administrant, sunt ἐργάται δόκιμοι καὶ ἀνεπαίσχυντοι, 2. Tim. II. 15. qui gloriam, non ignominiam a Deo repor-

6.) *Piscatores.*

7.) *Operarii messis.*

8.) *Agriculturae συνεργοι.*

reportabunt, sin minus, fiunt ἐργάται δόλιοι, 2. Cor. XI. 13. ἐργάται κακοὶ. Phil. III. 2. IX.) Vocantur quoque *œconomi*, Luc. XII. 42. *Quis, putas, est fidelis ac prudens dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam &c.* Pontificii de solo Petro hoc dictum esse statuunt, cui soli tanquam summo gubernatori & successoribus ipsius familia Domini sit commissa: sed loquitur Christus in genere de omnibus ecclesiæ ministris, cumprimis de illis, quibus in alios pastores inspectio demandata est. 1. Cor. IV. 1. *Sic nos aestimet homo ut ministros Christi & οἰκονόμους mysteriorum Dei.* Tit. I. 7. *Oportet episcopum esse ἀνέγκλητον ὡς θεοῦ οἰκονόμον.* Pulcerrime vero in hac adpellatione officium ministrorum exprimitur: ecclesia est *domus Dei*, 1. Tim. III. 15. in qua Deus habitat per gratiam; *domestici* in hac domo sunt omnes sancti, Eph. II. 19. quibus Deus sese per verbum manifestat, eosdemque peculiariter diligit ac tuetur; *œconomi* sunt ecclesiæ ministri, qui per claves divinitus sibi traditas recludunt thesauros, quos Deus in ecclesiæ domum deposuit, hic igitur requiritur ab œconomis *fidelitas*, 1. Cor. IV. 2. ut rationem suæ administrationis Domino olim reddere possint. Quemadmodum etiam in ampla œconomia sunt distincti gradus ministeriorum & officiorum: ita quoque in ecclesiastico ministerio instituit Deus certum ordinem, ut alii aliis velut ἐργοδιώκται præsint, & opus Domini urgeant. (*) Adpellantur X.) *legati Dei*: 2. Cor. V. 20. pro Christo πρεσβεύομεν *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Eph. VI. 20. Ὑπὲρ τοῦ εὐαγγελίου πρεσβεύω, *super praedicatione evangelii legatione fungor.* Quæ adpellatio in ministris sedulitatem, in auditoribus reverentiam erga pastores excitare debet. Nemo sibi partes legati sumit; nisi a legante imponantur, sic ministri non currant, antequam mittantur. Legati continent se intra certos ac præscriptos mandati terminos: sic ministri non nisi eloquia Dei proferant, nihil addentes, nihil dementes. Legati jure gentium sunt inviolabiles, unde graviter animadverti solet in eos, qui regum ac principum legatos injuria adficiunt: sic Deus severe vindicat injuriam legatis suis illatam &c. Huc referri etiam potest *angelorum* adpellatio ministris ecclesiæ adtributa: *angelus* enim officii nomen est, non naturæ, legatum ac missum ab alio significans. Deut. II. 26. *Et misi* מַלְאָכִים *nuntios ex deserto*, LXX. interpretes πρέσβεις. Itemque omnia illa dicta, in quibus apostoli & ipsorum successores a Christo dicuntur mitti, Matth. X. 16. Joh. XX. 21. &c. adeo ut, qui illos audiat, Christum ipsum audiat. Luc. X. 16. Inde Hieronymus præfat. in Pentat. *per os apostolorum Christus mihi loquitur.* (**)

9.) *Oeconomi.*

10.) *Legati Dei.*

XI.) *Testes*, μάρτυρες, quæ adpellatio præcipue quidem tribuitur apostolis, qui fuerunt προκεχειροτονημένοι καὶ αὐτόπται μάρτυρες, Luc. XXIV. 48. Joh. XV. 27. Act. I. 8. X. 41. &c. peculiariter ad id vocati & in mundum ablegati, ut de Christi persona, officio ac beneficiis testarentur; sed interim competit etiam aliis ecclesiæ ministris, qui de voluntate Dei ex ipsius verbo testimonium ferunt. Apoc. II. 13. XI. 3. Testes oportet esse requisitos, vitæ inculpatæ, homines

11.) *Testes.*

(*) Dicuntur etiam *medici*: Jer. XXX. 13. *Non est, qui judicet judicium tuum ad sanitatem, medicinae curatio non est tibi*; id est, nemo medicorum recte judicat de tuo morbo ac remediis, ut te sanare possit. Ex hoc loco colligitur, ministros verbi esse velut quosdam medicos politiarum, utpote qui monstrent, quomodo summos morbos, peccata, iram Dei ac pœnas vel antevertere, vel etiam sanare ac tollere queamus. GERHARDUS.

(**) Gregorius hom. VI. in evang. *Unusquisque si in quantum sufficit, proximum a pravitate revocat, si exhortari ad bene operandum curat, si aeternum regnum vel supplicium erranti denunciat, cum verba sanctae adnunciationis impendit, angelus existit.* hom. XXXIV. *Qui secretorum caelestium summa capere praevalent, & nunciare, isti in archangelorum numero deputantur.* GERHARDUS.

homines veraces, consentientes, de rebus cognitis testificantes &c. Eadem in ministris requiruntur, qui ex verbo de voluntate Dei vere, ingenue, constanter ac fideliter testari debent, nec verbis modo, sed etiam, si opus sit, vita ac sanguine.

12.) *Praecones.* XII.) *Praecones*, κήρυκες. 1. Tim. II. 7. & 2. Tim. I. 11. Paulus se vocat κήρυκα, *praeconem evangelii*. 2. Petr. II. 5. Noachus patriarcha vocatur κήρυξ δικαιοσύνης, *praeco justitiae*. Κήρυκες dicuntur proprie caduceatores, qui decreta magistratus publica voce promulgant; sic ministri ecclesiæ κήρυγμα, publicum evangelii præconium, Dei mandato ac nomine hominibus adnunciant. Matth. X. 27. *Quod in aurem auditis*, κηρύξατε, *praedicate super tecta*. Apud Athenienses cœtus civium convocabantur per ministros publicos, quos vocabant κήρυκας, atque hæc convocatio dicebatur ἐκκλησιάζειν, ita quoque ecclesiam suam colligit Deus, & ex cœtu hominum evocat per præcones evan-

13.) *Tubicines.* gelii. XIII.) Vocantur etiam præcones verbi *tubicines*, Apoc. VIII. 2. & seqq. *tum* respectu habito ad officium Levitarum in vet. test. ad quos pertinebat *tubis* certo tempore *clangere*. Num. X. 1. & seqq. (*) (Tubæ Levitarum paratæ erant ex diducto & solido argento, sic verbum Dei solide & integre adnunciari debet, non mixtum humanis & commentitiis doctrinis: differentia in sono tubarum notat doctrinæ ordinem; clangor est doctrina placida: jubilatio in bello excitanda est strepitus vehementior, hoc est, in persecutione sunt orationes excitatiores.) *Tum* quia tubarum clangor ministerii conditionem & officium concinne exprimit: (debent enim *voces suas elevare sicut tubas, & populo adnunciare peccata*. Esaj. LVIII. 1. Tuba per se nullum edit sonum, sed ab alio eam inflari oportet; sic ministri loquuntur ex Spiritu sancto, Matth. X. 20. *sunt voces clamantis*. Joh. I. 23. Tuba sonum edit clarissimum, quem e longinquo positi exaudire possunt; sic veritatis clangor longissime personat.)

XIV.) Sunt, qui existimant, præ- 14.) *Venti.* dicatores evangelii *metaphorice* vocari *ventos*, Apoc. VII. 1. cum verbi & Spiritus sancti in ministerio efficacia vento conferatur, Joh. III. 8. ac discipulis in sono vehementis venti Spiritus sanctus adparuerit. Act. II. 2. Causam adpellationis exprimit anonymus quidam interpres apocalypseos, qui ante annos ducentos scripsit: *Sicut ventus nubes excitat, terram adperit & rigat, fructiferam facit, faciem ejus floribus & fructibus hilarem reddit: ita evangelica praedicatio ab haeretica pravitate obumbrat & conservat corda terrenorum, eaque aperit ad compunctionem, & pervia reddit ad gratiae susceptionem, fructificare facit in bonis operibus & decorat in exemplis.* Vide Hoe in com. Apoc. VII. p. 489. & p. 510. ubi & necessitatis & utilitatis ratione ministerium ecclesiasticum vento conferri ostenditur. (**)

## §. XXXVI.

(*) Tuba est instrumentum bellicum & classico canendo infervit. Significatur igitur, præcones verbi divini prædicatione sua homines ad bellum vitiis ac sceleribus inferendum adhortari, atque ad arma contra dæmonem, omnemque ejus exercitum capienda. Origenes homil. VII. in Jos. *Duae tubae argenteae ductiles Numer. I. significant, concionatores ex divinis literis varia argumenta ducere, quibus spirituale bellum peccatoribus indicitur.* Gregorius lib. XXX. moral. cap. 7. *Per duas tubas exercitus ducitur, quia per duo praecepta caritatis ad proficuum fidei populus vocatur, quae idcirco argenteae fieri praecipiuntur, ut praedicatorum verba lucis nitore pateant, & auditorum mentem nulla sui obscuritate confundant.* Gerhardvs.

(**) Quidam huc referunt dictum Cant. IV. 16. *Surge aquilo, & veni auster, & profla hortum meum & fluent aromata illius*; quibus verbis ecclesiæ doctores ad prædicandum verbum incitantur, *ut eorum praedicatione suavissima virtutum omnium aromata colligantur.* Ratio adpellationis 1.) a *celeritate*, qua venti isti evangelici huc illucque discurrunt, ut veritatem fidei, bonitatemque morum ubique disseminent, quæ præcipue celeritas in apostolis resplenduit: 2.) quoniam instar ventorum effre-

*In patribus vocantur præpositi, paroeci, sacerdotes, &c.*

§. XXXVI. In scriptoribus ecclesiasticis adpellationes illæ repetuntur. (*) Sic Eusebius lib. I. hist. eccl. c. 1. de ecclesiæ apostolicæ & apostolorum temporibus proximæ episcopis scripturus, dicit se de illis acturum, qui ecclesiæ διαπρεπῶς, *competenter*, *praefuerint*, (ἡγήσαντό τε καὶ προέστησαν inquit, admonens eos fuisse velut ductores & præsides dominici gregis) *quique singulis aetatibus divinam doctrinam sive viva voce sive commentariis suis administraverint* (τὸν θεῖον ἐπρέσβευσαν λόγον inquit, docens eos magna fide & religione verbum veritatis tractasse, πρεσβεύω enim significat non tantum legationem obeo, sed etiam πρωτιμῶ. Ergo πρεσβεύειν est verbum Dei magna cum religione tractare.) Vocantur etiam ecclesiæ ministri παροικοι. Eusebius lib. III hist. 13. Anianum vocat primum ecclesiæ Alexandrinæ parœcum, unde parœcia ac corrupte parochia, ut & Germanice *Pfarrer*. Budæus in pand. *Sunt, qui parochias inde adpellatas censeant, quibus singulis sacerdotes sui destinati sunt ab exhibitione scilicet sacrosancti panis. Ego vero non parochias primum sed paroecias adpellatas esse censeo. παροικοι enim sunt adcolae, quare qui fanum aliquod adcolunt, paroeci sunt dicti, ejusdem scilicet fani consortes, & paræcia adcolarum conventus & adcolatus, sacraque vicinia.* Hæc Budæus. *Sacerdotum* nomen quo sensu peculiariter ecclesiæ ministris adtribui cœptum fuerit, dictum est superius. Progressu temporis sub papatu sacerdotia adpellari cœperunt *beneficia*. Olim enim officium ecclesiasticum pro onere reputabatur, sed cum postea laboribus prætermissis, lucro tantum inhiarent clerici, inde ipsum quoque nomen fuit mutatum. Duarensis lib. II. de sacr. eccles. minist. cap. 3. *Quod olim in antiquis canonibus & conciliis ministerium vocabatur, postquam possessiones acceserunt, ad imitationem phrasium in feudis usitatarum vocari cœpit beneficium.*

*Apud pontificios vocantur clerici.*

§. XXXVII. Pontificii nostrarum ecclesiarum ministros per contemtum vocare solent *praedicantes*, ac magnam illis hoc nomine ignominiam irrogari existimant. Sed constat ex scripturis nomen *praedicantis* ac officium prædicandi tribui Christo, Esai. LXI. 2. Matth. IV. 17. & 23. *erat praedicans in synagogis*: Luc. IV. 44. angelis, Apoc. V. 2. prophetis; Jer. VII. 2. XIX. 2. L. 2. Jon. I. 2. Johanni baptistæ, Matth. III. 1. Marc. I. 4. apostolis, Matth. X. 7. Marc. XVI. 15. Luc. IX. 2. Rom. X. 14. &c. ergo nomen illud est honorificum, per quod sanctissimo Christi, prophetarum & apostolorum collegio adscribimur. (**) Ostendant vero nobis in scripturis nomen missificantium, monachorum, abbatum, cardinalium &c. Ipsi contra ecclesiasticas personas generali adpellatione vocant *clericos*. Ut enim adparet ex Bellarmino libr. III. de clericis cap. 11. septem numerant ordines sacros, in primo sunt *sacerdotes*, quos in *majores* ac *minores* postea dividunt. Ad

e 2 majores

effrenatas hominum adpetitiones velut pravos humores *exsiccant*: 3.) quia peccatores ad lacrymas *impellunt*: 4.) quia scripturæ difficultates vel ut obscuras nubes e cœlo ecclesiæ *dissellunt* ac dissipant, solemque, id est, verum divinarum literarum sensum & intelligentiam patefaciunt. GERHARD.

(*) Quomodo typus Exod. XXV. de vestibus in arcæ latere ad ministros ecclesiæ adcommodari possit, docent Gregorius part. II. curæ pastor. cap. ult. & Beda in expos. Exod. XXV. Theodoretus in comm. super Cantic. ad concionatores adcommodat locum Cant. IV. *Favus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua.* Vid. Blasius de Vieg. in c. X. Apoc. p. 424. GERHARDUS.

(**) Ante annos ducentos amplius sub ipso papatus flore longe ante Lutherum Nicolaus de Clemangiis, doctor Parisiensis, *praeclarissimum praedicandi officium apud Romanenses viguisse* scribit. Pontificii ipsi ecclesiæ doctores quandoque vocant *ministros*, ut adparet ex Lorichio in thes. theolog. voce *minister* fol. 1389. ubi ministrum ridicule describit, *quod sit omnis, qui institutas preces ex vi ordinationis aut voto recitat, ut regularis professus utriusque sexus; omnis clericus etiam primae tantum tonsurae, omnis donatus & donata alicui religioni aut ecclesiae seculari, & omnis alius, qui orationes ab eo ordinatas ejus nomine recitat.* GERHARDUS.

majores referunt *patriarchas, archiepiscopos, metropolitanos & episcopos.* Minores vocant *presbyteros.* In secundo sunt *diaconi.* In tertio *subdiaconi.* In quarto *acoluthi.* In quinto *lectores.* In sexto *exorcistae.* In septimo *ostiarii*, de quorum nomenclatura, officiis & discrimine inferius dicetur. Omnes illos vocant *clericos*, quos a laicis & monachis distinguunt. Nomen *clerici* descendit a κλῆρος, quod significat sortem, partem, ac hæreditatem. Petrus 1. epist. I. 4. κλῆρος vocat Dei ecclesiam, respiciens ad populum Israeliticum, quem Deus velut portionem quamdam a reliquis gentibus separatam in peculium sibi elegerat, Deut. IV. 20. IX. 29. 1. Reg. VIII. 1. &c. eidemque terram Canaan per sortem distribui jusserat, Num. XXVI. 55. Jos. XIV. 2. &c. in cujus locum cum christiani in nov. test. successerint, inde Petrus ecclesiam christianam vocat κλῆρον, hæreditatem Domini, ex Psal. II. 8. *Postula a me, & dabo tibi gentes in hæreditatem*, quam scilicet sibi elegit in populum περιούσιον, Tit. II. 14. ac dedit cuilibet vero illius membro partem τὰ κλήρῳ τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτὶ, Col. I. 12. ut de omnibus & singulis vere piis dici possit, *quod sorte vocati sive adsciti sint*, Eph. I. 11. in populum scilicet Dei, sanctorum communionem, & vitæ æternæ hæreditatem. Merito igitur juxta scripturæ sensum omnes vere credentes ac pii dicuntur *clerici*, quia scilicet pertinent ad illum κλῆρον, portionem ac hæreditatem Domini; immerito contra solis sacerdotibus clericorum nomen in papatu vindicatur; (ubi nota vocem κλῆρος tredecies in nov. test. usurpari, sed ex locis illis omnibus nullum esse, in quo sensu pontificio accipi eam oporteat.) Nimirum convenit illis hac in re cum pharisæis, qui se hoc nomine adpellabant, quod vitæ sanctimonia & munditie a reliquis Judæis essent sejuncti & separati, quam pharisaicæ adpellationis etymologiam tradunt Origenes, in cap. XXIII. Matth. Tertullianus, de præscript. Epiphanius, hær. XVI. Ambrosius, libr. III. in Luc. & confirmat fastuosa precatio pharisæi, Luc. XVIII. 10. Pari ratione ministri sacrorum in papatu vocant sese clericos, quasi soli sint de sorte Domini. c. Clericus causa 12. q. 1. *Clericus, qui Christi servit ecclesiae, interpretetur primum vocabulum suum, & nominis definitione prolata nitatur esse, quod dicitur, si enim κλῆρος graece, latine sors adpellatur, propterea clerici dicuntur, quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars clericorum est; & quia vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut ipse possideat Dominum, vel ut possideatur a Domino.* Sane Hieronymus in epist. ad Nepotian. epist. 2. similem ponit adpellationis rationem, sed *allusivam* verius quam propriam & adcuratam, cum omnes pii sint sors Dei, & Deus sors ipsorum, quare cum a pontificiis in abusum postea hæc etymologia trahatur, merito est repudianda. Bellarminus libr. I. de membr. eccles. militant. cap. 1. *Clerici sunt quasi Domini sors & hæreditas.* Gregorius de Valent. tom. IV. disp. IX. quæst. 5. punct. 2. *Clerici vocantur ministri ecclesiae, vel quia peculiariter de sorte sive hæreditate sint Domini, quatenus divino cultui sunt singulariter mancipati, vel quia Dominus peculiariter est ipsorum sors sive pars.* Propter hanc arrogantiam jure factum credimus, ut clerici Romani ab Hieronymo præf. in libr. Didym. de SS. vocarentur *senatus pharisaeorum*, sicut viciissim idem in com. X. Matth. pharisæos nominat *Judaeorum clericos.*

§. XXXVIII. Regerunt Bellarminus & Gregorius de Valent. d. l. l.) *Nomen cleri* 1. Petr. V. 3. *non tribui ecclesiae universae, sed tantum ministris episcopo subjectis, qui ei regi debeant, ut fugiatur dominandi cupiditas.* Resp. imo vero de toto grege dominico apostolus loquitur, ut constat ex ipsis verbis textus. Adloquitur enim Petrus presbyteros, eosque hortatur, ut pascant gregem sibi commissum, contra vero eosdem dehortatur, ne dominentur clero. Jam vero Bellarminus distinguit inter episcoporum & presbyterorum jurisdictionem, atque illos, qui aliis

aliis ecclesiæ ministris præsident, non presbyteros, sed episcopos proprie vocari adserit, quomodo igitur presbyterorum nomine potest intelligere episcopos? Quod si hoc loco per κλήρους intelligerentur presbyteri, talis sequeretur paraphrasis: presbyteri non dominentur presbyteris; sequeretur etiam, episcopos non quidem presbyteris dominari debere propter interdictum apostolicum, bene tamen in gregem sibi commissum exercere posse superbum dominium, ita enim κατακυριεύειν a Bellarmino exponitur. Præterea huic dominationi in clerum opponit apostolus, fieri typum τῆ ποιμνίᾳ, ergo per τὰς κλήρους ac per τὸ ποίμνιον, idem omnino intelligitur: jam vero nemo inficias ire poterit, per τὸ ποίμνιον gregem verbo Dei pascendum intelligi debere. Ac continetur in verbo τῶν κλήρων tacita quædam ratio, quare non debeant eo modo gregem suum pascere, ut dominium quoddam in eum exerceant, nimirum quia est κλῆρος, fors & hæreditas Domini. Unde Oecumenius κλῆρον hoc loco interpretatur ἱερὸν σύγκριμα. II.) *Si vel maxime per clerum tota ecclesia intelligatur, tamen istud nomen ministris peculiariter tribui potest, cum ratione officii magis adtineant Deum, quam reliqui christiani.* Resp. non de eo quæritur, an sit discrimen inter pastorem & gregem? nec de eo, an sano sensu ministris ecclesiæ peculiariter nomen clericorum tribui possit? cum non solum ratione communis christianismi, sed etiam ratione peculiaris officii ad sortem Domini spectent, quo sensu novimus in primitiva ecclesia hoc nomen fuisse clericis tributum; (*) sed illud in quæstione versatur, an scriptura sacra peculiariter ministros ecclesiæ nov. test. hoc nomine adpellet? quod pontificii quidem adfirmant, nos vero negamus. Deinde & illud potissimum quæritur, an sensu pontificio ministri ecclesiæ recte dicantur, vel dici possint clerici? quod itidem negamus. Voco autem sensum pontificium, quod clericos a laicis eo modo distinguunt, ut illis tribuant talem prærogativam & excellentiam, quæ complectatur αὐτοκρατορικὴν præcipiendi autoritatem, & ecclesiam gubernandi liberam potestatem, hos vero a scripturæ lectione, a doctrinæ examine & calicis eucharistici participatione arceant &c. ut illos a magistratus politici potestate penitus eximant, in hos vero authenticum imperium ipsi arrogent. III.) *Scriptura ipsa sacerdotibus peculiariter hoc nomen tribuit: Deut. X. 9.* Levitis non fuit data pars & hæreditas, quia Dominus κλῆρος ipsorum. *Resp.* redditur ibidem causa, quare Deus noluerit Leviticæ tribui cum reliquis Israelitis dari certam terræ Cananææ portionem hæreditario possidendam, quia scilicet *Dominus sit fors sive haereditas ipsorum*, id est, ut alibi passim exponitur, quia ex sacrificiis, victimis, primogenitorum lytro, primitiis &c. Domino oblatis sustentari debeant. Deut. XVIII. 1. *Non erit sacerdotibus, Levitis pars & haereditas cum Israel. Ignitiones sive oblationes & haereditatem ejus comedent.* Quid vero hoc ad ministros nov. test. ad quos αἰτιολογίας illius explicatio adcommodari non potest? Ejusdem census est, quod ex Jer. XII. 13. proferunt: *Cleri eorum non proderunt eis, hoc est, si ministri ecclesiae in officio sint negligentes, non proderit eis, quod peculiariter in haereditatem Domini per ministerium sint adsciti.* Atqui fontes veritatis longe aliter habent, נֶחֱלוּ לֹא יוֹעִלוּ Arias & Pagninus reddiderunt: *Ægrotaverunt, non profecerunt.* Vatablus: *Haereditatem adierunt, & nihil profecerunt.* Tremellius: *Cum indoluerint laboribus, non proficient.* Verus sensus ex integro contextu manifestus, quod minetur Dominus subtractionem benedictionis in temporalibus, statim enim subjicitur: *Erubescetis ex proventibus vestris prae aestu irae Jehovae.* Quare cum per κλῆρος, qua voce LXX. interpretes in hujus loci versione utuntur, non ministerium ecclesiasticum, sed hæreditas bonorum temporalium necessario intelligenda sit, cumque non de solis Levitis,



(*) a Tertulliano, lib. de monog. Origene, homil. VII. in Jerem. Epiphanio, in epist. ad Joh. Episcop. Hierosol. Eusebio, lib. V. c. 28. Socrate, lib. V. cap. 2. & 16. GERHARDUS.

sed de Israelitis in genere textus loquatur; nec ex hoc loco clericorum nomen ministris ecclesiæ peculiariter tributum demonstrare poterunt. Inde cum Hieronymus in epistola ad Nepotianum scripsisset: *Obsecro te, ne officium clericatus genus antiquae militiae putes, hoc est, ne lucra seculi in Christi militia quaeras, ne plus habeas, quam quando clericus esse cœpisti, & dicatur tibi, cleri eorum non proderunt eis*; Erasmus adscripsit: *Quid facies, Hieronyme, tot christianis sacerdotibus adeo locupletibus, ut his invideant christiani principes? quid episcopis, quitot oppida possident, ut nec dicam de praediis? Quid summis pontificibus, qui pro censu & praediis etiam belligerantur?* IV.) *In primitiva ecclesia jam olim usitatum fuit, ministros ecclesiae adpellare clericos. Can. apost. 12. 13. 15. concilium Nicaen. can. 1. 2. 3. 8. Tertullianus de monogam. &c.* Resp non de usurpatione vocabuli ecclesiastica, sed de biblica cleri acceptione potissimum quæritur, an scilicet scriptura sacra istud nomen peculiariter ministris ecclesiæ tribuat? Præterea in primitiva ecclesia non sensu pontificio, quasi soli clerici pertineant ad hæreditatem Domini, & authenticum in laicos imperium habeant; sed sensu orthodoxo hoc vocabulum fuit usurpatum, vocati enim sunt ministri ecclesiæ hoc nomine, quia τὸν κλῆρον τῆς διακονίας acceperunt, ut de Juda loquitur Petrus, Act. I. 17. Isidorus, lib. VII. etymol. cap. 12. & citatur in c. Cleros dist. 21. *Cleros & clericos hinc adpellatos credimus, quia Matthias sorte electus est, quem primum per apostolos legimus ordinatum.* Vide Meisnerum part. II. philos. sobriæ sect. 1. cap. 2. q. 10.

## CAPVT II.

### TO ŐTI PERTRACTAT, AN DETVR MINISTERIVM ECCLESIASTICVM?

*An detur ministerium ecclesiasticum? Probant hoc, 1.) Adpellationes.*

*2.) Doctorum series.*

§. XXXIX. Dari ministerium ecclesiasticum probant I.) enumeratæ *ministerii ac ministrorum ecclesiae adpellationes.* Quorsum enim tot non solum nomina, sed etiam honorifica encomia in scripturis huic ordini adsignarentur, si in ecclesia talis quidam ordo non exstaret? II.) *doctorum ecclesiae series* a prima inde mundi origine usque ad nostra tempora continuata. Statim namque, cum protoplasti essent conditi, ex arcana majestatis sede prodiens Deus primum concionatorem egit promulgato solenni mandato de non comedendo vetitæ arboris fructu, Gen. II. 17. ut exercendæ obedientiæ, ad quam perfectis viribus instructi erant, materiam primi generis humani parentes haberent, seque hoc modo gratos Deo creatori præstarent. Post transgressionem hujus præcepti Filius Dei protevangelium *de semine mulieris contrituro caput serpentis* promulgavit, ac miseros protoplastos ex faucibus satanæ, mortis & inferorum hac consolatione eripuit: Gen. III. 15. fuisse enim Dei Filium, qui promissionem istam protulit, testatur paraphrasis chaldaica, v. 8. *Et audierunt vocem verbi, Memrah, Domini Dei ambulantis in horto*, quam secutus Johannes I. 1. Filium Dei vocat λόγον, quia scilicet per illum facta est hujus decreti promulgatio. Irenæus lib. III. cap. 18. & lib. IV. cap. 14. Ut autem Pater & Filius officium docendi in paradiso inchoare, & hac ratione in propria persona ministerium ecclesiasticum consecrare voluerunt, ita quoque Spiritus sanctus easdem concionandi partes administravit. Cum enim Eva ex Adæ costa ædificata ipsi adduceretur, dixit Adamus: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, haec vocabitur virago, quia de viro sumta est. Propterea relinquet homo patrem & matrem suam, & adhaerebit*

*haerebit uxori suae, & erunt duo in carne una;* Gen. II. 23. & 24. quæ verba ex peculiari & arcano Spiritus sancti instinctu ab Adamo prolata fuisse, vel quod idem est, Spiritum sanctum per Adamum ea protulisse, non solum ex eo adparet, quod Adamus ad imaginem Dei conditus fuerit Spiritus sancti templum atque organum, sed cumprimis etiam ex Matth. XIX. 5. ubi verba posteriora: *propterea relinquet homo &c.* ab ipso Deo prolata esse dicuntur. Tota igitur sacrosancta Trinitas in paradiso ministerium ecclesiasticum inchoavit ac consecravit, id quod dignitatem hujus status non mediocriter commendat. Easdem docendi partes ante diluvium ac post diluvium divino mandato *patriarchae* administrarunt. Series patriarcharum ante diluvium ostenditur Genes. V. *Adam, Seth, Enos, Kenaan, Mahaleel, Jared, Henoch, Mathusalem, Lamech, Noach*, qui omnes, Noacho excepto, fuerunt σύγχρονοι, atque augustissimum quoddam & sanctissimum collegium constituerunt. De Adamo dubitari nequit, quin filiis ac posteris suis promissionem evangelicam de semine mulieris tradiderit; id enim probat ritus sacrificiorum, quæ fuerunt typi unici illius sacrificii a Messia in ara crucis offerendi, quem ritum Adamus ab ipso Deo ex mactatis ovibus didicit, & filiis suis Caino atque Abeli postmodum tradidit. De Setho tradit Josephus lib. I. antiq. c. 3. *quod sideralem scientiam ac cœlestium rerum cognitionem excogitaverit*, huic studio astronomico procul dubio conjunxit etiam studium doctrinæ cœlestis ad nepotes ac posteros propagandæ. Cedrenus de eo adnotat, quod *instar Mosis faciem rutilantem e colloquio Dei retulerit:* quod *in ecstasi ab angelo venturum diluvium didicerit &c.* De Enos diserte testatur Moses Gen. IV. 26. quod ejus tempore *cœptum sit invocari nomen Domini*, quia scilicet ministerium docendi in ecclesia per Caini fratricidium dispersa instauravit, ac divino mandato primus sustinuit. Ita namque in verba illa commentatur b. Lutherus: *Postquam per Cain facta est confusio in domo Adae; paulatim multiplicatur etiam piorum generatio, & paratur ecclesiola, in qua Adam tanquam pontifex gubernabat omnia per verbum & sanam doctrinam, hoc dicit Moses cœpisse sub nativitatem Enos, cujus nomen etsi significat ingenti clade tunc oppressam fuisse ecclesiam; tamen Deus eam gratia & misericordia iterum erexit, & addidit hanc benedictionem spiritualem, ut in certo loco convenirent, docerent, orarent, sacrificarent, quod fortasse per Cainitas aut prohibitum aut impeditum hactenus fuerat.* De Henocho peculiare hoc refertur: Gen. V. 22. 24. *quod ambulaverit cum Domino, & vivus ad Deum fit translatus*, quæ μετάθεσις debebat esse *exemplum pœnitentiae*, ob testimonium evidens alterius vitæ & judicii secuturi; Sir. XLIV. 16. Quod autem non solum vitæ sanctitate & publica sui translatione, sed etiam concionibus homines sui temporis ad pœnitentiam & pietatem fuerit cohortatus, docet epistola Judæ v. 14. *Prophetavit autem de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus suae impietatis &c.* Cedrenus de illo dicit: Ἕτος πρῶτος γράμματα μανθάνει, καὶ διδάσκει, καὶ θεῶν μυστηρίων ἀποκαλύψεως ἀξιοῦται. De Noacho eadem phrasis usurpatur, *quod cum Deo ambulaverit* Gen. VI. 9. vel ut hebræus textus emphatice loquitur: *fecit se ambulare*, hoc est, sectari & imitari *ipsum Dominum*, quia scilicet voluntatem Dei in verbo expressam sibi unice tanquam justitiæ & salutis viam proposuit, nec ad dextram nec ad sinistram ab ea deflectens, eamdemque aliis proposuit. Nec dubium esse cuiquam potest, cum Noachus arcam Dei mandato exstruxerit, quin causam hujus structuræ exposuerit, ac de diluvio propter peccata immittendo vaticinatus fuerit, unde Petrus ipsum vocat κήρυκα δικαιοσύνης, *justitiae praeconem*, 2. epist. II. 5. quia scilicet *justitiae per fidem constitutus haeres*. Hebr. XI. 7. eamdem fidei justitiam auditoribus suis inculcavit. Post diluvium a Noacho usque ad Abra-

*Patriarchae.*

Abrahamum talis fuit patriarcharum series: *Sem*, *Arphaxad*, *Sale*, *Heber*, *Phaleg*, *Regu*, *Saruch*, *Nachor*, *Thare*, *Abraham*. Gen. XI. De Semo Thargum Jonathanis & Hierosolymitanum tradunt, quod sit Melchisedecus ille, cujus mentio fit Gen. XIV. 18. ipsi enim tanquam primogenito a patre Noacho munus sacerdotale commissum fuisse, quod manserit in ipsius familia usque ad tempora Aaronis, cujus sententiæ etiam Hieronymus mentionem facit in quæst. hebraic. in Genesin, quam ex chronologia Epiphanius frustra refellit, cum ex historia Mosaica certum sit, Semum & Abrahamum fuisse συγχρόνους, ac quia Melchisedecus decimas a patriarcha Abrahamo accipit, eique benedicit, inde colligit epistola ad Hebræos ipsum fuisse Abraha præstantiorem, Gen. VII. 7. quod ipsum confirmat istam sententiam, Melchisedecum esse ipsum Semum, patriarchali dignitate & ætate, cumprimis vero peculiari Dei vocatione conspicuum ac reverendum. De Abrahamo Gen. XVIII. 19. dicit Dominus: *Novi, quod praecipiet filiis suis & domui suae post se, & custodient viam Domini ad faciendum justitiam ac judicium.* XX. 7. Deus ipse honorat eum nomine *prophetae.* XXI. 33. *Abraham plantavit nemus in Bersabee & praedicavit ibi in nomine Dei seculorum.* Abrahæ ex fratre nepos fuit Lothus, qui Sodomitas viam Domini docuit, & de pœnis impietatis per incendium vindicandæ eos admonuit; XIX, 14. sed illi *animam justam operibus iniquis cruciabant.* 2. Petr. II. 7. De Isaaco Abrahæ filio & Jacobo Abrahæ nepote aliquoties commemoratur, quod in loco divinæ adparitionis *altaria exstruxerint, & invocarint in nomine Domini* Gen. XXVI. 25. XXXIII. 20. XXXV. 7. hoc est, quod publicum divini cultus exercitium instituerint, ac familiam suam, eosque omnes, qui se illi conjunxerunt, de via salutis, de promissione seminis benedicti &c. instituerint, sacrificia obtulerint ac de vero sine sacrificiorum homines erudierint. De Josepho, Jacobi filio, Psal. CV. 22. dicitur, *quod erudierit principes Ægyptios, ac senio-res docuerit sapientiam*, veram scilicet illam sapientiam, quam ex verbo & revelationibus divinis petitam ipsis proposuit.

§. XL. Cum vero posteri Jacobi patriarchæ in Ægypto multiplicarentur, & a rege tyrannice opprimerentur, cumque puritas doctrinæ cœlestis in populo Dei per idololatriam Ægyptiacam corrupta, Ezech. XX. 8. ac verbi ministerium fere collapsum esset, excitavit Deus Mosen servum suum, per quem non solum ex Ægyptiaca servitute populum Israeliticum eduxit, sed etiam cultum Leviticum instituit, honore summi sacerdotii ad Aaronem delato, ac Levitis ad sacra ministeria in tabernaculo obeunda separatis. Sic ergo cura sacrorum & ministerium ecclesiasticum ordinarie fuit penes *sacerdotes* ex tribu Levitica eligendos, quibus unus aliquis præfuit *summus sacerdos*, vel princeps sacerdotum ex eo vocatus. Num. III. 5. *Locutus est Dominus ad Mosen*, dicens: v. 6. *Adplica tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei, & custodiant custodiam ejus & custodiam totius coetus coram tabernaculo conventus & ad serviendum servitium tabernaculi.* Duravit hæc forma ministerii ecclesiastici & summorum sacerdotum successio usque ad Christum unicum nov. test. ἀρχιερέα, sacerdotum Leviticorum ἀντίτυπον, unde Nicephorus lib. II. hist. eccles. cap. 4. seriem pontificum Hebræorum usque ad Jacobum fratrem Domini primum Hierosolymitanum episcopum deducit. *Aaron*, (inquit) *primus pontifex, a Mose est unctus, hunc ordinem secuti sunt Eleazar, Pinehas, Eliezer, Bochhi, Ozi, Eli, Achitob, Abimelech, Abiathar, Sadoc, Achimaas, Azarias, Joram, Jojadas, Axioram, Phadaeus, Judaeus Iculus, Joathamus, Urias, Neri, Joas, Selam, Chelcias, Sareas, Josedec, Jesus, Joachim, Eliaseph, Joachaz, Johannes, Jadaeus, Onias, Simon, Eleazar, Manasses, Onias, Simon, Onias, Jesus & Onias alius, Alcimus, Onias, Judas Maccabaeus, Jonathas, Simon, Johannes, Ari-* *Sacerdotes.*

*Aristobulus, Jannaeas, Hircanus, Antigonus, Anaelus, Aristobulus, Jesus Phabi filius, Simon, Matthias, Josephus, Jozarus, Eleazarus, Jesus Seae filius, Ananus Caiphae socer, Ismaelus filius Phabi, Eleazarus Anani filius, Simon Camithi filius, Caiphas qui & Josephus dictus, sub quo pro nobis salutiferam mortem Dominus obiit.*

*Prophetae.* Quia vero Levitici sacerdotes in conservanda doctrinæ cœlestis puritate sæpius fuerunt negligentes, atque exinde variæ corruptelæ orirentur, extraordinarie Deus vocavit *prophetas*, qui a corruptelis illis doctrinam repurgarent, ad pœnitentiam comminatione pœnarum secuturarum populum cohortarentur, & promissionem de Messia repeterent atque illustrarent. Seriem istorum prophetarum orditur Petrus Act. III. 24. a Samuele, qui divinitus fuit excitatus ad doctrinæ & cultus instaurationem, *cum sermo Domini esset rarus admodum*; 1. Sam. III. 1. illum secuti sunt alii prophetæ magno numero: 2. Chron. XXXVI. 15. *Mittebat Dominus Deus patrum ipsorum ad Israelitas per manum nunciorum suorum mane surgendo & mittendo, eo quod parceret populo & habitaculo suo*, v. 16. *at illi subsannabant nuncios Dei, & irridebant sermones ejus, illudebantque prophetis, donec adscenderet furor Domini in populum ejus, & nulla esset curatio.* Prophetæ igitur fuerunt veluti quidam medici spirituales, per quos Deus animarum morbos in populo suo ex corruptelis doctrinæ & vitæ ortos sanare voluit, sed quia hanc manum medicam admittere noluerunt, exitio temporali & æterno facti sunt obnoxii. Quorumdam istorum prophetarum scripta singulari Dei beneficio adhuc in ecclesia supersunt, de quibus notandum, quod non eo sibi invicem successerint ordine, quo ipsorum libros in biblico codice videmus positos; qui enim eos sic disposuit, ad dignitatem & copiam rerum vel ad alias quasdam circumstantias, nequaquam vero ad seriem temporis respectum habuit. Sed quidam ex ipsis scripserunt ante captivitatem Babylonicam, quidam in captivitate, quidam vero post captivitatem. Ante captivitatem prophetarunt *Jonas & Obadias*, antiquissimi ex omnibus prophetis, qui post Mosen & Davidem scripserunt, quos sub Achab & Jeroboam regibus idololatricis vixisse constat. Circa tempus migrationis decem tribuum sub Usia & Ezechia claruerunt *Esaias, Oseas, Joel, Amos & Micha*, qui fere σύγχρονοι fuerunt, post quos non multo tempore sub Manasse secuti sunt *Nahum & Habacuc.* Instante migratione Juda sub Josia & Joachim prophetarunt *Jeremias & Zephanias.* In ipsa captivitate vaticinati sunt *Ezechiel ac Daniel.* Post captivitatem prophetias suas ediderunt *Haggaeus, Zacharias & Malachias*, qui fuit ultimus vet. test. propheta. Augustinus lib. XVII. de civit. Dei cap. 24. *Toto illo tempore, ex quo* (Judæi) *redierunt de Babylonia, post Malachiam, Aggaeum & Zachariam, qui tunc prophetarunt, & Esdram, non habuerunt prophetas usque ad salvatoris adventum.*

§. XLI. In nov. test. *Johannes* baptista divino mandato ministerium docendi ac baptizandi inchoavit. Luc. III. 2. *Sub principibus sacerdotum Anna & Caipha factum est verbum Domini ad Johannem.* Eum statim secutus est ipse *Christus*, Dei filius in carne manifestatus, Joh. I. 15. Hebr. I. 1. qui ad hoc officium solenniter in baptismo circa Jordanem fuit introductus, Matth. III. 17. ubi probe notandum, quod ut in primo mundi exordio, ita quoque sub nov. test. auspicio tota sacrosancta Trinitas ministerium ecclesiasticum iterum consecrare & sanctificare voluerit. Patet enim de summo cœli suggestu hanc vocem edit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo omne meum beneplacitum:* Filius baptizatur in Jordane, & ministerio docendi consecratur, quo ultra tres annos postmodum in his terris functus est: Spiritus sanctus descendit in specie columbæ super Christum, ungit ac replet eum, *ut evangelizet pauperibus.* Esai. LXI. 1. Luc. IV. 18. Ceterum cum non solum ad docendum, sed etiam & quidem cumprimis

*Joh. Baptista.*

ad genus humanum per passionem ac mortem redimendum, Christus a Patre cœlesti fuerit missus, quo redemtionis opere peracto ad dextram Dei considere debuit, ideo

*Apostoli.* duodecim elegit *apostolos* in primo statim ministerii sui exordio, quos peculiariter sibi adscitos & adsociatos ita informavit, ut ad evangelium in toto orbe prædicandum ipsos postea ablegaret; Matth. IV. 18. XXVIII. 19. &c. sed & alios septuaginta discipulos in civitates Judææ misit *binos ac binos*, quorum opera in prædicatione verbi usus est. Luc. X. 1. Apostoli cum scirent exacto vitæ curriculo sibi ex his terris abeundum, quin etiam se accepisse mandatum generale de prædicatione evangelii per totum terrarum orbem, ac proinde sibi non esse uno loco subsistendum; *pastores*

*Episcopi.* & *episcopos* illis in locis ante suum abitum ordinarunt, ubi salutarem verbi sementem sparserant. Act. XIV. 23. *Cum constituissent illis* (Lystrensibus, Iconiis & Antiochenis) *presbyteros per singulas ecclesias, & orassent, commendarunt eos Domino.* Episcopi ab apostolis ordinati & constituti postmodum alios constituerunt, per quos doctrina evangelii longe lateque fuit propagata, conservata & posteris quasi per manus tradita. Tit. I. 5. *Ideo reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Inde Eusebius in hist. eccles. recenset seriem episcoporum in ecclesiis per apostolorum prædicationem plantatis ac fundatis, libr. III. cap. 4. *Timotheus* (inquit) *primus Ephesianae paroeciae, sicut & Titus Cretensium ecclesiarum episcopatum sortitus est. Ex reliquis Pauli sectatoribus Crescens in Galliam missus est. Linus post Petrum primus ecclesiae Romanae episcopatum sortitus est, Clemens tertius Romanae ecclesiae episcopus constitutus est, Dionysium, quem Lucas in actis post Pauli concionem ad Athenienses habitam primum credidisse scripsit, primum ecclesiae Athenien sium episcopum fuisse tradunt &c.* Libr. III. cap. 11. *Post martyrium Jacobi primi Hierosolymitanorum episcopi rumor est, apostolos & discipulos Domini, qui tum adhuc in vita superstites erant, in unum undique una cum cognatis Domini secundum carnem esse congregatos ac simul de eo consilium capisse, quem ad hos dignum judicare deberent, qui Jacobo succederet, atque ita cunctos una & eadem sententia Simeonem Cleophae filium, sede paroeciae Hierosolymitanae dignum judicasse.* Lib. III. cap. 13. *Linus Romanae ecclesiae ministerium, cum in eo duodecim annis praefuisset, Anacleto tradit. Aniano primo ecclesiae Alexandrinae paroeco succesit Abilius.* Lib. III. cap. 14. *Anacleto in Romanae ecclesiae episcopatu succedit Clemens.* Libr. III. cap. 18. *Abilio in Alexandrina paroecia succedit Cerdo.* Lib. III. cap. 19. *Inter eos, qui ecclesiam Antiochiae gubernarunt, primus Euodius, alter Ignatius fuisse cognoscitur.* Lib. III. cap. 31. *Clemens episcopus Romanus ministerium tradidit Euaristo &c.* Concludit tandem Eusebius lib. III. cap. 34. *Alii etiam plures iisdem temporibus innotuerunt, qui primum gradum apostolicae successionis habuerunt, & tanquam summorum virorum divini discipuli existentes, cuncta passim ecclesiarum fundamenta ab ipsis apostolis jacta aedificarunt, & praedicationem ac salutaria regni cœlorum semina per universum orbem, quaqua patet, superseminantes auctiora reddiderunt. Etenim quamplurimi tum viventium discipulorum vehementiore philosophiae amore erga divinum ministerium adfecti primum salutare mandatum adimplentes, facultates suas egenis distribuerunt, ac deinde peregre profecti, opus evangelistarum perfecerunt, hoc est, illis, qui de doctrina fidei nihil dum prorsus audierant, Christum praedicare ac divinorum evangeliorum tradere scripturam magno conatu sategerunt. Hi autem fidei fundamentis novis quibusdam & peregrinis locis a se jactis, alios illic pastores constituerunt, atque illis culturam eorum, qui recens fuerant adducti, commendarunt, ac tum alias ipsi regiones ac gentes gratia & cooperatione Dei adjuti accesserunt &c. Quoniam vero impossibile nobis est, ut ex nomine cunctos recenseamus, qui & quando*

*do in prima post apostolos successione ecclesiis per orbem sparsis pastores fuerint & evangelistae, non abs re eorum duntaxat memoriam nominatim scripturae mandavimus, quorum etiamnum per apostolicae doctrinae monumenta ad nos usque traditio adfertur; &c.*

*Patres.*

§. XLII. Hisce apostolicis viris successerunt primitivæ ecclesiæ doctores, quos *patres* adpellare consuevimus, qui per succedentium sibi invicem seculorum seriem commemorari atque enumerari possunt. Sic in primo seculo floruerunt *Polycarpus*, Johannis auditor, & *Ignatius*. In secundo: *Justinus*, *Irenaeus*, *Clemens Alexandrinus*, *Melito Sardensis*, *Theophilus*. In tertio: *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Origenes*, *Dionysius Alexandrinus*, *Methodius*, *Martialis*. In quarto: *Eusebius Caesariensis*, *Athanasius*, *Basilius magnus*, *Gregorius Nyssenus*, *Gregorius Nazianzenus*, *Arnobius*, *Lactantius*; *Epiphanius*, *Hilarius*, *Ambrosius*, *Ruffinus*, *Hieronymus*, *Ammonius*, *Faustinus*, *Ephrem*. In quinto: *Augustinus*, *Primasius*, *Hesychius*, *Chrysostomus*, *Cyrillus Alexandrinus*, *Theodoretus*, *Leo*, *Socrates*, *Vigilius*, *Cassianus*, *Prosper*, *Eucherius*, *Sedulius*, *Junilius*, *Salonius*, *Salvianus*, *Theodulus*, *Gelasius maximus*, *Paulinus*, *Synesius*, *Marcus eremita*, *Marius Victorinus*. In sexto seculo: *Fulgentius*, *Boetius*, *Alcimus*, *Cassiodorus*, *Fortunatus*, *Olympiodorus*, *Maxentius*, *Gregorius magnus*. In septimo seculo: *Isidorus*. In octavo seculo: *Beda*, *Damascenus*, *Albinus*, *Carolus magnus*. In nono seculo: *Rabanus*, *Haymo*, *Remigius*, *Paschasius*. In decimo seculo: *Theophylactus*, *Giselbertus*, *Smaragdus*. In undecimo seculo: *Algerus*, *Anshelmus*. In duodecimo seculo: *Bernhardus*, *Petrus Cluniacensis*, *&c.*

*Scholastici.*

Illos secuti sunt doctores scholastici: *Petrus Lombardus*, *Alexander Alensis*, *Thomas Aquinas*, *Johannes Scotus*, *&c.* per quos licet magnæ in doctrinam christianam tenebræ illatæ fuerint, ob confusionem philosophiæ ac theologiæ, tamen illo quoque tempore & ecclesiam & ministerium Deus conservavit, retentis fundamentalibus doctrinæ christianæ capitibus apud aliquos integris, & excitatis oppressæ pene veritatis testibus, errores invalescentes adcusantibus ac damnantibus, donec tandem ministerio b. Lutheri & symmistarum lux doctrinæ evangelicæ ex papalium errorum ac superstitionum tenebris singulari Dei beneficio emergens ecclesiæ fuerit restituta, ac longe lateque in ea propagata, ministerio evangelico ad nostra usque tempora contra omnes satanæ conatus & molitiones conservato, atque ad ultimum usque judicii diem conservando.

3.) *Divinae promissiones.*

§. XLIII. Proinde III.) dari ecclesiasticum ministerium, confirmant *divinae promissiones* de conservatione ecclesiæ, & consequenter ministerii ecclesiastici usque ad finem seculi. Promissiones de conservatione ecclesiæ enumeravimus in tract. præced. de eccles. §. XXXV. ex quibus etiam ministerii conservatio recte infertur. Cum enim ecclesia per verbum ex mundo evocetur, colligatur, gubernetur, augeatur, nutriatur, propagetur; utique conservatio ecclesiæ includit etiam conservationem verbi, ac ministerii ecclesiastici, quod est ministerium verbi & Spiritus. Rom. X. 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, de quo non audiverunt? quomodo autem audient sine praedicante?* v. 15. *Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* Specialiter ad hunc locum referendæ sunt promissiones de ministerii conservatione. Esaj. XXX. 20. *Non avolabit ultra*, לֹא יִכָּנֵף, non elongabitur ultra, *doctor tuus, & oculi tui erunt videntes doctorem tuum*, v. 21. *& aures tuae audient verbum ejus, qui est post te, dicendo: Haec via, ambulate in ea, quando declinabitis ad dextram vel ad sinistram.* Quidam ex pontificiis de solo pontifice Romano hoc vaticinium propheticum interpretantur, ut adparet ex Ungersdorffii gratulatione p. 140. sed Hebræum מוֹרֶיךָ in numero *plurali* positum accipi posse agnoscit ipse Bened. Arias Montanus, ac si vel maxime in *singulari* positum

esset, quod verbum singulare additum probare videtur, notum tamen est, *enallagen* numerorum apud Hebræos esse usitatissimam. Lyranus & glossa interlinearis, uti etiam chaldaica translatio per unicum illum doctorem intelligunt Christum, summum ecclesiæ pastorem, verum quia Christus non amplius immediate, sed per ministros ecclesiam suam pascit ac regit, ideo recte de perpetua ministerii conservatione accipitur. Esaj. LIX. 21. *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, a modo & usque in sempiternum.* LXII. 6. *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die & tota nocte jugiter non tacebunt, qui reminisci facitis Domini, ne silentium vobis.* v. 7. *Et ne detis silentium ei, donec stabiliat & donec ponat Jerusalem laudem in terra.* Matth. XXVIII. 20. pollicetur Christus apostolis: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Cum vero apostoli tamdiu non vixerint, ideo etiam ad apostolorum in ministerio ecclesiastico successores hoc referendum est; promittit igitur se per verbum apostolorum collecturum sibi ex genere humano ecclesiam usque ad mundi finem, ac proinde etiam contra omnes satanæ ac mundi furores conservaturum ministerium verbi & sacramentorum, per quod ecclesia in mundo colligitur. Chrysostomus & ex eo Theophylactus in hunc locum: *Non solum apostolis hoc est pollicitus, quod cum illis sit, sed simpliciter discipulis suis omnibus, neque enim apostoli ad finem mundi victuri erant, unde & nobis & his, qui post nos erunt, hoc promisit.* Ex hoc fundamento apostolus scribit 1. Cor. XI. 26. *Mortem Domini adnunciabitis, donec veniat;* docet igitur, usum cœnæ dominicæ usque ad ultimum Christi adventum in ecclesia vigere debere. Eph. IV. 11. Christus ad dextram Dei post suam in cœlos adscensionem collocatus, *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, quosdam euangelistas, alios vero doctores & pastores,* v. 12. *ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi.* De auditoribus similes exstant promissiones: 1. Reg. XIX. 18. *Reliqui mihi in Israel septem millia virorum, qui non curvaverunt genua coram Baal.* Esaj. I. 9. *Dominus Zebaoth reliquit nobis semen.* VI. 13. *Semen sanctum erit id, quod steterit in ea.* Matth. XIII. 30. *Sinite utraque crescere usque ad tempus messis,* hoc est usque ad consummationem seculi, &c.

§. XLIV. Notandum tamen hoc loco: 1.) promissionibus illis de conservatione ministerii nequaquam successionem ministrorum ecclesiæ nov. test. ad unum aliquem locum, ad unam particularem ecclesiam, ad unum populum &c. adligari; sed esse generales de ecclesiæ & ministerii ecclesiastici, vel in hoc vel in alio loco, vel in hoc vel in alio populo futura conservatione. In vet. test. successio ministrorum ordinaria ad unam tribum fuit restricta, & ecclesia ad populum israeliticum adligata, sed in nov. test. per universalem gentium vocationem ecclesiæ pomœria sic dilatata sunt, ut nec ecclesia nec successio ministrorum ad unum aliquem locum vel populum adligata sit. Falso igitur pontificii de Romana ecclesia & perpetua pontificum Romanorum successione promissiones illas accipiunt, de quo errore in tract. de ecclesia late fuit disputatum. 2.) Ex promissionibus illis nequaquam inferri posse, quod publicum ecclesiæ ministerium perpetuo futurum sit purum & incorruptum, contrarium enim ostendunt querelæ prophetarum de publicis doctrinæ & cultus divini corruptelis, deque perverso sacerdotum israeliticorum statu, Esaj. LVI. 10. Jerem. II. 8. V. 30. VI. 13. VII. 28. X. 21. L. 6. Ezech. VII. 26. XXII. 6. Zach. X. 3. Zeph. III. 4. Mal. II. 8. &c. contrarium ostendunt tristissima exempla baaliticæ idololatriæ in regno Israel dominantis, & corruptelarum in regno Judæ receptarum, cumprimis vero status ecclesiæ judaicæ temporibus Christi adventum proxime antegressis. In

nov.

nov. teſt. contrarium oſtendunt vaticinia Chriſti & apoſtolorum de pſeudoprophetis & falſis doctoribus, cumprimis vero de ſtatu eccleſiæ tempore dominantis antichriſti futuro, Matth. XXIV. 24. 2. Theſſ. II. 3. 1. Tim. IV. 1. 2. Pet. II. 1. Apoc. XI. & ſeqq. capp. quorum vaticiniorum evidentia permoti pontificii agnoſcunt, tempore antichriſti, quem adhuc exſpectant venturum, *omnes publicas religionis ceremonias publicumque & quotidianum eccleſiae officium & ſacrificium, adeoque omnem divinum cultum, qui in eccleſiis chriſtianorum nunc exercetur, ceſſaturum.* Bellarminus lib. III. de Rom. pontif. cap. 7. Petrus Thyræus diſp. de antichriſto. Anglo-Rhemenſis in cap. XII. Apocal. &c. qua de re in tract. de eccleſia in cap. *An eccleſia deficere & errare poſſit?* latius egimus. 3.) Pari ratione non poteſt ex hiſce promiſſionibus inferri, quod miniſterium eccleſiæ purum ſemper futurum ſit, publice omnibus conſpicuum ac viſibile, ut enim vera eccleſia poteſt eſſe, & tamen latere *in ſolitudine:* Apoc. XII. 6. Sic in eccleſia poſſunt eſſe miniſtri ſinceri, licet non ſint omnibus publice conſpicui.

4.) *Ordinis hujus a reliquis diſtinctio.*

§. XLV. Tandem IV.) dari eccleſiaſticum miniſterium probat *ordinis hujus* a reliquis ſtatibus atque ordinibus *diſtinctio.* Ut enim politicus magiſtratus ab eccleſiaſtico miniſterio & ſtatu œconomico certa ratione diſtinguitur: ita quoque miniſterium eccleſiaſticum ſuos habet limites, quibus a politica dominatione & œconomiæ adminiſtratione diſtinguitur, cujus differentiæ quæ ſint membra, infra pluribus oſtendetur. Hoc loco generaliter duntaxat probandum, quod functio eccleſiaſtica ſacrorum curam complexa a reliquis vitæ ordinibus, qui & ipſi a Deo inſtituti ſunt, divino præſcripto ſit diſtincta. 1.) Tempore patriarcharum ante & poſt diluvium ſingulæ familiæ conſtituebant eccleſiam, in qua primogeniti ſacerdotio fungebantur, peculiaribus veſtibus ſacerdotalibus a reliquis domeſticæ illius eccleſiæ membris diſtincti, ut colligitur ex Gen. XXVII. 27. ex paraphraſi chaldaica Gen. XXIX. & ex Hieronymo in qq. hebraicis ad illud ipſum caput. Atque hanc conſtitutionem divino inſtinctu & impulſu a patriarchis fuiſſe factam, colligitur ex eo, quod jus primogenituræ, eique adhærens honor ſacerdotii ab Eſavo ad Jacobum divina inſpiratione translatus fuerit, Geneſ. XXVII. 33. quodque ea in re typus fuerit propoſitus ſacerdotii Chriſti, unici illius ἀρχιερέως nov. teſt. *qui eſt primogenitus Patris ſecundum divinam naturam,* Col. I. 15. Hebr. I. 6. *ac primogenitus matris ſecundum humanam naturam,* Pſalm. LXXXIX. 28. Matth. I. 25. Luc. II. 7. *primogenitus inter multos fratres,* Rom. VIII. 29. *primogenitus ex mortuis.* Col. I. 18. Apoc. I. 5. 2.) Poſtea per Moſen ſacerdotii dignitas ad tribum Leviticam fuit translata, ut non niſi ex tribu illa oriundi ſacerdotio fungerentur; Exod. XXVIII. 1. Num. I. 49. &c. inde paſſim repetit Dominus, *quod Levitas elegerit in locum primogenitorum,* qui antea miniſterio in ſingulis familiis fungebantur, & divino miraculo in excidio primogenitorum ægyptiacorum fuerant conſervati: Num. III. 12. VIII. 16. contra vero dignitas regia ad tribum Juda fuit translata, ex qua reges & duces iſraelitici populi ſunt delecti. Gen. XLIX. 10. 3.) Duravit hæc politia judaica & ſacerdotium Leviticum uſque ad Chriſtum, qui in diebus carnis ſuæ docendi miniſterio functus, ſed nullam politici muneris partem ſibi arrogavit, vel oblatam etiam acceptavit, Luc. XII. 14. Joh. VI. 15. XVIII. 36. ſuo exemplo manifeſtum faciens, magiſtratus politici & miniſterii eccleſiaſtici munia eſſe diſtincta. 4.) Ipſe quoque ſtatim ab initio miniſterii ſui quoſdam diſcipulos ex cœtu ſibi adhærentium ſegregavit, quos individuos comites ſibi adjungens privata & publica informatione ad miniſterium præparavit, tandemque ad evangelium in toto orbe prædicandum ablegavit, expreſſe interdicens, ne quam politici principatus partem ſibi fumerent Matth. XX. 25. Marc. X. 41. Luc. XXII. 25. 5.) Idem ad dextram Dei evectus adhuc hodie

dat ecclesiæ suæ *pastores & doctores*, ut corpus ipsius mysticum eorum opera ædificetur, Eph. IV. 11. quorum officium a politico magistratu differre probant distincta nomina, quibus adpellantur, distincta charismata, quibus exornantur, distincta præcepta, quibus debiti sui muneris admonentur. 6.) Denique gravis Dei querela de currentibus non missis, Jer. XXIII. 21. & comminatio de pœna illorum, qui absque vocatione se huic muneri ingerunt, uti etiam pœna divinitus illis inflicta, qui absque vocatione partem aliquam ministerii usurpare præsumserunt, 1. Reg. XIII. 24. 2. Reg. VI. 7. 2. Paral. XXVI. 18. evidenter ostendit, distinctum esse hoc munus ab aliis ecclesiæ ordinibus. Ubi enim datur peculiaris vocatio, ibi etiam datur peculiare munus, quod per ipsam vocationem certis hominibus commendatur, unde factum ut *vocationis* nomine pro ipso statu, in quem per vocationem quis collocatur, apostolus uti voluerit 1. Cor. VII. 17. 20. 24. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea maneat.*

*Argumenta contra ministerii necessitatem.*

§. XLVI. Ad hoc caput secundum de τῷ ὅτι pertinet etiam quæstio de necessitate ministerii, quam cum superius §. III. demonstravimus, examinanda hoc loco restant argumenta, quæ contra eam a fanaticis adferuntur. 1.) Esa. LIV. 13. *Erunt omnes docti a Deo.* Jer. XXXI. 34. *Non docebit ultra vir proximum suum, & fratrem suum dicens cognosce Deum. Omnes enim cognoscent me a minimo ad maximum. Ergo in nov. test. nulla erit ministerii necessitas.* (*) Respondent aliqui, verba illius promissionis de cognitione Dei in nov. test. nequaquam intelligenda esse absolute & *exclusive* sensu eo, quod plane abolendum sit tempore nov. test. externum verbi ministerium. Is enim sensus repugnat a.) verbis apostoli Rom. X. 14. *Quomodo audient absque praedicante?* b.) promissioni de dandis pastoribus etiam in nov. test. quæ repetitur Jer. III. 15. c.) concioni Christi Joh. VI. 45. ubi in ipso ministerii ac prædicationis actu adlegat hanc promissionem; *erunt omnes διδακτοὶ τοῦ θεοῦ*. d.) ipsi denique experientiæ, quæ absque instituente neminem ad Dei cognitionem adspirare docet, Act. VIII. 31. ac per aliquot secula nov. test. externum ministerium divinitus conservatum esse testatur. Sed accipienda esse *comparate* sensu nimirum eo, 1.) quod illustrior & amplior Dei cognitio futura sit in nov. test. quam fuit in vet. hodie enim puerulus in catechesi institutus explicatius intelligit mysterium evangelii de Christo, quam olim in vet. test. aliquis ex præcipuis sacerdotibus, nimirum completa est prophetia Esaj. XI. 9. *Terra repleta est scientia Domini.* 2.) Quod major numerus futurus sit eorum, qui salutari Dei cognitione imbuti sunt, in nov. quam in vet. test. cum solennis & publica verbi prædicatio non amplius ad unam gentem sit adstricta, sed omnibus populis communis. 3.) Quod propter spiritualem nov. test. cultum & uberiorem Dei gratiam non opus futurum sit magno labore & molestia in docendis piis, quæ interpretatio colligitur ex Jer. XXXI. 33. *Scribam legem meam in corda ipsorum*, & ex 2. Cor. III. 3. *Vos estis epistola Christi scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* v. 7. *Deus fecit nos idoneos ministros nov. test. non literae, sed Spiritus.* 4.) Ut hac ratione in hisce vaticinii prophetici verbis statuatur tacita oppositio inter vet. ac nov. test. inter *legis & evangelii* doctrinam, illa est ministerium *literae*, hæc vero *Spiritus*, illa tabulis lapideis, hæc vero cordibus hominum per Spiritum inscribitur, & gratiam Spiritus conjunctam habet. Atque hæc quidem recte dicuntur: verum quia absolute & simpliciter pronunciat Dominus apud Jeremiam: *Non docebit ultra vir proximum suum*, ideo Augustinus lib. de Spiritu & lit. c. 24. paulo aliter explicat. Verbis enim illis: *dabo legem meam in corda ipsorum*,

(*) Dubium ex hocce oraculo desumtum copiose diluit b. cancell. Pfaffius in peculiari dissertat. *de fidelibus novi testamenti non amplius docendis*, Tubing. MDCCXXVII. edita.

*ipsorum*, dicit significari gratiam nov. test. fidem scilicet per caritatem operantem, quam Deus diffundit in cordibus nostris, ut non solum sciamus, sed etiam faciamus mandata divina. Illis autem verbis: *& non docebit ultra vir proximum suum*, putat significari præmium fidei, hoc est, beatitudinem, in qua omnes electi videbunt Deum a facie ad faciem. Neque est, quod objiciatur, proponi ibi promissionem de beneficiis nov. test. Joh. VI. 45. Heb. VIII. 11. quædam enim beneficia nov. test. in hac vita duntaxat inchoantur, quorum complementum & perfectio demum succedit in vita æterna, inter quæ etiam est clarissima illa lux divinæ cognitionis. 1. Cor. XIII. 12.

§. XLVII. II.) 1. Joh. II. 20. *Vos unctionem habetis a sancto, & nostis omnia.* v. 27. *Et vos unctionem*, (habetis) *quam accepistis ab eo, ea in vobis manet, & non necesse habetis, ut aliquis doceat vos. Ergo externum verbi ministerium non est necessarium.* Resp. neque hæc apostoli verba *absolute & universaliter* accipienda sunt, quasi in nov. test. nulli omnino homini necessarium sit a quoquam doceri: 1.) quid enim agit apostolus in hac epistola aliud, quam ut scribendo erudiat & confirmet illos, quos adloquitur? 2.) repugnaret hæc explicatio fundamentis paulo ante adlatis, cumprimis vero experientiæ, quæ testatur, nulli omnino homini post lapsum Dei cognitionem innasci. Ideo secundum quid & comparate intelligenda sunt, a.) quod illi, qui ab apostolis de necessariis doctrinæ cœlestis capitibus instituti & Spiritus sancti unctione divinitus imbuti erant, (cum talibus enim loquitur apostolus,) non indigeant a seductoribus novum quid audire ac discere, quæ interpretatio colligitur ex v. 21. *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam, &* ex v. 26. *haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos.* Item v. eodem 27. *sicut docuit vos unctio, manete in eo.* b.) Quod non indigeant, ut quis in illis erudiendis ac de cœlesti veritate persuadendis magnopere, & anxie laboret, cum per Spiritum sanctum, internum doctorem, quem tamen per prædicationem evangelii acceperant, Gal. III. 2. instituantur. c.) Quod in actionibus particularibus magisterio Spiritus sancti erudiantur, ut sciant, quomodo sese in omnibus recte gerere debeant, interim tamen norma & regula generalis omnium actionum manet verbum Dei, cujus meditatione lux cognitionis illius redditur illustrior.

§. XLVIII. III.) *Potest Deus absque ministerii opera nos illuminare ac docere in illis, quae ad salutem sunt necessaria.* Resp. non de absoluta Dei potentia, sed de beneplacito ipsius quæstio est, & de ordine divina ipsius voluntate sancito & perpetuo observato. *Placuit autem* divinæ sapientiæ per prædicationem evangelii stolidam mundo visam *salvos facere credentes.* 1. Cor. I. 21. Ergo non vult immediate nobiscum agere, sed per verbi prædicationem & sacramentorum administrationem ministerio ecclesiastico demandatam. Evangelium *est potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. I. 16. Ergo ordinarie non nisi per evangelii prædicationem vult esse potens & efficax ad salutem. Posset Deus etiam citra cibi potusve usu nos in hac vita conservare, posset citra solis lumen terras collustrare, sed placuit divinæ ipsius sapientiæ non nisi per cibi potusve usum, ordinarie vitam nostram sustentare, ac non nisi per solem mundum illuminare: ita quoque posset citra verbi & sacramentorum ministerium homines convertere & salvare, sed placuit ipsius sapientiæ, non immediate nobiscum agere, sed per verbum & sacramenta, quorum mysteriorum œconomiam ecclesiæ suæ ministris demandavit. Quod si quandoque contingat, ut aliquos citra externum verbi ministerium illuminet, convertat & informet, id tam non evertit ordinem divinitus constitutum, quam non evertitur ordinaria vitæ sustentatio per cibi potusve alimoniam extraordinariis Mosis & Eliæ per quadragiuta dies in deserto sustentatorum exemplis, Exod. XXIV. 18. 1. Reg. XIX. 8.

Plura de hoc argumento dicentur inferius.

CAPVT

## CAPUT III.

## DE CAVSA EFFICIENTE MINISTERII ECCLESIASTICI.

*Causa efficiens principalis ministerii. S. S. Trinitas.*

§. XLIX. Causa efficiens principalis ministerii ecclesiastici est unus ac solus verus Deus *Pater, Filius & Spiritus sanctus*, quod confirmant I.) *Expressa scripturae oracula.* Psalm. LXVIII. 12. *Dominus dat verbum, evangelistas magno exercitu.* In Hebræo est אֲדֹנָי יִתֵּן־אֹמֶר הַמְבַשְּׂרוֹת צָבָא רָב, quod Pagninus & Arias reddiderunt: *Dominus dabit sermonem earum, quae adnunciant exercitus magnus.* LXX. interpretes: Κύριος δώσει ῥῆμα τοῖς εὐαγγελιζομένοις δυνάμει πολλῇ. Symmachus: ἔδωκε ῥήσεις τοῖς εὐαγγελιζομένοις στρατιᾷ πολλῇ. Illi igitur vocem מְבַשְּׂרוֹת vel in secundo vel tertio casu positam acceperunt, & a priori membro distinxerunt propter accentum *athnachta.* Sed commode etiam accipitur in casu quarto, ita ut verbum יִתֵּן ex præcedente membro repetatur, quo modo Lutherus vertit, *Dominus dat verbum, evangelizantes exercitu magno*, eo fere respicit Chaldæus sic παραφράζων: *Deus dedit verba legis populo suo mediantibus Mose & Aarone, qui adnunciaverunt verbum Dei exercitui magno Israelis.* Fœminininum מְבַשְּׂרוֹת *nunciae* remittit nos ad typum, Exod. XV. 20. ubi mulieres israeliticæ Miriam prophetissam secutæ post interitum Pharaonis ἐπινίκιον cantant, quæ Israelitarum ex aegyptiaca servitute liberatio fuit typus spiritualis liberationis per Christum præstandæ, ut colligitur ex v. 26. ubi mentio fit virginum tympanistriarum. 1. Cor. XII. 28. *Et alios quidem constituit Deus in ecclesia, primum apostolos, deinde prophetas, tertio doctores.* 2. Cor. V. 18. *Deus dedit nobis* (apostolis & reliquis ecclesiæ doctoribus) *ministerium reconciliationis.* Huc pertinet, quod Siracid. XLV. 21. Deus dicitur Aaroni summo sacerdoti commendasse *officium docendi:* ἔδωκεν αὐτῷ ἐξουσίαν διδάξαι τὸν Ιακὼβ τὰ μαρτύρια &c. II.) *Liberalia Dei promissa*, quod velit ecclesiæ suæ pastores dare & ministerium docendi conservare. Esaj. XLI. 27. *Primus ad Zion*, id est, ecclesiam, *dico: Ecce haec: & dabo Hierosolymis evangelistam.* Ubi singulari nomine evangelistæ totus chorus ac cœtus doctorum intelligitur, ut eo ipso ad concordiæ studium invitentur. Neque tamen incommode de principe pastorum, Christo hæc prophetia accipi potest, sicut Ezech. XXXIV. 23. dicit Dominus: *Suscitabo super eas oves meas pastorem unum.* Jer. III. 15. *Dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & intellectu.* XXIII. 4. *Et suscitabo super eas* (הֲקִימֹתִי stare faciam, constituam) *pastores, & pascent eas.* Joel. II. 23. *Dominus Deus vester dat vobis doctores ad justitiam.* III.) *Peculiaria Dei encomia*, quæ ostendunt, ministerii ecclesiastici constitutionem & conservationem ad ipsum pertinere. Matth. IX. 38. vocatur *Dominus messis, qui extrudit operarios in vineam suam*, XIII. 27. οἰκοδεσπότης, qui servis prohibet, *ne colligant zizania*, atque eo ipso se Dominum messis esse probat, XX. 1. οἰκοδεσπότης, qui *operarios mittit in vineam suam*, XXI. 33. οἰκοδεσπότης, qui *plantat vineam, & mittit servos suos* ad agricolas, ut accipiant fructus ejus, Lucæ XIII. 8. Dominus ille, qui *habet ficum plantatam in vinea sua*, & cultori vineæ τῷ ἀμπελουργῷ dat in mandatis, ut eam fodiat, Joh. XV. 1. γεωργὸς *agricola*, qui in spirituali illo γεωργίῳ habet suos συνέργους. 1. Cor. III. 9. IV.) Ad *petendos a Deo pastores incitamenta.* Matth. IX. 38. Christus nos hortatur, ut *Dominum messis rogemus*, quo operarios mittat in vineam suam. In actorum apostolicorum historia legitur, ecclesiam orasse, quando pastores fuerunt eligendi. Quod si igitur a Deo petendi sunt pastores, utique etiam ipse est, qui idoneos ministros ecclesiæ suæ mittit, quo pertinet illud, quod quidam ex apostolis dictus fuit *Matthias*, id

id est, Dei donum. V.) *Ipsius praxeos testimonia.* Deus enim non solum ipse in propria persona docendi officio functus est, quando adhuc in statu integritatis legem de non comedendo vetitæ arboris fructu promulgavit, & post lapsum promissionem de benedicto semine mulieris ex arcana divinorum consiliorum abysso proposuit; sed etiam docendi munus aliis commendavit, Adamum & reliquos patriarchas ecclesiæ suæ, quæ familiis ipsorum fere inclusa erat, doctores præficiendo, Mosen & prophetas mittendo, ac Leviticum sacerdotium constituendo, qua ratione in veteri testamento ministerium ecclesiasticum divinitus fuit institutum & conservatum. In novo testam. Filius Dei ipsemet in adsumta humana natura hoc munere perfunctus apostolos elegit, quos sufficientibus ac necessariis donis instructos ad evangelii prædicationem in totum orbem ablegavit, & *ad dextram Patris collocatus adhuc dat ecclesiae suae pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis sui mystici.* Eph. IV. 11. & 12.

§. L. Quamvis vero institutio & conservatio ministerii, cum sit *opus ad extra* (ut loquuntur) toti Trinitati communis sit; tamen ut in reliquis ejusmodi operibus, ita quoque in hoc ipso tota Trinitas agit, servato discrimine atque ordine personarum.

*Pater.* *Pater* ut est fons Trinitatis, ita quoque beneficiorum, quæ in ecclesiam conferuntur, ad quæ etiam pertinet ministerii institutio & conservatio. Is ergo est, qui in vet. testamento patriarchas, Mosen ac prophetas vocavit, Levitas in sacerdotium elegit, & in temporis plenitudine misit Filium, ut in adsumta carne non solum redemtionis opus perficeret, sed etiam docendi munere in terris fungeretur. Hebr. I. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus locutus est patribus per prophetas, novissimis diebus hisce locutus est nobis per Filium.* Inde toties provocat Christus ad suam a Patre missionem, Matth. X. 40. Luc. IV. 18. Joh. V. 23. &c. quo sensu ac respectu vocatur *dominus messis, dominus vineae, paterfamilias, agricola &c.* nimirum quia non solum servos suos prophetas, sed etiam novissime unicum ac dilectum suum Filium, Matth. XXI. 37. Marc. XII. 6. Luc. XX. 13. &c. in vineam ecclesiæ misit. 2. Cor. V. 18. *Deus nos reconciliavit sibi per Jesum Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis.* Gal. I. 16. *Deus vocavit me per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut ipsum per evangelium praedicarem inter gentes.* *Filius.* *Filius* est persona loquens cum patribus ab initio, unde etiam Λόγος & in chaldaica bibliorum paraphrasi *Meimerah* adpellatur. Gen. III. 8. Psal. CX. 1. Joh. I. 1. &c. Irenæus lib. IV. adversus hæres. c. 14. pag. 242. super verba Matth. XI. 27. *Nemo cognoscit Filium nisi Pater, neque Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Revelaverit* (inquit) *non solum in futurum dictum est, quasi tunc inciperet Verbum manifestare Patrem, cum de Maria natus, sed communiter per totum tempus positum est. Ab initio enim adsistens Filius suo plasmati revelat omnibus Patrem, quibus vult, & quando vult, & quemadmodum vult Pater, & propter hoc in omnibus & per omnia unus Deus Pater & unum Verbum & unus Filius & unus Spiritus & una fides & salus omnibus credentibus in eum.* Is est *angelus* a Patre missus, qui præcessit Israelitas ex Ægypto egredientes, eosque per desertum eduxit, & deletis Cananæis in terram promissam introduxit, Exod. XXIII. 23. XXXIII. 2. Esaj. LXIII. 9. ac proinde etiam is est, qui ad Mosen & Israelitas locutus est in monte Sinai, Exod. XIX. 19. Act. VII. 38. & ex medio cherubim in arca fœderis. Exod. XXV. 22. Is est, qui in plenitudine temporis humana natura adsumta *venit a Deo doctor*, Joh. III. 2. & in Judæa, Galilæa ac Samaria cœleste semen verbi sparsit. Is est *Dei sapientia*, Prov. IX. 1. Luc. XI. 49. 1. Cor. I. 25. qui dicit Matth. XXIII. 34. *Mittam ad vos prophetas & apostolos.* Idem etiam apostolos sibi adjunxit, quos in schola sua per triennium institutos ministerio præfecit, & in totum terra-

rum orbem prædicandi evangelii causa ablegavit. Matth. X. 1. Luc. IX. 1. *Convocatis duodecim apostolis dedit illis potestatem &c.* Joh. XX. 21. *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.* Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. *Euntes in orbem universum, docete omnes gentes.* Idem ad dextram Patris evectus dedit *hos quidem apostolos, illos vero prophetas, alios evangelistas, alios pastores ac doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii.* Eph. IV. 11. & 12. 1. Cor. XII. 28. Idem Saulum e cœlo miraculose vocat ad apostolatum, Act. IX. 15. qui 1. Cor. I. 17. propterea dicit: *Christus misit me, ut evangelizarem.* Idem tanquam *Filius in domo Dei*, quæ est ecclesia, ordinat œconomos, quibus tradit claves ad aperiendum & claudendum, Heb. III. 6. 1. Tim. III. 15. 1. Cor. IV. 1. Matth. XVI. 19. unde se ipsum adpellat οἰκοδεσπότην, *patremfamilias.*

*Spiritus sanctus.* Matth. X. 25. *Spiritus sanctus* locutus est olim per prophetas divinitus excitatos & ecclesiæ missos doctores. 2. Sam. XXIII. 2. *Spiritus Domini locutus est per me.* Act. XXVIII. 25. *Bene Spiritus sanctus locutus est per Esaiam prophetam ad patres nostros.* 1. Petr. I. 11. *Spiritus Christi in prophetis praedixit passiones.* 2. Petr. I. 21. *Non humana voluntate adlata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto φερόμενοι, impulsi & acti, locuti sunt sancti Dei homines.* Idem est, qui Christum secundum carnem *prae consortibus unxit*, & ad *praedicandum misit*, Psal. XLV. 8. Esaj XLII. 1. LXI. 1. Luc. IV. 18. ac super apostolos visibiliter effusus est, *ut induti virtute ex alto* evangelium in omnes gentes prædicarent. Act. II. 1. Luc. XXIV. 49. Idem est, qui apostolis Domino ministrantibus ac jejunantibus jubet sibi *segregare Barnabam ac Saulum in opus, ad quod eos vocaverit*, Act. XIII. 2. qui ob *id missi a Spiritu sancto* dicuntur, v. 4. quod ipsum de Ephesinæ ecclesiæ episcopis adfirmatur, Act. XX. 28. *Spiritus sanctus posuit vos episcopos ad regendam ecclesiam Dei, quam adquisivit suo sanguine.* Idem etiam donis ad ministerium recte ac salutariter obeundum necessariis ministros verbi instruit. 1. Cor. XII. 4. *Divisiones sunt charismatum, idem autem Spiritus;* v. 5. *divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus:* v. 6. *divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* v. 7. *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem:* v. 8. *alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum:* v. 9. *alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanationum in uno Spiritu &c.* v. 11. *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.* Inde quoque ministerium evangelii vocatur διακονία πνεύματος, 2. Cor. III. 6. non solum quia per verbum evangelii datur Spiritus sanctus, Gal. III. 2. sed etiam quia Spiritus sanctus est ministerii autor & conservator, instruens ministros donis necessariis; ac proinde cum Christus apostolis suis ministerium commendare vellet, prius mediante suo adflatu dabat illis Spiritum sanctum, Joh. XX. 22. ut quæcunque in officio suo ministri ecclesiæ recte & salutariter agunt, ea Spiritui sancto in ipsis & per ipsos efficaciter agenti recte tribuantur. Matth. X. 20. *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui in vobis loquitur.* (*)

SECTIO

(*) Deus est autor ministerii: 1.) promittendo doctores ecclesiæ; Jer. III. 15. XXIII. 4. Joel. II. 28. 2.) dando quod promisit; 1. Cor. XII. 28. 2. Cor. V. 18. 3.) conservando ministerium usque ad consummationem seculi; Eph IV. 11. 4.) ipso docendi munere fungendo, quod Deus olim fecit in paradiso, Filius loquens olim cum patribus, & postea in adsumta carne inter homines conversando, Spiritus sanctus qui locutus est per os prophetarum & apostolorum; 5.) doctores ecclesiæ necessariis donis instruendo. GERHARDVS.

## SECTIO I.

## DE VOCATIONE AD MINISTERIVM ECCLESIASTICVM.

*Vocatio ministrorum.*

§. LI. Porro opus illud gratiæ, quo Deus certas quasdam personas ex reliqua hominum multitudine eligit, quas ecclesiæ suæ doctores præficit, adpellatur: I. *Vocatio.* Hebr. V. 4. *Nemo sibi ipsi sumit honorem, nisi qui vocatur a Deo,* ὁ καλούμενος ἀπὸ τ῀ θε῀, *quemadmodum etiam Aaron.* Conjunge Esaj. XLIX. 1. Gal. I. 15. inde Paulus se adpellat *vocatum apostolum.* Rom. I. 1. 1. Cor. I. 1. &c. II.) *Missio.* Jer. XXIII. 21. *Currebant, & ego non miseram eos.* Rom. X. 14. *Quomodo praedicabunt, nisi missi fuerint?* III.) *Electio* sive *separatio.* 1. Paral. XXIII. 13. *Separatus est Aaron, ut ministraret in sancto sanctorum, ipse & filii ejus in sempiternum.* 2. Par. XXIX. 11. Ezechias ad sacerdotes & Levitas dicit: *Vos elegit Dominus, ut stetis coram eo, & ministretis illi.* Luc. VI. 13. *Cum dies factus esset, vocavit ad se discipulos suos & elegit duodecim ex illis, quos & apostolos nominavit.* Joh. VI. 70. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus est diabolus?* Act I. 2. *Praecipiens apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit.* v. 24. *Ostende Domine, quem elegeris ex ipsis*: inde Paulus vocatur σκεῦος ἐκλογῆς, *vas electum,* Act. IX. 15. atque ipse Rufum vocat *electum in Domino.* Rom. XVI. 13. Ab hac electione ad functionem ecclesiasticam diligenter distinguenda est electio ad vitam æternam: Joh. XIII. 18. Eph. I. 4. 2. Thess. II. 13. illa enim temporalis est, hæc æterna. Non negatur, electionem illam sive separationem ad officium esse manifestationem æterni decreti ac voluntatis divinæ: Jer. I. 5. *Priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi te, & prophetam in gentibus dedi te*; interim manet illud, quod vox *electionis* de vocatione ad officium aliquod publicum usurpata proprie significet actionem, quæ fit in tempore. Illa est piorum duntaxat perseveranter credentium: hæc vero etiam hypocritis quandoque obtingit; illa est omnium salvandorum, hæc vero certarum personarum; illa semper est immediata, hæc vero quandoque mediata.

*An ab electione distinguatur?*

§. LII. Ceterum inter *electionem & vocationem* ministrorum quidam esse putant distinctionem aliquam. Bellarminus l. de clericis c. 2. *Electio est designatio certae personae ad praefecturam aliquam ecclesiasticam; missio seu vocatio jurisdictionem tribuit, ac re ipsa pastorem ac praesulem facit.* Est, qui inter hæc duo quadruplex discrimen statuit: 1.) Electio pondere ac gravitate vocationi longe antecellit. Ut enim illa unius, duarum vel plurium ex multis personarum, reliquis posthabitis, est delectio: ita per hanc vel una, vel duæ, tres, plures simul vocantur. De priori legitur exemplum, Act. I. 21. & seqq. posterius ipsum Christi factum adfert, Matth. IV. 18. & seqq. 2.) Electio & vocatio in quantum conjunguntur, huic illa antecedit; illi vero hæc non item. Nemo enim unquam, qui cum electione erat vocatus, vocationis ante electionem compos & particeps factus est. 3.) Vocatio absque electione, quæ plures respicit, potest consistere, hæc vero illam non excludit. Nullus namque nisi vocandus eligitur, & sæpius non electus vocatur. 4.) Vocatio ministerio est adcommodatior electione, quia in casu necessitatis propter personarum penuriam hæc minime, illa vero maxime potest adhiberi. Sed discrimen illud inter electionem & vocationem magis in ἐπινοίᾳ nostræ mentis, quam in re ipsa consistit. Quicunque enim ad ministerium legitime eligitur, is etiam vocatur, & quicunque vocatur, is etiam eligitur, unde scriptu-

ra indifferenter hisce adpellationibus in hoc negotio utitur.

*Quot modis accipiatur?*

§. LIII. *Vocationis* terminus accipitur tum *active*, respectu vocantis, pro ipsa eligendi, vocandi & mittendi ad officium actione; Esaj. XLIX. 1. *Dominus ab utero me vocavit*: tum *passive*, respectu vocati, pro ipso genere vitæ, ad quod homines vocantur, id est, pro functione tum privata tum publica, in quam aliquis a Deo collocatus est: 1. Cor. VII. 20. *in qua vocatione unusquisque vocatus est, in ea maneat*; juxta quam vocabuli significationem ipsum ministerium ecclesiasticum dici potest peculiaris quædam vocatio sive status, in quem personæ ecclesiasticæ divinitus collocatæ sunt. Neque dubium, quin singulari consilio Spiritus sanctus opus illud gratiæ divinæ, quo ministri ecclesiæ præficiuntur, adpellare voluerit vocationem. 1.) Vocatio Dei tam efficax est, ut per eam exsistere incipiant, quæ antea non exstiterunt. Rom. IV. 17. *Deus vivificat mortuos & vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt*: sic per vocationem divinam ministri instruuntur donis necessariis ad muneris sibi commissi partes rite obeundas, *welchen Gott schicket, den macht er geschickt.* 2.) Quando manifestatur quidpiam, quod antea nondum erat publice notum ac perspectum, tunc scriptura id adpellat vocationem. Matth. V. 9. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, id est, manifestabuntur & agnoscentur ex studio pacis pro filiis Dei: sic per vocationem ministrorum ecclesiæ legitime peractam manifestatur æternum Dei consilium de ipsorum ad ministerium electione. 3.) Quemadmodum opus illud gratiæ, quo Deus in regnum suum per prædicationem evangelii homines vocat, est gratuitum omnino beneficium: 1. Petr. II. 9. *Deus vocavit vos de tenebris in admirabilem lucem*, v. 10. *qui aliquando non populus, nunc autem Dei populus; qui non consecuti misericordiam, nunc autem consecuti misericordiam*: ita quoque vocatio ad ministerium est opus meræ & indebitæ gratiæ. Gal. I, 15. *Cum placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae, & vocavit per gratiam suam.* 4.) Quemadmodum principes ad se vocant eos, quibus certum aliquod officium demandant, & quorum opera peculiariter in expediendis negotiis uti constituerunt: sic vocatio ministrorum ecclesiæ hoc complectitur, quod Deus ipsis tanquam legatis suis certum aliquod officium sustinendum ac peragendum commendavit.

*An sit necessaria?*

§. LIV. Hæc ad ministerium vocatio omnino necessaria est illis, qui juxta Dei voluntatem bona cum conscientia & fructu auditorum in hoc munere versari cupiunt, qua de re Augustana confessio art. XIV. sic loquitur: *De ordine ecclesiastico docent*, (ecclesiæ nostræ) *quod nemo in ecclesia debeat publice docere, aut sacramenta administrare, nisi rite vocatus*; quæ confessionis verba opposita sunt: 1.) Calumniis pontificiorum, qui omnia in ecclesiis nostris confuse & sine ordine geri, & cuivis in ecclesia docendi potestatem apud nos concedi, adeoque sursum ac deorsum omnia volvi criminabantur, referente Luthero in præfat. art. Smalcald. Andreas Fabricius Leodius in harm. August. confess. art. XIV. audacter convitiatur, *nulla parte magis laborare confessores, quam ut sublato ordine ecclesiastico rem christianam confundant ac pervertant, erecto nimirum altari contra altare*, 1. Reg. XIII. *& cathedra adversus cathedram, atque omnes eos, qui baptizati sunt, seu viri sunt seu mulieres, sacerdotes creare & facere.* Laurentius Arturus Posnanienſis in adsertionibus de vocat. ministr. adf. II. *Ut ex cæmentariis, laniis, coquis, sartoribus, ministri protestantium effecti sunt, ita, cum lubet, ad eadem officia redeunt, & ipsi sibi laici fiunt & episcopi.* Johan. Bapt. Fickerus in replica contra Heilbrunnerum pag. 87. scribit, *apud Lutheranos pastorem & oves non differre.* Ac novissime Becanus Jesuita in disp. inaugurali de vocatione ministrorum Viennæ anno 1616. instituta th. LII. *Pudendum est, quod dicam,* (vere

(vere pudendum, quia mendacium, cujus pudere debet quemlibet bonum) *sed tamen dissimulare non possum, adeo nihil antiqui moris & pietatis est apud Lutheranos* (quibus honoris causa adjungit Calvinistas) *in ministerio ecclesiastico, ut opifices, ludimagistri, advocati ad nutum alicujus comitis aut baronis, & non raro ad imperium alicujus fœminae, publice cathedram adscendere, & ministerium non raro usurpare haud erubescant.* Et rursum: *Si aliter dominis visum sit, ministerium deserere, & ad opificium redire coguntur.* 2.) Confusionibus anabaptistarum, qui sine vocatione ministerii ecclesiastici partes sibi rapiunt, & promiscue omnibus docendi officium permittunt, hac ratione barbaricam quamdam ἀταξίαν in ecclesiam introducentes, quibus hodie succinunt Photiniani negantes, divinam missionem ad officium ecclesiasticum requiri, ut adparebit inferius.

§. LV. Illam vocationis ac missionis necessitatem demonstramus 1.) expressis scripturæ testimoniis, 2.) probatis exemplis, quæ totius ecclesiæ in veteri & novo testamento praxin continent, 3.) rationibus in scriptura fundatis. *Scripturae* dicta potiora hæc sunt: I.) Jer. XXIII. 21. *Non misi prophetas, & ipsi cucurrerunt, non locutus sum ad eos, & ipsi prophetabant;* ex quo loco sic colligimus: Quod Deus improbat ac detestatur, & de eo gravissime conqueritur, id cavere omnino debent futuri ecclesiæ ministri. Sed currere ac prophetare, antequam accedat divina missio ac jussio, improbatur a Deo. Ergo id cavere debent futuri ecclesiæ ministri. Item: Quod pseudoprophetarum est proprium, id veri prophetæ & doctores ecclesiæ fugiant. Sed currere & prophetare, antequam accedat divina missio, est pseudoprophetarum proprium. Ergo. Conjungatur etiam v. 32. *Ecce, ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui seduxerunt populum meum in mendacio suo, cum ego non misissem eos, nec mandassem eis &c.* ex quo sic colligimus: Quodcunque Deus gravissime punit, illud merito fugiendum. Sed arripere & usurpare docendi ministerium privata temeritate absque legitima vocatione, Deus gravissime punit. Ergo. *Adsumtum* confirmatur non solum ex hoc dicto prophetico, sed etiam exemplis ἀλλοτριοεπισκοπῆς gravissime punitæ in *Oza*, Abinadabi filio, temere manum arcæ Dei imponente, & juxta arcam ex ira Domini moriente, 2. Sam. VI. 6. in *Ussia*, rege Judæ, sacerdotum officium arripiente & incensum adolente, lepra propterea percusso, 2. Paral. XXVI. 19. in *Core, Dathan & Abiran*, summum sacerdotium adfectantibus, ac terræ hiatu ob id absorptis, Num. XVI. 32. Ostorodus in institutionibus cap. 42. pag. 437. regerit, locum illum propheticum nihil quidquam ad rem facere, cum de iis agat, qui *jactitabant se esse prophetas a Deo missos, ut novi aliquid idque singulare populo adnunciarent. Cum vero hoc nostro tempore nihil novi adferatur, sed antiqua illa evangelii doctrina proponatur, non opus esse dicit, singulari aliqua vocatione seu missione.* Eodem collimat Socinus, quando in tract. de eccles. edit. Racov. anno 1611. pag. 13. scribit: *Verbi Dei ministris, qui cum ecclesia Romana aut Graeca non consentiunt, eorum ministerii controversiam non moveri posse, neque ab eis contendi, ut suae vocationis aut muneris legitimum autorem ostendant, cum non gerant se pro novis quibusdam Christi apostolis aut divinis prophetis, nec inauditam prius doctrinam aut religionem mundo se adnunciare profiteantur, neque ex novis principiis, priusve incognitis testimoniis quidquam doceant, sed tantum ex iis principiis, iisque testimoniis, quae apud omnes christiani nominis certissima sunt, ex ipsis scilicet evangelistarum & apostolorum scriptis.* Smalcius in refut. thesium Frantzii cap. de ordine ecclesiastico pag. 378. *Fatetur Frantzius, primario agi in verbis Jeremiae de re singulari, & hoc est, quod nos volumus, ad quamvis vero vocationem ea adcommodari posse, non tantum adfirmandum, sed etiam probandum erat.* Resp. non negamus Jeremiam in specie loqui de pseudoprophetis israeliticis,

*Probatur adfirmativa* 1.) *ex scripturae dictis* 1.) *Jerem. XXIII. 21. Non misi prophetas, & ipsi cucurrerunt.*

qui non missi nec vocati a Deo *seductiones cordis sui* prophetabant; sed ex eo recte deducitur generalis regula, αὐτοκλήτοις opponenda, quod nemo nisi missus a Deo docendi officium, quod itidem in scripturis vocatur *prophetia*, Rom. XII. 7. 1. Cor. XIV. 1. & seqq. in ecclesia usurpare debeat, cum ratio diversitatis ab adversariis adsignata nitatur falsa hypothesi, quod illi, qui non proferunt aut proponunt novam doctrinam, non opus habeant peculiari missione & vocatione, ut constat ex sequentibus fundamentis. 1.) Omnes ecclesiæ ministri sunt *Dei legati*. 2. Cor. V. 20. Jam vero nemo sibi ipsi partes legati sumit, nisi a legante ipsi imponantur. Ergo etiam ministri non currant, antequam mittantur. 2.) Deo tanquam causæ principali collectio ecclesiæ itemque institutio & conservatio ministerii adscribitur, ut constat ex præcedentibus, unde etiam *ministerium spiritus* vocatur. 2. Cor. III. 6. Ministri sunt causa instrumentalis, *per quos* homines ad fidem perducuntur, 1. Cor. III. 5. & salvantur. 1. Tim. IV. 16. Jam vero causa instrumentalis non agit neque operatur, nisi mota & acta a principali, atque ad συνέργειαν ab ea adsumta. Ergo etiam ministri exspectent a Deo vocationem. Quos Deus non misit, pro ministris ipsius censeri nequeunt. 3.) Sacerdotes veteris testamenti non debebant proferre novam doctrinam, neque tamen docebant, vel etiam docere debebant absque vocatione. 2. Paral. XXIX. 11. 4.) In nov. test. illi, qui *per singulas ecclesias presbyteri erant constituti*, Act. XIV. 23. non proferebant novam doctrinam, neque tamen nisi vocati ac missi docebant. Tito suo diserte scribit apostolus, Tit. I. 5. quod eo fine *reliquerit ipsum Cretae, ut oppidatim presbyteros constitueret*, ac Timotheo suo præcipit, 1. Tim. V. 22. *ne cito alicui manus imponat*. 5.) Quotquot in ecclesia docent, non vocati ac missi a Deo, dicuntur *fures ac latrones*, Joh. X. 8. dicuntur *venire in suo*, non autem Christi *nomine*, Joh. V. 43. turbant ordinem divinitus constitutum. 1. Cor. XIV. 23. & 40. Ergo ad omnes, qui in ecclesia docere volunt, recte adcommodatur, quod non debeant prophetare, antequam mittantur.

§. LVI. II.) Jer. XXVII. 9. 14. 15. *Nolite audire verba prophetarum vestrorum dicentium vobis: Non servietis regi Babylonis, quia mendacium loquuntur vobis, quia non misi eos, ait Dominus, & ipsi prophetant in nomine meo mendaciter*; ex quo loco sic inferimus: Quemcunque prohibemur audire, is non est verus Dei minister nec ecclesiæ doctor. Jam vero illum, qui non est a Deo missus, prohibemur audire. Ergo is, qui non est a Deo missus, non est verus Dei minister, nec ecclesiæ doctor. *Major* probatur. Qui non habet auditores, ille non est verus doctor, ex vi relationis mutuæ. Jam vero is, quem audire prohibemur ex jure & jussu divino, non habet auditores. Ergo is, quem audire prohibemur, non est verus doctor. Photiniani repetunt suam limitationem, *quod is duntaxat non sit audiendus, qui profert novam doctrinam non missus, nec vocatus a Deo.* Sed præceptum generale est, neminem audiendum esse, nisi vocationem suam demonstrare possit, ut constat ex præcedentibus fundamentis. Huc referimus loca illa novi testamenti, in quibus pseudoprophetarum & falsorum doctorum proprietas statuitur, quod veniant *in suo nomine*, nec missi nec vocati a Deo, propter quod etiam vitari jubentur. Matth. VII. 15. *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium.* XXIV. 24. *Surgent* (non vocati, ἐγερθήσονται suscitabuntur, impulsore scilicet satana) *pseudochristi & pseudoprophetae &c.* Joh. V. 43. *Ego veni in nomine patris mei*, (missus ab eo, & sanam doctrinam proferens) *& non recipitis me, si alius venerit in suo nomine, illum recipietis.* X. 8. *Omnes, quotquot venerunt ante me, fures sunt & latrones.* In quæ verba sic commentantur pii veteres: Hieronymus in comm. procem. in Matth. *In venientibus praesumtio temeritatis, in missis est obsequium servitutis.* Augustinus lib. XVI. contra Faustum c. 12. *Venisse ita vult intelligi, qui non missi sint, nam*

2.) *Jer. XXVII. 9. Non misi eos.*

*qui*

*qui missi sunt, sicut Moses & prophetae, non ante ipsum, sed cum ipso venerunt, quia non eum per superbiam praecedere voluerunt, sed eum per ipsos loquentem humiliter portaverunt.* Theophylactus in comm. h. l. πρόχες καὶ τῇ ἀκριβείᾳ τῆς λέξεως, ὅσοι ἦλθον, φησὶν, ἦγουν οἱ ψευδοπροφῆται, ἀλλ' ἐχ ὅσοι ἀπεστάλησαν, ὥσπερ προφῆται. Act. XX. 30. *Ex vobis ipsis surgent, ἀναστήσονται, viri loquentes perversa.* 2. Joh. v. 10. *Si quis venit ad vos,* (sua sponte, non missus nec vocatus) *& hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.* In hisce ac similibus dictis duæ pseudoprophetarum proprietates conjunguntur: *quod* veniant non vocati nec missi, & *quod* falsam doctrinam adferant; ubi tamen notandum, quandoque etiam illos esse pseudoprophetas, qui sunt in ordinaria successione & legitima vocatione, ac proinde non ad solam vocationem, sed etiam & cumprimis ad doctrinam esse respiciendum, si veros doctores a falsis internoscere velimus.

§. LVII. III.) Joh. III. 27.

3.) *Joh. III. 27. Non potest homo quidquam accipere.*

*Non potest homo quidquam accipere, nisi datum ipsi fuerit de cœlo.* Discipuli Johannis ægre ferebant, Christum per discipulos suos baptizare. *Rabbi,* (inquiunt) *qui erat tecum trans Jordanem, & cui testimonium perhibuisti, ecce, is baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Sed Johannes illis respondet hisce omnino verbis: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo,* ubi ad suam & Christi vocationem eos remittit. De sua vocatione subjungit v. 28. *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus, sed missus sum ante illum,* ut scilicet viam illi præpararem. De Christi vocatione dicit v. 29. *Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi, hoc ergo gaudium meum jam impletum est. Illum oportet crescere, me vero minui.* Nimirum hoc vult dicere baptista: Vocatio mea a vocatione Christi omnino est distincta. Ego sum amicus sponsi, ille vero sponsus est. Ego sum missus ante illum, ut viam ipsi præparatem, ille vero est angelus testamenti. Sacrilegium igitur foret, si absque vocatione officium Messiæ mihi arrogare velim, proinde mea vocatione, quæ divinitus mihi obtigit, contentus lætor hoc nomine, quod sim amicus sponsi, & quod illum videam crescere &c. cum non possit homo quidquam accipere, nisi datum fuerit ipsi de cœlo, hoc est, a Deo. Jac. I. 17. Ex quo recte constituitur generalis regula, quod nemo debeat officii alicujus partes suscipere, nec honorem aliquem sibi arrogare, nisi divina accedat vocatio & missio. Illis enim, quos vocat & mittit Deus, largitur etiam successum, illos instruit donis necessariis, se[illegible]; absque vocatione res magnas obeunt, & officiis publicis sese privata temeritate ingerunt, infelices tandem experiuntur exitus, ut multis exemplis manifestum redditum.

§. LVIII. IV.) Rom. X. 15.

4.) *Rom. X. 15. Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?*

*Quomodo praedicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* Utitur apostolus pulcerrima gradatione: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo in eum credent, de quo non audiverunt? quomodo autem audient sine praedicante? quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* id est: Sicut invocatio prærequirit fidem, fides auditum verbi, auditus prædicationem evangelii; ita quoque prædicatio prærequirit divinam missionem, cum nemo prædicare possit, jure scilicet, salutariter & bona conscientia, nisi divinitus mittatur. Sic ergo colligimus: In relatione terminus non habet locum absque fundamento. Ministerium ecclesiasticum est veluti quædam relatio, fundamentum ejus est divina missi) & vocatio, terminus ipsa prædicatio. Ergo prædicatio, legitima scilicet, salutaris ac Deo probata, utpote terminus, non habet locum absque divina missione & vocatione ceu fundamento.

Ex-

Excipit Oſiorodus in inſt. germ. c. 42. p. 437. *Paulum de ſuo duntaxat tempore loqui, cum adhuc nova & inaudita eſſet evangelii doctrina, ac proinde res ipſa poſtularet, ut qui eam eſſent adnunciaturi, miſſionem ſuam docere poſſent. Cum vero hoc noſtro tempore nihil novi adferatur, ſed antiqua evangelii doctrina proponatur, ideo non amplius opus eſſe ſingulari quadam vocatione.* Idem repetit Theoph. Nicolaides in defenſione tractatus Sociniani de eccleſia & miſſione miniſtrorum adverſus Miedzibozium cap. I. p. 140. *Locus* (inquit) *Rom. X.* Quomodo prædicabunt, ſi non mittantur? *nihil prorſus ad rem facit. Paulus enim de praedicatione vel potius adnunciatione loquitur, quae vox non omne genus docendi eo in loco complectitur, ſed illud tantum, quo novum & inauditum aliquid in mundum adfertur, id quod patet ex eo, quod Paulus iſto in loco loquitur de eo, quod fieri ſimpliciter non poſſit, non autem quod fieri non liceat, &c. Nam in praecedentibus dicit:* quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo autem credent, quod non audiverunt? *quae verba non id volunt, nemini licere aliquem invocare, niſi credat, & nemini licere credere, niſi audiat; ſed ſenſus illorum eſt: neminem poſſe ulla ratione invocare aliquem, niſi in eum credat, & neminem poſſe ulla ratione credere, niſi audiat.* Andr. Radeccius in notis ad librum Smiglecii, quem vocat refutationem diſſolutionis nodi Gordii, pag. 5. *Ipſe contextus docet, de ſolis apoſtolis ibi ſermonem eſſe.* Smalcius in refut. theſium Frantzii part. II. diſp. 4. pag. 379. *De apoſtolis ibi eſt ſermo, quae vero de apoſtolis ſunt dicta, ea non pertinent neceſſario ad omnes, qui docent alios.* (*) Reſp. 1.) Contradicunt ſibi ipſis Photiniani in hac exceptione. Adducunt enim exempla Philippi, Apollo & aliorum ex actis apoſtolicis, quos ſtatuunt ſine vocatione quadam peculiari evangelium prædicaſſe, ut inferius adparebit; quomodo igitur dictum hoc apoſtolicum eo ſenſu accipere poſſunt, quod miſſio fuerit neceſſaria illis, qui tempore apoſtolorum evangelii doctrinam prius non auditam prædicare debuerunt? Certe enim prædicatio Philippi & Apollo anteceſſit tempus epiſtolæ ad Rom. ſcriptæ. 2.) Dictum apoſtoli generale eſt, ut ex fundamentis ſuperius adnotatis manifeſtum. Id ipſum probatur ex ſerie textus apoſtolici. Etenim ſi præcedentia effata ſunt generalia, ac ad omne tempus eccleſiæ pertinent, tam in vet. quam novo teſt. tam ad tempora ſuccedentia, quam ad primum tempus prædicati evangelii; utique etiam hoc ipſum de neceſſitate miſſionis ad prædicationem eſt generale, ſine ulla reſtrictione & limitatione de quibusvis eccleſiæ temporibus accipiendum. Jam vero nemini dubium, quin præcedentia effata ſint generalia. Ut enim tempore apoſtolorum invocatio non habuit locum absque fide, fides non habuit locum absque auditu verbi, (in adultis ſcilicet, de quibus apoſtolus ibi loquitur) auditus verbi non habuit locum absque prædicatione: ita idem adhuc hodie in eccleſia obtinet. Proinde non patiemur ex hac apoſtolica catena annulum atque anſulam aliquam avelli. 3.) Nec ullum in verbo κηρύττειν ſubterfugium quæri poteſt, quaſi illud apoſtolis duntaxat novam & inauditam prius evangelii doctrinam præconiantibus competat, accipitur enim alias generaliter pro quavis verbi prædicatione facta etiam illis, quibus jam ante aliquid notum de hac doctrina. Matth. XXVI. 13. Marc. XIV. 9. Act. VIII. 5. XV. 21. Rom. II. 21. 2. Pet. II. 5. 4.) Negat apoſtolus prædicare poſſe quemquam, niſi mittatur, ſenſu eo, quo negat 1. Cor. X. 21. poſſe aliquem *calicem Domini*, & *calicem daemoniorum bibere*, id eſt, negat quemquam poſſe legitime, jure, ſalutariter, bona con-

(*) Piſcius in reſp. ad rat. Camp. p. 107. *Quid ex hoc loco apoſtolico elixas? Numquid legatos & ſummae felicitatis interpretes adhuc deſideras, qui ad praedicandum evangelium, quod ſeculis quindecim adnunciatum, emittantur? Non miſſio legatorum ſeu apoſtolorum, non evangelii per legatos praedicatio requiritur, ſed ſententia evangelii a legatis olim praedicati populo repetenda, recognoſcenda & explicanda, quo ad verum pietatis cultum & myſteriorum cognitionem adducantur. Ad hoc officii munus digni in eccleſia eliguntur.* GERHARDVS.

conscientia & juxta Dei voluntatem prædicare, nisi mittatur, interim de facto quidam sibi ipsis officium prædicandi absque missione arrogare possunt, quæ interpretatio nequaquam pugnat, sed optime congruit cum præcedentibus. Nemo potest invocare eum, in quem non credit, id est, vera, Deo grata & salutaris invocatio locum non habet absque fide; fieri quidem potest, ut quis contra Dei voluntatem dirigat invocationem suam ad eum, in quem non credit, ac sine fide cordis, labiis solum precularum formulas deblateret ac demurmuret; sed ea non est vera, Deo grata & salutaris invocatio, de qua apostolus ibi loquitur, dicit enim versu proxime præcedente: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Nemo etiam credere potest in eum, de quo non audivit, id est, vera & salvifica fides perpetuam relationem habet ad verbum, cujus terminos non egreditur; fieri quidem potest, ut quis fidei opinionem aliquam concipiat extra & præter, imo etiam contra verbum, sed ea non est vera & salvifica fides, quæ non nisi ex verbo oritur, & verbo adæquatur. Nemo insuper potest audire sine prædicatione, quia verbum evangelii non est natura notum, sed divina revelatione & prædicatione hominibus innotescit, ac quidquid in ecclesia de eo constat, illud totum ex divina revelatione & prædicatione descendit. Eodem igitur sensu accipiendum, quod ultimo loco apostolus addit, neminem posse prædicare, nisi mittatur. Fieri quidem potest, ut docendi ac prædicandi partes quisquiam absque vocatione sibi arroget, sed ea non est legitima, Deo grata & salutaris prædicatio. Quæ omnia si recte observentur, in fumum abeunt nebulæ sophisticæ luci hujus dicti apostolici obductæ.

§. LIX. V.) Hebr. V. 4. *Nemo sibi ipsi honorem sumit, sed qui vocatur a Deo, sicut Aaron.* v. 5. *Sic & Christus non se ipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, &c.* Confert epistolæ autor Aaronem, summum sacerdotem vet. test. & Christum, unicum nov. test. ἀρχιερέα. Quemadmodum Aaron non adgressus est privata autoritate munus sacerdotale, sed exspectavit divinam vocationem: ita quoque Christus non sine divina missione & vocatione officium suum est adgressus, sed solenniter prius a Patre cœlesti in baptismo & transfiguratione sua ecclesiæ doctor renunciatus. Prius membrum collationis generali axiomate profert apostolus, *quod nemo sibi ipsi sumat*, hoc est, sumere debeat, *honorem* alicujus officii, sed divinitus oblatum & impositum suscipere. Excipit Theoph. Nicolaides in defens. tract. Socin. de eccles. cap. I. pag. 138. *Locum hunc tantum de honore sacerdotali, qualis erat Aaronis, loqui, quod ex ipso textu* dicit *esse conspicuum; aliam vero esse rationem muneris docendi alios, in quo fit plus laboris semper, quam honoris, jam vero laborem aliquem sumere, semper laudabile fuisse habitum.* Deinde addit, *de eo, qui aptus est ad docendum alios, & vitae est inculpatae, non posse jure dici, quod sumat sibi munus docendi vel honorem illum, qui est in munere docendi, cum is sumat aliquid, qui id, quod ei non debetur, sibi arrogat; sed ei, qui est ad docendum aptus & vitae inculpatae, debetur illa dignitas vel munus, adeo ut si quis talis sit, & alios docere nolit, gravissime peccaturus sit.* Eodem modo excipit Andr. Radeccius in notis ad librum Smiglecii, quem inscripsit refutationem vanæ dissolutionis nodi sui Gordii p. 5. *Ipsum* (inquit) *capitis initium ex quo verba v. 4. dependent, de solo pontificatu & legali pontifice loquitur. Idem testatur articulus voci* honorem *in Graeco additus, ut constaret de peculiari honore sermonem esse &c.* Resp. sane recenset ibi apostolus conditiones pontificum vet. test. inter quas etiam est divina vocatio, sed propter paritatem rationis inter pontifices vet. & ministros nov. test. (quoad munus docendi & publici officii administrationem) recte generaliter accipitur pronunciatum apostoli, hoc sensu, quod nemo propria autoritate honorem aliquem in officio ecclesiastico capessendo sibi sumere debeat, nisi a Deo vocetur: speciale Aaronis exemplum additum

5.) *Hebr. V. 4. Nemo sibi ipsi honorem sumit.*

non restringit vel limitat, sed illustrat & explicat generalem illam regulam, cui subjicitur. Neque quicquam roboris inest exceptionibus Photinianis. 1.) Labor enim & honor in docendi officio non sunt oppositа, sed subordinata, ut constat ex evidente apostoli dicto: 1. Tim. V. 17. *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Officium Aaronis sacerdotale non erat solum honoratum, sed etiam laboriosum: officium reliquorum ecclesiæ doctorum est, vel certe esse debet, non solum laboriosum, sed etiam honoratum. Quod plus laboris quam honoris sit in docendi munere, ex accidente contingit propter contemtum verbi & mundi ingratitudinem; sed ex eo non potest nec debet inferri, quod docendi munus non sit aliquis honor. Proinde ad docendi officium etiam pertinet regula illa apostolica: *Nemo sibi ipsi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo.* 2.) Laborem aliquem sumere semper laudabile fuit habitum, sed distinguendum inter labores privatos omnibus communes, & inter labores in publico officio sustinendos. Posteriores labores nemo sumere debet absque præcedente legitima vocatione. Legati partes in politia terrena sustinere, multos labores complectitur, nec tamen laudabile fuerit, labores illos suscipere absque autoritate & vocatione legantis; quanto minus legati cœlestis partes in ecclesia, quæ est cœlorum regnum, sibi quis sumere debet absque vocatione divina. Magistratus administrationem laboriosam esse nemo negaverit, interim tamen absque vocatione labores illos nemo sibi arrogare debet. 3.) Illi, qui ad docendum aptus est, & vitam agit inculpatam, docendi munus deberi, ambigue dicitur, vel enim intelligitur hoc sensu, quod talis præ reliquis debeat eligi ad ecclesiasticum ministerium, vel quod absque vocatione sibi ipsi partes illas debeat arrogare. Priore sensu adsertionem illam concedimus, posteriore negamus; neque enim duntaxat ἐπιτηδειότης καὶ ὁσιότης, idoneitas & vitæ integritas, sed etiam legitima vocatio in ministro ecclesiæ requiruntur: priora requiruntur ad personam, posterius ad officium ministri.

§. LX. Atque hæc sunt potiora scripturæ dicta, ex quibus nostram confirmamus sententiam. Illis secundario adjungi potest VI.) præceptum Siracidis VII. 4. μὴ ζήτει παρὰ κυρίῳ ἡγεμονίαν, μηδὲ παρὰ βασιλέως καθέδραν δόξης. Vulgata reddidit: *Noli quaerere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris.* Sed cum in Græco habeatur vox κυρίῳ, *quae* ἐξοχικῶς Deo competit, itemque vox ἡγεμονίας, quæ ecclesiæ doctoribus specialiter tribuitur; Act. XV. 22. Hebr. XIII. 7. 17. & 24. ideo recte accipitur tanquam generalis quædam præmonitio, ne quis se ingerat publicis officiis propria temeritate, sive παρὰ κυρίῳ, apud Dominum, coram Domino, id est, in ecclesia, sive παρὰ βασιλέως, apud regem, i. e. in politia. Ne quæras apud Dominum præfecturam sive ducatum, neque apud regem cathedram honoris, i. e. ne obtrudas te ad publica munera ecclesiastica sive politica, sed exspectes prius legitimam vocationem.

6.) *Eccl. VII. 4. Noli quaerere ab homine ducatum.*

§. LXI. *Altera* classis argumentorum continet probata *exempla;* ubi proponimus generalem regulam, quod nemo vel in vet. vel in nov. test. publicum docendi in ecclesia officium rite administraverit, nisi divinitus ad id vocatus, nec putamus contrarium exemplum proferri posse. 1.) *Patriarchis* adparuit Deus in forma humana, ac immediate eos ad docendi & sacrificandi munus vocavit. Gen. XIV. 18. *Melchisedec erat sacerdos altissimi;* at quomodo sacerdos altissimi esse potuisset, si non ab altissimo ad illud officium fuisset vocatus? Gen. XX. 7. de Abrahamo dicit Dominus ad Abimelechum: *Orabit pro te, quia propheta est, & vives,* quibus verbis Abraham constituitur propheta ac doctor Abimelechi, ejusque subditorum, quin imo etiam aliorum, qui debeat prædicare & orare sive sacri-

II.) *Ex probatis exemplis.*

sacrificare, unde etiam de ipso commemoratur, quod *aedificaverit altare Domino*, qui adparuerat ei, & invocaverit nomen ejus. Gen. XII. 7. XIII. 18. XXI. 33. Idem de Noacho, justitiæ præcone, 2. Pet. II. 5. ac reliquis patriarchis est judicium. II.) *Sacerdotes Leviticos* divinitus fuisse ad ministerium vocatos dubitari nequit. Aaronis solennis vocatio describitur Exod. XXVIII. 1. *Adplica ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi Aaron, Nadab & Abihu, Eleazar & Ithamar.* De reliquis Levitis exstat præceptum: Num. I. 50. *Levitas constitues super tabernaculum testimonii, & cuncta vasa ejus, & quidquid ad illud pertinent*, quo respiciens pius rex Ezechias ad sacerdotes ac Levitas dicit: 2. Par. XXIX. 11. *Vos elegit Dominus, ut stetis coram illo & ministretis illi.* Nec diffiteri possunt adversarii, de honore sacerdotali in genere dictum esse Hebr. V. 4. *Nemo sibi sumit eum honorem, nisi vocetur a Deo, sicut & Aaron.* III.) *Prophetae* ubique ad divinam missionem provocant: Esaj. VI. 8. *Audivi vocem Domini dicentis, Quem mittam, & quis ibit nobis? & dixi: Ecce ego, mitte me.* v. 9. *Et dixit, Vade & dices populo huic.* Jer. I. 4. *Factum est verbum Domini ad me, dicens:* v. 5. *Priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi te, & prophetam in gentibus dedi te.* Ose. I. 1. *Factum est ad me verbum Domini.* Idem judicium de reliquis prophetis, unde Luc. I. 70. Zacharias dicit, quod *locutus sit Dominus per os sanctorum, qui a seculo sunt, prophetarum ejus*, & apostolus Heb. I. 1. quod *multifariam multisque modis olim Deus locutus sit patribus per prophetas.* IV.) *De Johanne baptista* Christi præcursore dicitur Joh. I. 6. *Fuit homo missus a Deo*: Luc. III. 2. *Factum est verbum Domini super Johannem.* V.) *Christus*, Dei Filius nec munus docendi nec opus redimendi absque vocatione adgredi voluit, unde toties ad suam a Patre missionem provocat; Matth. X. 40. XV. 24. Joh. III. 17. V. 36. &c. quin imo de hac missione exstant vaticinia in testam. vet. Esaj. XLVIII. 16. *Nunc Dominus Deus misit me & Spiritus ejus*, quem locum de Christo accipiendum esse, colligitur ex Joh. XVIII. 20. Esaj. LXI. 1. *Spiritus Domini super me, etenim unxit me Dominus, ad evangelizandum adflictis misit me, &c.* quem locum de Christo agere, colligitur ex Luc. IV. 18. inde etiam epist. ad Hebr. V. 5. commendat in Christo, quod *non se ipsum clarificaverit, ut pontifex fieret &c.* VI.) *Apostolos* ipse Christus immediate primum vocavit, ac postmodum in schola sua instructos ad evangelii prædicationem in totum orbem ablegavit. Matth. X. 1. *Convocatis duodecim apostolis dedit illis potestatem spirituum immundorum.* v. 5. *Hos duodecim misit Jesus, dicens eis: Euntes, praedicate &c.* Joh. XX. 21. *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.* Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. *Euntes, docete omnes gentes.* Apostoli ad ecclesias scripturi vocationem suam in exordiis epistolarum diligenter & scrupulose inculcant, ut se a Deo missos & pro ministris ecclesiæ legitimis habendos esse comprobent, hinc illud: *Paulus, vocatus apostolus*, Rom. I. 1. 1. Cor. I. 1. 2. Cor. I. 1. Gal. I. 1. &c. *Petrus, apostolus Jesu Christi.* 1. Petr. I. 1. VII.) Qui in officio docendi *successerunt* apostolis, per solennem vocationem ecclesiis, quas gubernarunt, fuerunt præfecti. Act. XIV. 23. *Paulus ac Barnabas cum constituissent Antiochenis per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum jejuniis, commendaverunt eos Domino.* 1. Tim. IV. 14. *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* 2. Tim. I. 6. *Moneo te, ut suscites charisma Dei, quod est in te per impositionem manuum mearum.* 1. Cor. IV. 17. *Misi ad vos Timotheum, qui commonefaciat vobis vias meas, quae sunt in Christo.* 1. Thess. III. 2. *Misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in evangelio Christi ad confirmandos vos &c.* VIII.) Proximi apostolorum in docendi officio successores ministerium ecclesiasticum certis, atque illis quidem idoneis hominibus cum consensu ecclesiæ

iterum commendarunt, neque cuivis propria autoritate ad illud profilire fuit conceſſum. 1. Tim. V. 22. *Manus cito nemini impoſueris, nec communicaveris peccatis alienis.* 2. Tim. II. 2. *Quae audiſti a me per multos teſtes, commenda fidelibus hominibus, qui idonei ſint, ut alios doceant.* Tit. I. 5. *Ideo reliqui te Cretae, ut oppidatim conſtituas presbyteros.* IX.) Chriſtus ad dextram Patris cœleſtis collocatus non tantum olim eccleſiæ ſuæ dedit apoſtolos, prophetas & evangeliſtas, ſed etiam adhuc hodie dat eidem *paſtores & doctores*, Eph. IV. 11. non amplius immediate, ſed per vocationem mediatam legitimam, quam non minus atque immediatam pro divina agnoſcendam eſſe, poſtea comprobatum dabitur.

§. LXII. Excipit Smalcius in refut. Frantz. p. 376. *tantum abeſſe, ut animadverſa & conſiderata conſuetudo eccleſiae vet. & nov. teſt. commonefacere, nedum docere aliquem poſſit, neminem absque miſſione partes docendi alios ſibi ſumere poſſe, ut potius confirmare aliquem poſſit, neceſſarium non eſſe, ut id perpetuo obſervetur, cum conſuetudo & neceſſitas tantum non contraria ſint.* Reſp. perpetua illa eccleſiæ praxis nititur ordinatione & inſtitutione divina, ut ex antea dictis conſpicuum, proinde non debet neceſſitati opponi. Locum igitur hic obtinet illud Auguſtini lib. IV. de bapt. contra Donat. c. 4. *Ratio & veritas conſuetudini praeponendae ſunt, ſed ſi conſuetudini veritas ſuffragatur, nihil oportet firmius retineri.* Nec ſine inſigni abſurditate dici poteſt, conſuetudinem & neceſſitatem mandati ſibi invicem perpetuo opponi; de parentibus Chriſti dicitur, Luc. II. 24. quod κατὰ τὸ ἔθος Hierofolymas in feſto paſchatis adſcenderint, quod ipſum faciebant neceſſitate mandati. Exod. XXIII. 17. Deut. XVI. 16. Theoph. Nicolaides in defenſ. tract. Socin. de eccleſia & miſſione miniſtr. cap. I. pag. 143. in ſpecie quædam ad dicta excipit. 1.) *locum*, 1. Tim. IV. 14. *non de munere docendi, ſed de gratia Dei, quae erat in Timotheo, id eſt, de donis ſpiritualibus, quae ei miraculoſo modo contigerant, loqui adſerit.* Reſp. non negamus per τὸ χάρισμα proprie ſpiritualia dona intelligi, ſed ex eo inferri nequit miſſionem & ordinationem Timothei non poſſe ex hoc textu deduci, quia dona illa ſpiritualia Timotheo contigerant in ipſa vocatione & ordinatione, quæ per impoſitionem manuum Pauli & presbyterorum peragebatur. Cogitur id agnoſcere Nicolaides veritatis fulgore convictus, ideo addit: *munus docendi contigerat Timotheo per prophetiam, id eſt, per ſuffragia virorum primariorum in eccleſia Chriſti cum impoſitione manuum presbyterii.* Aliter igitur excipit, ſubjungens: *Etſi concedatur Paulum per manuum impoſitionem miſiſſe Timotheum, quid hinc efficiet reſpondens?* (Miedzebozius) *hocne, ut omnis, quicunque docendi munus ſubit, ab aliquo mittatur? atqui a ſpecie ad genus non valet adfirmans concluſio. Potuit tunc mitti Timotheus a Paulo vel etiam ab aliis ſenioribus eccleſiae, non quia id ad munus illius docendi eſſet neceſſarium, & quod ſine miſſione Timotheus docere alios non potuiſſet, ſed quia tunc ſic requirebat ordo & decorum eccleſiae* Reſp. a.) Photinianorum theorema eſt, eos, qui non proferunt novam & prius inauditam doctrinam, non opus habere peculiari aliqua miſſione, illi merito opponitur exemplum Timothei, qui non protulit in eccleſia Epheſina, cujus conſtitutus erat epiſcopus, novam doctrinam, & tamen peculiariter miſſus & ordinatus fuit ad miniſterium, quin imo de Tito diſerte dicitur, *quod eo fine relictus fuerit Cretae, ut conſtitueret oppidatim presbyteros.* Tit. I. 5. b.) A ſpecie ad genus non quidem perpetuo licet argumentari, interim ab enumeratione omnium ſpecierum ad genus, a ſufficiente inductione omnium exemplorum ad generalem quamdam regulam, & ab illis, quæ eodem ſeſe modo habent, nec patiuntur ἔνστασιν quamdam contrariam, ad univerſale pronunciatum licet procedere. Sic Paulus Rom. IV. ex Abrahæ & Davidis exemplis probat juſtificationem fidei gratuitam, quia, quomodo Abraham & David juſtificati ſunt, eo modo juſtificantur omnes pii, nec poteſt contrarium dari exemplum eorum, qui aliter fuerint

fuerint justificati. Pari ratione in hac quæstione de vocatione ministrorum sese res habet. Ut enim Timotheus non prædicavit absque missione, ita nullus patriarcharum, prophetarum, apostolorum & aliorum ecclesiæ doctorum absque missione prædicavit, proinde ex Timothei exemplo recte infertur generalis regula, quod nemo absque missione prædicare debeat. c.) Qualis ordo & quale decorum ecclesiæ olim requisivit Timothei missionem, talis ordo & tale decorum ecclesiæ adhuc hodie ministrorum missionem requirit. Jam vero ordo ille non fuit arbitrarius & ἀδιάφορος, sed vi mandati divini, exempli apostolici & salutis ecclesiæ necessarius. Ergo adhuc hodie talis ordo ministrorum missionem requirit, id quod ex parte agnoscit Nicolaides statim subjungens: *Nimis turpe fuisset in bene jam constituta republica tantam esse confusionem* (ἀταξίαν) *& ea negligi, quae ad eam ornandam pertinebant, ut etiam hodie indecorum esset, absque certo ordine & decoro eos constitui, qui alios docturi sunt, siquidem sunt cœtus constituti, & in illis seniores.* Quæ de defectu necessariæ & generalis cujusdam hac in re constitutionis addit, de illis ex præcedentibus judicari potest. 2.) In loco 1. Tim. V. 22. *non de ordinatione ministrorum, sed de recipiendo peccatore lapso agi.* cap. II. defens. p. 177. *Resp.* Imo vero ubicunque in historia & epistolis apostolorum mentio fit impositionis manuum, ibi ut plurimum exprimitur ceremonia in ministrorum ordinatione ac missione adhiberi solita, Act. VI. 6. XIII. 3. 1. Tim. IV. 14. 2. Tim. I. 6. adhibita etiam fuit hæc ceremonia in collatione miraculosorum Spiritus sancti donorum, Act. VIII. 17. & in miraculis; Act. IX. 12. XIX 6. XXVIII. 8. sed quod in recipiendis peccatoribus lapsis eadem ab apostolis fuerit adhibita, nusquam legitur, gratis igitur adseritur, quod hoc dictum apostolicum de receptione illa sit intelligendum. Nec obstant nostræ interpretationi verba sequentia: *Ne communices peccatis alienis*, hæc enim vel continent peculiare præceptum a priore distinctum, vel sunt ἀιτιολογικὰ, quare scilicet nemini cito commendandum sit ministerium, nimirum ne talis neophytus sine adcurato judicio & examine electus turbas in ecclesia excitet, quarum causa ex parte nobis tribui posset. Vide Ambrosium & omnes veteres in h. l.

§. LXIII. *Tertia* argumentorum classis complectitur varias rationes ex scriptura deductas. I.) *A Causarum momentis.* Quodcunque nititur causis gravissimis, Dei honorem, ecclesiæ salutem & conscientiæ tranquillitatem concernentibus, non potest nec debet in ecclesia prætermitti. Sed vocatio ministrorum nititur causis ejusmodi. Ergo. *Adsumtum* probatur, quia causæ, propter quas publice in ecclesia docentes oporteat habere vocationem legitimam, adduci possunt longe gravissimæ, quæ ita comparatæ sunt, ut quædam respiciant *Deum*, quædam *auditores*, quædam ipsos *verbi ministros*. Dei quidem causa, ut ipsius institutioni, voluntati atque ordinationi satisfiat. Rom. X. 15. Hebr. V. 4. Non vult immediate nobiscum agere, nec doctores immediate mittere, sed per legitimam & ordinariam vocationem ecclesiæ suæ doctores præficere, quisquis ergo eam contemnit, divinæ ordinationi reluctatur. *Auditorum* causa, ut illi de legitima ministrorum vocatione certi reddantur, quod Deus his ipsis personis legitime vocatis in opere convertendi & salvandi homines uti velit, item quod velit illis in ministerio ipsius nomine gesto sua gratia & Spiritus sancti efficacia adesse, donis necessariis eos instruere, laboribus ipsorum benedicere, contra adversarios tueri &c. quæ consideratio reverentiam & obedientiam erga ministerium in animis auditorum excitat. Nec utile solum, verum etiam necessarium est, ut constet auditoribus de doctrina ministri futuri, qualis ea sit, & a quibus eam didicerit, proinde etiam exploratione, ordinatione ac testimoniis opus est. Ipsius *ministri* causa, ut ex vocatione certus esse possit, Deum velle opera sua in ministerio uti, indeque firmam concipere fiduciam, quod

III.) *Ex rationibus.*

Deus velit per ministerium suum ad conversionem & salutem auditorum esse efficax, absque hac fiducia nec pro successu ministerii & auditorum salute precari, nec in tantis mundi odiis ac periculis firma consolatione sese erigere poterit, inde vocatio ac defensio in ministerio conjunguntur. Esaj. XLIX. 1. *Dominus ab utero vocavit me*, v. 2. *& posuit os meum quasi gladium acutum, in umbra manus suae protexit me, & posuit me sicut sagittam politam, in pharetra sua abscondit me.* Jer. I. 7. *Ad omnia, ad quae mittam te, ibis, & universa, quaecunque mandavero tibi, loqueris.* v. 8. *Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus:* inde quoque vocatio & successus in ministerio conjunguntur. Esaj. LI. 16. *Ponam verba mea in ore tuo, & in umbra manus meae protegam te ad plantandum cœlos & fundandam terram.* Esaj. LIX. 21. *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo &c.* 2. Cor. III. 3. Deus vult per nostrum ministerium *legem scribere in cordibus;* ad hæc quis idoneus? v. 5. *Sufficientia nostra ex Deo est, qui & fecit nos idoneos ministros novi Testamenti.* 2. Cor. II. 12. *Ostium mihi apertum est*, nimirum quia ostiarius Spiritus sanctus aperuit per legitimam vocationem. Joh. X. 3. Vide omnino Chemnitium in loco de ecclesia c. 4. membr. 1. p. 316. ubi pluribus recenset causas, propter quas tanti referat, ministrum habere legitimam vocationem. II.) *A comparatis.* Nullus legatus absque vocatione & peculiari mandato officii illius partes suscipit. Jam vero omnes ministri ecclesiæ sunt legati Dei. 2. Cor. V. 20. Ergo nullus minister ecclesiæ absque vocatione officii illius partes suscipiat. Nemo gubernationem domus & œconomiæ administrationem sibi vindicat, nec familia quemquam recipit atque audit, nisi quem ipse οἰκοδεσπότης domui suæ præfecerit, & audiendum domesticis suis commendaverit. Jam vero ecclesia est *domus Dei*, 1. Tim. III. 15. Hebr. III. 6. ministri ecclesiæ sunt *œconomi* in hac domo. 1. Cor. IV. 1. Ergo domus hujus administrationem non suscipiant, nec Christi familia illos audiat, nisi sint per vocationem a Deo ipso huic œconomiæ præfecti. Nullus pro milite censendus, qui non fuerit a capitaneo in numerum militum adlectus & sacramento militiæ obstrictus. Sed ministri ecclesiæ peculiari quadam ratione dicuntur milites, quia præ reliquis piis, qui & ipsi sub Christi vexillis pugnant, & generali ratione milites dicuntur, prædicatione verbi, precibus maxime seriis, hæresium confutatione &c. adversus satanam, & ipsius squamas pugnant. 2. Tim. II. 3. *Tolera adversa sicut bonus miles Jesu Christi.* v. 4. *Nemo militans implicet se negotiis secularibus.* Ergo ministri ecclesiæ peculiarem illam militiam non adgrediantur, nisi a cœlesti capitaneo, Christo, in eam adscisantur. Magistratus officium nemo administrare debet absque vocatione, qui enim proprio ausu illud invadit, tyrannidis vel certe seditionis sit reus. Ergo etiam ecclesiasticum ministerium nemo debet sibi vindicare absque vocatione. III.) *Ab incommodis.* Qui in ecclesia publicum docendi officium absque vocatione sibi arrogat, invadit alienam possessionem, non est Dei legatus & minister, sed fur & latro, cum non intret per ostium: nec est minister ecclesiæ, cum non sit ab ea vocatus: turbat ordinem a Deo constitutum, introducit ἀκαταστασίαν, cujus Deus non est autor: 1 Cor. XIV. 33. repugnat exemplo Christi, prophetarum & apostolorum, qui omnes non nisi missi & vocati prædicarunt; facit augustissimi hujus muneris dignitatem vilescere: privat se ipsum necessaria consolatione: & adcersit sibi infelices utplurimum exitus &c. quæ omnia ac singula ex defectu vocationis oboriri solere, & sacræ literæ & historiæ ecclesiasticæ testantur, hinc gravissime scribit Lutherus tom. IV. lat. Jen. fol. 9. *Non fortunat Deus labores eorum, qui non sunt vocati, & quamquam salutaria quaedam adferant, tamen non aedificant.* Vide etiam tom. V. Jen. germ. fol. 290. tom. VI. f. 467. (*)

§. LXIV.

*interim esto securus, imo si esses sapientior ipso Salomone*

(*) Idem tom. II. lat. f. 553. *Exspecta vocantem,*

§. LXIV. Huic sententiæ nostræ adversantur I.) *Anabaptistae*, qui absque omni vocatione cuivis docendi in ecclesia potestatem faciunt, qua ratione ecclesia statuitur cœtus quidam promiscuus, in quo nec donorum, nec laborum, nec vocationum ratio habeatur. Chemnitius part. III. locorum cap. de ecclesia, pag. 314. *Anabaptistae dicunt, si quis doctrinam evangelii intelligat, sive is sit sutor sive sartor, sive faber, eum docere & concionari debere.* Gastius de catabaptist. erroribus libr. I. pag. 35. *Catabaptistae sumunt sibi omnes praedicandi officium, atque de aliis, qui legitime a christianis ecclesiis inautorati sunt, sciscitantur: quis te elegit? cum isti ne a sua quidem cacoecclesia mittantur.* Anabaptistis adfines sunt II.) *Photiniani*, qui itidem vocationis necessitatem in ecclesiæ ministris negant. Socinus in tract. de eccles. pag. 14. *Quid est, cur a nostris ministris requirant, ut legitimum sui muneris autorem ostendant? An non cuivis christiano homini licet, etiam sine speciali ullo sibi legitime demandato ejus rei munere, charitatem erga proximum exercere? An non opus charitatis plane est, ad apostolicam doctrinam, Christique evangelium complectendum ac retinendum, id est, aeternae salutis viam ingrediendam alios cohortari, divinaque oracula, quae omnibus sunt proposita, illis explicare?* Pag. 16. *Ordine licet isto* (in ecclesia) *constituto, etiam cum quis a recepta doctrina recedere non vult, posse tamen Christi fideles extra ordinem pro ratione loci & temporis verbi Dei praedicandi munus sua sponte adgredi.* Theoph. Nicolaides in defens. tractat. Socin. de eccles. & missione, cap. I. p. 146. *Erravit Lutherus a Munzero* (anabaptista) *legitimam functionem flagitans. Non quid Lutherus fecerit, sed quid facere hac in re debuerit, quaeritur.* Cap. II. pag. 177. *Nullam missionem agnoscimus, quomodo igitur ad eam aliquid requiri dicere possumus.* Catechismus Racovienſis german. major tit. de eccles. cap. II. p. 344. proponit quæstionem: *Ists nicht nöthig, dass die, so andere lehren, und Ordnung in des Herrn Gemeine unterhalten, auf eine sonderbare Weise gesand werden?* Ad quam respondet negate, addita ratione duplici, quod *non proferant novam doctrinam, sed apostolicam jam olim receptam*, & quod *in descriptione requisitorum episcopi nulla fiat mentio missionis.* Ostorodus in instit. german. cap. 42. pag. 438. *Es kan ein jeder lehren, wenn er schon nicht gesand ist, sintemal solches nit verboten ist, noch irgend eine Gefahr in sich hat.* Et postea: *Ist derhalben nicht nötig, dass man gedencke, als wenn einer unrecht thete, so er von sich selber, das ist, ohne Sendung, das Lehrampt auf sich nimpt, sintemal ein solch Werck aus der rechten Christlichen Liebe herkömpt.* p. 440. *Ist derhalben nicht nöthig, dass dazu jetziger Zeit jemand das Evangelium predigt, ja wenn ers schon nit durchaus verstünde (gleich wie auch Apollos vom Anfang) er gesand sey, viel weniger aber, dass er seine Sendung beweisen müsse.* A. R. (forte est Andreas Radeccius) in notis ad libr. Smiglecii, quem vocat refutationem vanæ dissolutionis nodi sui Gordii edit. Racov. anno 614. p. 3. *Consitemur & olim ministros ecclesiae vocari potuisse, imo vocatos fuisse, & nunc etiam vocari posse. An vero id, quod olim factum est, & hodie fieri potest, ad munus ministrorum constituendum requiratur, hoc vere & perpetuo quaeritur, quod Smiglecius probare nequit.* Smalcius in refut. thes. Frantzii, part. II. disp. 4. p. 377. *Non negamus, ex ista consuetudine primitivae ecclesiae apostolicae consequi, illud etiam jure fieri posse hodie, quod olim fiebat, & si ecclesia semper incorrupta manssisset, non dubitamus,*

*Antithesis*
1.) *Anabaptistarum.*

2.) *Photinianorum.*

*lomone & Daniele, tamen nisi voceris, plusquam infernum fuge, ne verbum effundas, si tui eguerit, vocabit te; si non vocabit: non te rumpet sanctitas tua; nemo fructificat verbo, nisi qui sine suo voto vocatur ad docendum: qui autem non vocatus docet, non sine damno & suo & auditorum docet, quod Christus non sit cum eo.* GERHARDVS.

*mus, quin valde juſtum fuiſſet, ut modus iſte ordinandi miniſtros obſervaretur, quemadmodum etiam nunc, ubi eſt conſtituta reſpublica chriſtiana, valde decorum arbitramur, ut id obſervetur, ſed non hoc potiſſimum quaeritur. Hoc enim in quaeſtione eſt: an hujusmodi conſtitutio ſit prorſus neceſſaria ad conſtituendum verbi Dei miniſtrum? Hoc autem nos negamus. Nihil enim tale, quod caput rei eſt, legimus in deſcriptione eorum, quae ad epiſcopum conſtituendum requiruntur &c. nec uſpiam alibi indicatum vel leviſſime videmus, eum, qui talis ſit, poſtea vocari & mitti ab aliquo debere, imo poſſe aliquem per ſe munus tale concupiſcere vel adfectare, manifeſte ſcriptum legimus.*

*Argumenta Photinianorum* 1.) *Ex ſcripturae dictis* I.) 1. Cor. XIV. 29. *Prophetae duo vel tres loquantur.*

§. LXV. Nituntur hanc ſuam opinionem confirmare 1.) ſcripturæ dictis: 2.) exemplis: 3.) rationibus. Ad *primam* claſſem referunt hæc dicta: I.) 1. Cor. XIV. 29. *Prophetae duo vel tres loquantur, ac reliqui dijudicent.* v. 30. *Quod ſi alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Ergo omnes publico praedicandi officio fungi poſſunt abſque peculiari vocatione.* Reſp. certum eſt apoſtolum ibi non loqui de promiſcuo piorum cœtu: id enim evidenter colligitur ex verbis præcedentis cap. XII. 29. *Numquid omnes prophetae?* ſed de certo quorumdam piorum ordine, quis autem ille fuerit, ſententiæ variant. Ex noſtris plerique prophetarum nomine intelligunt *ordinarios eccleſiae doctores*, prophetiæ, id eſt, ſcripturam interpretandi dono inſtructos. Ex act. XIII. 15. colligi poteſt, quod olim in eccleſia primitiva talis docendi modus uſitatus fuerit, ut poſt hymnos decantatos locus aliquis ſcripturæ prælegeretur, ac deinde unus ex eccleſiæ doctoribus ſurgeret, qui locum illum prælectum exponeret, ac doctrinas ex eo deduceret. Is cum dicendi finem feciſſet, alius ſurgebat, pollens & ipſe prophetiæ ſive ſcripturas interpretandi dono, qua ratione non unus tantum ſed duo vel tres etiam erant concionatores, qui per vices loquebantur. Eo exiſtimant reſpicere apoſtolum his verbis, quando præcipit, ut, qui inter Corinthios dono interpretandi ſcripturam inſtructi ſunt, publice doceant, per vices ſcilicet; nequaquam vero ex eo inferri poſſe, quod omnibus abſque ulla vocatione licitum eſſe debeat publice in eccleſia docere, quia ſtatim ſubjicit apoſtolus v. 32. *Non eſt Deus confuſionis, ſed pacis & ordinis Deus.* Socinus vero in explicatione loci Matth. XVI. quæ ſubjungitur tractatui de eccleſia, p. 67. ſtatuit, per prophetas in hoc loco apoſtolico intelligi eos, *quae occultiora quaedam ad chriſtianam religionem pertinentia aperuerunt.* Ex quo ſic colligimus: Illorum prophetarum officium aut fuit diſtinctum ab officio ordinariorum eccleſiæ doctorum, aut idem omnino cum ipſo. Si prius, quod videtur Socinus ſtatuere, & magis congruit cum locis apoſtolicis, Eph. IV. 11. 1. Cor XI. 29. ubi prophetæ a doctoribus & paſtoribus diſtinguuntur; argumentum eſt a quæſtione alienum, neque enim de extraordinario & primitivæ eccleſiæ proprio talium prophetarum officio, ſed de ordinariis eccleſiæ doctoribus hoc loco inter nos & Photinianos quæſtio eſt, an ſcilicet ad illorum officium requiratur peculiaris vocatio? Si poſterius, ſtatuendum omnino eſt, prophetas illos non fuiſſe vocatione deſtitutos ob argumenta ſuperius adlata, licet in ſpecie illorum vocatio non deſcribitur, neque enim in hiſtoricis *negative* ex ſcripturis argumentari licet.

II.) 1. *Tim.* III. 1. *Si quis epiſcopatum deſideras &c.*

§. LXVI. II.) 1. Tim. III. 1. *Fidelis ſermo, ſi quis epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Si licet concupiſcere munus alios docendi, falſum eſt exſpectari neceſſario debere, donec aliquis ab alio mittatur.* Ita colligit Theoph. Nicolaides in defenſ. tract. de eccleſ. & miſſ. miniſtr. cap. I. pag. 141. Reſp. per τὸ ὀρέγεσθαι καὶ ἐπιθυμεῖν, nequaquam eo in loco intelligi debet miniſterii eccleſiaſtici abſque miſſione & vocatione privato arbitrio ſuſcepta adminiſtratio, neque

neque violenta in hoc officium intrusio, neque illegitima & malis artibus impetrata vocatio: hæc enim omnia divinæ voluntati in scripturis expressæ & canonibus ecclesiasticis adversantur: Jer. XXIII. 21. *Non misi prophetas, & ipsi cucurrerunt;* sed ordinatum & pium illud desiderium, quo quis ecclesiæ operam suam modeste offert, judicium de se aliis committit, & legitimam vocationem exspectat, ac paratus est cum propheta Esaia Deum vocantem sequi: Esaj. VI. 8. *Dixi, ecce ego, mitte me.* Interim tamen si hujus voti ac desiderii sui non fiat compos, divinæ voluntati reverenter se submittit, nequaquam indigne ferens, sese aliis posthabitum, sed cum Davide dicens: *Si dixerit mihi Deus, non places, praesto sum, faciat mecum, quod bonum est, coram se.* 2. Sam. XV. 26. Apostolus ibidem certam normam ac formam præscribit, ad quam ecclesia in eligendis ac constituendis ministris respicere debet, nequaquam igitur inordinato absque vocatione currentium desiderio patrocinatur. Unde Ambrosius in comm. h. l. sic scribit: *Quoniam episcopum bonae vitae esse oportet, idcirco qui episcopatum cupit, bonum opus desiderat. Hoc enim cupiens bonam vitam adpetere videtur, si tamen non ab iis declinet, quae in subjectis habentur, ne ambitione & desiderio pecuniae hoc egisse videatur.*

§. LXVII.

III.) 1. Petr. II. 9. *Vos estis regale sacerdotium.*

III.) 1.Petr.II. 9. *Vos estis regale sacerdotium, ut adnuncietis virtutes ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Apoc. I. 6. *Christus fecit nos reges & sacerdotes Deo & Patri suo.* V. 10. *Redemisti nos Deo, & fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes. Ergo omnes absque peculiari vocatione docere possunt.* Resp. 1.) Quemadmodum ex eo, quod credentes dicuntur *reges*, nequaquam colligi potest, quemlibet ipsorum absque vocatione ministerio ecclesiastico fungi posse, cum itidem de spiritualibus sacerdotibus sermo sit. 2.) Dicuntur enim spirituales sacerdotes non respectu muneris ecclesiastici, cum Theoph. Nicolaides defens. tract. de miss. minist. cap. I. pag. 139. ipsemet agnoscat, *ubicunque vox* sacerdotis *de christiano populo legitur, tam auditoribus quam doctoribus eam competere, id* quod ex ipsis loci cujusque circumstantiis ad oculum demonstrari posse addit. 3.) Sed respectu spiritualium hostiarum Deo offerendarum, sicut ipse Petrus exponit v. 5. *Vos estis sacerdotium sanctum ad offerendas spirituales hostias acceptabiles Deo per Christum Jesum.* Tales sunt, precatio, Psal. CXLI. 2. Apoc. V. 8. VIII. 4. gratiarum actio, Hebr. XIII. 15. beneficentia erga pauperes, Phil. IV. 18. Hebr. XIII. 16. mortificatio veteris hominis, Rom. XII. 1. martyrium propter Christum susceptum, Phil. II. 17. 2. Tim. IV. 6. &c. tales hostiæ ab omnibus piis tanquam spiritualibus sacerdotibus offerri possunt. Augustinus in Psal. XCIV. *Si nos sumus Dei templum, ara Dei anima nostra est. Sacrificium Dei quid est? imponimus in ara sacrificium, quando Deum laudamus.* Idem lib. XX. de civ. Dei cap. 10. *Dicimur sacerdotes, quia membra sumus unius sacerdotis.* 4.) Quamvis vero ad spirituales hostias etiam pertineat evangelii prædicatio: Mal. I. 11. Rom. XV. 16. tamen ex adpellatione *spiritualium sacerdotum* omnibus piis adtributa non potest inferri, ad omnes pertinere hanc spiritualem hostiam, evangelii scilicet prædicationem in publico ecclesiæ cœtu susceptam, siquidem ratio denominationis petitur a reliquis spiritualibus hostiis, quas omnes offerre possunt, non autem ab hac, quæ nequaquam omnibus communis est. 5.) Id quod evidenter colligitur ex verbis apostoli 1. Cor. XII. 29. *Num omnes sunt prophetae, num omnes doctores?* Omnes credentes sunt spirituales sacerdotes, neque tamen statim omnes sunt doctores vel prophetæ, cum non omnes dono prophetiæ instructi sint, neque ad ecclesiæ ministerium vocati. Eph. IV. 11. *Dedit alios apostolos, alios prophetas, alios evangelistas,*

*alios doctores & paſtores in opus miniſterii.* Ergo ut non omnes ſunt prophetæ vel apoſtoli, ita quoque non omnes ſunt paſtores & doctores. 6.) Neque quidquam roboris ineſt ἐφάπαξ, quod Petrus addat, pios eſſe *regale ſacerdotium, ut adnuncient virtutes ejus, qui de tenebris eos vocavit in lumen ſuum admirabile;* diſtinguendum enim inter *generale* mandatum & vocationem, quam omnes pii in chriſtianismi inveſtitura accipiunt, quave ab illis requiritur, ut debita laudum præconia Deo perſolvant, a quo ad eccleſiæ conſortium vocati ſunt, verbis & factis eumdem confiteantur, ſuos privatim in vera pietate inſtituant, Deut. VI. 20. curent *verbum Chriſti abundanter inter ſe habitare, ſeque invicem doceant & commoneſaciant pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus*, Eph. V. 19. Col. III. 16. verboque Dei ſeſe invicem conſolentur; 1. Theſſ. IV. 18. &c. & inter *ſpecialem* vocationem, qua miniſterium verbi & ſacramentorum in publico eccleſiæ cœtu adminiſtrandum certis perſonis ad illud idoneis publico eccleſiæ conſenſu demandatur, quam vocationem non eſſe omnibus chriſtianis communem, patet ex 1. Cor. XII. 29. Eph. IV. 11. Jac. III. 1. 7.) Ad hanc ſpecialem vocationem pertinet ſacramentorum adminiſtratio, ut colligitur ex 1. Cor. IV. 1. jam vero nuſpiam omnibus fidelibus mutua ſacramentorum adminiſtratio vel præcipitur vel permittitur; ergo nec publicum verbi miniſterium ad omnes pertinet. Negat quidem Socinus & ejus hyperaſpiſtes Theoph. Nicolaides, ſacramentorum adminiſtrationem ordinarie ad certas perſonas, eccleſiæ ſcilicet miniſtros pertinere. Sed hoc ipſum ſuo loco late a nobis confirmatum fuit.

§. LXVIII. Ad *ſecundam* argumentorum claſſem pertinent: 1.) *Exempla* eorum, qui a morte Stephani hinc inde diſperſi evangelium prædicarunt, Act. VIII. 4. XI. 19. ut Philippi, Act. VIII. 5. & Apollo, Act. XVIII. 24. & ſeqq. *Quia illi praedicarunt non miſſi ab apoſtolis, niſi enim perſecutio accidiſſet, urbe patria nunquam exiviſſent; hinc conſequens eſt, poſſe aliquem, qui non eſt miſſus, tunc etiam cum ordo ſervatur, & a doctrina recepta non receditur, evangelium praedicare.* Socinus tract. de eccleſ. pag. 17. Oſtorodus in inſtit. cap. XLII. p. 437. Theoph. Nicolaides circa finem defenſionis Socinianæ, p. 183. Reſp. 1.) Gratianus Proſper, Photinianus, in inſtrumento doctrinarum Ariſtotelico p. 36. reliquis Photinianis contradicit, ſtatuens, *Philippum evangeliſtam ab apoſtolis fuiſſe miſſum.* 2.) Dictum apoſtolicum Rom. X. 15. *Quomodo praedicabunt, niſi mittantur?* omnes Photiniani accipiunt de tempore prædicati primum evangelii, quo doctrina illa adhuc erat nova, & hactenus non audita, ut adparet ex Socino, Oſtorodo, Theoph. Nicolaide locis proxime citatis & catechismus Racovienſis pag. 346. quæ ſic loquitur: *Der Apoſtel redet in denſelben Worten nicht von einer jeden Verkündigung, ſondern allein von Verkündigung newer Dinge, ſo zuvor nicht gehöret, wie ſolche eine den Apoſteln und anderer damahls ihrer Mitthelffer (NB.) Verkündigung war, welche gäntzlich (NB.) einer Sendung bedürffte.* Jam vero Philippus & Apollo prædicarunt eo tempore, quo evangelii doctrina erat nova & hactenus non audita. Ergo ex hypotheſi Photinianorum & ex recepta ab ipſis dicti apoſtolici interpretatione peculiaris vocatio omnino ipſis fuit neceſſaria. 3.) Si vel maxime Lucas in hiſtoria actorum brevitatis ſtudio peculiarem illorum vocationem non inſinuaſſet, ac nihil quidquam de ea ſcriptum reliquiſſet; ex eo tamen nondum colligi poſſet, ipſos ſine vocatione prædicaſſe, quia in hiſtoricis ex ſcriptura non poteſt *negative* inferri. 4.) Philippus una cum aliis ſex in numerum diaconorum fuit cooptatus, & manus ab apoſtolis ipſi impoſitæ. Act. VI. 5. & 6. Quamvis vero diaconorum officium potiſſimum eſſet *menſis miniſtrare*, v. 2. hoc eſt, providere fidelibus de neceſſaria ſuſtentatione in illa bonorum communione; tamen docendi officium ab eo non fuiſſe plane ſemotum ac ſepa-

ratum,

a.) *Ex variis exemplis* 1.) *eorum, qui poſt mortem Stephani hinc inde diſperſi.*

ratum, colligitur ex eo, quod de Stephano ex eodem diaconorum ordine v. 8. adnotatur, ipsum *plenum fide & virtute feciſſe prodigia & ſigna magna, in populo*, v. 9. *diſputaſſe cum adverſariis veritatis, qui non poterant reſiſtere ſapientiae & Spiritui, qui per illum loquebatur.* Si diaconis una cum miniſterio menſæ non fuiſſet ſimul commendatum docendi officium, quorſum opus fuiſſet in electione diaconorum diſpicere de *viris plenis Spiritu ſancto & ſapientia?* v. 3. Certe ad nudum menſæ miniſterium tanta Spiritus ſancti dona ac tanta ſapientia, id eſt, doctrinæ cœleſtis cognitio tam ſolida non fuiſſet requiſita. 5.) Idem colligitur ex eo, quod Philippus expreſſe vocatur *evangeliſta*, Act. XXI. 8. ab officio ſcilicet evangelii prædicati, unde *evangeliſtae* conjunguntur prophetis, apoſtolis, paſtoribus & doctoribus. Eph. IV. 11. 6.) De Apollo Act. XVIII. 24. dicitur, quod fuerit *vir eloquens, potens in ſcripturis*, v. 25. *is edoctus viam Domini & fervens Spiritu, docebat diligenter ea, quae ſunt Jeſu, ſciens tantum baptiſma Johannis*, id eſt, in ſchola Johannis baptiſtæ informatus erat, nulla apoſtolorum familiaritate uſus, ſed poſtea ἀκριβέστερον ab Aquila & Priſcilla de via Domini inſtitutus, tantum profecit, ut multum contulerit eis, qui crediderant per gratiam, v. 27. unde Paulus eum ita commendat, ut ſuum in miniſterio ſive docendi officio collegam ipſum conſtituat: 1. Cor. III. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus dedit incrementum.* Ac ſi Apollo absque vocatione prædicaſſet, quomodo ad tantum autoritatis culmen apud Corinthios fuiſſet evectus, ut quidam ab eo non minus, quam alii a Paulo & Petro ſeſe denominarent? 1. Cor. I. 12. Negari igitur non poteſt, Philippum & Apollo divinam vocationem ad docendum habuiſſe. 7.) Act. XIII. 3. Paulo & Barnabæ peculiari Spiritus ſancti oraculo ad docendum ſegregatis, reliqui tamen eccleſiæ Antiochenæ prophetæ & doctores manus prius imponunt, antequam illos dimitterent. Ecquis igitur credet, Philippum & Apollo absque omni vocatione prædicaſſe, nec manus illis fuiſſe prius ab apoſtolis impoſitas, & hac ratione docendi miniſterium iisdem commendatum?

§. LXIX. II.) 1. Cor. XVI. 15. *De illis, qui erant ex familia Stephanae, dicitur, quod in miniſterium ſe ipſos ordinaverint.* Reſp. quidam per διακονίαν intelligunt miniſterium perferendi collectam fratribus pauperibus, qui erant Hieroſolymis, cum de eo inprimis hic agi totus contextus oſtendat; ſed quia cum illa διακονία docendi officium conjunctum fuit in Stephanæ domeſticis, ut ex eo colligitur, quod v. 16. apoſtolus ſubjungit: *ut & vos ſubditi ipſis ſitis & omni cooperanti & laboranti*, ſcilicet in verbo, ideo convenientius reſpondetur, phraſin illam: ἔταξαν ἑαυτὸς, recte accipiendam eſſe. Neque enim is ſenſus illius eſt, quod absque ulla vocatione docendi miniſterium ſuſceperint, ſed quod operam ſuam obtulerint apoſtolis, a quibus miſſi, & eccleſiæ, a qua vocati ſunt. Cum enim in primitiva eccleſia propter flagrantes perſecutiones, pericula plurima & difficultates maximas multi a functionibus eccleſiaſticis abhorrerent, referente Auguſtino epiſt. CCIV. ad Donatum, quod ipſum etiam colligitur ex verbis Chriſti, Matth. IX. 38. jubentis, *rogari Dominum meſſis, ut* ἐκβάλῃ, *extrudat operarios in vineam ſuam*; illi, qui de familia Stephanæ erant, nulla habita periculorum & difficultatum ratione ultro ſeſe obtulerunt, & hoc genus vitæ laborioſiſſimum elegerunt, exſpectata tamen prius legitima ad illud vocatione, quod homini pio & ad miniſterium neceſſariis donis inſtructo licitum eſſe, docet apoſtolus 1. Tim. III. 1. Ipſum quoque τάξεως vocabulum oſtendit, nihil quidquam ἀτάκτως temere vel præcipitanter contra ordinem divinitus conſtitutum ab ipſis fuiſſe geſtum. Apud Xenophontem dicitur, ἐμαυτὸν τάττω εἰς τὲς βελομένης, quod Budæus vertit, *in eam claſſem me adopto*, ubi tamen non excluditur aliorum vocatio. Apud Demoſthenem: ὃς γὰρ ἑαυτὸν τάξας

II.) *Eorum, qui fuerunt ex familia Stephanae.*

τῶν ἀπιςάντων εἶναι φιλίππῳ ἠυτομόλησε, *qui se inter eos censeri & haberi voluit*: quæ significatio etiam ad hunc locum adcommodari potest. Ac notant grammatici τάττειν significare eam potissimum collocandi rationem, qua milites collocantur, quando acies instruitur. Ut ergo militum in acie collocatio non excludit aliorum ordinationem, ita nec domesticorum Stephanæ τάξις ad ministerium excludit aliorum vocationem. Conjunge Act. XIII. 48.

§. LXX. Ad *tertiam* classem pertinent sequentes rationes: I.) *In canonibus apostolorum, quibus describuntur omnia, quae pertinent ad constituendos episcopos & doctores, nulla fit mentio missionis vel vocationis; unde concludimus, eam ad ipsam muneris episcopalis substantiam & naturam nullo modo requiri.* Theoph. Nicolaides in def. miss. ministr. cap. I. pag. 144. *Falsum est, apostolos semper requisivisse in ministro ordinationem; Paulus enim, qui brevitati ut plurimum studet, prolixe describens proprietates & requisita episcopi, nullam hujus rei mentionem facit, quam tamen omittere nullo modo potuisset, nec porro omisisset, si ad naturam & substantiam muneris apostolici esset necessaria.* Idem lib. eodem cap. II. pag. 175. Resp. 1.) Paulo ibi propositum est non de *causa efficiente* ministerii, de vocatione scilicet, sed de *adjunctis*, sive requisitis ministrorum elegendorum agere, hoc est, vult proponere normam ac regulam, ad quam electio ministrorum exigenda sit, & juxta quam personarum ministerio præficiendarum qualitates examinari debeant. Mirum ergo non est, quod vocationis disertam & expressam in illis verbis non faciat mentionem. 2.) Si ex omissa vocationis mentione recte inferri posset, in ministro ecclesiæ non requiri vocationem, posset eodem modo colligi: Apostolus Rom. XIII. 1. & seqq. late describit officium magistratus, nec tamen mentionem facit peculiaris electionis vel vocationis: ergo cuivis etiam absque electione vel vocatione licet magistratum capessere. 3.) Invertimus igitur argumentum: Quia præscribit apostolus normam ac formam, juxta quam personæ ministerio ecclesiastico præficiendæ examinari debent; ergo requiritur certa eademque legitima vocatio, antequam ministerii partes quispiam capessat. Nemo de se ipso vel debet vel potest judicium ferre, quod sit donis ac requisitis illis, quæ apostolus enumerat, sufficienter instructus. Ergo nemo privata autoritate munus publice docendi sibi arroget, sed aliorum judicio sese subjiciat, & legitimam vocationem prius exspectet. 4.) Idem apostolus 1. Tim. V. 22. Timotheo præcipit, *ne cito cuiquam manus imponat*, antequam scilicet qualitates & conditiones personæ ad ministerium eligendæ diligenter expenderit, *ne communicet alienis peccatis.* De Tito idem scribit, Tit. 1. 5. quod *eo fine ipsum in Creta insula reliquerit, ut presbyteros oppidatim constitueret.* Utique igitur in presbyteris sive episcopis vocationem requirit.

3.) *ex rationibus, quae sunt*

I.) *requisiti hujus in canonibus apostolicis praeteritio.*

§. LXXI. II.) *Claves ecclesiae non uni vel alteri, sed toti ecclesiae sunt traditae:* Matth. XVI. 19. Tibi dabo claves regni cœlorum, *quod Augustinus tract. 124. in Joh. interpretatur, dictum esse Petro, ut is gerebat personam ecclesiae. Ergo ad docendi officium non requiritur peculiaris vocatio.* Resp. ex dicto Christi recte quidem colligitur contra pontificios, quod jus vocandi ministros ad totam ecclesiam, cui claves a Christo traditæ sunt, pertineat, sed non potest ex eo inferri, quod omnes, qui sunt in ecclesia, etiam absque vocatione publice docere possint, quia datæ quidem sunt claves toti ecclesiæ, hoc est, in usum & commodum totius ecclesiæ, atque ut omnibus ecclesiæ ordinibus in vocatione ministrorum jus aliquod competat; interim tamen administratio illarum clavium ab ecclesia commendatur, & commendari etiam vi divinæ institutionis debet certis personis, illis scili-

II.) *Clavium ecclesiae omnibus ejusdem membris facta traditio.*

scilicet, quos Deus constituit in domo sua œconomos, 1. Cor. IV. 1. ac potestatem illis dedit claudendi & aperiendi, hoc est, ligandi ac solvendi. Quod si quis extra necessitatis casum administrationem & usum clavium sibi arroget, alienum invadit officium.

§. LXXII. III.) *Opus caritatis christianae quilibet in ecclesia exercere potest. Sed officium docendi est opus caritatis christianae, imo inter omnia bona opera optimum.* Jac. V. 19. 20. *Ergo quilibet in ecclesia illud exercere potest, etiam absque peculiari vocatione.* Resp. 1.) Distinguendum est inter opera caritatis; quædam sunt omnibus communia, quædam vero certis personis in officio publico constitutis propria. De *prioribus* recte dicitur, quod ad ea exercenda non requiratur peculiaris aliqua vocatio, cum omnibus christianis incumbat, fidem suam per bona opera testatam reddere. Ad *posteriora* autem requiritur peculiaris vocatio, ut demonstratum fuit superius. 2.) Sic magistratum gerere est bonum opus, cum *Magistratus sit Dei minister in bonum;* Rom XIII. 4. interim tamen nemo debet se ipsum intrudere huic officio, & absque vocatione partes hujus officii exercere. Legatione fungi est bonum opus, si reipublicæ salutem sibi habeat propositam; interim tamen nemo debet legati nomen & partes sibi sumere, nisi a legante ipsi imponantur. 3.) Caritas christiana eo modo exercenda, ne violetur ordo divinitus constitutus, ne ἀλλοτριεπισκοπῆς reddamur rei, ne confundantur distincta officia ac distincta vitæ genera. *Convertere hominem* (scribit Mentzerus in Exeg. August. conf. art. XIV. p. 662.) *est opus christianae caritatis longe dignissimum, sed non debet illud evertere ordinem a Deo constitutum.* Cumque homo non nisi *organice*, seu tanquam instrumentum convertere aliquem dici possit, Deus autem principalis sit conversionis causa; planum evadit, nisi a Deo vocatum & missum non posse tam divinum effectum consequi. 4.) Distinguendum etiam est inter *privatam* familiæ vel proximi informationem, & inter *publicam* verbi prædicationem & sacramentorum administrationem. Utrumque quidem est opus bonum, interim tamen non est eadem utriusque ratio. *Prius* quilibet absque peculiari vocatione præstare potest, ac pro viribus etiam debet; *posterius* non competit absolute & simpliciter omnibus, sed quibus per legitimam vocationem munus illud commissum est. 5.) Limitanda igitur propositio *major*, si ad officium publice docendi adplicetur; cum quilibet non sit aptus ad ministerium; cum publicum docendi & sacramenta administrandi officium a privata informatione & communibus caritatis operibus sit distinctum; cum nulla flagitet necessitas, ut sine vocatione quilibet doceat; cum violetur ordo divinitus constitutus & ἐυταξία ecclesiastica, si quilibet absque vocatione publice docere velit, &c. 6.) Deducimus argumentum adversariorum ad absurdum: Si quodlibet opus caritatis christianæ quilibet in ecclesia etiam absque vocatione exercere potest; consequens fuerit, etiam mulieres posse publice in ecclesia docere. Ratio *connexionis* est manifesta, quia etiam mulieres sunt ecclesiæ membra. Gal. III. 28. *Non est mas, nec fœmella, sed omnes unum estis in Christo.* 1. Petr. III. 7. *Mulieres sunt cohaeredes gratiae vitae.* Consequentis absurditatem distertis verbis docet apostolus: 1. Cor. XIV. 34. *Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit.* v. 35. *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent, turpe est enim mulieri, in ecclesia loqui.* 1. Tim. II. 12. *Docere mulieri non permitto.* Ambrosius in comm. 1. Cor. XIV. *Turpe est mulierem in ecclesia loqui, quia contra disciplinam est, ut in domo Dei, qui eas subjectas viris esse praecepit, de lege loqui praesumant, cum sciant, viros illic habere primatum, & sibi magis competere, ut in domo Dei precibus vacent, linguam retinentes, aures aperiant, &c.* Pepuziani hoc nomine hæreseos in primitiva ecclesia damnati sunt, quod mulieribus verbi & sacramentorum ministerium permitterent.

III.) *Caritatis impulsio.*

IV.) *Prohibita talenti defossio.*

§. LXXIII. IV.) *Qui defodit talentum suum, reprehenditur a Christo;* Matth. XXV. 26. *sed si absque vocatione non licet alicui in ecclesia docere, facile potest contingere, ut talentum illius defodiatur.* Resp. totum hoc argumentum solide & perspicue exposuit b. Luth. in comm. Psal. VIII. tom. II. Jen. lat. f. 96. *Huc pertinent & illi,* (inquit) *qui sibi conscii magnae doctrinae suae periculum sibi somniant longe maximum, si non alios doceant, causantes sese talentum sibi datum in terra defodere, & cum servo Domini duram sententiam Domini exspectare; adeo ridiculis nugis diabolus ludit horum phantasias, quos hoc versu instructos oportet scire, nos non esse, qui docemus; nec verbum nostrum docendum, sed solum os nostrum posse verbo ejus servire, si ipse voluerit & vocaverit. Tu,* inquit, *perfecisti laudem, non illi, non nos. Sic & in evangelio tradidit quidem Dominus talenta servis, sed non nisi vocatis. Exspecta igitur & tu, donec voceris, interea ne ambias, ne te ingeras, non enim te rumpet scientia tua:* currebant, *inquit Dominus apud prophetam,* & ego non loquebar eis. *Multos haec tentatio misere vexat, ut eos instituti sui pigeat & paeniteat. Diabolus haec facit, ut inquietet eos, qui bene caeperunt, & tandem taedio consumat: igitur, qui vocatur, praebeat os, & recipiat verbum, fit organum & non autor; qui non vocatur, oret Dominum messis, ut mittat operarios, & perficiat virtutem ex ore infantium.* Haec Lutherus, quibus ut vel verbulum addamus, non est operae pretium.

V.) *Libera divinorum donorum elargitio.*

§. LXXIV. V.) *Deus non est adligatus ordini ac mediis. Ergo partes ministerii ecclesiastici in casu necessitatis a quovis peragi possunt.* Resp. verbi praedicatio & sacramentorum administratio ordinarie juxta divinam institutionem pertinent ad ecclesiae ministros legitime ad illud officium vocatos, ut demonstratum. Huic ordini divinitus constituto non possunt nec debent opponi quaedam extraordinaria extremae necessitatis exempla, quae a communi quidem lege eximuntur, generalem tamen regulam minime evertunt. Sic in casu extremae necessitatis, quando homini vel sine baptismo decedendum, vel a privata persona baptismus conferendus, satius est a privato conferri baptismum, quam hominem sine baptismo decedere; nihilominus administratio baptismi ordinarie pertinet ad ecclesiae ministros, ut colligitur ex Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. ubi & praedicandi & baptizandi munus apostolis commendatur. De hoc necessitatis casu intelligenda sunt veterum dicta & primitivae ecclesiae exempla, quando tempore praedicati primum evangelii quosdam etiam privatos verbum Dei adnunciasse referunt. Origenes hom. XI. in Num. XVIII. *Sicut forte in aliqua civitate, ubi nondum nati sunt christiani, si accedat aliquis & docere incipiat, laboret, instruat, adducat ad fidem, & ipse postea iis, quos docuit, princeps & episcopus fiat &c.* Ambrosius in comm. Eph. IV. *Ut crescret plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est, & evangelizare, & baptizare, & scripturas in ecclesia explanare. At ubi omnia loca circumplexa est ecclesia, conventicula constituta sunt, & rectores & caetera officia in ecclesiis sunt ordinata, ut nullus de clero auderet, qui ordinatus non esset, praesumere officium, quod sciret non sibi creditum vel concessum, & caepit alio ordine & providentia gubernari, quia, si omnes eadem possent, irrationabile esset, & vulgaris res & vilissima videretur. Hinc ergo est, unde nunc neque diaconi in populo praedicant, neque clerici vel laici baptizant, neque quocunque die credentes tinguntur, nisi aegri.* Theodoretus lib I. hist. eccles. cap. 23. refert de Ædesio & Frumentio fratribus, quod *a barbaris capti & ad regem Indorum deducti, tandem fide & ingenio ipsorum explorato domui regiae praefecti, & apud filium etiam regis successorem in magno pretio & honore habiti fuerint. Hac illi arrepta occasione coetus christianos convocarunt, & divina ministeria obierunt.*

*Laici*

*Laici erant nullo dum ecclesiastico munere functi. Tandem multis annis post Athanasius, Alexandrinus episcopus, Frumentio episcopatus munus impertivit, & ad animos Indorum pietatis doctrina excolendos misit.* Ejusd. lib. cap. 24. refert Theodoretus: *quod eodem tempore mulier quaedam capta in bello, Iberos ad veritatem christianae religionis traduxerit, reginam Iberorum, quoad ejus fieri potuit, divinis praeceptis erudiverit, & ut sacrosanctum templum, ad honorem Christi, qui reginam morbo eripuerat, exaedificaret, hortata fuerit. Rege tandem etiam conversо templum Christo exaedificatum, & episcopum a Constantino, imperatore petitum impetratumve.* De his & similibus factis specialibus notandum: 1.) Quod exempla extraordinaria non evertant regulam generalem & ordinem divinitus constitutum. 2.) Quod distinguendum sit inter ecclesiam jamdum *plantatam* & constitutam, atque inter ecclesiam adhuc *plantandam* & constituendam. 3.) Itemque inter *vocationem* & *ordinationem*, cum non sit eadem utriusque necessitas. 4.) Denique inter vocationem *mediatam* & *immediatam*, ordinariam & extraordinariam, quae omnia ex seqq. erunt clariora. Huc etiam pertinet illud Lutheri in libro, cui titulus: *Grund und Ursach, dass eine Christliche Gemein Recht und Macht habe, Lehrer zu beruffen*: tom. II. Jen. germ. f. 244. *Hier sprichstu, Ja wie? Wenn ein Christ nicht darzu beruffen, so darf er nicht predigen? Antwort: Hier soltu den Christen in zweyerley Ort stellen. Auffs Erste, wenn er ist an dem Ort, da keine Christen sind, da darf er keines andern Beruffs, dann dass er ein Christe ist, inwendig von Gott beruffen und gesalbet, da ist er schuldig den irrenden Heyden oder Unchristen zu predigen und zu lehren das Evangelium, auss Pflicht Brüderlicher Liebe, ob ihn schon kein Mensch darzu berüfft, &c. denn Noth bricht alle Gesetze, und hat kein Gesetz. Auffs Ander, wenn er aber ist, da Christen an dem Ort sind, die mit ihme gleiche Macht und Recht haben, da soll er sich selbst nicht herfür thun, sondern sich beruffen und herfür ziehen lassen, dass er an statt und Befehl den andern predige und lehre.* Inde quidam vocationis necessitatem eo modo limitant, ut concedant, non vocatum docere posse, a.) quando christianus versatur inter homines fidei christianæ ignaros, tunc enim quemlibet Christi gloriam, quantum potest, quærere & promovere teneri: b.) in ecclesia, ordine ecclesiastico nondum plene constituto, cum enim vocatio doctorum sit pars ordinis, ideo hoc deficiente eam adeo stricte adtendi non posse: c.) quando ordinarii doctores in lupos degenerant, & officium suum plane negligunt. Vide Hunnium in assert. minist. Lutheran. contra pontif.

## SECTIO II.

## DE DIVISIONIBVS VOCATIONIS.

*Divisiones vocationis.*

§. LXXV. Guilielmus Bucanus in loco XLII. de ministerio, p. 502. tales vocationis divisiones producit: I. *Vocatio duplex est, una generalis, quae fit per externam verbi praedicationem; altera specialis, quae peculiarem functionem respicit, & est vel ecclesiastica, vel politica, vel domestica.* Nos divisionem illam non improbamus, agnoscimus enim esse generalem quamdam vocationem omnium christianorum, Rom. I. 6. 1. Cor. I. 2. Eph. IV. 1. &c. quæ adpellari potest vocatio ad Christi regnum ex 1. Thess. II. 12. ac distinguenda est a speciali vocatione ad certum officium ac vitæ statum. Illa vocamur ad ecclesiam, hac ad certum in ecclesia statum, de qua posteriore vocationis specie, & quidem nominatim de vocatione ad officium ecclesiasticum, unice & proprie hoc loco agitur. II.) *Vocationem generalem subdividit in efficacem*

*& inefficacem. Efficacem tribuit electis, inefficacem illis, qui nolunt verbum audire.* Resp. concedimus rem ipsam, quod vocatio Dei in quibusdam duntaxat efficax sit, & locum inveniat, a quibusdam vero repudietur; sed negamus, causam hujus rei quærendam esse in absoluto quodam reprobationis decreto: ideo valde probamus, quod Bucanus addit, *vocationem esse inefficacem hominum culpa*; sed non videmus, quomodo id conciliari possit cum illa hypothesi, qua in loco XXXVI. de prædestinatione p. 403. inter seria media executionis decreti divini de hominibus reprobandis numerat tertio loco, *inefficacem per verbi praedicationem vocationem.* De tota hac re suo loco plura. III.) Vocationem ecclesiasticam ulterius dividit in *legitimam & illegitimam.* Illam definit: *quae jure fiat & lege, id est, quae fiat ab eo, qui potestatem vocandi & praeficiendi in illo munere habet, qualis est dominus illius loci. aut qui ab eo deligendi jus ac potestatem.* Nulla addit: *At vero solus Deus est verae ecclesiae suae Dominus, uti Christus solus ejusdem caput & redemtor seu vindex. Quare solius Dei est & Christi, ecclesiae suae ministros praeficere. Proinde soli ab eo vocati legitimi censendi sunt; ab eo vero non vocati sunt omnes illegitimi.* Resp. sane soli a Deo vocati legitime vocati censendi sunt; interim tamen non est oppositio facienda inter Deum causam & ministerii & vocationis ad ministerium *principalem*, & inter ecclesiam, atque illos, quibus ecclesia hoc munus commisit, causam vocationis ad ministerium *instrumentalem*: nam & illi legitime vocati judicandi sunt, qui licet non a Deo immediate, tamen mediate suffragiis ecclesiæ vocantur, ut ipse Bucanus agnoscit. *Illegitimam* vocationem quod adtinet, ea duobus modis accipitur. Vel enim op ponitur divinæ, & est plane nulla, ac proinde vocationis nomine indigna, ut sic distinctio vocationis in legitimam & illegitimam sit divisio potius nominis quam rei. Hoc sensu illegitima vocatio ea est, quando quis propria autoritate & ausu temerario absque Dei nutu & suffragio docendi munus arripit, vel defectu aliquo laborat, per quem tamen non statim definit esse vocatio. Sic qui muneribus favorem illorum sibi conciliat, a quibus ad ministerium vocatur, hactenus & hoc respectu illegitime agit, neque tamen propterea ipsius vocatio definit esse divina vocatio, si ex hypothesi reliqua recte sese habeant. Sic in papatu soli clerici papæ scilicet cum suis episcopis jus vocandi ministros ad se rapuerant, quod fuit illegitimum, imo tyrannicum: interim tamen vocatio ecclesiæ ministrorum sub papatu non desiit esse divina vocatio. IV.) Legitimam vocationem ulterius distinguit in *arcanam* sive *internam*, quæ fit per Spiritum sanctum, & cujus sibi quisque minister coram Deo conscius esse debet, quod nec avaritia, nec ambitione, neque ulla alia cupiditate, sed sincero Dei amore & ædificandæ ecclesiæ studio oblatum munus recipiat: & in *externam* sive *solennem*, quæ ad publicum ordinem spectat. Resp. concedimus Deum interno impulsu & adflatu quibusdam hunc animum inspirare, ut nulla periculorum & difficultatum ratione habita ministerium ecclesiasticum suscipiant, quo pertinet arcanus ille impetus, quo ad sacrum theologiæ studium quidam feruntur: concedimus etiam requiri omnino a ministro, ne vel avaritia, vel ambitione vel ulla alia vitiosa cupiditate adlectus, sed sincero Dei amore & ædificandæ ecclesiæ studio ductus oblatum munus ecclesiasticum recipiat, quos adfectus utrosque laude vel maxime dignos, si quis arcanam vocationem sano sensu adpellare velit, non admodum repugnamus. Interim tamen monemus, *primo*, ob internam sive arcanam illam vocationem neminem debere partes ministerii sibi sumere, nisi accedat etiam externa & solennis ecclesiæ vocatio, ne anabaptisticis confusionibus & enthusiasticis revelationibus fores aperiantur. Ubi notandum, nomine *internae* vocationis hoc loco a Bucano non accipi immediatam vocationem, quæ omnino sufficiens est, si vel maxime solennis illa & mediata ecclesiæ vocatio non accedat; eam enim ab hac interna vocatione distinguit, & de ea postmodum tractat, sed internum il-

lum

lum animi adfectum tam mediate quam immediate vocatis communem, quo sibi conscii sunt, quod Dei gloriam & ecclesiæ salutem in officio suo sibi habeant propositam, qua ratione vocationem cum ejusdem accidente & vocati qualitatibus sive adfectu confundit. *Secundo* monemus & hoc, quod vocatio illius non statim desinat esse vocatio, cujus animus aliqua vel avaritiæ vel ambitionis vel alterius vitiosi adfectus labe in suscipiendo munere ecclesiastico fuit forte initio contaminatus. Atque hæc de Bucani divisionibus dicta sint. Augustinus aliam adfert vocationis divisionem ad quæst. Oros. quæst. LXIV. *Apostolus* (inquit) *interpretatur missus. Apostolorum autem sunt quatuor genera: a Deo, non per hominem; a Deo, & per hominem; per hominem tantum; & ex se. A Deo enim missus est Moses: a Deo & per hominem Jesus Nave; per hominem tantum, sicut nostris temporibus multi favore vulgi in sacerdotium surrogati sunt; ex se autem, sicut pseudoprophetae;* sed duæ posteriores species æquivoce duntaxat dicuntur vocationes, cum non sint legitimæ, nec a Deo.

*In mediatam & immediatam.*

§. LXXVI. Prætermissis igitur istis divisionibus proferimus eam, quæ est & usitatissima & utilissima, quod scilicet vocatio ad ministerium alia sit *mediata* sive *ordinaria*, alia vero *immediata* sive *extraordinaria*. Deus, ad quem jus vocandi & mittendi ecclesiæ ministros pertinet, duplici ratione, quandoque scilicet *immediate* per se ipsum, quandoque vero *mediate* per ecclesiam illos vocat, quibus publicum in ecclesia docendi officium vult commissum. *Prioris* vocationis exempla occurrunt in patriarchis, prophetis & apostolis, quæ ostendunt, tam in vet. quam in nov. test. immediatam vocationem locum habuisse; *posterioris* in reliquis ecclesiæ doctoribus. Sunt, qui tertiam addunt vocationis speciem, quam vocant *mixtam*, qua Deus ipse certam nominet personam, sed tamen per alios, tanquam internuncios, eam vocari velit. Hoc modo vocatum existimant Aaronem per Mosen, Exod. IV. 14. & Elisæum per Eliam, 1. Reg. XIX. 19. ac triplicem illum vocandi modum expressum statuunt verbis Pauli: Gal. I. 1. *Paulus apostolus non ab hominibus, nec per hominem, sed per Jesum Christum.* Dum *apostolatus* meminit, (inquiunt) immediatam notat vocationem, quam etiam remotio sequens infert, qua negat se ab hominibus vel per homines vocatum, sed a Deo Patre. Dum dicit, *se non ab hominibus vocatum*, mediatam vocationem exprimit, dum scribit, *non per homines*, mixtam intelligendam esse innuit. Resp. directa est oppositio inter *mediatam* & *immediatam* vocationem, quæ tertium aliquod membrum non admittit. Mixta igitur illa vocatio ad immediatam referenda est; distinguendum enim inter vocationem ipsam & inter vocationis declarationem. Illorum etiam vocatio est immediata, qui nominatim a Deo vocantur, quamvis hæc eorum vocatio vel per internuncium declaretur, ut in Aaronis & Elisæi exemplo contigit, vel externo quodam signo divinitus manifestetur, ut in Matthiæ per sortem electi vocatione animadvertitur. Act. I. 24. In dicto apostolico Gal. I. 1. non exprimuntur tres vocationis species, sed divina & immediata apostoli vocatio a divina & mediata, quæ fit per homines, & mere humana, quæ fit ab hominibus, distinguitur. Lutherus tom. IV. Jen. lat. in comm. hujus loci: *Ab hominibus intelligo, qui se ipsos vocant & ingerunt, nec Deo, nec hominibus vocantibus.* Sane v. 12. quando apostolus negat, se ab hominibus evangelium accepisse, utrumque comprehenditur, quod nec ab hominibus humana, nec per homines divina, sed per Christi revelationem evangelium suum didicerit; sed ibi in Græco est παρὰ ἀνθρώπου, in versu autem primo ἀπ' ἀνθρώπων καὶ διὰ ἀνθρώπου: adde, quod vocationis & doctrinæ possit esse diversa ratio, v. 1. agit apostolus de sua vocatione, v. 12. de sua informatione. Quod si vel maxime concederemus, per vocationem *ab hominibus* apostolum intelligere vocationem mediatam, per vocationem *per homines* significare vocationem mixtam; nondum tamen

evictum foret, tres etiam vocationis species esse, sed exprimeretur termino *vocationis per hominem* certus immediatæ vocationis modus. Cum enim in vocatione immediata Deus quandoque ipse sine internuncio aliquem declaret, ut Mosen, quandoque vero per prophetam vel apostolum aliquem, ut Aaronem per Mosen, Elisæum per Eliam, vel per sortem, ut in electione Matthiæ; inde apostolus non solum negat se ab hominibus, id est, mediate vocatum, sed negat insuper, se esse per homines vocatum, id est, illum immediatæ vocationis modum a se removet, quo per hominem tanquam internuncium illa vocatio declaratur, priorem autem immediatæ vocationis modum sibi tribuit, quo Deus sine internuncio ipsum ad apostolatum vocaverit, ut non fuerit inferior apostolis reliquis, qui a Christo ipso ad apostolatum erant vocati. Neque quidquam obstat, quod ad Ananiam remittitur, Act. IX. 6. quia Christus, qui Paulo in via Damasci adparuerat, expresse testatur in præcepto Ananiæ dato, quod hic ipse, ad quem Ananias ablegetur, jamdum sit *vas electionis portare nomen Christi coram gentibus*, Act. IX. 15. ac mittitur ad ipsum Ananias, non ut vocationem ad apostolatum illi denunciet, sed ut manu imposita visum ei restituat ac baptizet. v. 18.

§. LXXVII. Quidam ex Calvinianis statuunt & usurpant medium aliquod vocationis genus. Refert enim Chemnitius part. III. locorum de ecclesia cap. 4. sect. I. pag. 314. Cum aliquando in Galliis papistæ contenderent cum sacramentariis de vocatione, & illi hosce interrogarent, qualemnam haberent vocationem, respondisse Bezam, *se nec mediatam, nec immediatam, sed extraordinariam habere vocationem in Galliis.* Addit etiam, Genevæ hunc morem servari, ut aliquos in theologia instituant, & postea in Gallias docendi causa mittant. Huc pertinet disputatio Sadeelis adv. articulos Burdegalenses art. LI. pag. 502. *Si credant, regnante in ecclesia confusione, Deum non posse, quando ipsi libet, media excitare apta, prout ipsius providentiae visum est, ad restituendum ordinem eversum, & praeclara atque eximia ecclesiae ornamenta; si, inquam, dicant, Deum haec non posse aut nolle, blasphemi sunt adversus ejus omnipotentiam, contumeliam faciunt ejus bonitati & constantissimae ejus promissionum veritati.* Art. LXI. pag. 539. *Deus dedit, datque veros pastores & ministros ecclesiae, tum per ordinem legitimum, quem instituit ad eorum ordinariam electionem & vocationem, dum status ecclesiae integer est; tum per alia media, quae ipsi libent, quando exterior ecclesiae ordo eversus est.* In tract. de legit. ministr. vocat. pag. 553. statuit, *veros pastores ac doctores fuisse a Domino praeter ordinem solitum excitandos, ut ita conficerentur errores & blasphemiae a Spiritu oris Christi.* Paræus in comment. Rom. I. pag. 158. mediatam vocationem distinguit in *ordinariam*, quam fieri dicit ab ordinariis per suffragia, vel *extraordinariam*, quam dicit etiam immediatæ proximam, quæque fiat vel ab ordinariis per sortem, ut vocatio Matthiæ, Act. I. vel deficientibus ordinariis, ab ecclesia per suffragia & sortem, cujus exemplum recitat ex historia fratrum Bohemicorum, qui anno 1465. ordinariis persecutione oppressis tres ex novem sorte sibi designarint pastores non sine miraculo. Bucanus in loco de ministerio pag. 507. ad quæstionem: quamdiu nobis observanda sit visibilis & ordinata pastorum vocatio & successio? respondet hoc modo: *Quamdiu steterit & conspicuus fuerit ordo & status legitimus ecclesiae, sic ut ne quibusvis liceat temere & sine legitima atque ordinaria vocatione sese intrudere in ecclesiasticum ministerium. At illo ipso ordine & statu collapso & interrupto, Deus ipse praeter ordinem vel potius praeter morem solitum ecclesiae ordinem instaurat per eos, quos ad illud opus suo impervestigabili consilio deligit & excitat.* Pag. 508. *multorum in Gallia & Belgio extraordinariam vocationem martyrio sanctitam* adstruit. Quid vero de hac extraordinaria vocatione statuendum? Resp. 1.) Vocatio extraordinaria duplici significatione intelligi potest: vel respectu moris in ecclesia cor-

corrupta tunc publice recepti, vel respectu ordinis a Deo instituti. Vocatio eorum, qui corruptelas in ecclesia publice receptas divinitus excitati taxarunt, extraordinaria dici potest, non respectu posteriore, sed respectu priore. 2.) Neque tamen propterea statuendum est tertium aliquod vocationis genus, quod sit intermedium inter mediatam & immediatam vocationem, quia extraordinarium illud non opponitur mediatæ vocationi, quasi propterea eorum vocatio vocetur extraordinaria, quod non sit mediata, sed opponitur consuetudini tunc publice in ecclesia corrupta receptæ. 3.) Extraordinaria vocatio intelligi etiam potest respectu donorum peculiarium & extraordinariorum, quæ in vocatione mediata eorum, qui ad corruptelas publice receptas taxandas & abolendas excitantur, ut plurimum conspiciuntur. Sic de Luthero recte pronunciamus, quod ad ministerium docendi mediate sit vocatus, interim quod ad reformationis opus adtinet, negari nequit, peculiare & extraordinarium aliquid in eo concurrisse, quod neque ad ordinariam reliquorum ministrorum vocationem per omnia quadrat, neque cum immediata apostolorum vocatione prorsus congruit, ut postea latius explicabitur. 4.) An vero adhuc hodie extraordinaria aliqua proprie sic dicta, id est, immediata vocatio exspectanda sit, de eo paulo post dicetur. 5.) Nec probari nobis potest inordinata illa ordinatio, qua, referente Chemnitio, aliqui sine vocatione ad certam ecclesiam Genevæ ordinantur, ac postea in Gallias ad prædicandum evangelium ableganter, quia a vocatione apostolica, quæ potestatem docendi inter omnes gentes continet, distinctum est officium reliquorum ecclesiæ doctorum, quæ ad certas ecclesias vocantur, nec habent absolutam potestatem docendi ubique in omnibus ecclesiis. Act. XIV. 23. *Presbyteri constituuntur ab apostolis per singulas ecclesias.* Tit. I. 5. *Titus jubetur, κατὰ πόλιν, oppidatim constituere episcopos,* inde in concilio Chalcedonensi can. VI. statutum fuit, *neminem absolute ordinari debere, nisi ad certam & specialem ecclesiam,* propter quod graviter concludit ibidem Chemnitius: *Qualis est illorum vocatio, talis etiam successus.*

*Differentia inter vocationem mediatam & immediatam.*

§. LXXVIII. Si de differentia *mediatae & immediatae* vocationis propria ac specifica quæratur; respondemus, illam 1.) nequaquam consistere in eo, quod *immediate* vocati a Deo, *mediate* vocati ab hominibus, & non a Deo vocati sint, contrarium enim paulo post demonstrabitur. 2.) Nec in eo, quod *immediate* vocati habeant privilegium non errandi, quo destituantur vocati *mediate;* illud enim quamvis de prophetis & apostolis in officio prædicandi & scribendi versantibus sit verissimum, tamen idololatria Aaronis, itidem immediate vocati, Exod. XXXII. 2. ostendit, cum immediata vocatione non esse perpetuo & indissolubili nexu conjunctum non errandi privilegium. 3.) Nec in eo, quod *immediate* vocati habeant privilegium ac potestatem edendorum miraculorum, quo destituantur *mediate* vocati; adferri enim possunt exempla tum immediate vocatorum, qui nulla ediderunt miracula, tum mediate vocatorum, qui ea fecerunt. 4.) Nec in eo, quod *immediate* vocati habeant potestatem ubivis docendi ac prædicandi, qua destituantur *mediate* vocati, illud enim quamvis de apostolorum immediata vocatione recte adseratur, tamen in prophetis, Johanne baptista, septuaginta discipulis &c. itidem immediate vocatis eodem modo adfirmari nequit. 5.) Nec in eo, quod *mediate* vocati in politicum imperium se immiscere non debeant, sed ecclesiastica tantum munia obire teneantur. 1. Petr. V. 2. & 3. Contra vero *immediate* vocati una cum ministerio verbi curent etiam res politicas. 2. Paral. XXV. 7. 2. Regum XVII. 2. Quamvis enim hoc posterius de prophetis veteris testamenti recte dicatur, tamen ad apostolos in novo test. immediate a Christo vocatos non minus, quam ad reliquos ecclesiæ ministros mediate vocatos dictum est: Luc. XXII. 25. *Reges gentium dominantur, vos autem non sic.* 6.) In eo igitur *mediatae &*

*immediatae* vocationis discrimen perpetuo & unice consistit, quod illa fiat per ordinaria media divinitus ad hoc constituta, hæc vero per ipsum Deum, qui suam de immediata alicujus personæ vocatione voluntatem vel per se ipsum, vel per internuncium manifestat.

## SECTIO III.

## DE VOCATIONE IMMEDIATA.

*Quaeritur* 1.) *Quot modis fiat immediata vocatio?*

§. LXXIX. De immediata vocatione quæritur: I.) *Quot modis ea fiat?* Ex superioribus constare potest, duplicem esse immediatæ vocationis modum. Quos enim Deus ἀμέσως sine hominum opera & ministerio vocat, illis vel ipse adparet, & cum ipsis immediate loquitur, quo modo vocavit Abrahamum, Mosen, prophetas quosdam in veteri testamento, quo modo etiam Johannes baptista & apostoli a Christo in nov. test. sunt vocati: vel per alios internuncios, quibus adparuit & locutus est, suam vocationem & mandatum illis denunciat, quo modo vocavit Aaronem per Mosen, Elisæum per Eliam. (*) Bucanus de minist. loco XLII. pag. 507. addit tertium modum, *intrinsecum* scilicet *adflatum*, quo refert *professionem Philippi in urbem Samariae post ecclesiae Hierosolymitanae dispersionem ignaris apostolis susceptam*, Act. VIII. 5. *ac vocationem illorum ex eadem dispersione, qui primi in Phœnicia & Cypro evangelizarunt, atque Antiochenam ecclesiam initiis apostolis sunt auspicati.* Act. XI. 20. Quamvis vero non negemus, interiorem illum Spiritus adflatum & impetum in immediata vocatione concurrere, tamen accedit externa manifestatio & confirmatio immediatæ vocationis, vel per ipsius Dei adparitionem & loquelam, vel per divinæ voluntatis denunciationem, nec dubium, illud singulari Dei consilio in prophetis & apostolis immediate vocatis esse factum, ut scilicet obviam iretur seductionibus fanaticorum, qui jactitant se immediate vocatos, quando fingunt se nescio quo interiore impetu Spiritus ad concionandum impelli. De vocatione Philippi & eorum, qui in Phœnicia & Cypro evangelizarunt, dictum fuit superius. Angelus Domini ad Philippum quidem loquitur, & dirigit viam ejus ad eunuchum baptizandum, Act. VIII. 26. sed hæc non erat prima Philippi vocatio, verum duntaxat ad certum locum directio, sicut etiam postea. Act. XIII. 2. Saulus & Barnabas a Spiritu sancto peculiariter ad certas regiones mittuntur, cum jam ante ad apostolatum & ministerium vocati essent. Idem judicium de prædicatione Philippi in Samaria, Act. VIII. 5. nimirum, quod accesserit quidem internus Spiritus sancti impulsus, ut in civitatem illam descenderet, sed hæc non erat prima ipsius vocatio, cum per impositionem manuum jam ante in numerum diaconorum fuerit receptus. Act. VI. 5.

*2.) An cum ea semper conjuncta potestas miraculorum?*

§. LXXX. II.) *An cum immediata vocatione perpetuo conjuncta sit potestas edendorum miraculorum?* Deus illos, quos immediate vocat, *ut plurimum* ornat dono miraculorum, quibus vocationem suam probent & confirment. Sic Moses Exod. IV. 2. miraculorum faciendorum potestate instruitur, ut & Israëlitæ & Pharao credant, ipsum a Deo esse missum. Aaronis vocatio immediata confirmatur, quando virga ejus

(*) Etsi mediante Mose vocantur Beseleel & Oholiabus, tamen quia non eliguntur judicio Mosis aut aliorum hominum, sed Dei solius, cujus decretum tantum Moses promulgat & exsequitur, ideo vocatio eorum recte dicitur *immediata*, qualis fuit Elisæi ad munus propheticum mediante Elia, 1. Reg. XIX 16. & Jehu ad regiam dignitatem mediante Elisæo. 2. Reg. IX. 6. Rungius in cap. XXXV. Exod. GERHARDVS.

ejus floret. Num. XVII. 8. Samuelis vocatio confirmata fuit prædictione futurorum, 1. Sam. III. 12. uti etiam miraculoso tonitru ad ipsius preces & sacrificia secuto. 1. Sam. VII. 10. Davidis vocatio confirmata fuit miraculosa victoria ex congressu cum Goliatho reportata, uti etiam liberatione ovis ex faucibus leonis & ursi. 1. Sam XVII. 35. & 50. Eliæ & Elisæi miracula complura enumerantur in libris regum. In nov. test. cum Christus apostolos immediate vocatos ad prædicandum ablegaret, dabat illis potestatem miraculorum: Matth. X. 8. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite.* Luc. IX. 1. *Convocatis duodecim apostolis dedit illis virtutem & potestatem super omnia daemonia, & ut curarent languores.* Eadem potestate instruxit septuaginta discipulos, Luc. X. 9. eamdem potestatem etiam post Christi in cœlos adscensionem ad confirmandum evangelii præconium apostolos exseruisse, adparet ex promissione Marc. XVI. 17. & complemento Act. III. 7. V. 5. & 12. IX. 40. inde Paulus 2. Cor. XII. 12. signa, prodigia & virtutes vocat *testimonia apostolatus sui.* Neque tamen ex eo potest inferri generalis regula, quod cum immediata & extraordinaria vocatione semper conjuncta sit potestas miraculorum edendorum, ut volunt pontificii. Patriarchæ enim ac prophetæ non fuerunt omnes dono miraculorum instructi, cum de illis altum sit in scripturis silentium. De Osea, Sophonia, Aggæo &c. nusquam commemoratur, quod miracula ediderint. Neve quis excipiat, in historicis non licere ex scripturis *negative* argumentari, urgemus locum expressum Joh. X. 41. ubi de Johanne baptista dicitur, *quod nullum fecerit signum*, quem tamen immediate a Deo vocatum fuisse constat ex Luc. III. 2. qua de re plenius egimus in loco de eccles. §. 200. & 279.

3.) *Quomodo discernenda sit ab impostura fanaticorum?*

§. LXXXI. III.) *Quomodo discernendum sit inter immediatam Dei vocationem & impostluram fanaticorum, qui jactitant Deum Patrem sibi adparuisse, & haec vel illa mandata dedisse?* Anabaptistis & enthusiastis solenne est de talibus revelationibus gloriari, sed memores præmonitionis divinæ, Jer. XIV. 14. *Falso prophetae vaticinantur in nomine meo, non misi eos, & non praecepi eis, neque locutus sum ad eos, visionem mendacem & seductionem cordis sui prophetant vobis*, non audiamus eos, sed teneamus normam ac regulam, juxta quam immediata vocatio divina ab enthusiasticis seductionibus discernenda sit. Eam vero tradit ipse Deus: Deut. XIII. 1. *Si exsurgat propheta in medio tui, & praedixerit signum & portentum*, v. 2. *& evenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur deos alienos, quos ignoras & serviamus eis*; v. 3. *non audies verba prophetae illius.* Ergo qui jactitat divinas revelationes, si proferat doctrinam peregrinam, non est pro immediate vocato habendus, si vel maxime miraculis suam vocationem confirmare videatur. Eadem regula proponitur Jer. XXIII. 21. XXVII. 15. XXIX. 9. nimirum quicunque falsum aliquid prophetat sive in doctrina, sive etiam in vaticiniis, ille non est propheta immediate a Deo vocatus, sed seductor pessimus, quia Spiritus Domini, a quo prophetæ mittuntur, est *Spiritus veritatis.* Prima igitur ac præcipua probationis regula est harmonia & congruentia doctrinæ cum doctrina a Deo revelata. Deinde, qui immediate a Deo vocantur, illi vel dono miraculorum vel aliis Spiritus testimoniis peculiaribus instruuntur, ut illis vocationem suam confirment. Ad peculiaria illa Spiritus testimonia pertinent, tum prædictiones scripturarum: sic Johannes baptista nullum edidit miraculum, hoc enim Messiæ reservatum erat, ut stupendis & vere divinis miraculis sese manifestaret; Esaj. XXXV. 5. interim tamen habuit vocationem immediatam, cum multis annorum seculis ea prius fuerit prædicta. Esaj. XL. 3. Mal. III. 1. tum peculiaria Spiritus sancti dona ad munus illud, cui præficitur, necessaria. Talia dona sunt σοφία, singularis divinorum mysteriorum notitia; τόλμα, donum docendi ac dicendi peculiare; θυμὸς, imperterrita animi præsentia, zelus heroicus,

in confessione constantia &c. Matth. X. 19. *Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini.* Luc. XXI. 15. *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.* Act. VI. 10. *Non poterant resistere sapientiae & Spiritui, qui loquebatur.* 1. Cor. II. 4. *Sermo meus & praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione virtutis & Spiritus.* Accedit tertio peculiaris Dei protectio, mirandus in vocatione successus, ecclesiae dilatatio frustra renitentibus doctrinae coelestis adversariis &c. Esaj. XLIX. 2. *Posuit os meum, tanquam gladium acutum, in umbra manus suae protexit me.* Jer. I. 8. *Ne timeas a facie eorum, tecum enim ego sum, ut eruam te.* v. 18. *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum aereum super omnem terram.* Rom. XV. 18. *Non audeo aliquid loqui eorum, quae per me non effecit Christus in obedientiam gentium verbo & factis.* v. 19. *In virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti, ita ut a Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum omnia repleverim evangelio Christi.*

4.) *Num adhuc hodie exspectanda?*

§ LXXXII. IV.) *Num adhuc hodie immediata Dei vocatio exspectanda sit?* (*) Resp. quamvis nec possimus, nec debeamus liberrimae Dei voluntati & infinitae ejus potentiae ac sapientiae quidquam hac in re praescribere, quasi non possit etiamnum hodie quosdam immediate vocare, sicut olim vocavit prophetas & apostolos; tamen 1.) destituimur promissione, quod debeamus hoc tempore, post confirmatum nov. test. canonem, immediatam vocationem exspectare. Eph. IV. 11. de Christo ad dextram Patris exaltato dicitur, quod *ecclesiae suae dederit quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores & doctores*, v. 12. *ad consummationem sanctorum in opus ministerii*; ubi inter nov. test. ministros tale constituitur discrimen, quod quidam immediate vocati fuerint, in exordio scilicet nov. test. quales sunt apostoli, prophetae & evangelistae, quidam vero mediate, temporibus scilicet subsequentibus, quales sunt pastores & doctores, quorum vocatio mediata duratura praedicitur, donec corpus Christi mysticum plene fuerit exaedificatum, atque eo ipso significatur, non esse novos apostolos hoc tempore exspectandos. Inde etiam apostoli non exspectarunt, donec alii immediate vocarentur, sed ipsimet per singulas ecclesias constituerunt presbyteros, Act. XIV. 23. ac Paulus Timotheo suo praecipit, ut ministerium commendet idoneis personis, 2. Tim. II. 2. Tito praecipit, *ut oppidatim constituat presbyteros.* Tit. I. 5. Atqui nisi immediata vocatio cum temporibus apostolorum cessare debuisset, exspectassent apostoli, alios prius immediate vocari, antequam ad mediatam vocationem descenderent. 2.) Nulla adparet immediatae vocationis necessitas. Deus enim per apostolos tradidit & ecclesiae praescripsit certam formam, juxta quam velit eligendos & constituendos esse ecclesiae ministros, 1. Tim. III. Tit. I. per mediatam scilicet vocationem promisit conservationem ministerii usque ad finem seculi Matth. XXVIII. 19. 1. Cor. XI. 26. & adligavit ecclesiam suam ad doctrinam per Filium revelatam ac per apostolos immediate vocatos in totum terrarum orbem

(*) Weigelius postill. part. I. p. 44. *Fideles concionatores oportet esse angelos Domini, hoc est, debent esse a Deo docti ac missi, non ab hominibus, qui enim currunt ipsi, nec vocati sunt ad praedicandum, mercenarii sunt, quales nunc sumus omnes, nullo excepto, quis enim nostrum est a Deo doctus, quis a Deo se vocari patitur? an non omnes ex academia & favore, potestateque humana constituti sumus.* Part. II. postill. p. 31. *Qui ab hominibus sunt electi ac vocati, non adferunt secum Spiritum sanctum, ipsorum concio & absolutio de nihilo est, loquuntur & testantur ut caecus de coloribus, praedicant dogmata humana, non Christum crucifixum.* Dial de Christ. p. 71. 72. *Doctores, at non a Spiritu sancto promotos, sed ab academiis, ubi nullus unquam reperitus fuit Spiritus sanctus, non a Deo vocatus aut missus, sed ab hominibus ordinatus, electus, constitutus, ideo spiritualia docere non potest.* Ejusmodi plura vide post. part. I. p. 222. part. II. p. 105. 166. 210. 227. part. III. p. 11. 60. GERHARDVS.

orbem propagatam. Gal. I. 8. Apoc. XXII. 18. In vet. teſt. prædictum quidem erat, quod abolito Levitico ſacerdotio, nov. inchoandum ſit teſt. ut propterea immediata vocatione in exordio ejus opus fuerit, ſed poſt confirmatum nov. teſt. canonem aliam adhuc revelationem & immediatam quorumdam vocationem exſpectandam eſſe, nuſpiam inſinuatur, ſed contra potius nov. teſt. tempus & mediata vocatio in eo recepta, duratura prædicuntur usque ad Chriſti ex cœlis reditum. 3.) Ex quo colligitur, eos qui de immediata vocatione gloriantur, & divinas revelationes jactitant, ſi adferant doctrinam novam a Chriſti & apoſtolorum doctrina diverſam, nequaquam audiendos, nec pro legitime vocatis habendos eſſe, etiamſi miraculis ſuam vocationem confirmare nitantur. Diſertis enim verbis prædictum, Matth. XXIV. 24. *ſurrecturos pſeudoprophetas & pſeudochriſtos, ac tanta miracula edituros, ut ſi fieri poſſet, etiam electi in errorem ſeducerentur.* Recte igitur Auguſtinus Donatiſtis revelationes jactantibus, interim a doctrinæ apoſtolicæ ſinceritate diſcedentibus reſpondet in lib. de unit. eccl. cap. 16. *Non dicant ideo verum eſſe, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius, vel quilibet alius &c. aut quia ille frater noſter & illa ſoror noſtra tale viſum vigilans vidit, vel tale viſum dormiens ſomniavit. Removeantur iſta vel figmenta mendacium hominum vel portenta fallacium ſpirituum &c. Remotis omnibus iſtis eccleſiam ſuam demonſtrent non in ſignis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra iſta verbo Domini praeparati & cauti redditi ſumus, ſed in praeſcripto legis, in prophetarum praedictis, in pſalmorum cantibus, in ipſius paſtoris vocibus, in evangeliſtarum praedicationibus & laboribus, hoc eſt, in omnibus canonicis ſanctorum librorum auctoritatibus.*

## SECTIO IV.

## DE VOCATIONE MEDIATA.

*Mediata vocatio non minus eſt divina quam immediata.*

§. LXXXIII. De mediata vocatione duo potiſſimum tractanda ſunt: 1.) Quod *ipſa non minus quam immediata ſit divina;* 2.) *quae ſint ordinaria illa media, quibus Deus ad mediatam vocationem uti velit?* Quod ad *prius* membrum adtinet, illud demonſtramus hoc argumento: Quæcunque vocatio ad Deum autorem refertur, autoritate apoſtolica nititur, & ſalutaribus Dei promiſſis gaudet, ea omnino eſt divina. Sed mediata legitima vocatio eccleſiæ doctorum I.) refertur ad Deum autorem. Levitæ ad ſacerdotium mediate erant vocati, & tamen dicit Dominus: Num. III. 12. *Ego tuli Levitas a filiis Iſrael*; id eſt, miniſterio illos deputavi. 2. Par. XXIX. 11. dicit Ezechias ad ſacerdotes & Levitas: *Vos elegit Dominus, ut ſtetis coram eo, & miniſtretis illi.* Paſtores in eo diſtinguuntur a prophetis & apoſtolis, quod illi mediate, hi vero immediate vocati ſint, jam vero etiam paſtorum vocationem Deus ſibi adſcribit. Pſal. LXVIII. 12. *Dominus dat verbum, evangeliſtas exercitu magno.* Eſaj. XLI. 27. *dabo Jeruſalem evangeliſtam;* in quibus vaticiniis evangeliſtæ nomen generaliter accipitur pro quovis evangelii præcone 2. Tim. IV. 5. Jerem. III. 15. *Dabo vobis paſtores juxta cor meum.* XXIII. 4. *Suſcitabo ſuper eas paſtores.* Chriſtus ad dextram Dei evectus non ſolum *apoſtolos, prophetas & evangeliſtas*, ſed etiam *paſtores & doctores* eccleſiæ ſuæ dare dicitur. 1. Cor. XII. 28. Eph. IV. 11. II.) Nititur autoritate apoſtolica. Apoſtoli, qui a Chriſto audierant: *Sicut Pater me miſit, ita & ego mitto vos*, Joh. XX. 21. non exſpectarunt, donec eodem modo, immediate ſcilicet, aliqui vocarentur ad miniſterium, quo ipſi vocati erant ad apoſtolatum, ſed eccleſiis, quas plantarunt, doctores per ſuffragia electos præſe-

præfecerunt. Act. XIV. 22. Χειροτονήσαντες *per suffragia constituebant presbyteros in singulis ecclesiis.* 1. Tim. IV. 14. 2. Tim. I. 6. Timotheo commendatur ministerium ecclesiæ per *impositionem manuum presbyterii*, seu per congregationem presbyterorum. Præcipitur etiam Timotheo, ut alios per vocationem mediatam constituat presbyteros, 2. Tim. II. 2. *quae audivisti a me, commenda fidelibus hominibus, qui idonei sint ad alios docendos*; ac præscribitur ei certa norma, juxta quam personæ ad ministerium eligendæ examinari debeant. 1. Tim. III. 2. Idem mandatum accipit Titus, I. 5. *ut per civitates constituat presbyteros.* Neve quis existimet, hanc mediatam vocationem niti duntaxat exemplis, non autem divina institutione, notandum quod autoritate apostolica, id est, divina, Rom. XV. 18. talia præcepta Timotheo ac Tito dentur, quo pertinet gravis illa obtestatio: 1. Tim. V. 21. *Testor coram Deo & Christo Jesu & electis angelis, ut haec custodias sine praejudicio nihil faciens in aliam partem declinando.* & cap. VI. 13. *Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pilato bonam confessionem*, v. 14. *ut serves mandatum sine macula.* Cumprimis notandum, quod juxta hoc παράγγελμα apostolicum vocati *a Spiritu sancto constituti* dicantur, *ut ecclesiam Dei regant.* Act. XX. 28. Timotheus & Ephesinæ ecclesiæ ministri mediate vocati erant, interim tamen Paulus in posteriore ad Corinthios epistola, cui etiam Timotheus subscripsit, 2. Cor. I. 1, non de se tantum, sed in genere de Timotheo & reliquis ministris ecclesiæ apostolicæ dicit: & cap. V. 18. 20. *Deus dedit nobis ministerium reconciliationis, nomine igitur Christi legatione fungimur Deo exhortante per nos*, & ad omnes Ephesinæ ecclesiæ ministros dicit: Act. XX. 28. *Adtendite vobis & universo gregi, in quo Spiritus sanctus vos posuit episcopos regere ecclesiam Dei.* Sosthenes mediate vocatus erat, interim una cum Paulo priori ad Corinthios epistolæ subscribit, & Paulus non de se tantum, sed etiam de Sosthene & aliis legitimis ministris in illa epistola dicit cap. IV. 1. *Sic nos aestimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Apollo mediate vocatus erat, interim tamen Paulus non minus de ipso, quam de se dicit: 1. Cor. III. 5. *Quid est Apollo? quid Paulus? ministri, per quos credidistis*, sive ad fidem adducti estis, *& unicuique sicut dedit Dominus* v. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, Dominus dedit incrementum.* Epaphroditus mediate vocatus erat ad ministerium, nihilo tamen minus Paulus eum vocat suum συνεργὸν καὶ συστρατιώτην & Philippensium *apostolum.* Phil. II. 25. Archippo mediate vocato talem διακονίαν proponit apostolus: Col. IV. 17. *Vide ministerium, quod accepisti a Domino, ut illud impleas.* In subscriptione epistolæ prioris & posterioris ad Thessalonicenses non Timotheum solum, quod facit etiam in subscriptione epistolarum ad Philippenses, ad Colossenses & ad Philemonem, sed etiam Silvanum sibi adjungit apostolus, ac de omnibus in genere dicit: 1. Thess. I. 5. *Evangelium nostrum*, id est nobis a Deo ad prædicandum commissum, *non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute & Spiritu &c.* II. 4. *Sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis evangelium, ita loquimur.* 2. Thess. II. 14. *Vocavit vos Deus per evangelium nostrum.* III.) Mediata vocatio etiam gaudet salutaribus Dei promissis, id quod ex superioribus consequitur. Si enim mediata vocatio non minus quam immediata est ab ipso Deo, utique etiam gaudet promissis divinæ vocationi adnexis. Timotheus mediate vocatus erat, interim tamen apostolus evidenter testatur, ipsius ministerium esse efficax organum salutis. 1. Tim. IV. 16. *Adtende tibi ipsi & doctrinae, insta in illis, hoc faciens te ipsum salvabis, & eos, qui te audiunt.* Ideo etiam mandat, ut *resuscitet gratiam, quae in ipso erat per impositionem manuum apostoli*; 2. Tim. I. 6. quod ne quis existimet ad illos duntaxat pertinere, qui mediate quidem, sed per apostolos vocati erant, ideo in genere dicit: 1. Tim. IV. 14. *Gratia, quae data est tibi per impositionem manuum presbyterii*, 2. Cor. III. 6. de

se

se & Timotheo, nam & is huic epistolæ subscripsit, adeoque de omnibus ecclesiæ ministris legitime vocatis dicit: *Deus nos idoneos fecit ministros novi testamenti;* ac repetenda hoc loco ea, quæ in præcedentibus duobus membris sunt adlata. Sic non solum apostoli & prophetæ, sed etiam pastores & doctores dicuntur a Christo dari *ad opus ministerii, ad consummationem sanctorum, ad aedificationem corporis mystici.* Eph. IV. 12. Nec Paulus solum plantavit, sed etiam Apollo *rigavit*, & utrique, tam illi plantanti immediate vocato, quam huic riganti mediate vocato, *Deus dedit incrementum* 1. Cor. III. 6. Evangelium sive prædicatio evangelii non solum est in virtute, cum prædicatur a Paulo immediate vocato, sed etiam a Timotheo & Silvano mediate vocatis. 1. Thess. I. 5. Et pulcra est observatio Chemnitii part. III. loc. de eccles. cap. 4. pag. 323. cum in Corinthiaca ecclesia efficaciam ministerii metirentur ex personis vel mediate vel immediate vocatis, vel ex donis ministrorum, quod Paulus illis perversis judiciis hoc opponat: 1. Cor. III. 5. *Quis est Apollo? quis Paulus? nisi ministri, per quos credidistis, & unicuique sicut dedit Dominus.* v. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus dedit incrementum.* v. 7. *Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* v. 8. *Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt;* ubi ostendit apostolus, tam mediate vocatos, qualis erat Apollo, quam immediate vocatos, qualis erat Paulus, quoad efficaciam ministerii, & gratiam divinam in eo, esse unum.

§. LXXXIV. Quod si ergo mediata vocatio non minus atque immediata divina est; consequens fuerit, promissiones de ministerii fructu & successu, de protectione in periculis, de laborum retributione &c. immediate vocatis a Deo factas, suo modo etiam ad illos, qui mediate a Deo vocantur, pertinere. Non negamus, prophetas & apostolos immediate vocatos habuisse magnas & multas prærogativas, utpote privilegium non errandi, potestatem docendi in locis pluribus, dona uberiora, peculiaria charismata, promissiones de successu vocationis & defensione copiosiores &c. interim tamen cum respectu ecclesiastici ministerii & partium docendi unum idemque officium in ecclesia sustineant tam mediate quam immediate vocati, ideo promissiones de auxilio divino, virtute & efficacia divina in ministerio etiam ad mediate vocatos suo modo referri possunt, id quod tum docentibus tum etiam auditoribus utilem commonefactionem & consolationem præbet. Docentibus quidem, ut sciant se non minus quam prophetas & apostolos, quibus alias ratione personæ & donorum neutiquam comparandi sunt, esse in docendi officio *Dei legatos*, 2. Cor. V. 20. ac velle Deum opera ipsorum uti in ministerio; ideoque ad se adcommodent promissiones de præsentia divina gratiosa, & salutari per verbum efficacia, de protectione & defensione, patriarchis, prophetis & apostolis factas. Gen. XV. 1. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna valde*, itemque cap. XXXI. 3. *Ego ero tecum*. Esaj. XLIX. 2. *Posuit os meum tanquam gladium acutum, in umbra manus suae protexit me.* LI. 16. *Posui verba mea in ore tuo, & in umbra manus meae protexi te, ut plantes cælos ac fundes terram & dicas ad Sion, populus meus es tu.* Jer. I. 8. *Ne timeas a facie eorum, ego tecum sum, ut eruam te.* v. 10. *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* 1. Cor. XV. 58. *Labor vester non erit inanis in Domino.* Auditoribus debitam erga ministerium reverentiam & obedientiam hoc ipsum instillet, ut cogitent, licet ministri ecclesiæ non vocentur immediate ab ipso Deo, sicut olim patriarchæ, prophetæ & apostoli vocati sunt; ipsorum tamen vocationem nihilominus esse sacrosanctam ac divinam, ac proinde eos nequaquam contemnendos, Tit. II. 15. sed ut *angelos & legatos Dei* suscipiendos, audiendos ac tractandos esse. Gal. IV. 14.

§. LXXXV. *Posterius* membrum quod adtinet, quæ scilicet sint media ordinaria, quibus Deus ad vocationem mediatam uti velit, ac penes quem *Quibus mediis peragatur.*

quem sit jus & potestas mediatæ vocationis, de eo graves agitantur controversiæ. Pontificii ad papam & episcopos, non autem ad magistratum & populum ministrorum vocationem pertinere dicunt. Quidam pseudopolitici vocationem referunt ad *regalia magistratus*, cujus politicæ potestati in solidum eam vindicant. Anabaptistæ ad promiscuam multitudinem excluso ministerio & pio magistratu eam referunt. De quibus opinionibus ut rectius fieri judicium possit, paulo altius res deducenda, & uberius explicanda erit. Dicimus vero: I.) Jus summum & αὐτοκρατορικὸν vocandi ministros ecclesiæ non in immediata solum, sed etiam mediata vocatione in solidum pertinere ad verum Deum, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Neque enim abdicavit se jure suo, quando ecclesiæ mandavit ac potestatem dedit idoneos ministros vocandi, sed illud integrum & inviolatum sibi reservavit, licet mediate illud exsequi velit. Deus est & manet *Dominus messis* etiam in mediata vocatione ministrorum, Matth. IX. 38. *ac ipsius nomine* legatione funguntur ecclesiæ ministri, 2. Cor. V. 20. utique ergo ab ipso mittuntur. Christus ad dextram Dei evectus non solum olim dedit *apostolos*, *prophetas*, *evangelistas*, sed etiam adhuc hodie dat *pastores & doctores*, Eph. IV. 11. 1. Cor. XII. 28. Ephesinæ ecclesiæ episcopi mediate ad officium suum vocati, dicuntur *a Spiritu sancto constituti*; Act. XX. 28. nulla igitur est legitima vocatio, quæ non sit divina & ab ipso Deo profecta. II.) Neque hoc suum jus & potestatem in mediata vocatione ordinarie Deus exsequi vult per angelos, vel defunctorum Spiritus adparentes. Legitur quidem Act. VIII. 26. quod angelus Domini præceperit Philippo, ut proficisceretur ad viam, quæ descendit a Jerusalem ad Gazam, & cap. X. 22. quod Petrus interventu angelicæ adparitionis ad ædes Cornelii habendæ concionis causa adductus fuerit; sed hæc non fuit prima ad ministerium vocatio, verum duntaxat itineris directio ad certum aliquem locum. Et quidquid sit de uno vel altero extraordinario exemplo, sicut placuit divinæ sapientiæ, non angelos, sed homines ad ministerium ecclesiasticum vocare; ita eidem placuit, non per angelos, sed per homines mediatam vocationem ad ministerium peragere, ex quo colligit Chemnitius in loco de ecclesia cap. 4. membr. 1. satanicas fuisse illusiones, quibus orbis terrarum dementatus est, quod tempore Gregorii magni adparuerunt spiritus defunctorum, & quod Nicephorus in rebus seriis miscet fabulosa illa de adparitionibus spirituum, qui dixerint: *Tu eris in hoc loco, tu vero in illo episcopus &c.* Luc. XVI. 27. cum dives epulo Lazari defuncti spiritum ad fratres superstites mitti rogaret, accipit hoc responsi: *Habent Mosen & prophetas, audiant illos.* Ergo constitutionem ministerii Deus non vult committere peragendam spiritibus defunctorum. III.) Sed ecclesiæ tanquam sponsæ suæ claves regni cœlorum dedit; Matth. XVI. 19. XVIII. 17. illi promisit, *quod de quacunque re consenserit super terram, & eam petierit, daturus sit ei a Patre suo*; Matth. XVIII. 19. illi concredidit verbum & sacramenta, sicut de ecclesia israëlitica dicit apostolus, Rom. III. 2. *credita ipsi fuisse τὰ λόγια τῦ θεῦ*, & IX. 4. *illius fuisse υἱοθεσίαν, gloriam, fœdera, legis constitutionem, cultum & sacramenta*; illa est *Dei domus*, 1. Tim. III. 15. in qua *œconomi* constituuntur ecclesiæ ministri: 1. Cor. IV. 1. illius ergo est ministerium. 1. Cor. III. 21. *Omnia vestra sunt sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas.* Ad ecclesiam igitur pertinet jus *delegatum*, (ut vocant) idoneos verbi ministros constituendi, & ecclesiæ opera Deus uti vult in mediata piorum doctorum vocatione. IV.) Porro cum in ecclesia sint tres distincti status sive ordines: ecclesiasticus, politicus & œconomicus, sive presbyterium, magistratus & populus, ex quibus omnibus, velut ex membris, ecclesia constat; ideo nullus status ecclesiæ ab hoc opere est simpliciter excludendus, sed singulis suæ partes suaque officia in mediata vocatione ministrorum sunt relinquenda. 1.) Episcopos ac presbyteros adhibendos esse, quando alicui commendandum est ministerium, ex mandato apostolico & probatis scripturæ exemplis con-

consiat: Act. XIV. 23. *Paulus & Barnabas per singulas ecclesias, quas perlustrarunt, presbyteros constituerunt.* 1. Tim. IV. 14. *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* V. 22. *Manus cito nemini imposueris.* 2. Tim. II. 2. *Quae a me audivisti per multos testes, commenda fidelibus hominibus, qui idonei sunt ad docendum.* Tit. I. 5. *Ideo reliqui te Cretae, ut oppidatim constituas presbyteros.* Idem confirmat manifesta ratio: Qui enim jam ante versantur in ministerio, & profitentur sanam doctrinam, omnium rectissime de eorum, qui ad docendi munus vocandi sunt, qualitatibus judicare possunt, nemo igitur dixerit, eos a vocatione mediata excludendos esse. 2.) Quia vero presbyterium non est tota ecclesia, sed tantum pars ejus; Eph. IV. 11. 1. Cor. XII. 29. ideo episcopi ac presbyteri non debent ad se solos vocationem rapere, & reliqua ecclesiae membra excludere, sed exemplo apostolorum Act. I. 15. VI. 2. XIII. 2 XIV. 23. etiam illis suum relinquere suffragium ac suas partes: non enim sunt ecclesiae domini, sed ministri & inspectores. 1 Cor. III. 21. 2. Cor. I. 24. 1. Pet. V. 3. Ecclesia, cui mediata vocatio competit, est corpus Christi mysticum complectens omnia membra, Eph. IV. 12. non ergo uni duntaxat membro vocationis opus vindicandum, sed singulis membris suae partes relinquendae. 3.) Denique quia magistratus christianus non solum est ecclesiae membrum, sed etiam constitutus a Deo ecclesiae *nutritius*, Esaj. XLIX. 23. & *minister*, LX. 10. *ut aperiat portas ingredienti regi gloriae*, Psal. XXIV. 7. ideo non potest nec debet ab electione & vocatione ministrorum excludi, sed & illi suae partes in hoc opere sunt relinquendae, ac duplici jure curam constituendi ministerium ad illum pertinere censendum, tum ratione *personae*, quia est praecipuum ecclesiae membrum, tum ratione *officii*, quia est divinae legis custos.

*Quid cuique ecclesiae statui circa vocationem ministrorum competat?*

§. LXXXVI. Si quaerendo quis pergat: quaenam sint illae partes singulis ecclesiae statibus competentes, & quid cuivis statui proprie tribuendum sit, ne confusio oriatur, & alterius status proprium alter ad se transferat? respondemus 1.) in genere, 2.) in specie, 3.) specialissime. In *genere* dicimus, nec soli presbyterio, nec soli magistratui, multo minus arbitrio promiscuae & imperitae multitudinis subjiciendam esse ministrorum constitutionem, sed jus vocandi *ad totam ecclesiam* pertinere. Si non licet presbyterio, magistratu (quando scilicet christianus est) excluso ministros constituere, pari etiam ratione non licebit magistratui politico, excluso presbyterio & reliqua ecclesia, ministros vocare & constituere. *Sicut pontifex Romanus cum suis commisit sacrilegium in eo, quod electionem & vocationem ministrorum eripuit ecclesiae, & ad se solum suosque transtulit: ita ejusdem criminis reus est etiam magistratus, quando excluso ministerio & reliqua ecclesia sibi soli potestatem constituendi ministerii in ecclesia vindicat*, ut gravissime scribit in hac quaestione Chemnitius part. III. locor. p. 325. *Impia & injusta est alieni juris usurpatio, cum magistratus politici primum illud eligendi designandique personas ecclesiasticas suffragium presbyterio adimunt, & ecclesiam jure suo privantes ipsi insciae & invitae pastores obtrudunt*, scribit Jacobus Andreae disp. XXIX. de jure vocandi ministr. th. 51. In *specie* addimus, vocationem ministrorum a tota ecclesia & omnibus tribus statibus eo modo peragendam, ut servetur debitus ordo, & vitetur confusio, *Deus enim non est Deus confusionis, sed ordinis.* 1. Cor. XIV. 33. Hic ordo rectissime observatur, si negotium electionis & vocationis ministrorum a certis & praecipuis ecclesiae membris nomine & consensu totius ecclesiae tractetur. Quamvis vero *specialissime* & ad casus singulares descendendo vix videatur certa regula praescribi posse, cum *jura patronatus* varient, & plurimum momenti hac in re obtineant pacta, concessiones, consuetudines, templorum exstructionem, & bonorum ecclesiasticorum fundationem respicientes; tamen

ὡς ἐν τύπῳ καὶ ἐν πλάτει dicendo: *presbyterio* competit examen, ordinatio & inauguratio; *magistratui christiano* nominatio, præsentatio, confirmatio; *populo* consensus, suffragium, adprobatio, vel etiam, pro ratione circumstantiarum, postulatio. Genus igitur, nimirum ut ecclesia consentiente pastores vocentur, neve quis invitæ ecclesiæ obtrudatur, habet expressa in scripturis testimonia, & perpetua ecclesiæ primitivæ praxi comprobatum est, sed forma electionis, quoad speciem, variat, quandoque enim populi in nominandis personis suffragium, quandoque in ante nominatis adprobatio fuit requisita. Comprobat hoc praxis apostolica, Act. I. 15. in electione Matthiæ: Petrus proponit commonefactionem, qualis persona sit eligenda, v. 23. postea ecclesia statuit duos, quorum alteruter, videlicet Matthias, cum per sortem divinitus fuisset electus, v. 26. idem συγκατεψηφίσθη communibus discipulorum calculis, ad ministerium fuit electus. Quamvis vero hæc vocatio Matthiæ fuerit immediata, tamen suffragium illud fidelis populi, quod accessit, recte exempli loco ad vocationem mediatam adplicatur. Act. VI. 3. cum diaconi constituendi essent, apostoli ad fratres, hoc est, ad reliquam ecclesiam dicunt: *Dispicite vobis fratres viros ex vobis boni testimonii, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos præficiamus huic negotio:* v. 5. illi postmodum eligunt Stephanum cum aliis sex, quos statuunt in conspectu apostolorum, & manus illis imponunt. Sic ergo per suffragia totius ecclesiæ hi diaconi fuere constituti. Act. XIV. 23. apostoli χειροτονήσαντες *collectis suffragiis* per singulas ecclesias a se nuper plantatas constituunt presbyteros. 1. Cor. XVI. 3. *Quoscunque probaveritis per epistolas, hos mittam.* 2. Cor. VIII. 19. Titus est χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, *ecclesiae suo consensu & suffragio* electionem Titi comprobarunt, & in ejus personam consenserunt. 1. Tim. III. 7. *Oportet episcopum habere bonum testimonium ab extraneis*; multo magis igitur ab ecclesia, cui præficitur. Ergo audiendum est ecclesiæ judicium de persona ad ministerium eligenda. 1. Tim. V. 22. *Manus cito nemini imposueris*, antequam scilicet ecclesiæ testimonium & consensus accedat. 1. Tim. IV. 14. Timotheo commendatum fuit ministerium ecclesiæ per *impositionem manuum presbyterii*, hoc est, electus fuit per suffragia ecclesiæ, quia presbyterorum nomine hoc loco non illi duntaxat intelliguntur, qui laborarunt in verbo, sed etiam seniores ecclesiæ, quibus nomine reliquorum omnia negotia ad ecclesiam spectantia commendata fuerunt, qui impositione manuum de totius ecclesiæ consensu testificati sunt; ex qua praxi apostolica constat, quæ partes ministerio, quæve populo christiano debeantur. Quod autem in illa praxi magistratus nulla fit mentio, id factum ex eo, quia magistratus tunc nondum erat christianus, nec amplectebatur doctrinam, cujus prædicatio ministris commendabatur. Si vero christianus fuisset, suæ quoque illi adtributæ fuissent partes, cum ex Dei ordinatione sit *nutritius* ecclesiæ, Esaj. XLIX. 23. *custos* utriusque tabulæ, Deut. XVII. 19. *clypeus & scutum terrae in populo Abrahae*, Psal. XLVII. 10. ad cujus officium pertinet *portas adtollere, ut ingrediatur rex gloriae* Psalm. XXIV. 7. providere, ut vigeat purum & incorruptum divini cultus exercitium, ecclesiarum & scholarum ministris stipendia constituere, lupos ab ovili Domini arcere, falsos cultus abrogare. Quomodo enim erit utriusque tabulæ custos, nisi provideat de idoneis legis interpretibus? quomodo erit ecclesiæ nutritius, nisi de salutaribus pascuis & veris pastoribus ecclesiæ prospiciat? quomodo erit ecclesiæ scutum & septum, nisi luporum violentiam coerceat? Ac proinde ut argumentum ex praxi apostolica deductum plenum sit, addenda sunt exempla piorum regum in vet. test. Davidis puta, Josaphati, Ezechiæ, Josiæ, &c. 2. Reg. XVIII. 4. XXII. 2. 1. Paral. XXIII. 2. XVII. 6. & seqq. 2. Paral. XXXIV. &c. ac piorum imperatorum in nov. test. utpote Constantini, Theodosii, Justiniani &c. qua de re in loco de magistratu politico plenius dicendum erit. Ex eo igitur quod in primitiva apostolica & apostolicæ

stolicæ, proxima ecclesia magistratus in vocatione ministrorum ecclesiæ nulla fiat mentio, haudquaquam inferendum, etiam hodie christianum magistratum destitui jure vocandi ministros ecclesiæ; ut enim a facto ad jus, ita quoque a negatione facti ad negationem juris non ducitur firmum argumentum. Item a magistratu ethnico ad magistratum christianum non potest in hoc vocationis negotio legitima consequentia procedi.

*Argumenta nostrae sententiae. 1.) Ex scriptura. 1.) ex Matt. XVI.*

§. LXXXVII. Huic nostræ sententiæ cum valde iniqui sint pontificii, ab electione & vocatione episcoporum magistratum & reliquam ecclesiam plane excludentes, ideo firmis stabilienda erit argumentis, eademque ab adversariorum exceptionibus vindicanda. Primam argumentorum classem ducimus ex scripturis & rationibus ex ea deductis; secundam ex praxi apostolica; tertiam ex praxi ecclesiæ primitivæ. Ad *primam* classem pertinent sequentia fundamenta: 1.) *Ex traditione clavium*: Cuicunque claves regni cœlorum ab ipso Christo sunt traditæ, penes eum est jus vocandi ecclesiæ ministros. Atqui toti ecclesiæ traditæ sunt a Christo claves regni cœlorum. Ergo penes totam ecclesiam est jus vocandi ministros. Propositio confirmatur ex definitione clavium regni cœlorum. Per claves enim potestas ecclesiastica intelligitur, cujus pars est jus vocandi & constituendi ecclesiæ ministros. *Adsumtio* constat ex verbis Christi Matth. XVI. 19. ubi Petro in persona ecclesiæ dicitur: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Augustinus tract. CXXIV. in Joh. circa med. *Petrus apostolus propter apostolatus sui primatum ecclesiae gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus christianus, abundantiore gratia unus idemque primus apostolus, sed quando ei dictum est*: tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris in terra, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris in terra, erit solutum & in cœlis; *universam significabat ecclesiam, quae in hoc seculo diversis tentationibus velut imbribus, fluminibus, tempestatibusque quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram, unde & Petrus nominationem accepit &c. Ecclesia, quae fundatur in Christo, claves ab eo regni cœlorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi solvendique peccata, quod enim est per proprietatem in Christo ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra, qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus ecclesia.* Lib. I. de doctrina christ. cap. 18. *Has claves dedit ecclesiae suae, ut quae solveret in terra, soluta essent in cœlo, & quae ligaret in terra, ligata essent in cœlo.* Confirmatur hæc sententia Augustini ex omnibus illis scripturæ locis, in quibus ecclesia dicitur Christi *uxor*, Psalm. XLV. 10. *sponsa*, Joh. III. 29. *& materfamilias.* Psal. LXVIII. 13. Jam vero claves a domino domus dantur matrisfamilias, sic & Christus, Dominus domus Dei, quæ est ecclesia, Hebr. III. 6. 1. Tim. III. 15. suæ sponsæ claves tradidit. Ministri, tanquam œconomi, 1. Cor. IV. 1. non nisi ministerialiter ecclesiæ nomine eorum usum exercent. Idem probatur ex seq. cap. Matth. XVIII. ubi ecclesiæ tribuitur potestas excommunicandi præfractos peccatores. v. 17. *Si te non audierit, dic ecclesiae. Si ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus.* v. 18. *Amen dico vobis, quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata in cœlo, & quaecunque solveritis super terram, erunt soluta in cœlo.* Jam vero potestas excommunicandi pertinet ad claves regni cœlorum. Ergo claves regni cœlorum traditæ sunt toti ecclesiæ. Excipit Bellarminus lib. I. de clericis cap. 7. 1.) *Petrum in persona ecclesiae accepisse claves, quia in totius ecclesiae commodum & utilitatem eas accepit, & quia ipse non solus illis erat usurus, sed transmissurus ad successores & communicaturus cum aliis episcopis & presbyteris.* Resp. Petrum in ecclesiæ commodum & utilitatem claves accepisse, & cum aliis episcopis ac presbyteris communes habere, concedimus; sed negamus, illud *exclusive* accipiendum, quasi soli Petro

& episcopis claves sint datæ, non autem toti ecclesiæ. Quemadmodum enim Petrus confessus est Christum in persona ecclesiæ, non eo duntaxat sensu, quia confessio illa cessit in totius ecclesiæ commodum, sed etiam quia Petro confitente ipsa quoque ecclesia confitebatur: ita quoque Petro in persona ecclesiæ datæ sunt claves regni cœlorum; non solum quia in commodum & utilitatem totius ecclesiæ ipsi datæ sunt, sed etiam quia ecclesia eas in persona Petri accepit, ut usum earum ipsa exerceat, cum in aliis potestatis *clavium* nomine significatæ partibus, tum in idoneis verbi ministris eligendis & vocandis. Joh. Ferus in Matth. XVI. *Ecclesia habet claves, ut domina ac sponsa, Petrus non ut dominus, sed ut minister.* Hæc interpretatio nostra evidenter probatur ex circumstantiis textus, & ex Matth. XVIII. seq. ad quod Bellarminus 2.) sic excipit, *promitti ecclesiae potestatem solvendi & ligandi, sed quae in praelatis fit, non in reliqua multitudine.* *Vere enim dici ecclesiam solvere & ligare, quia praelati ejus solvunt & ligant, quemadmodum homo dicitur loqui & videre, licet non nisi lingua loquatur, & oculis videat.* Id probat tali argumento: *Illi ecclesiae dicitur:* Quæcunque adligaveritis, *de qua in praecedentibus est dictum*: Dic ecclesiæ. *Sed per illud:* Dic ecclesiæ, *intelligitur praelatus aut concilium praelatorum. Ergo.* Resp. 1.) Unde probare poterit Bellarminus, nomine *ecclesiae* in illis Christi verbis: *Dic ecclesiae*, intelligi solum prælatum vel concilium prælatorum? Solus prælatus non est ecclesia, quod agnoscit ipse Bellarminus sic scribens lib. III. de ecclesia cap. 17. circa fin. *Una persona non potest dici ecclesia, cum ecclesia sit populus & regnum Dei.* Nec concilium prælatorum sive episcoporum est ecclesia, quia ad ecclesiam pertinent etiam auditores, qui essentialem ejus definitionem ingrediuntur. Ut civitas non constat ex medico & medico, sed ex medico & agricola; ita ecclesia non constat ex episcopo & episcopo, sed ex episcopo & auditoribus. 2.) At, inquis, intelligitur ecclesia *repraesentativa*, non *collective* sumta, cum de tota ecclesia collective sumta non possit accipi illud Christi: *Dic ecclesiae.* Resp. soli episcopi sive docentes non possunt ecclesiam repræsentare, cum ad definitionem ejus pertineant etiam auditores; sed presbyterium repræsentare potest ecclesiam, ad quod non solum illi pertinent, qui laborant in verbo, sed etiam seniores, præpositi, negotiis ecclesiasticis nomine totius ecclesiæ expediendis præfecti. Concedimus igitur, *ecclesiae* nomine intelligi doctores, quos Bellarminus vocat prælatos; sed negamus plane exclusos esse auditores, illorum enim locum repræsentant seniores, nobiliora scilicet reliquæ ecclesiæ membra, qui una cum ministerio constituunt presbyterium, sive, ut in nostris ecclesiis vocare solemus, consistorium, quod ecclesiæ nomine ecclesiastica negotia expedit. 3.) Invertimus ergo simile Bellarmini: Quemadmodum homo loquitur lingua, & videt oculis tanquam instrumentis naturalibus, quæ ab anima moventur, unde loquela & visio tribuitur homini ut causæ principali & principio *quod*, linguæ & oculis ut causæ instrumentali & principio *quo*: sic ecclesia eligit & constituit ministros per presbyterium, quod non agit privato arbitrio ac privata autoritate, sed nomine ecclesiæ omnia expedit, ita ut ecclesia agat *principaliter*, presbyterium *instrumentaliter*, unde etiam doctores sic vocati non presbyterii sed ecclesiæ ministri dicuntur. Refero huc locum egregium ex scripto quodam anonymo, cujus autor fuit pontificius, edito Francof. anno 1612. sub hoc titulo: *variae tam facultatis theol. & curiae Parisiensis, quam aliorum theologorum & jurisconsultorum opuscula &c.* In cap. de ecclesiast. & politic. potestate num. 1. *Vulgare atque indubitatae fidei axioma est, Deum & naturam prius atque immediatius ad totum suppositum, quam ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam, intendere, eamque ob causam facultatem videndi, exempli gratia, toti datam esse homini, ut per oculum tanquam per organum & ministrum hominis exerceretur, nam oculus per & propter hominem exsistit. Hoc infallibili schola Parisiensis munita firmamento,*

*mentò, congruenter ad mentem omnium antiquiorum ecclesiae doctorum perpetuo constanterque docuit, Christum fundando ecclesiam prius immediatius atque essentialius claves sive jurisdictionem toti dedisse ecclesiae, quam Petro, seu quod eodem redit, claves toti contulisse ecclesiae, ut per unum ministerialiter exercerentur, quandoquidem tota jurisdictio ecclesiastica primario, proprie ac essentialiter ecclesiae convenit, Romano autem pontifici atque aliis episcopis instrumentaliter, ministerialiter & quoad executionem tantum, sicut facultas videndi oculo.* 4.) Distinguimus ergo inter potestatem ipsam & potestatis exsecutionem. Potestas ipsa est & manet penes ecclesiam, sed exsecutio illius potestatis fit per episcopos seniores, hoc est, per ministerium & illos, qui reliquæ ecclesiæ locum repræsentant. Cujus nomine & autoritate fit exsecutio potestatis, illius est & manet potestas propria. Jam vero exsecutio potestatis ecclesiasticæ in vocandis & eligendis ministris, in solvendis & adligandis peccatis fit nomine & autoritate totius ecclesiæ. Ergo illius est & manet potestas illa propria. 5.) Consideramus hoc loco israeliticæ ecclesiæ praxin, ad quam dubio procul Christi verba respectum aliquem habent. In ea potestas excommunicandi, de qua speciatim Christus loquitur, non erat penes solos sacerdotes, sed penes totum synedrium, quod constabat ex sacerdotibus & senioribus, qui reliquam ecclesiæ partem repræsentabant. 6.) Idem probat praxis ecclesiæ apostolicæ. Incestuosi excommunicationem apostolus non sine ecclesiæ Corinthiacæ consensu suscepit. 1. Cor. V. 4. *Congregatis vobis & meo Spiritu in nomine Domini nostri Jesu Christi constitui hujusmodi hominem tradere satanae.* 2. Cor. II. 6. *Sufficit istiusmodi homini increpatio a pluribus profecta;* inde etiam rogat, ut illi, qui fuerat excommunicatus, ab omnibus condonetur. Quæ omnia probant, partem illam potestatis ecclesiasticæ, quæ excommunicationem complectitur, ad totam ecclesiam pertinere. Jam vero eadem est ratio partis illius, quæ vocationem & constitutionem ministrorum respicit. Ergo eadem quoque ad totam ecclesiam pertinebit. Coronidis loco explicanda sunt insidiosa illa verba Bellarmini, quibus adserit, *Petrum claves a Christo acceptas transmisisse ad successores.* Quid enim sibi velit illis verbis, exponit Franc. Vargas in tract. de jurisd. episcoporum, ubi docet, *penes papam Petri successorem stare potestatem excommunicandi, absolvendi, dispensandi, casus reservandi, indulgentias & beneficia conferendi, leges ponendi, ecclesiasticam hierarchiam moderandi &c. atque hanc potestatem a summo pontifice ad episcopos derivari, interim tamen in eo tanquam fonte repositam esse, atque ab eo ad alios tanquam per rivulos promanare.* Idem omnino statuere Bellarminum, probat tota disputatio de pontifice.

§. LXXXVIII. II.) *Ex probatione doctorum.* Cujus est discernere doctores a seductoribus, probare sanam doctrinam, vocem Christi ἀρχιποιμένος a pseudopastorum voce distinguere, alienum non sequi, sed ab eo refugere, anathematizare eos, qui aliud evangelium prædicant, præter id, quod ab apostolis prædicatum est, ejus est suo modo atque ordine vocare ecclesiæ ministros. Sed ovibus Christi sive auditoribus vi divini præcepti priora omnia incumbunt. Matth. VII. 15. *Cavete a pseudoprophetis.* Joh. V. 39. *Scrutamini scripturas.* X. 27. *Oves meae vocem meam audiunt, alienum vero non sequuntur.* Gal. I. 9. *Si quis vobis evangelizarit praeter id, quod accepistis, anathema sit.* 1. Thess. V. 19. *Spiritum nolite exstinguere.* v. 20. *Prophetias nolite spernere.* v. 21. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* 1. Joh. IV. 1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint.* 2. Joh. v. 10. *Si quis venit ad vos, nec adfert hanc doctrinam, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis.* v. 11. *Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Ergo nec posterius illis denegandum. Connexio *majoris* est manifesta. Si enim auditores debent cavere a pseu-

2.) *Ex Matth. VII. 15. Joh. V. 39. &c.*

pseudoprophetis, utique etiam debito ordine & modo cavere debent, ne ecclesiastico ministerio præficiantur falsi doctores, ac per consequens modis omnibus in id incumbere, ut veri ac pii doctores ad hoc officium vocentur. Vide omnino Lutherum in libro cui titulus: *Grund und Ursach aus der Schrifft, daſs eine christliche Versammlung oder Gemeine Recht und Macht habe, alle Lehre zu urtheilen, und Lehrer zu beruffen, ein und abzusetzen*; tom. II. germ. Jenens. f. 242. Excipit Bellarminus, *populum quidem debere discernere verum prophetam a falso, sed non alia regula, quam diligenter adtendendo, an is, qui praedicat, dicat contraria illis, quae dicebantur a praedecessoribus, vel iis, quae dicuntur ab aliis ordinariis pastoribus, praesertim ab apostolica sede & ecclesia principali. Nam imperatum est populo, ut audiat pastores suos.* Luc. X. *Qui vos audit, me audit.* Matth. XXIII. *Quae dicunt, facite. Non ergo debet populus judicare suum pastorem, nisi nova audiat, & a doctrina aliorum pastorum aliena.* Resp. 1.) Acceptamus, quod dat Bellarminus, populum debere discernere verum prophetam a falso, ac debere judicare suum pastorem. Sed quomodo id convenit cum eo, quod in hoc ipso capite 7. arg. 3. negat, *oves debere eligere pastorem*, quomodo etiam convenit cum Stapletoni dictis, qui in promt. cathol. domin. VII. post Trin. loco I. scribit: *Oves & simplicem populum fugere jubet Christus pseudoprophetas, non inquirere.* Et rursum: *Quid sit pastoris officium, non oves ipsae & vulgus fidelium, sed alii pastores & tota pastorum communitas vel maxime caput pastorum, Christi in terris vicarius, judicare & cognoscere debent?* 2.) Tota igitur quæstio est de norma & regula, juxta quam populus discernere debeat verum prophetam a falso. Bellarminus proponit hanc regulam, quod *populus adtendere debeat, an is, qui praedicat, dicat contraria illis, quae dicebantur a praedecessoribus, vel iis, quae dicuntur ab aliis pastoribus, praesertim ab apostolica sede.* At hæc regula est irregularis & fallax. Ostendimus enim suo loco, veritatem doctrinæ non esse adligatam ad successionem episcoporum, nec ad sedem Romanam. Si discipuli Christi de ipsius doctrina voluissent judicare juxta hanc Bellarmini regulam, hæreseos eam condemnassent, prædecessores enim ipsius docuerant contraria, sacerdotes in sede Aaronica damnabant Christi doctrinam ut hæreticam. Si apostolorum auditores voluissent juxta hanc Bellarmini regulam pronunciare, itidem fuissent turpiter decepti, ideo Beroenses Act. XVII. 11. nequaquam fallacis hujus regulæ libramine doctrinam apostolorum expendebant, sed scripturarum canonem respiciebant. 3.) Utimur contra Bellarminum hoc argumento: Falsi prophetæ non sunt a populo audiendi; qui sunt in ordinaria successione, interdum sunt falsi prophetæ. Esaj. LVI. 10. *Speculatores ejus cæci omnes.* Jer. VI. 13. *A propheta usque ad sacerdotem omnes faciunt mendacium.* X. 21. *Stulte egerunt pastores, & Dominum non quaesiverunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est &c.* Act. XX. 29. *Post discessum meum intrabunt lupi graves in vos non parcentes gregi;* v. 30. *& ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos.* Ergo qui sunt in ordinaria successione, interdum non sunt audiendi, & per consequens fallax est regula, quod in discretione verorum prophetarum a falsis respiciendum semper sit ad doctrinam eorum, qui sunt in ordinaria successione. 4.) Ipse Bellarminus agnoscit, episcopos in ordinaria successione constitutos non esse absolute & simpliciter audiendos, sed quatenus consentiunt cum apostolica sede, hoc est, quatenus se conformant judicio Romani pontificis. Sic enim scribit lib. III. de eccles. cap. 10. resp. ad secundum: *Quod ecclesia teneatur sequi eos, quos habet pro veris pastoribus, sano sensu accipiendum est, si videlicet hujusmodi episcopi in doctrina omnes consentiant, aut summi pontifices sint.* Lib. IV. de pontif. Rom. cap. I. concludit, *summum & infallibile judicium esse penes summum pontificem.* Quo etiam spectat, quod hoc loco addit, *populum in discretione verorum prophetarum a falsis adtendere debere,*

an

*an is, qui praedicat, dicat contraria iis, quae dicantur ab ordinariis pastoribus, & praesertim ab apostolica sede.* Compendio igitur uti potuisset, ac simpliciter pronunciare, judicium summi pontificis esse unicam infallibilem regulam, juxta quam de veris & falsis pastoribus sit pronunciandum. Sed id nemo illi credet, qui errores Romanorum pontificum habet ex historiis perspectos. 5.) Alia igitur statuenda est hujus discretionis regula, quae est scriptura sacra, quam Chrysostomus hom. XIII. in 2. Cor. vocat ἁπάντων ἀκριβῆ ζυγὸν καὶ γνώμονα καὶ κανόνα. Psalm. CXIX. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Esaj. VIII. 20. *Ad legem & ad testimonium, si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* 2. Petr. I. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, & bene facitis adtendentes ei, velut lucernae lucenti in loco caliginoso.* Ad scripturae igitur normam exigenda doctrina quorumcunque pastorum, & juxta eam utpote regulam ac *perpendiculum*, Psalm. XIX. 9. de pastoribus judicandum, audiendi sunt ordinarii pastores; sed si ipsi etiam Christum in verbo loquentem audiant, si doceant ea, quae Christus praecepit, si non aliam, quam veram Christi doctrinam adferant, Matth. XXVIII. 20. Joh. X. 1. 2. Joh. v. 10. Quod ergo Bellarminus dicit, *imperatum esse populo, ut audiat pastores suos*, id limitamus hoc modo: Audiendi sunt non absolute & simpliciter, quidquid proferant, sed tum demum, quando proferunt σύμφωνα ταῖς γραφαῖς, non enim habent speciale privilegium non errandi, sicut prophetae & apostoli, sed ipsi non minus ac reliqui fideles *aedificati sunt super fundamentum prophetarum & apostolorum*; Eph. II. 20. si a sinceritate doctrinae propheticae & apostolicae discedunt, eatenus non sunt audiendi. Sic jubebat Christus *audire scribas & pharisaeos*, sed *in cathedra Mosis sedentes*, hoc est, ex Mose & secundum Mosis scripta, eisdemque homogenea prophetarum scripta docentes, alias jubet *a fermento*, hoc est, falsa doctrina eorum cavere. Matth. XVI. 6. & 12. Audiendi sunt pastores, sed quatenus sunt ac manent pastores, ad salutaria doctrinae coelestis pascua oves Christi ducentes, qui corrumpunt & pervertunt summi pastoris ac unici magistri & doctoris nostri Christi verbum, non amplius sunt pastores, sed lupi rapaces, ideoque non audiendi, sed fugiendi sunt. 6.) Regerit Bellarminus: *Populus cum sit rudis, non potest aliter judicare de doctrina pastoris, quam ex collatione cum doctrina praedecessorum & ordinariorum pastorum.* Resp. hoc falsum esse ostendit exemplum Beroënsium, *qui quotidie scrutabantur scripturas, sedulo inquirentes, an haec ita se haberent*, quae a Paulo & Barnaba proferebantur; Act. XVII. 11. regulam judicii statuebant non doctrinam ordinariorum pastorum, sed scripturas sacras, quo nomine a Spiritu sancto commendantur. Ruditas illa populi, de qua Bellarminus loquitur, in papatu originem ducit ex prohibitione legendi scripturam sacram, pro quo sacrilegio gravem olim reddent rationem illius autores. Invertimus autem Bellarmini argumentum: Si ruditas populi non obstat, quo minus possit doctrinam pastorum conferre cum doctrina praedecessorum vel ordinariorum pastorum; utique etiam non obstabit, quo minus doctrinam pastorum conferre possit cum doctrina Christi, prophetarum & apostolorum in scripturis proposita & juxta hanc normam verum prophetam a falso discernere. Sed verum prius; ergo & posterius. Connexio *majoris* probatur, quia Christus, prophetae & apostoli tam perspicue docere possunt, & vere etiam tam perspicue docuerunt, quam ordinarii pastores. Cum Christus, prophetae & apostoli docendi ministerio in his terris fungerentur, non eruditis solum, sed etiam rudi populo praedicarunt, atque eo quidem modo, ut doctrinam ipsorum intelligere possent, quomodo igitur scripta prophetarum & apostolorum adeo essent obscura & perplexa, ut ex illis de doctrina rudis populus judicare omnino nequeat? Certe non alia, sed eadem scripserunt prophetae & apostoli, quae viva voce praedicarunt. 7.) *At*, inquit Bellarminus, *si populus per se posset judicare de doctrina pastoris, non egeret praedicato-*

*dictatoribus.* Resp. quæ vero in hac illatione συνάφεια? utrumque a Deo mandatum: ut scilicet populus judicet de doctrina pastoris, quod ipse Bellarminus antea disertis verbis illi concessit; & ut nihilominus sint certi & ordinarii in ecclesia ministri, *non enim omnes doctores.* 1. Cor. XII. 29. Eph. IV. 11. Aliud est inquirere in veritatem doctrinæ, & hæreses ab orthodoxia, pseudoprophetas a veris doctoribus discernere, quæ vocatio *generalis* est, ad omnes christianos pertinens; aliud publice in ecclesia docere, quæ est vocatio *specialis.* Ex ovibus non facimus pastores, sed jubemus, ut sint ac maneant oves; interim nolumus eas esse brutas oves, quæ non possint nec debeant discernere inter pastores & lupos. Pontificii ex auditoribus suis faciunt brutas oves, quæ sine ulla discretione sequantur pastorem, si vel maxime ad noxia deducat pascua, vel etiam in lupum vertatur: faciunt ex auditoribus suis psittacos a nutu prælatorum pendentes, ex prælatis angelos, qui plane sint infallibiles & ἀνυπεύθυνοι. Urgeo hoc loco contra Bellarminum, ex comparatione auditorum cum ovibus colligentem, ad ipsos non pertinere vocationem ministrorum, aliam similitudinem: Episcopus in jure canonico dicitur ecclesiæ suæ *sponsus.* Jam vero leges humanæ, imo etiam divinæ æquum censuerunt, ne invitæ alicui sponsus adsignaretur; ergo idem in ecclesia debet observari, ne ipsi invitæ obtrudatur episcopus, cum enim inter episcopum & ecclesiam spirituale matrimonium, ut canonistæ loquuntur, intercedat, ecclesiæ consensum intercedere oportebit. 8) Quod de Luthero addit, *ipsum per se venisse, & cum doctrina aliorum pastorum pugnantia docuisse, ideoque doctrinam ejus debuisse esse suspectam,* de eo inferius dicetur, ubi legitimam ejus vocationem adferemus. 9.) Ratio, quam Bellarminus addit, est plane antichristiana: *Cum pastor ordinarius* (inquit) *& aliquis alius, qui praedicat, non vocatus contraria docent, debet omnino populus pastorem suum potius sequi, quam illum alterum, qui non est pastor, etiam si forte contingeret, ut pastor erraret.* At falsum est, Lutherum non fuisse pastorem legitime vocatum, falsum etiam illud, quod pastorem ordinarium etiam errantem populus sequi debeat; hoc enim nihil aliud est, quam jubere, ut oves etiam ad noxia pascua suum sequantur pastorem, ut tenebras christiani præferant luci, errores veritati, humanas constitutiones divinæ autoritati. Subjicit quidem Bellarminus, *non esse credibile, Deum permissurum, ut ordinarius pastor ita erret, ut decipiat simplicem populum;* sed frustra disputatur, an fieri possit, de quo manifeste constat, quod factum sit, ordinarios pastores sæpius errasse, & simplicem populum decepisse, absque insigni impudentia negari nequit, hic ergo urgemus Bellarminum, & quærimus, an ordinarios pastores etiam errantes populus sequi debeat? si adfirmate respondeat, manifestum faciet, se operam venalem locasse ei, qui c. Si papa. dist. 40. sic rugit: *Si papa suae & fraternae salutis immemor, negligens deprehenditur, inutilis & remissus in operibus suis, & insuper a bono taciturnus, quod magis officit sibi & nihilominus omnibus, innumerabiles populos catervatim secum ducat primo mancipio gehennae cum ipso plagis multis in aeternum vapulaturos, hujus culpas istic redarguere praesumat mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus a nemine est judicandus.* Nec est quod in locutione comparata latibulum sibi paratum existimet, populum debere pastorem ordinarium errantem *potius* sequi, quam alium non vocatum; non enim hoc loco quæritur, an absque vocatione aliquis in ecclesia publice docere debeat; sed an pastores ordinarii errantes & seducentes audiendi sunt? Neque est immediata connexio inter hæc duo membra: Si populus non debet sequi pastorem ordinarium errantem, cogetur audire alium non vocatum; datur enim tertium, videlicet quod ecclesia debeat jure suo uti, & in locum errantis alium recta & salutaria docentem vocare. 10.) Sed demus ex hypothesi, quod populus de doctrina pastoris judicare debeat ex doctrina prædecessorum & ordinariorum, præsertim pontificis Romani, manet nihilominus argumentum nostrum ratum & firmum: Populus debet discer-

scernere verum prophetam a falso; ergo requiritur populi consensus & suffragium ad ministrorum vocationem. Bellarminus excipit, *posse quidem populum verum prophetam a falso discernere, sed non propterea posse falsum pastorem, si sit episcopus, deponere, & alium ejus loco substituere, cum Dominus & apostolus tantum jubeant, ut falsi prophetae non audiantur a populo, non autem, ut populus eos deponat, cumque usus ecclesiae semper obtinuerit, ut haeretici episcopi a conciliis episcoporum, vel a summis pontificibus deponerentur.* Resp. nec nos adprobamus confusionem anabaptisticam ac perturbatum in pseudoprophetarum remotione agendi ordinem, sed toti ecclesiæ jus vocandi idoneos, & removendi perversos ministros competere dicimus. Fugiendi omnino sunt, quin & fugandi pseudoprophetæ; interim tamen nihil contra ordinem divinitus constitutum agatur. Quod si in vinea Domini lupi occupent pastorum sedes, resistendum illis modis licitis, nec permittendum, ut vineam libere devastent, ac Christi oves veræ doctrinæ pabulo defraudentur. Reliqua ecclesiæ membra mutuum conferant auxilium, & ecclesia pro suo, quod habet, jure eligendi ministros idoneos, & perversos rejiciendi, debito ordine malo huic quærat remedium, quæ omnia erunt clariora ex quæstionibus de specialibus quibusdam casibus.

3.) *Ex 1. Cor. III, 21. Omnia vestra sunt.*

§. LXXXIX. III.) *Ex adpellatione ministrorum.* Cujuscunque ministri sunt & dicuntur pastores, illi quoque competit jus & potestas vocandi pastores. Sed sunt & dicuntur ministri ecclesiæ. Ergo ecclesiæ competit jus & potestas vocandi pastores. *Adsumtio* confirmatur ex 1. Cor. III, 21. *Omnia vestra sunt*, v. 22. *sive Paulus, sive Cephas, omnia vestra sunt.* 2. Cor. I. 24. *Non dominamur fidei vestrae.* 1. Pet. V. 2. *Pascite eum; qui in vobis est, gregem*, v. 3. *non dominantes cleris.* Excipit Bellarminus, *episcopos esse ministros ecclesiae, quia pro ea laborant, non illi obediendo, sed eam regendo eique praesidendo. Duplex enim est genus ministrorum, cum alii serviant obediendo, ut mancipia, alii imperando, ut paedagogi & omnis magistratus. Porro episcopos servire populis regendo & imperando patet ex.* Act. XX. & Heb. XIII. Resp. 1.) Non sunt sibi invicem opponenda legitima ministri per suffragia auditorum vocatio, & debita erga ministrum legitime vocatum reverentia & obedientia. Populus omnino debet obedire ministris legitime vocatis; ex eo autem non debet inferri, quod suffragia populi a legitima ministrorum vocatione debeant excludi. 2.) Quidquid ministri legitime vocati & suo recte fungentes officio agunt, non suo sed Dei & ecclesiæ nomine agunt. Deus est Dominus messis & Paterfamilias, ecclesia est decus, domus & materfamilias, ministri sunt Oeconomi. 3.) Nequaquam igitur dominatum quemdam politicum in auditores sibi arrogare, nec authenticam pro libitu agendi & imperandi potestatem sibi vindicare debent, sed audiant illud Christi; Luc. XXII. 26. *Vos autem non sic;* audiant illud Petri 1. epist. V. 3. μηδὲ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων. 4.) Ne quidem per magistratus electionem certis conditionibus ac pactis conventis limitatum liberæ reipublicæ adimitur potestas ab officio eum removendi, quem eligit; quanto minus per ministerii ecclesiastici constitutionem ecclesiæ ademta judicanda est potestas ab officio ministros in doctrina vel vita perversos removendi, ubi tamen denuo monemus, nihil temere vel confuse hac in parte agendum. 5.) Repetimus, quod dictum fuit superius, magistratus quidem dici διακόνους θεοῦ, Rom. XIII. 4. nuspiam vero ministros subditorum, ideo διακονία magistratus respectu Dei non excludit δεσποτικὴν κυριότητα respectu subditorum. Sed pastores non solum Dei, sed etiam ecclesiæ ministri dicuntur: 2. Cor. IV. 5. *Non praedicamus nos ipsos, sed Jesum Christum Dominum, nos autem servos vestros per Jesum.* Col. I. 25. *Cujus* (ecclesiæ) *factus ego sum minister.* 1. Cor. III. 21. *Omnia vestra sunt.* Ergo διακονία pastorum excludit δεσποτικὴν κυριότητα. Τὴν ἀρχὴν, dominatum & magisterium

rium Christus sibi retinuit; Joh. XIII 13. Matth. XXIII. 8. 1. Cor. VIII. 6. sed διακονίαν & οἰκονομίαν ministris ecclesiæ commendavit, unde etiam ἡγεμονία illa, quæ tribuitur pastoribus Hebr. XIII. 17. sic exponitur Luc. XXII. 26. quod non in ἀρχῇ quadam politica, sed in διακονίᾳ ecclesiastica consistat, quod ministri sese duces præstare debeant populo in doctrina, conversatione sancta & disciplina.

4.) *Ex 1. Tim. III. 7. Oportet habere bonum testimonium.*

§. XC. IV.) *Ex utilitate auditorum.* Quod omnes tangit, omnium consensu & suffragiis peragi debet. Sed ministros idoneos & orthodoxos constitui, tangit omnes ecclesiæ ordines. Ergo etiam omnium consensu & suffragiis peragi debet. Eo procul dubio respicit apostolus, quando requirit, ut *episcopus* eligendus habeat *bonum testimonium ab extraneis;* 1. Tim. III. 7. atqui si ab extraneis debet habere bonum testimonium, quanto magis ab ecclesia, cui præficiendus est. V.) Hisce addimus: Jus universi cœtus ad unum aliquem ordinem exclusis reliquis deferri, justitiæ ratio non patitur. Atqui jus vocandi ministros pertinet ad universam ecclesiam, ut ex præcedentibus constat. Ergo ad unum ordinem, reliquis exclusis, illud transferri justitiæ ratio non patitur. Et VI.) Quidquid alit mutuam concordiam inter auditores & pastores summe necessariam, atque amovet dissidia ex neglectu illius metuenda, illud merito sancte observatur. Sed ministros vocari cum consensu & suffragiis ecclesiæ, cui præficiuntur, alit mutuam concordiam inter auditores ac pastores summe necessariam, amovet etiam dissidia ex neglectu hujus ordinis metuenda. Ergo ministros cum consensu ecclesiæ vocari merito sancte observatur.

2.) *ex praxi apostolica* 1.) *Act. I. 23. electio Matthiæ.*

§. XCI. *Alteram* argumentorum classem petimus ex praxi apostolica, ubi sic concludimus: Quam vocandi ministros rationem observarunt apostoli, ea merito adhuc in ecclesia observatur. Sed apostoli eo modo vocarunt ministros, ut accederet etiam ecclesiæ consensus. Ergo eam vocandi rationem merito adhuc observamus. Circa *majorem* propositionem notandum, quod agat de ecclesia jam plantata & constituta, itemque quod ea magistratus, qui tempore apostolorum nondum erat ecclesiæ membrum, hac in re juri neutiquam opponi debeat. *Minor* probatur aliquot exemplis: 1.) Act. I. 23. in electione Matthiæ Petrus quidem negotium proponit, interim nec ipse solus, nec apostoli soli, sed tota ecclesia duos statuit, sortem projicit, & eum, cujus vocatio divinitus confirmabatur, communibus suffragiis in numerum apostolorum cooptat. Ἔστησαν δύο, inquit Lucas, videlicet ἄνδρες ἀδελφοὶ, quorum numerus excurrebat ad centum & viginti, una cum apostolis, ut colligitur ex v. 15. καὶ προσευξάμενοι ἔδωκαν κλήρους, ubi non apostolorum duntaxat, sed totius ecclesiæ preces intelliguntur, καὶ συγκατεψηφίσθη Ματθίας μετὰ τῶν ἑνδεκα ἀποστόλων, additus est calculis vel suffragiis ecclesiæ numero apostolorum. Excipit Bellarminus 1.) juxta Chrysostomum, *factum id esse ex concessione Petri, non ex necessitate.* Resp. si Petrus tunc concessit, cur papa, qui Petri successor audire cupit, hodie idem non concedit? Sed negamus specialem quamdam concessionem hic describi. Considerandus enim est apostolicæ concionis scopus & ejusdem consequens. Scopus est, alium quemdam in locum proditoris Judæ ex discipulis esse eligendum, quam rem ad totum fidelium cœtum refert, ut communibus suffragiis tales personæ sistantur, quæ cum Christo in terris agente ac docente individuam habuerint societatem; consequens est, quod tales communi ecclesiæ suffragio electos coram Deo statuunt, ac precibus communibus præmissis sortes eorum projiciunt, postea electum per sortem communibus calculis apostolorum collegio adnumerant. Nulla hic peculiaris cujusdam concessionis vel papalis indulgentiæ fit mentio, sed Petrus ecclesiæ hoc concedit, quia jure illud ei deberi novit; proponitur igitur exemplum apostolicum ἀξιομιμητὸν in ministrorum vocatione merito observan-

servandum. Chrysostomus nullam facit concessionis cujusdam mentionem, sed monet, Petrum nihil hac in re agere voluisse suo arbitrio vel cum imperio. Sic enim scribit hom. III. ὅρα τὸν αὐτὸν (Πέτρον) μετὰ κοινῆς πάντα ποιοῦντα γνώμης, οὐδὲν αὐθεντικῶς οὐδὲ ἀρχικῶς. Et postea addit, Petrum ideo negotium illud cum reliquis communicare, ἵνα μὴ περιμάχητον τὸ πρᾶγμα γένηται, jam vero idem periculum in aliis etiam vocationibus metuendum. Concludit tandem: *Multitudini permittit judicium, simul eos, qui eligebantur, reddens reverendos, & se ipsum liberans invidia simultateque, quae poterat a ceteris oboriri.* Nullam audis concessionem, sed causas facti gravissimas. 2.) *Illam non tam fuisse electionem quam postulationem quamdam, qua cupiverunt a Deo aliquem eligi in locum Judae.* Resp. prius elegerunt duos, postea demum per preces postularunt, ex duobus illis unum a Deo eligi, hoc est, electionem alterutrius per sortem manifestari & comprobari. Ergo posi[illegible]io non opponenda est antegressae electioni, nec excludit electionem. Interim fatemur, in vocatione hac immediata per sortem, & inter reliquas mediatas vocationes esse aliquam differentiam, quia in hac immediata Matthiae vocatione non debebat una persona determinate eligi; sed divino judicio alterutrius electio commendari: verum in vocatione mediata ecclesiae competit determinata unius personae electio & vocatio. 3.) *Ab exemplo uno non deduci posse, quod aliquid sit de jure divino, cum praesto sint exemplo contraria, fuisse aliquando sine populi suffragiis electos episcopos.* Resp. de illis exemplis contrariis dispiciemus postea, hoc loco monemus, nos haudquaquam ab uno particulari exemplo, certis circumstantiis limitato, sed ab universali apostolicae ecclesiae praxi argumentari; conjungimus enim cum hoc exemplo vocationis Matthiae exempla etiam reliqua in actis & epistolis apostolicis descripta. Procedimus igitur non ab uno particulari exemplo ad regulam generalem, sed a sufficienti enumeratione omnium exemplorum in scripturis adnotatorum, & notanter addimus, non posse dissimile exemplum dari, ubi scilicet apostoli absque ecclesiae suffragio in ecclesia jam constituta ministros vocaverint. Ex hac tota praxi apostolica demonstrata per exempla omnia in scripturis adnotata recte infertur, quod vocatio ministrorum non debeat fieri absque ecclesiae suffragio, quia perpetua illa apostolorum praxis suppeditat generalem regulam in similibus negotiis merito observandam. 4.) Excipiunt alii, *vocationem Matthiae fuisse extraordinariam, ideo non posse ex hoc exemplo probari, quod suffragium & consensus ecclesiae in mediata vocatione accedere debeat.* Resp. concedimus antecedens, sed negamus legitime ex eo inferri consequens, quin potius contrario modo procedimus: Si a Matthiae vocatione, quae tamen fuit extraordinaria & divinitus per sortem comprobata, non fuit excluſum ecclesiae suffragium, multo minus ab ordinaria ac mediata ministrorum vocatione illud excludi poterit. Connexionem firmant exempla reliqua, quae mox enumerabimus.

§. XCII. II.) Act. VI. 3. cum diaconi eligendi essent, Petrus dicit ad totam discipulorum multitudinem: *Dispicite, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus.* v. 5. *Et placuit sermo eorum toti multitudini, & elegerunt,* ἐξελέξαντο, *Stephanum & Philippum &c.* v. 6. *Hos statuerunt ante conspectum apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Ubi observa, a.) Petrum & apostolos negotium de diaconis constituendis deferre ad totam ecclesiam; b.) ecclesiam adprobare hoc consilium apostolorum; c.) electionem diaconorum non fieri a solis apostolis, sed a tota ecclesia; d.) non apostolos solos, sed etiam seniores nomine ecclesiae reliquae manus illis imponere, quod postremum membrum probabiliter colligimus ex 1. Tim. IV. 14. *Noli negligere gratiam per impositionem manuum presbyterii tibi datam;* ubi presbyterii nomine intelliguntur non solum illi, qui in verbo laborant, sed etiam seniores, ecclesiae

2.) *Act. VI. 3. electio Diaconorum.*

cleſiæ reliquæ vicem gerentes. Idem igitur in diaconorum electione obſervatum fuiſſe, veriſimile eſt. Sed ſi vel maxime concedatur, ſolos apoſtolos manus impoſuiſſe diaconis; nihil tamen ex eo decedit noſtro argumento, quia per hanc manuum impoſitionem ſimul etiam teſtificati ſunt, ſe hanc diaconorum electionem per ſuffragia eccleſiæ factam habere ratam. Excipit Bellarminus, 1.) *ab hoc exemplo non probari, id eſſe de jure divino.* Reſp. conjungimus cum hoc exemplo etiam reliqua. Præterea exemplum illud aut juri divino congruit, aut eidem adverſatur; ἀδιάφορον eſſe, ac proinde tertium hic dari dici non poteſt, ſi enim jure divino miniſtrorum vocatio ad ſolos apoſtolos ex hypotheſi Bellarminiana pertinuiſſet, non debebant in ſocietatem & communicationem hujus juris admittere eccleſiam reliquam. Sed non poteſt de hoc apoſtolorum facto dici, quod adverſetur juri divino. Ergo congruit cum jure divino, & per conſequens ab hoc exemplo ad jus divinum legitime proceditur. 2.) *Id eſſe tributum populo ex conceſſione apoſtolorum.* Reſp. non conceſſio aliqua peculiaris hic deſcribitur, ſed præceptum apoſtolicum: *Diſpicite ex vobis* (inquiunt) *viros bono teſtimonio ornatos.* Si fuiſſet quædam conceſſio, præceſſiſſet reliquorum fidelium petitio, cui apoſtoli propter certas & peculiares cauſas locum dediſſent. Sed tale quid in verbis Lucæ non occurrit. Conjungimus autem cum hoc exemplo regulam apoſtolicam: 1. Tim. III. 7. *Oportet epiſcopum habere bonum teſtimonium ab illis, qui foris ſunt.* Idem de diaconis hiſce dicimus, quod oportuerit ipſos habere bonum teſtimonium ab eccleſia; ergo non ex conceſſione ſed ex neceſſitate conſenſus & judicium eccleſiæ fuit poſtulatum, nimirum ut conſtaret de teſtimonio ipſius circa perſonas ad diaconatum eligendas. Præterea illa conceſſio apoſtolorum aut fuit juri divino congrua, aut contraria. Poſterius dici nequit; alias enim non fuiſſet ab apoſtolis facta. Si prius; ergo adhuc hodie debet locum habere. Si enim hoc exemplum apoſtolicum eſt divinum & Deo placens, tuto illud ſequimur. Si conceſſerunt id apoſtoli, cur non concedit idem pontifex? Denique ſi fuiſſet quædam conceſſio, a ſolo Petro fuiſſet profecta, is enim juxta hypotheſin pontificiorum erat ſummus pontifex, penes quem ſolum erat poteſtas diſpenſandi, concedendi, ſtatuendi &c. quam ſucceſſores ejus ſibi in ſolidum adhuc vindicant. Jam vero non ſolus Petrus, ſed etiam reliqui apoſtoli eccleſiæ ſuffragium hoc loco requirunt. Ergo non deſcribitur papalis quædam conceſſio a ſolo Petro profecta. 3.) *Locum hunc non eſſe ad propoſitum, cum non agat de electione paſtorum, ſed diaconorum, qui menſis præficiendi erant.* Reſp. demus ex hypotheſi, diaconos menſis duntaxat fuiſſe præfectos, nihil interim decedit noſtræ ſententiæ. Si enim in diaconis eligendis, quorum officium circa victus diſtributionem & corporis ſuſtentationem præcipue occupatum erat, populi ſuffragium non fuit excluſum, quanto minus a vocatione paſtorum, ad quos animarum cura pertinet, excludi illud debet. Et confirmatur argumentum ex eo, quod in presbyteris conſtituendis, Act. XIV. 23. idem proceſſus ab apoſtolis fuerit obſervatus. Sed falſum eſt, diaconos menſis duntaxat præfectos fuiſſe; oſtendimus enim ſuperius ex Stephani & Philippi exemplo, ipſos etiam docendi officio fuiſſe functos.

§. XCIII. III.) Act. XIV. 23. Apoſtoli χειροτονήσαντες *per ſuffragia populi conſtituerunt per ſingulas eccleſias presbyteros.* Excipit Bellarminus χειροτονεῖν *tria ſignificare:* 1.) *eligere per ſuffragia*, 2.) *eligere, quocunque id fiat modo*, 3.) *ordinare per manuum impoſitionem. Si ſecundo & tertio modo hic accipiatur, argumentum eſſe ſolutum. Si primo, tunc notandum, quod ſignificet eligere non per ſuffragia ab aliis data, ſed ſuffragio proprio. De iisdem enim dicitur, quod* χειροτονήσαντες *conſtituerint presbyteros, de quibus poſtea additur, quod commendaverint illos Deo, in quem credideranr, quae ſine controverſia ad apoſtolos tantum referuntur.* Reſp. χειροτονεῖν, ut ratio etymologiæ docet, proprie ſignificat *per ſuffra-*

3.) *Act. XIV. 23. Presbyterorum vocatio.*

*suffragia eligere*, est enim quasi χεῖρας τείνειν vel ἀνατείνειν, *manus tendere*, seu *adtollere* in signum suffragii. Unde etiam LXX. interpretes Esaj. LVIII. 9. ponunt χειροτονεῖν pro שָׁלַח אֶצְבַּע digitum mittere vel manum extendere, & constat ex orat. Cic. pro Flacco, signum suffragii apud Græcos fuisse manuum elevationem. Quamvis igitur Chrysostomus homil. XIV. in Act. & alii scriptores ecclesiastici χειροτονία voce utantur pro *ordinatione*, quæ fit per manuum impositionem; ex eo tamen propriæ illius significationi nihil decedit; aliud enim est χειροτονία proprie sic dicta, aliud χειροθεσία, pro qua sensu ecclesiastico quandoque χειροτονία ponitur, propterea quod χειροθεσία ministerii præsupponat χειροτονίαν populi. Neque per τὸ χειροτονεῖν hoc loco intelligi manuum impositionem sive ordinationem, patet ex ipsis verbis Lucæ, sequitur enim καὶ προσευξάμενοι *cum jejuniis commendarunt eos Deo*, ubi in verbo προσευξάμενοι χειροθεσίας demum fit mentio, ut colligitur ex locis similibus. Act. VI. 6. *Orantes imposuerunt eis manus.* VIII. 17. *Orabant & imponebant illis manus.* XIII. 3. *Jejunantes & orantes, imponentesque illis manus, dimiserunt eos.* Ergo præcedens χειροτονεῖν electionem per suffragia exprimit, quam impositione manuum cum precibus & jejuniis facta apostoli confirmarunt. Syrus & Arabs. *Constituerunt ac fecerunt illis seniores.* Oecumenius in hoc loco μετὰ νηστειῶν καὶ εὐχῶν ἐποίων οἱ μαθηταὶ χειροτονίας, *cum jejuniis & precibus fecerunt discipuli manuum extensiones*, hoc est, dederunt suffragia. Cajetanus in comm. *Cum constituissent, hoc est, delegissent presbyteros.* Frustra autem Bellarminus colligit, non populi, sed apostolorum duntaxat suffragia hic intelligenda esse, ex eo, quod apud profanos scriptores χειροτονεῖν significet proprio suffragio eligere. Χειροτονεῖν enim generale est significans eligere per suffragia sive proprium sive aliorum. Sic apud Aristophanem: τὴν ἀρχὴν κεχειροτόνημαι, magistratum aliorum, populi scilicet suffragio adeptus sum, creatus sum magistratus. Plato de legibus: οἷς ἂν πλείστη χειροτονία γίγνηται, qui majori suffragiorum numero sunt delecti. Nec posse vel debere populi suffragia hic exclusa intelligi, constat non solum ex textus circumstantiis; quæ enim hæc fuisset χειροτονία, electio per suffragia, si hi duo duntaxat Paulus & Barnabas proprio arbitrio sine ecclesiæ suffragio presbyteros constituissent? & ex vocabuli proprietate: sed etiam ex superioribus exemplis & ex aliis scripturæ locis. Act. XV. 22. *Placuit apostolis & senioribus cum omni ecclesia, electos ex se viros mittere Antiochiam.* 1. Cor. XVI. 3. *Cum praesens fuero, quoscunque probaveritis per epistolas, hos mittam.* 2. Cor. VIII. 19. *Lucas est χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, electus per suffragia ecclesiarum, comes noster*, ubi τὸ χειροτονεῖν ecclesiis tribuitur. 1. Tim. III. 7. *Oportet episcopum habere bonum testimonium*; ad quæ omnia Bellarminus nihil respondet, sed sicco pede ea transilit. Nos autem ex illis talia ducimus argumenta. 1.) Si in eligendis illis, qui mandata extraordinaria ad ecclesias perferrent, suffragium ecclesiæ fuit adhibitum; quanto magis in eligendis illis, qui ordinario docendi munere fungi debent, suffragium ecclesiæ adhiberi debet. Sed prius factum ab apostolis: Act. XV. 22. *Placuit apostolis & senioribus σὺν ὅλῃ τῇ ἐκκλησίᾳ ἐκλεξαμένους ἄνδρας ἐξ αὐτῶν πέμψαι.* v. 25. *Placuit nobis* (inquiunt) *collectis in unum eligere viros, & mittere ad vos*, v. 27. *misimus igitur Judam & Silam, &c.* Ergo etiam posterius fieri debet. 2) Si ad διακονίαν in collectis ad fratres egenos perferendis occupatam χειροτονία & suffragium ecclesiæ fuit adhibitum; multo magis ad διακονίαν in ministerio verbi & publico docendi munere occupatam, χειροτονία & suffragium ecclesiæ adhiberi debet. Sed illud factum ab apostolis, 1. Cor. XVI. 3 2. Cor. VIII. 19. Ergo & hoc a nobis fieri debet. 3.) Si in episcopo requiritur bonum testimonium ab extraneis; multo magis in ipso eligendo requiritur bonum testimonium ab ecclesia, cui præficiendus est. Sed prius in episcopo requirit apostolus. 1. Tim. III. 7. Ergo & posterius non debet prætermitti. Agnoscit vim ac nervum horum argumento-

mentorum, præsertim vero perspicuitatem loci 2. Cor. VIII. 19. ubi χειροτονία diserte ecclesiis tribuitur, Alph. Salmeronius, unde tract. XLI. in comm. Act. XIV. pag. 270. sic scribit: *Graeca vox χειροτονήσαντες invenitur hoc loco tantum & 2. Cor. VIII. ubi verbum χειροτονηθεὶς legitur in fonte graeco, hoc est, per majorem partem suffragiorum electus. Quemadmodum igitur apostoli diaconorum septem electionem & nominationem fidelibus obtulerunt, quos ipsi orationibus & impositione manuum ad diaconatum promoverunt; ita hic Paulus & Barnabas dederunt credentibus facultatem, ut nominarent ac eligerent in sua quaque civitate episcopum, quem ipsi postea orationibus & jejuniis & manuum impositione consecrabant.* Hæc Salmeronius nostram sententiam adprobans, Bellarmino vero directe contradicens, unde etiam χειροθεσίαν καὶ κατάστασιν ministerio debitam a χειροτονία populo competente distinguit. Lorinus etiam in comm. hujus loci agnoscit, *electionem populo in hac ministrorum constitutione fuisse conjunctam*, modo obtineat ordinationem ab apostolis illis ab ecclesia electis collatam fuisse, quod nos minime negamus.

3.) *ex praxi ecclesiae primitivae* 1.) *ex conciliis.*

§. XCIV. *Tertiam* argumentorum classem petimus ex praxi primitivæ ecclesiæ, ad quam pertinent, 1.) conciliorum decreta, 2.) patrum dicta, 3.) probata legitimæ vocationis exempla. I.) In canonibus apostolorum, quos quidam ex pontificiis pro genuinis agnoscunt, can. XXXVI. statuitur, *quod episcopus non debeat ordinationes facere in civitatibus & villis, quae illi nullo jure subjectae sunt praeter eorum conscientiam, qui civitates & villas detinent.* Concilium Nicænum talem sanctionem constituit, ut est in epistola synodica apud Theodoretum lib. I. histor. eccles. cap. 9. circa finem: *Si quis forte ecclesiae praesul obdormierit, jus esto paulo ante receptis succedere in locum demortui, si modo & mereri videbuntur & populus elegerit. Sic tamen ut suffragium & quasi consignatio accedat episcopi catholicae Alexandrinae ecclesiae.* Excipit Bellarminus, *ex hoc testimonio nihil aliud colligi posse, nisi jam tum coepisse consuetudinem, ut populus electioni admisceretur, quod non negetur a pontificiis.* Resp. imo vero non consuetudo quædam recitatur, sed decretum concilii proponitur, nec illo demum tempore consuetudo ista initium capiebat, sed conformis erat perpetuæ apostolicæ & primitivæ ecclesiæ praxi, ut ex ante dictis constare potest. In concilio Carthaginensi III. can. LXXII. decretum est, *ne ullus clericus ordinetur, nisi probatus fuerit vel episcoporum examine, vel populari testimonio.* Citatur hic canon c. Nullus dist. 24. In concilio Carthaginensi IV. can. XXII. similiter decretum, *ne episcopus sine civium adsensu & testimonio clericos ordinet.* Citatur hic canon c. episcop. dist. eadem his omnino verbis: *Episcopus sine concilio clericorum suorum clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam & testimonium quaerat.* In concilio Nanatensi, referente Ivone Carnutensi lib. III. de consecrat. episcop. & Gratiano in decretis c. Quando dist. 24. constitutum, *quod ante ordinationem episcopus a latere suo debet eligere sacerdotes & alios prudentes viros gnaros divinae legis, exercitatos in ecclesiasticis functionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, aetatem, institutionem, locum, ubi educati sunt, diligenter investigent &c. alias autem, sine clericorum videlicet concilio & populi testimonio, nullum episcopus ordinare praesumat.* In concilio Toletano XII. can. VI. qui citatur c. cum longe dist. 63. sic statuitur: *Placuit omnibus pontificibus Hispaniae atque Galliae, ut salvo privilegio uniuscujusque provinciae licitum maneat, deinceps Toletano pontifici quoscunque regalis potestas elegerit, & jam dicti Toletani episcopi judicium dignos esse probaverit, in quibuslibet provinciis & in praecedentium sedibus praefectre praesules & decedentibus episcopis eligere successores &c.* In concilio Sardicensi statutum, ut habetur c. Si forte dist. 65. *Si unum tamen in provincia contigerit remanere episcopum, quod superstes episcopus convocare debeat episcopos vicinae pro-*

*provinciae, & cum eis ordinare comprovinciales sibi episcopos. Quod si facere id negligat, populos debere convenire episcopos vicinae provinciae, & petere sibi rectorem &c.*

*& pontificum decretis.*

§. XCV. *Ad conciliorum decreta* referri possunt *rescripta pontificum Romanorum*, quae a pontificiis majorem vel certe parem decretis conciliorum habere creduntur autoritatem. Nicolaus papa in decretis c. in nomine dist. 23. *Reliquus clerus & populus Romanus ad consensum novae electionis pontificis a cardinalibus factae accedant.* Ibidem citatur sententia Leonis: *Nulla ratio finit, ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sint electi, nec a plebibus expetiti, nec a comprovincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati.* Eadem repetitur c. Nulla, dist. 62. Gregorius lib. IV. epist. XV. ad Joh. episcop. primae Justinianae & citatur c. Quia. dist. 63. *Quia susceptа fratrum atque coepiscoporum relatio ad locum vos sacerdotii totius concilii unito consensu & serenissimi principis voluntate declarat adcersiri, gratias salvatori nostro magna cum exsultatione retulimus, nos quoque in persona fraternitatis tuae per omnia consentimus.* Idem lib. II. epist. XXX. ad Johan. subdiaconum, & citatur c. Quanto. dist. ead. *Quia multi Mediolanensium Genuae coacti barbarica feritate consistunt, eorum te voluntates oportet convocatis clericis in commune perscrutari, & si nulla eos diversitas ab electionis unitate disterminat, siquidem in praedicto filio nostro Constantino* (quem clerus Mediolanensis unanimiter elegerat) *omnium voluntates atque consensum perdurare cognoscis, tunc eum a propriis episcopis cum nostrae autoritatis adsensu facias consecrari.* Gelasius papa ad Philippum & Geruntinum episcopos, & citatur c. Plebs Dioterensis dist. eadem: *Plebs Dioterensis data nobis petitione deflevit diu, se sine rectoris proprii gubernatione dispergi, ac sicut adseritur, is qui jam a vobis probatus dicitur, a paucis & tenuibus putatur electus, cum ad vos pertineat universos adfidua admonitione compellere, ut omnes in unum, quem dignum sacerdotio viderint, & sine aliqua reprehensione consentiant. Et ideo, fratres carissimi, diversos ex omnibus saepe dicti loci paroeciis & presbyteros & diaconos & universam turbam vos oportet saepius convocare, quatenus non prout cuilibet libuerit, sed concordantibus animis talem vobis admonentibus sibi quaerant sola divinitatis adtentione personam, quam nulla contrarietas a constitutis possit revocare rescriptis.* Stephanus ad Romanum archiepiscopum Ravennatensem, & citatur c. Nosse. dist. eadem: *Convocato clero & populo talis ibi eligatur episcopus, cui sacri non obvient canones. Sacerdotum quippe est electio, & fidelis populi consensus adhibendus est, quia docendus est populus, non sequendus.* Nicolaus papa ad Johannem Ravennatens. archiepisc. & citatur c. Episcopos dist. eadem: *Episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem vel consensum cleri & populi.* Pelagius papa ad Julianum episcopum Grumentinum & citatur c. Literas dist. eadem: *Literas caritatis tuae suscepimus, quibus significas, Latinum diaconum suum ad episcopatum ecclesiae Marcellianensis a clero & omnibus, qui illic conveniunt, postulari. Hoc itaque dicimus, ut, si omnes eum eligunt, & vis eum concedere, gratum nobis esse cognosce.* Leo IV. ad Lotharium & Ludovicum Augustos, & citatur c. Reatina dist. eadem: *Reatina ecclesia, quae per tot temporum spatia pastoralibus curis destituta constitit, dignum est, ut brachio amplitudinis vestrae sublevetur ac gubernationis regimine protegatur. Unde salutationis adloquio praemisso vestram mansuetudinem deprecamur, quatenus Colono humili diacono eamdem ecclesiam ad regendum concedere dignemini, ut vestra licentia accepta ibidem Deo adjuvante eum consecrare valeamus episcopum. Sin autem in praedicta ecclesia nolueritis, ut praeficiatur episcopus, Tusculanam ecclesiam, quae viduata existit, illi vestra serenitas dignetur concedere, &c.* Stephanus ad Guidonem comitem, & citatur c. Lectis dist. eadem: *Lectis sagacitatis vestrae apicibus, qui defuncto ecclesiae Reatinae antistite clerum & plebem ejusdem elegisse sibi*

*sibi futurum antistitem, & a nobis consecrandum vestro studio directum esse, ne ipsa ecclesia diu sine pastore proprio consisteret, fatebantur: nos de obitu prioris dolentes, nunc ipsum electum unanimitate & canonica ipsius ecclesiae electione, ut mandastis, tam citissime ordinare omisimus, eo quod imperialem nobis (ut mos est) absolutionis minime detulerit epistolam, pro qua scilicet re ambiguum est nobis, ideo voluntati vestrae in hoc parere distulimus, ne augustalis animus durissime hoc quocunque modo percipere t. Sed scientes ecclesiam Dei sine proprio diu pastore non debere consistere, gloriae vestrae mandamus, ut a vestra solertia imperiali (ut prisca consuetudo dictat) percepta licentia & nobis, quemadmodum vos scire credimus, imperatoria directa epistola, tunc voluntati vestrae de hoc parebimus, eumdemque electum Domino adjuvante consecrabimus.* Leo papa lib. I. epist. LXXXII. ad Anastasium episcopum, & citatur c. *Metropolitano* dist. eadem: *Metropolitano defuncto, cum in loco ejus alius fuerit subrogandus, provinciales episcopi ad civitatem metropolim convenire debent, ut omnium clericorum atque civium voluntate discussa ex presbyteris ejusdem ecclesiae vel diaconis optimus ordinetur.* Jvo Carnutensis lib. VIII. de elect. pontif. refert, & citatur c. Hadrian. dist. eadem: *quod Hadrianus papa cum universa synodo Romana tradiderit Carolo imperatori jus & potestatem eligendi pontificem, & ordinandi apostolicam sedem, insuper archiepiscopos & episcopos per singulas provincias investituram ab eo accipere definiverunt, ut nisi a rege laudetur & investiatur episcopus, a nemine consecretur, & quicunque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit.* Eadem omnino ratione Leo pontifex illud jus confirmavit Ottoni, ut refertur ab Jvone Carnutensi lib. eod & citatur c. In synodo dist. eadem: *Ego Leo, servus servorum Dei, episcopus cum toto clero ac Romano populo constituimus & confirmamus & corroboramus & per nostram apostolicam autoritatem concedimus atque largimur domino Ottoni primo regi Teutonicorum, ejusque successoribus hujus regni Italiae in perpetuum facultatem eligendi successorem atque summae sedis apostolicae pontificem ordinandi, ac per hoc archiepiscopos & episcopos, ut ipsi ab eo investituram accipiant &c. & ut nemo deinceps cujuscunque dignitatis vel religionis eligendi pontificem aut quemcunque episcopum ordinandi habeat facultatem absque imperatoris consensu. Quod si a clero & populo quis eligatur episcopus, nisi a supradicto rege laudetur & investiatur, non consecretur. Si quis contra hanc apostolicam autoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi subjacere decernimus, & nisi resipuerit, irrevocabili exsilio puniri vel ultimis suppliciis adfici.* Ubi notandum, quod recte monetur ab Arnoldo Engelbrecht, jurisconsulto eximio, amico nostro singulari, in disput. de jurisdict. concl. LXXXIV. *potestatem illam ab Adriano & Leone Romanis imperatoribus circa electionem pontificis datam privilegii nomine perperam indigitari, cum declaratio tantum fuerit & recognitio juris veteris, non novi juris concessio.* Cœlestinus pontifex p. I. epist. II. cap. 5. & citatur c. Cleri dist. eadem: *Cleri plebisque consensus & desiderium requiratur.* Leo p. I. epist. LXXXVII. & citatur c. Vota. dist. eadem: *Vota civium, testimonia populorum, honoratorum* (eorum qui in magistratu sunt) *arbitrium, electio clericorum in ordinationibus sacerdotum constituantur.* Et infra: *Per pacem & quietem sacerdotes qui futuri sunt, postulentur, teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis.* Addit Gratianus: *Principibus vero atque imperatoribus electiones Romanorum pontificum atque aliorum episcoporum referendas usus & constitutio tradidit pro schismaticorum atque haereticorum dissensionibus, quibus nonnunquam ecclesia Dei concussa periclitabatur &c. Repraesentabatur igitur electio clericorum principibus, ut eorum autoritate roborata nullus haereticorum vel schismaticorum auderet contraire, & ut ipsi principes tanquam devotissimi filii consentirent in eum, quem sibi in patrem eligi viderent, ut ei in omnibus suffragatores existerent.* Stephanus, ut citatur c. Quia sancta. dist. eadem statuit,

statuit, *ut cum instituendus est pontifex, convenientibus episcopis & universo clero eligatur praesente senatu & populo, qui ordinandus est & sic ab omnibus electus, praesentibus legatis imperialibus consecretur.* Leo p. I. epist. LXXXII. ad Anastasium episc. Thessal. & citatur c. Si forte dist. eadem: *Si vota eligentium in duas se diviserint partes, is metropolitani judicio praeferatur, qui majoribus juvatur studiis & meritis, ita tamen ut nullus detur invitis & non petentibus, ne plebs invitum episcopum non optatum contemnat aut odiat.* Idem ibidem & citatur c. De persona dist. 65. *de persona consecrandi episcopi & de cleri plebisque consensu metropolitanus episcopus ad fraternitatem referat.* Anacletus in epist. II. ad episcopos Italiæ & citatur c. Reliqui dist. 67. *Sacerdotes a proprio ordinentur episcopo, ita ut cives & alii sacerdotes adsensum praebeant.* Ex hisce tot conciliorum decretis ac tot pontificum rescriptis manifestum est, ad vocationem ministrorum requisita fuisse ac requiri omnino etiam debere populi votum, suffragium, testimonium, adprobationem, voluntatem & consensum, quin etiam postulationem, petitionem & electionem pro ratione circumstantiarum ipsi quandoque fuisse datam, magistratui itidem electionem, concessionem, arbitrium, confirmationem & investituram. Adduntur etiam gravissimæ rationes, ne plebs invitum episcopum contemnat, neve dissensiones in ecclesia excitentur &c. Item populus est pars ecclesiæ, quæ de qualitatibus eligendorum, eorumque vita ac moribus testimonium dare potest. Excipit Bellarminus, 1.) *ex nullo horum testimoniorum colligi posse, esse de jure divino, ut populus eligat.* Resp. jus divinum & praxin apostolicam ostendimus superius, hoc loco sufficit nobis, idem per concilia & pontifices statutum esse, quæ statuta juri divino ex hypothesi Bellarmini æquiparantur. 2.) *In his omnibus uno vel altero exceptis nullam fieri mentionem electionis, sed solum postulationis vel testimonii.* Resp. non testimonii solum & postulationis, sed etiam consensus, adprobationis & electionis disertam faciunt mentionem: adde quod populo non solum electio, sed etiam postulatio & testimonium in regno papæ circa vocationem ministrorum denegatur. 3.) *Reges & populos jus eligendi habuisse ex concessione pontificum, non ex jure divino.* Resp. imo vero populi suffragia in vocatione ministrorum requisita fuerunt, antequam episcopi Romani papalem illam præcipiendi, statuendi, dispensandi, concedendi &c. potestatem exercerent. At si concesserunt id pontifices tunc temporis, cur hodie idem non concedunt? Concessio illa aut fuit juri divino congrua, aut contraria. Si prius; adhuc vigere debet. Si posterius; gravissime errarunt pontifices, quod alibi Bellarminus fieri posse negat. Denique nullius vel concessionis vel conniventiæ papalis (ut paulo post Bellarminus eam adpellat) in illis canonibus fit mentio, sed populi consensus & suffragium, ut *necessarium* ad legitimam electionem requiritur, id quod ex ipsis verbis manifestum.

§. XCVI. II.) *Patrum dicta* & plurima & luculenta huc adferri possunt. Tertullianus in apol. cap. 39. *Praesunt probati quique seniores honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* Cyprianus lib. I. epist. IV. ad Felicem presbyterum & plebes, multus est in adstruenda nostra sententia: *Non blandiatur sibi plebs,* (inquit) *quasi immunis a contagione delicti esse possit, cum sacerdote peccatore communicans & ad injustum atque illicitum praepositi sui episcopatum consensum suum commodans &c. Propter quod plebs obsequens praeceptis dominicis & Deum metuens a peccatore praepositio separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, cum ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de divina autoritate descendere, ut sacerdos plebe praesente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur, sicut in Numeris Moysi praecipit Dominus dicens:* Prehende Aaronem fratrem tuum & Eleazarum filium ejus, & impones eos in montem coram omni synagoga, & exue

2.) *Ex Patrum dictis.*

Aaron stolam ejus, & indue Eleazarum filium ejus, & Aaron adpositus moriatur illic. *Coram omni synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit & ostendit, ordinationes sacerdotales non nisi sub populi adsistentis conscientia fieri oportere, ut plebe praesente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur, & sit ordinatio justa & legitima, quae omnium suffragio & judicio fuerit examinata, quod postea secundum divina magisteria observatur in actis apostolorum, quando de ordinando in locum Judae episcopo Petrus ad plebem loquitur. Surrexit, inquit, Petrus in medio distantium, fuit autem turba in uno. Nec hoc in episcoporum tantum & sacerdotum, sed in diaconorum ordinationibus observasse apostolos animadvertimus: de quo & ipso in actis apostolorum scriptum est. Et convocaverunt, inquit, illi duodecim totam plebem discipulorum, & dixerunt illis; quod utique idcirco tam diligenter & caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. Ordinari enim nonnunquam indignos, non secundum Dei voluntatem, sed secundum humanam praesumtionem, & haec Deo displicere, quae non veniant ex legitima & justa ordinatione. Deus ipse manifestat per Oseam prophetam dicens: Sibimet ipsi regem constituerunt & non per me. Propter quod diligenter de traditione divina & apostolorum observatione servandum & tenendum est, quod apud nos quoque & fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciae proximi quique conveniant, & episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Quid quaeso apertius & nervosius pro nostra sententia dici potuisset? Idem lib. IV. ep. II. testatur, *Cornelium papam electum fuisse a plurimis episcopis de testimonio & suffragiis totius cleri & populi.* Bellarminus tamen solis lumen pallio tegere conatus, obtendit, 1.) *Cyprianum non velle dicere, descendere ex jure divino, ut episcopus a populo eligatur, sed ab exemplis divinis, cum tribus duntaxat exemplis probet, hoc de divina autoritate descendere, jam vero exempla scripturarum non faciunt rem esse de jure divino, sed praecepta Dei sunt, quae hoc faciunt.* 2.) *Cyprianum hoc loco nihil tribuere populo circa electiones sacerdotum, nisi ut ferant testimonium de vita & moribus ordinandorum, quod etiam nunc servatur in ecclesia catholica, ut sic populus habeat potestatem eligendi & suffragandi per testimonium, non per calculum, more testis, non judicis.* Resp. 1.) Cyprianus expresse hunc morem eligendi sacerdotes *de autoritate divina* descendere dicit, item Deum non solum exemplo ostendere, sed etiam *praecepto* instruere, quod ordinationes sacerdotales non nisi *sub populi adsistentis conscientia* fieri debeant. Nec Eleazari duntaxat, sed etiam Matthiae & diaconorum electionem ex actorum apostolicorum historia adducit, ut a divina autoritate & praecepto illud descendere ostendat. Quod enim apostoli impulsu Spiritus sancti in tam arduo negotio perpetua praxi observarunt, illud merito generalis regulae locum obtinere, & ex jure divino descendere judicatur. Addit insuper Cyprianus, *de traditione divina & apostolica observatione* hunc morem descendere, ac per *universas fere provincias observari.* Negare igitur non poterit nec audebit Bellarminus, quod suffragia populi in electione pastorum adhiberi in florentissimo & fere universali ecclesiae usu tempore Cypriani fuerit positum, ac patres vetustissimos morem in nostris ecclesiis hodie receptum observasse, & quidem non privato arbitrio, sed ecclesiae israeliticae in vet. & apostolicae in nov. test. exemplo, id quod demonstrasse nobis hoc loco sufficit, exempla enim illa evidenter probant, perpetuam ecclesiae praxin divina autoritate suffultam & adprobatam, ac nullo contrario exemplo refutatam, qualis consuetudo legis instar merito habetur. Duo autem ex Bellarmino hic iubet quaerere: *Primo* cum agnoscere cogatur, Cypriani tempore morem adhibendi suffragia populi in electione sacerdotum fuisse

fuisse usitatum, & pene universalem, cur §. seq. scribat, *tempore Niceni concilii cœpisse consuetudinem, ut populus electioni admisceretur?* cum tamen Cyprianus centum annos ante Nicenum concilium hæc scripserit. *Secundo* cur praxi ecclesiæ in ipsis scripturis adprobatæ tam parum hoc loco tribuat, cum alibi plus nimio eamdem extollat? Sic enim scribit lib. I. de sacramentis in genere cap. 26. §. ex quo intelligimus: *Vetus ecclesia ex consuetudine ducentorum vel trecentorum annorum explicabat omnia testimonia*, (scripturæ) *quae Cyprianus cum suis adferebat, & merito. Nam cum certum sit, consuetudinem universae ecclesiae perpetuam non posse cum verbo Dei pugnare, & clarior fit consuetudo, quam ipsum verbum Dei, recte judicabant illi, ex consuetudine verbum Dei interpretandum esse.* Ac lib. II. de indulgent. cap. 10. §. Sed etiam. *Si nihil scriptum esset de indulgentiis, non tamen sequeretur, indulgentias non niti nisi autoritate Romanae ecclesiae, possent enim niti autoritate divina cognita per traditionem apostolorum, quo modo alia non pauca &c.* Atqui Cyprianus expresse adserit, hunc morem eligendi descendere ab autoritate divina, esse traditionem divinam & apostolicam observationem. Ergo salvis suis hypothesibus Bellarminus eum repudiare non poterit. 2.) Falsum etiam est, quod præsentiam & testimonium duntaxat Cyprianus populo tribuit, quando enim populum dehortatur, ne ad injustum & illicitum præpositi sui episcopatum consentiat: quando ipsum dicit *maxime habere potestatem vel eligendi dignos sacerdotes vel indignos recusandi*: quando tantum ei tribuit, quantum fidelibus in electione diaconorum ab apostolis fuit concessum; certe tale suffragium populo tribuitur, quo non solum præposito suo dignitatis testimonium perhibere, sed & totum electionis actum vel suo consensu adprobare vel dissensu impedire possint, quod non est nudum duntaxat testimonium, sed etiam judicium & suffragium per calculum. Origenes homil. VI. ad Levit. VIII. & citatur c. Licet 8. quæst. 1. *Licet Dominus de constituendo principe praecepisset & elegisset, tamen convocatur etiam synagoga. Requiritur ergo in ordinando sacerdote etiam populi praesentia, ut sciant omnes & certi sint, quod qui praestantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium & hoc attestante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret, hoc est autem, quod & apostolus praecipit in ordinatione sacerdotis dicens: Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt.* Ambrosius lib. X. epist. 82. Vercellensem ecclesiam hortatur, ut parentum exempla sequatur, ac sacerdotem postulet: *Conficior* (inquit statim in principio) *dolore, quia ecclesia Domini, quae est in vobis, sacerdotem adhuc non habet &c. & mihi inscribitur vestra intentio, quae adfert impedimentum. Nam cum sint in vobis dissensiones, quomodo possumus aliquid aut nos decernere aut vos eligere, aut quidquam adquiescere, ut inter dissidentes suscipiat hoc munus, quod inter convenientes vix sustineatur? Haec est illa confessoris institutio, haec justorum soboles patrum, qui sanctum Eusebium, quem nunquam ante cognoverant, posthabitis civibus simul ut viderunt & probaverunt, tantumque interfuit, ut probaretur, quantum ut videretur? Merito vir tantus evasit, quem omnis elegit ecclesia, merito creditum, quod divino esset electus judicio, quem omnes postulavissent. Convenit igitur & sequamini exemplum, praesertim cum a sancto confessore Eusebio institutos, tanto meliores patribus esse oporteat, quanto vos melior doctor instituit atque erudivit, modestiaeque vestrae & concordiae insigne edere, ut congruatis adsensu ad postulandum sacerdotem. Etenim si juxta dominicam sententiam, quod duobus convenerit de omni re, quamcunque petierint, fiet, inquit, a Patre meo, qui in cœlis est: ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum; quanto magis ubi plena est in nomine Domini congregatio, ubi universorum postulatio congruit, dubitare vos nequaquam oportet, ibi Dominum Jesum & voluntatis autorem*

*& petitionis arbitrum fore & ordinationis praesulem vel largitorem gratiae.* Chrysostomus lib. III. de sacerdot. inquit, *omnes electiones & vocationes irritas fieri, quae ἄνευ λαοῦ συνέσεως, sine conscientia & adsensu populi fiunt.* Isidorus lib. II. de officiis eccl. cap. 5. *Si in plebibus archipresbyteri obierint, aut pro aliquo reatu exinde ejecti fuerint; archidiaconus quam citius proficiscatur illuc, & cum clericis & populis ipsius plebis electionem faciat, quatenus dignus pastor Domini Dei constituatur.*

3.) *exprimitivae ecclesiae exemplis.*

§. XCVII. III.) *Exempla primitivae ecclesiae* adduci possunt longe plurima. Cyprianus lib. I. epist IV. cum late probasset, plebem maxime habere potestatem eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi, subjungit: *Hoc in collegae nostri Sabiniani ordinatione factum est, ut de universae fraternitatis suffragio, & de episcoporum, qui in praesentia convenerant, quique de eo ad ipsos literas fecerant, judicio episcopatus ei deferretur.* Nazianzenus in serm. de laudibus Athanasii refert, quod electus fuerit ψηφῷ τοῦ λαοῦ παντός, *totius populi suffragio.* De Petro successore Athanasii in episcopatu Alexandrino scribunt Theodoretus lib. IV. histor. eccles. cap. 20. & Nicephorus lib. XI. histor. eccles. cap. 20. non longe a principio: *quod in functionem Athanasii successerit, suffragio quidem primum beati illius captis, deinde etiam episcoporum provinciae ejus universorum, totiusque cleri & eorum, qui Alexandriae primos honores & magistratus gerebant, votis & calculis, plebe etiam cuncta faustis adclamationibus concilium id perquam libenter confirmante.* Idem habetur in histor. tripart. lib. VII. cap. 37. *Post Athanasium suscepit Petrus vir optimus praesulatum, quem dudum ille beatus elegerat cunctis consentientibus & sacerdotibus & nobilibus cunctaque plebe & favore suo propriam ostendentibus voluntatem.* (*) Socrates lib. IV. hist. eccles. cap. 30. de Ambrosio refert, *quod communi omnium suffragio & ipsius imperatoris voluntate & consensu in episcopum Mediolanensem in Auxentii locum electus fuerit. Mediolani* (inquit) *cum de episcopo eligendo magnopere turbatum esset, Ambrosius procurrit in ecclesiam, ut seditionem compesceret. Postquam populus ejus adventu conquieverat, ipseque populum de multis rebus utilibus hortatus temerarios multitudinis impetus compresserat, derepente uno omnium consensu & clamore episcopatu dignus existimatus est, omniumque designatus suffragiis. Episcopis qui aderant, videbatur haec consentiens populi vox divinitus sane emissa, idcirco sine mora Ambrosium comprehendunt, lavacro baptismatis, (erat enim catechumenus) tinguunt, ad episcopalis procurationem deligunt. Verum cum Ambrosius dignitatem episcopatus repudiaret, Valentinianum de re gesta faciunt certiorem, qui populi admiratus consensum opusque Dei ratus, quod factum erat, significat episcopis, ut voluntati ejus inservirent, qui jusserat, ut illum crearent episcopum, nam Deum potius quam homines ei ad hunc honoris gradum suffragatum fuisse.* Idem refert Theodoretus lib. IV. histor. eccles. cap. 6. ubi addit, *synodum Mediolanensem jussam ab imperatore, ut episcopum eligeret, ipsi dedisse optionem, ut deligeret aliquem suo suffragio sapientem & pietate ornatum, sed imperatorem recusasse.* Eradius, Augustini in episcopatu Hipponensi successor, ecclesiæ illius consensu, suffragiis, adclamationibus & subscriptionibus constitutus est episcopus. Sic enim refertur in actis exceptis a notariis in designando Eradio presbytero, qui Augustino succederet, & interim senem aliqua curarum parte sublevaret, inter Augustini epistolas epist. CX. Augustinus suis coëpiscopis, presbyteris, clero & populo magna frequentia congregatis negotium de electione successoris proposuit. *Scio,* (in-

(*) *Nos, quod christianus esses, dignum te judicavimus episcopatu urbis nostrae,* inquit Constantius ad Liberium apud Theodoretum lib. II. cap. 16. Socrates lib. V. cap. 5. memorat, *populo per trinum dinum,* id est, *tres solennes conventus ecclesiasticos nomina vocandorum ministrorum fuisse promulgata.* GERHARDVS.

(inquit) *post obitus episcoporum per ambitiosos aut contentiosos solere ecclesias perturbari, & quod saepe expertus sum & dolui, debeo, quantum ad me adtinet, ne contingat, huic prospicere civitati &c. Voluntatem igitur meam, quam credo Dei esse, in omnium vestrum notitiam perfero, presbyterum Eradium mihi successorem volo. A populo mox adclamatum est. Deo gratias, Christo laudes; dictum est vigesies terties. Exaudi Christe, Augustino vita; dictum est, sexies decies. Te patrem, te episcopum, dictum est octies. Cumque reticeretur, Augustinus episcopus dixit, non opus est me de laudibus ejus aliquid dicere, faveo sapientiae & parco verecundiae, sufficit, quia nostis eum & hoc me velle dico, quod vos velle scio & si ante nescirem, hodie probarem. Hoc ergo volo, hoc a Domino Deo nostro nunc etiam in aetate frigida votis ferventibus posco, ut hoc mecum oretis, exhortor, admoneo, rogo, ut omnium in pace Christi collatis & conflatis mentibus confirmet Deus, quod operatus est in nobis. Qui misit mihi eum, servet eum, servet incolumem, servet sine crimine, ut qui facit gaudium viventis, locum suppleat morientis. A notariis ecclesiae, sicut cernitis, excipiuntur. quae dicimus, excipiuntur, quae dicitis, & meus sermo & vestrae adclamationes interram non cadunt &c. A populo adclamatum est trigesies sexies: Deo gratias, Christo laudes, Exaudi Christe, Augustino vita, dictum est tredecies: Te patrem, te episcopum, dictum est octies. Dignus & justus est, dictum vigies; bene meritus, bene dignus, dictum est quinquies. Cumque reticeretur, Augustinus dixit, ego ut dicebam voluntatem meam & voluntatem vestram gestis ecclesiasticis, quemadmodum ad homines adtinet, confirmatam volo, quemadmodum vero ad latentem omnipotentis voluntatem, omnes, ut dixi, oremus, ut confirmet Deus, quod operatus est in nobis. A populo adclamatum est; Judicio tuo gratias agimus, dictum est sedecies; fiat, fiat, dictum est duodecies; Te patrem Eradium episcopum, dictum sexies. Denique cum actorum istorum subscriptionem Augustinus peteret, denuo adclamatum est: Fiat, fiat!* Atque haec uberius commemorare voluimus, ut intelligeretur, quale fuerit populi in electione episcoporum suffragium, quales adclamationes, itemque unde originem duxerit lusus ille pontificius, quo & Deo & hominibus illudunt. Quando enim aliquis eligendus & confirmandus est, suffraganeus intrat fores templi & clamat: *Utrum dignus sit & justus*, qui eligatur & confirmetur? Et stat quidam in angulo, qui adclamat, *dignus & justus est.* Sozomenus lib. VII. hist. eccl. cap. 7. refert, quod imperator Theodosius Gregorium ob vitam & doctrinam admiratus dignum censuerit praesulatu Constantinopolitano, hoc est, quod ipsum episcopis in concilio ibidem congregatis nominaverit, sed cum Gregorius hoc munus aversaretur, electus fuit Nectarius, quae electio qualiter facta fuerit, cognosci potest ex Theodoreto, qui lib. V. hist. eccl. cap. 9. recitat epistolam synodicam episcoporum in concilio II. generali Constantinopol. congregatorum ad Damasum & episcopos Romae congregatos, in qua inter cetera sic loquuntur: *Constantinopolitanae recenti, ut sic loquamur, ecclesiae reverendissimum & Dei amantissimum Nectarium episcopum praeposuimus in generali nostro concilio & praesente amantissimo Dei imperatore Theodosio, cum omnium clericorum ac totius civitatis adprobatione.* Ne autem existimetur, imperatorem fuisse praesentem tanquam κωφὸν πρόσωπον & sine ullo per judicium suffragium, notetur, quod Sozomenus lib. VII. hist. cap. 8. memoret, *imperatorem jussisse, ut sacerdotes nomina eorum, quos ad ordinationem dignos judicarent, chartae inscriberent, ac sibi ex omnibus illius unius electionem reservarent, quod cum ab episcopis factum, imperatorem elegisse Nectarium in Constantinopolitanae ecclesiae episcopum.* In eadem epistola synodica episcopi Constantinopolitani de Flaviani electione apud Theodoretum l. d. sic loquuntur: *Ecclesiae antiquissimae & plane apostolicae Antiochiae in Syria canonice praefecerat conventus provincialium & diaceseos orientalis episcopum reverendissimum & amantissimum Dei Flavianum,*

ad-

*adsentiente tota ecclesia & quasi uno ore celebrante illam, quam creationem habuit ratam & communem synodus.* Imperatores Romani quondam autoritatem suam in electionibus episcoporum interposuisse, ex eo inter cætera constat, quod modum electioni dederint ac præscripserint. Auth. presb. in fin. l. Si quenquam. l. sacris nostris C. de episc. & cler. Nov. 6. 57. 123. Imo ipsius etiam Romani episcopi non modo confirmandi sed etiam eligendi & creandi jus habuisse, c. Agatho dist. 63. c. in synodo dist. eadem c. Adrian. el. 2. pro qua imperatoris confirmatione certa pecuniæ quantitas imperatori a Papa dari solebat, quæ postea Agathoni ab imperatore Constantino III. circa annum 680. fuit remissa. In Græca orientali ecclesia referente Nicephoro Gregor. lib. IV. patriarcha Constantinopolitanus hoc modo olim fuit electus & confirmatus: Primo ab Heraclensi metropolita, cui hoc jus antiquitus, ut & adhuc hodie competit, nominatus est; deinde clero, nobilibus & primoribus populorum, quorum consensus requirebatur, propositus sive præsentatus; postmodum ad imperatoris aulam deductus, a quo pedum pastorale sive deauratum baculum incurvatum per manus accepit, ac tandem a clericis in tronum patriarchalem collocatus. Vide omnino tract. Walrami episcopi Naumburg. de investit. episcop. in quo ex historiis prolixe probat, quod episcopi Hispaniæ, Scotiæ, Angliæ, Hungariæ, &c. ex antiqua institutione per reges introierint, ac quod intronisationes sive investituræ episcoporum jure pertineant ad reges & principes, sub quorum dominio episcopatus sunt. Ut autem imperatorum christianorum autoritas in electione & confirmatione episcoporum interceserit, ita quoque populi consensus non fuit posthabitus. Inde Theodoretus lib. II. hist. eccl. cap. 17. & Nicephorus lib. IX. hist. cap. 25. referunt, Felicem Romæ ab imperatore Constantio episcopum invita ecclesia constitutum, ita invisum toti cœtui fuisse, ut ipso sacris operante, licet in doctrina ipsius nihil desiderari posset, nemo tamen limina templi adtigerit, propterea quod in locum Liberii injuste ab officio remoti constitutus esset, & violatoribus illius sese conjungeret. Jac. Pammelius pontificius in adnot. ad epist. LXVIII. Cypriani num. 16. docet, non in Africa solum, sed in Galliis etiam, Hispania, Romæ, & ubique consuetudinem illam receptam fuisse, ut in ministrorum electione suum haberet populus suffragium, & morem hunc usque ad Gregorii I. imo Caroli magni & Ludovici pii, imperatorum tempora perdurasse fatetur, id quod evidenter colligitur ex lib. I. capitulorum, prout citatur c. Sacrorum dist. 63. *Sacrorum canonum non ignari, ut Dei nomine sancta ecclesia suo liberius potiatur honore, adsensum omni ecclesiastico praebemus, ut scilicet episcopi per electionem cleri & populi secundum statuta canonum de propria diœcesi (remota personarum & munerum acceptione) ob vitae meritum & sapientiae donum eligantur, ut exemplo & verbo sibi subjectis prodesse valeant.* Huc pertinet illud, quod olim in quibusdam ecclesiis usitatum fuit, nomina vocandorum ad ministerium ecclesiasticum per trinundinum, id est, per tres solennes conventus ecclesiasticos publice promulgari, populumque præmoneri, ut si quid quispiam contra ordinandum haberet proferendum, id quam citissime faciat, ut postmodum sileat; perinde ut hodie in nostris ecclesiis proclamatio eorum, qui conjugium inire parant, tribus distinctis vicibus publice præmitti consuevit, inde promanavit Alexandri Severi imperatoris factum ab Ælio Lampridio in ipsius vita commemoratum. Ubi aliquos voluisset rectores provinciis dare vel præpositos facere, vel procuratores ordinare, nomina eorum proponebat hortans populum, ut si quid haberet criminis, probaret manifestis rebus, si non probasset, subiret pœnam capitis. Dicebat enim, *grave esse, cum id Judaei & Christiani facerent in praedicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus & fortunae hominum committerentur & capita.* Exstant etiam hujus juris, quod in eligendis & vocandis episcopis magistratui competit, adhuc quædam vestigia in Gallia & Hispania. Anno Christi 1517.

inter

inter Leonem X. & Franciscum I. Galliæ regem concordata, ut vocant, institutia sunt, quæ integra recensuit & notis illustravit Petr. Rebuffus; in illis omne jus eligendi aut postulandi prælatos canonicis in tota Gallia ademtum est, ita ut nominatio personæ idoneæ intra sex menses a tempore vacationis Romano pontifici ad providendum facienda, nunc soli regi absolute competat. Vide concordata illa in tit. de regia ad prælaturas nominatione facienda & ibi Rebuffum. Duarenus lib. V. de sacr. eccles. minist. cap. 11. concordata illa nomine *Leoninae Constitutionis* adlegat & addit, Leonem obtinuisse, ut decretum illud regia autoritate subnixum supremum parlamentum Parisiense reciperet. Didac. Covarruvias tom. I. var. resolut. p. 2. in relect. c. Malæ fidei possess. ext. de jure patronatus adserit, reges Hispaniarum jam inde a concilio Toletano XII. celebrato anno 685. quo decretum, *ut rex ad episcopalem dignitatem promovendos eligeret, quos Toletanus antistes praevia morum examinatione institueret;* absque ulla controversia jus & quasi possessionem habere nominandi & eligendi episcopos, adeo ut nisi a rege nominatus nemo possit his dignitatibus insigniri, & addit Covarruvias notabilem rationem, *quod scilicet maxime regis interfit, nosse ac deligere, qui ecclesias intra suam provinciam sint administraturi.* Idem confirmat Chassanæus in catal. glor. mundi part. V. consid. 24. num. 294. Et quid multis? Bellarminus ipse fatetur lib. IV. de eccles. cap. 8. §. respondet Brentius: *electionem episcopi varie variis temporibus fuisse celebratam, & aliquando populum simul cum clero episcopum elegisse.* Ac lib. de clericis cap. VII. resp. ad 9. argum. *se non negare, quin aliquando populus elegerit.* Ibidem §. tandem: *obtinuisse in primitiva ecclesia consuetudinem, ut etiam jus suffragii sibi populus usurparet.* Libr. ejusd. cap. IX. *inter quinque modos, quibus olim eligi consueverunt episcopi, numerat tertio loco eum,* quod elegerit clerus & populus civitatis, *quem modum usitatum fuisse dicit tempore Chrysostomi, Ambrosii, Augustini, Gregorii &c. & quarto loco recenset eum,* quod imperatores & reges vel soli vel cum clero & populo episcopum elegerint, *& addit, Justinianum seniorem post recuperatam Italiam noluisse quemquam creari Romanum pontificem, sine sua adprobatione, idque servatum esse usque ad Constantinum IV. qui juri suorum praedecessorum* (nota vocem juris) *in hac parte cesserit.* Ibidem tamen spiritu vertiginis circumrotatus §. seq. addit, *quod imperatores se miscuerint electioni, id factum esse vel vi & quasi tyrannide imperatorum, vel quia pontifices id judicabant necessarium ad ecclesiae defensionem.*

§. XCVIII. Ex quibus omnibus facili negotio colligitur, nec plebis nec magistratus ad Christum conversi suffragia ab electione sacerdotum olim fuisse exclusa, itemque quæ fuerint singulorum ecclesiæ ordinum in hoc negotio partes, inde adhuc supersunt vocabula *nominationis, postulationis, praesentationis, electionis, confirmationis, collationis &c.* quibus pulcerrime exponitur, quid magistratui & populo in vocatione ministrorum fuerit relictum. Aliquando plebs desiderio & petitione seu postulatione sua personam aliquam nominabat, aliquando magistratus proponebat, sæpius vero episcopi, qui de qualitatibus eligendorum rectius judicare poterant & tunc populus suo suffragio electionem adprobabat, magistratus addebat confirmationem. Idem fere in nostris adhuc observatur ecclesiis: constituta enim apud nos sunt ecclesiastica consistoria, in quibus personæ ecclesiasticæ & politicæ præsident; illa nomine ecclesiæ de constitutione ministerii tractant, inquirunt in eligendorum qualitates, sistunt eos audiendos in cœtu, cui præfici debent, quandoque unum, quandoque plures & liberam auditoribus electionem relinquunt: interdum etiam ipsæ ecclesiæ certam personam consistorio nominant, quod præmissa deliberatione & nominati examine consensum præbet, accedit tandem superioris magistratus confirmatio & investitura, qua ratione singulis ecclesiæ ordinibus suæ relinquuntur partes, nec invitæ ecclesiæ minister obtruditur.

Videatur constitutio electoralis ecclesiastica in cap. de vocatione ministrorum pag. 86. ubi talis requiritur processus: 1.) Pastore quodam demortuo, superintendens illius diœceseos rem deferat ad consistorium, 2.) Nullus candidatorum ministerii, qui ecclesiæ operam suam deferunt, certum sibi eligat vel nominet locum, sed judicium consistorio permittat. 3.) Quibus jus patronatus vel collationis competit, illis potestas relinquitur idoneas personas nominandi, & consistorio ad examen præsentandi. 4.) Personas nominatas consistorium examinari curet, an sint in fide sinceri, in vita probati, & donis ad docendum necessariis instructi. 5.) Examinatas mittat ad synodum ab ipsa confirmandas. 6.) Si collatores vel nolint vel nequeant idoneas personas nominare, consistorium in ipsorum locum succedat, & ecclesiæ ex ministro prospiciat. 7.) Qui præficiendi sunt ecclesiæ, prius ab ea audiantur & probentur. Nullus, quamvis idoneus sit inventus, absque peculiaribus & gravibus causis invitæ ecclesiæ obtrudatur, sed colligantur post concionem δοκιμαστικὴν ecclesiæ suffragia. 8.) Examinatus, adprobatus, vocatus, per χειροθεσίαν & preces ordinetur, literis synodicis vel principalibus confirmetur, & solemni ritu investiatur.

*Antithesis pontificiorum.* §. XCIX. Pontificiis hic modus vocationis apostolicæ & primitivæ ecclesiæ praxi conformis non probatur, sed solis clericis, excluso magistratu & populo, vocationem ministrorum tribuunt, unde eam dicunt esse legitimam electionem ac vocationem, 1.) quæ facta est a pontifice, qui vel ipse eligat, vel aliis potestatem eligendi concedat, episcopis scilicet suffraganeis ac clericis aliis: 2.) quæ fiat cum successione continua, sine qua non habeat locum legitima ministrorum vocatio. Concilium Trident. de sacram. ordinis cap. 4. *Docet sacrosancta synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum & ceterorum ordinum nec populi, nec cujusvis secularis potestatis & magistratus consensum sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita fit ordinatio, quin potius decernit eos, qui tantummodo a populo aut seculari potestate ac magistratu vocati & instituti ad haec ministeria adscendunt, omnes non ecclesiae ministros, sed fures & latrones habendos esse.* Can. VII. *Si quis dixerit, ordines ab episcopis collatos sine populi vel secularis potestatis consensu aut vocatione irritos esse, anathema sit.* Bellarminus mentem concilii sic exponit libr. I. de clericis cap. 2. *Omnes catholici summa consensione docent, jus episcopos ordinandi ac vocandi ad plebem nullo modo pertinere posse, jus autem eligendi fuisse aliquando & aliquo modo penes populum, sed pontificum concessione vel conniventia, non lege divina.* Hanc sententiam latius declarat & confirmat per distinctas propositiones. 1.) *Ordinatio tum episcoporum tum aliorum ecclesiae ministrorum non ad plebem, sed ad solos episcopos pertinet.* cap. 3. Resp. concedimus in ritu ordinationis ministro jam electo a solis episcopis manus debere imponi: 1. Tim. IV. 14. V. 22. quamvis ibi nomine presbyterii non illi soli, qui in verbo laborant, sed etiam seniores ecclesiæ nomine ecclesiastica negotia tractantes intelligi haud absurde possint; interim ab ordinatione electio distinguenda est, ut ipse Bellarminus in cap. præced. agnoscit: ordinatio fit a presbyterio, sed electio ac vocatio ministrorum pertinet ad omnes ecclesiæ ordines. Adde, quod in ordinatione ministri presbyterium totius ecclesiæ nomine agit, & electionem ab ecclesia factam ritu illo solemni comprobat. Act. VI. 3. XIV. 23. 1. Tim. V. 22. Bellarminus dicit, hoc tripliciter intelligi posse; sed non opus est, ut de nostræ sententiæ expositione solicitus sit, cum eam clarissime explicemus, ipsique Bellarmino ignotum non sit, quo sensu presbyterium nomine ecclesiæ hic agere dicamus, nimirum quod ecclesia habeat potestatem eligendi & adprobandi ministrum, servato tamen ordine debito & servatis illis, quæ in electione ministrorum ab apostolo requiruntur, 1 Tim. III. Tit. I. & in praxi apostolica Act. VI. & XIV. 2. Cor. VIII. &c. conspiciuntur. Argumentum, quod hoc loco Bellar-

larminus contra noſtrum miniſterium format, inferius pertractabitur. II.) *Vocationem ſeu miſſionem miniſtrorum non pertinere ad populum, ſed ad epiſcopos & ad ſummum pontificem.* cap. 4. Reſp. hæc adſertio nititur ea hypotheſi, quod eccleſiaſtica jurisdictio adtributa ſit ſoli Petro, a quo ad reliquos apoſtolos, & pontifici Romano tanquam Petri ſucceſſori, a quo ad reliquos epiſcopos velut ex fonte promanet; ſed hujus hypotheſeos falſitatem noſtri ſæpius jam demonſtrarunt. Nos ſtatuimus ad eosdem pertinere miniſtrorum vocationem, ad quos pertinet eorum electio, quia in hoc negotio legitima electio & legitima vocatio ſemper debent eſſe conjuncta. III.) *Electionem miniſtrorum non fieri a ſolo Deo.* cap. 5. Reſp. duplex eſt miniſtrorum electio ac vocatio, mediata & immediata, utraque fit a Deo, hæc immediate per ſolum Deum, illa mediate per eccleſiam. IV.) *Non decuiſſe chriſtianos ſacerdotes carnali ſucceſſione propagari.* cap. 6. Reſp. in vet. teſt. miniſterium fuit quaſi hæreditarium in tribu Levi ob peculiarem Dei conſtitutionem, ſed in nov. teſt. quando 1. Tim. III. 2. Tit. I. 6. præſcribitur norma, quales debeant in epiſcopos eligi, non fit mentio certæ alicujus familiæ, hæc eſt propria & immediata ratio, quare in nov. teſt. miniſterium non amplius ſit hæreditarium. Notamus hoc loco, 1.) etiam in vet. teſt. non ita abſolute & ſimpliciter ad tribum Leviticorum adligatum fuiſſe docendi munus, quin potuerint pontifices removeri, ſi a verbo diſceſſerint. Sic Deus ipſe removet Heli, 1. Sam. III. 12. Salomon depoſuit Abiathar ſacerdotem, 1. Regum II. Hiskias, Joſias & alii pii reges baalíticos ſacerdotes removerunt &c. Et quando Levitæ officium ſuum non faciebant, excitabat Deus etiam ex aliis tribubus prophetas, qui ipſorum negligentiam taxarent, & in ordinem eos redigerent. 2.) Pontificios adhuc judaizare, quando ſucceſſionem apoſtolicam ad ſedem Romanam adligant, cum in nov. teſt. non tam localis & perſonalis, quam doctrinalis ſucceſſio ſit reſpicienda. Ubi vox apoſtolorum in nov. teſt. ſonat, ibi cathedræ apoſtolorum præſident. In vet. teſt. ſucceſſio Levitica obſervabatur, ſed in nov. teſt. miniſterium nec ad certam familiam nec ad certum locum adligatum eſt, ſed doctrinæ ſucceſſio vel unice vel certe potiſſimum reſpicienda. 3.) Rationes, quibus Bellarminus probare conatur, non decuiſſe chriſtianos ſacerdotes carnali ſucceſſione propagari, plerasque eſſe nugatorias. Melchiſedecum dicit fuiſſe chriſtianorum ſacerdotum figuram, *qui cum ſine patre & matre deſcribatur, ſignificatum ex eo eſſe, quod ſacerdotes in nov. teſt. non debeant naſci, ſed fieri.* Atqui epiſtola ad Hebræos teſtatur, ſolius Chriſti, unici ἀρχιερέως in nov. teſt. typum fuiſſe Melchiſedecum. *Ut in vet. teſt.* (inquit) *populus Dei propagabatur per carnalem generationem ex Jacob, in novo autem per ſpiritualem regenerationem ex Chriſto, ita par erat, ut in vet. teſt. ſacerdotes carnali ſucceſſione propagarentur, in novo autem ſpirituali electione aſſumerentur.* Atqui tam in vet. quam in nov. veri & ſpirituales Iſraelitæ per ſpiritualem regenerationem ex Chriſto ſunt propagati. *Sacerdotium Aaronicum* (inquit) *fuit carnale, chriſtianum autem ſpirituale; ergo etiam propagatio ſacerdotii in vet. teſt. debuit eſſe carnalis, in novo ſpiritualis.* At per hypotheſin hujus argumenti veriſſimam evertetur ſacrificium miſſaticum, quod ipſis eſt externum & corporeum ſacrificium. *Sacerdotes*, inquit, *in nov. teſt. debent eſſe cœlibes, ergo non poſſunt per carnalis generationis ſucceſſionem ſacerdotium conſequi.* At unde probatur cœlibatus neceſſitas? nec obſtat cœlibatus ſacerdotum, quo minus in jure canonico lib. I. decret. peculiaris titulus proponatur de filiis presbyterorum ordinandis. *Melior*, inquit, *eſt ratio conſtituendi magiſtratus per electionem, quam per ſucceſſionem. Ergo idem in chriſtiana republica obſervari debet.* Atqui de antecedente politici certant, & adhuc ſub judice lis eſt. Eadem etiam ratio locum habuiſſet in vet. teſt. & ſic ſancta Dei ordinatio in crimen vocabitur, ut nihil de eo dicamus, quod a foro ad chorum, a regimine politico ad miniſterium eccleſiaſticum non poſſit argumentum duci.

§. C. Succedit tandem V.) propositio, de qua proprie inter nos & pontificios controvertitur; ea vero sic habet: *Jus eligendi summum pontificem caeterosque ecclesiae pastores & ministros non convenire populo jure divino, sed si quid aliquando populus hac in re potuit, id totum habuisse ex conniventia vel concessione pontificum.* cap. 7. Hanc suam assertionem probat Bellarminus *primo* exemplo Aaronis & testimonio Pauli, qui Hebr. V. 4. asserit, *neminem adsumere sibi debere honorem, nisi vocetur a Deo, tanquam Aaron. Atqui Aaron a solo Mose fuit electus in pontificem sine ullo vel consensu vel consilio multitudinis.* Resp. integrum Bellarmini argumentum sic habet: Quo modo Aaron vocatus & electus est, eo modo etiam hodie pastores eligi debent. Atqui Aaron a solo Mose vocatus & electus est sine ullo vel consensu vel consilio multitudinis: Ergo etiam hodie a solo pontifice pastores eligi debent. Utraque propositio videtur petita ex scriptura, *major* ex Hebr. V. 4. *minor* ex Exod. XXIX. sed respondemus ad *majorem*: 1.) distinguendum esse inter vocationem ipsam, & inter vocationis modum specialem, sicut alias philosophi monent, inter rem & rei modum distinguendum esse. Scopus dicti apostolici est, quod nemo absque divina vocatione honorem sacerdotii vel aliud publicum in ecclesia officium sibi rapere debeat, id probat exemplo Aaronis, qui divina vocatione constitutus est vet. test. sacerdos; ex eo vero inferri non potest, omnes eo modo ad sacerdotium & ministerium ecclesiasticum vocari debere, siquidem Aaron vocatus est immediate, Moses fuit divinae voluntatis duntaxat internuncius, sed ministrorum nov. test. vocatio, de qua hoc loco quaeritur, est mediata. 2.) Ne ipsi quidem Aaronis in Levitico sacerdotio successores eo modo vocati sunt, quo Aaron, quia illi propagabantur carnali successione, ut in praeced. cap. Bellarminus loquitur; Aaron vero constituebatur sacerdos immediata Dei vocatione. 3.) Si apostolo fuisset propositum, non de vocatione duntaxat in genere, sed etiam de certo vocationis modo in specie hic agere, exemplum Aaronicae vocationis impertinenter huc ab ipso adplicaretur, quod absit. Rationem adsertionis proferimus eam. Tractat ibi apostolus de sacerdotio Christi, ad quod divinitus eum vocatum adserit, sicut & Aaron ad Leviticum vet. test. sacerdotium divinitus sit vocatus. Jam vero Christus non eo modo vocatus est, quo Aaron, quia Aaronis vocatio per Mosen internuncium ac divinae voluntatis interpretem ipsi facta, sed in Christi vocatione id non habet locum. 4.) Particula *ergo*, καθάπερ, ut alibi, ita etiam hoc loco non notat omnimodam aequalitatem, sed duntaxat quamdam similitudinem, hoc est, significat collationem institui non in *specie* & juxta omnes circumstantias, sed duntaxat in *genere* & generali quadam convenientia, non in rei modo, sed duntaxat in re ipsa. 5.) Ne ipsi quidem pontificii ministri speciali illo modo vocantur, quo Aaron vocatus fuit, immediate scilicet ab ipso Deo. Ad *minorem* dicimus: 1.) Aaronem non fuisse a Mose electum vel vocatum, sed a Deo, Moses fuit duntaxat minister, per quem divina illa & quidem immediata vocatio & Aaroni & populo israelitico manifestata fuit. 2.) Quae vero haec est συναφεια. Aaron a solo Mose fuit vocatus; ergo penes solum pontificem Romanum est jus vocandi ministros ecclesiae; Quid, num pontifex Romanus etiam Mosis successor est, ut quod semel a Mose extraordinarie peculiari Dei mandato factum, id toto nov. test. tempore a Romano pontifice ordinarie sine ullo Dei mandato fieri debeat? num ministri nov. test. etiam Leviticis sacerdotibus succedunt? atqui eadem ad Hebraeos epistola docet, Aaronem ac totum Leviticum sacerdotium fuisse unius Christi typum. 3.) Cyprianus lib. I. epist. 4. contrario plane modo procedit, quo Bellarminus. Is namque ex eo, quod jubet Deus adsumere Aaronem & Eleazarum filium ejus, eosque imponere in monte coram tota synagoga, & exuere Aaroni stolam sacerdotalem, eaque Eleazarum filium ejus induere, &c. ex eo, inquam, colligit, quod de divina

*Quod populus ab electione pastorum sit excludendus.*

1.) *ex Aaronis exemplo.*

auto-

autoritate descendat, ut sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur. Sed Bellarminus ex Aaronis vocatione per Mosen manifestata colligit, sine ullo vel consensu vel consilio plebis sacerdotes eligendos esse. Ita nimirum spiritus Cypriani differt a spiritu Bellarmini, ut in simili de nobis loquitur. Bellarminus lib. I. de sacramentis cap. 26. 4.) Nihil dicam de eo, quod Mosen fuisse summum sacerdotem vet. test. nondum probatum fuerit. Extraordinaria enim illa sacrificii oblatio, & generalis vocabuli כֹּהֲנִים Psalm. XCIX. 6. significatio id nondum probant, cum sacrificia etiam a prophetis oblata fuerint, & filii Davidis dicantur כֹּהֲנִים, 2. Sam. VIII. 18. quos tamen sacerdotes fuisse, tribuum distinctio non permittit. Atqui si Moses non fuit summus sacerdos, quomodo a Mose ad pontificem Romanum argumentum duci potest? 5.) Repugnat igitur hoc argumentum hypothesi Bellarmini, quod sic ostendimus: Quo modo Aaron fuit vocatus, eo etiam modo hodie pastores debent eligi. At Aaron vocatus est a magistratu, quia Moses fuit princeps populi. Ergo etiam hodie ministri a magistratu vocari debent, quod strenue negat Bellarminus. 6.) Quid, quod expresso Dei mandato cautum, ut israelitæ, id est, primores israelitarum Levitis ad tabernaculum adductis manus imponerent, Num. VIII. 10. qua ceremonia significatum fuit, ipsius etiam populi voluntate & consensu ministerii eos consecratos esse, sicut pecudi manus solebant imponi ab illis, qui ad sacrificium eam adducebant.

CI. *Secundum* argumentum Bellarminus petit ab exemplo & verbo Christi. *Christus* Joh. XX. 21. *apostolis dicit:* Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos; *quocirca voluit, ut ea potestate, eaque ratione apostoli gubernarent ecclesiam, qua ipse eam gubernaverat eo tempore, quo præsentiam suam mundo exhibuerat. At ipse apostolos primum duodecim, ac deinde discipulos LXXII. elegit sine con-*

2.) *ex Christi verbo & exemplo.*

*filio aut suffragio ullo multitudinis.* Resp. 1.) Si eo omnino modo apostoli debuissent ecclesiam gubernare & ministros vocare, quo Christus eam gubernaverat & ministros vocaverat; consequens fuerit, apostolos exspectare debuisse immediatam eorum vocationem, quibus docendi ministerium committerent. Sed apostoli nequaquam exspectarunt immediatam suorum in docendi officio successorum vocationem, verum ipsi per vocationem mediatam constituerunt presbyteros in singulis ecclesiis; Act. XIV. 23. 2. Tim. I. 6. quinimo episcopis & presbyteris per *suffragia ecclesiae* vocatis in mandatis dederunt, ut ipsi etiam aliis per mediatam vocationem docendi officium commendarent. 2. Tim. II. 2 Tit. I. 5. 2.) Si apostoli debuissent eo omnino modo pastores vocare, quo ipsi a Christo erant vocati, non debuissent populo concedere potestatem eligendi ecclesiæ ministros, hoc enim fuisset contra expressum illud Christi mandatum. Jam vero in hoc ipso capite in resp. ad 5. argumentum nostrum fatetur Bellarminus, *ex concessione apostolorum fuisse olim adtributum populo, ut eligerent Stephanum & diaconos reliquos.* Ergo non acceperunt tale a Christo mandatum, ut sine suffragio ecclesiæ pastores eligant. 3.) Si apostoli acceperunt mandatum a Christo sine plebis consensu ac suffragio pastores eligendi; consequens fuerit, nec pontificem Romanum nec episcopos pontificios, qui se apostolorum successores esse gloriantur, posse vel debere populo suffragium aliquod in ministrorum electione concedere, alias enim agerent contra expressum Christi mandatum apostolis datum. Jam vero *ex concessione pontificum populus aliquando elegit pastores*, ut fatetur Bellarminus in hoc ipso capite in resp. ad 9. argumentum nostrum; ergo. &c. 4) Si apostoli acceperunt mandatum a Christo eo omnino modo ecclesiam gubernandi & ministros vocandi, quo Christus eam gubernavit & ministros vocavit, consequens fuerit, ipsos quoque donum miraculorum, privilegium non errandi, potestatem in toto orbe prædicandi debuisse illis concedere, quos ministerio præfecerunt. Po-

sterius hoc in eis, quos vocarunt, nusquam animadvertitur, episcopi Ephesini atque alii ab apostolis constituti dono miraculorum non fuerunt instructi, ab errandi periculo non fuerunt immunes, certis ecclesiis fuerunt præfecti. 5.) Ex quibus omnibus immote colligimus, particulam καθὼς in verbis Christi Joh. XX. 21. non denotare omnimodam similitudinem in particularibus quibusque circumstantiis, vel omnimodam potestatis paritatem, sed divinam muneris autoritatem, promissionem de successu in ministerio, & defensionem in periculis, mandatum de dominatu politico a ministerio ecclesiastico discernendo &c. sicut in harmonia evangelica late ostensum fuit. Christus discipulis commendat docendi ministerium, & confert illis Spiritum sanctum, qui per ipsorum ministerium in cordibus hominum sit efficax. Idem ministerium apostoli vi hujus mandati commendarunt aliis, eamdem promissionem Spiritus Christus in aliis legitime vocatis implevit. In hisce terminis subsistendum, neque latius extra principalem scopum verba Christi extendenda. 6.) Ecquis enim Bellarmino dare poterit, quod eadem omnino potestate Christus, apostoli & pontifices Romani gubernaverint, & adhuc gubernent ecclesiam? Christi potestas est absoluta & αὐτοκρατορικὴ, eam si pontifex Romanus sibi arroget, antichristum se esse demonstrat. Ecquis Bellarmino dare poterit, quod eadem omnino sit missio Christi, apostolorum & pontificis Romani? Christus fuit a Patre missus, non solum ut propheta & doctor, sed etiam ut mediator & salvator, *ut animam suam daret in redemtionem pro multis*, Matth. XX. 28. *ut suo sanguine ecclesiam redimeret*; Act. XX. 28. illud certe ne quidem de apostolis, nedum de Romano pontifice potest sine sacrilegio affirmari. 7.) Determinate igitur ac limitate verba Christi accipienda sunt de potestate ministerii & munere docendi, qualis usus particularum καθὼς, ὥσπερ, ὡς etiam alibi in scripturis frequens est: Matth. V. 48. Luc. VI. 36. Joh. XVII. 21. &c. ubi itidem non omnimoda similitudo, & æqualitas, sed certa quædam comparationis ratio particulis illis exprimitur. 8.) Denique invertimus Bellarmini argumentum: Apostoli in ecclesia gubernanda & vocandis pastoribus dubio procul ita egerunt, prout a Christo ipsis fuit mandatum. Jam vero apostoli eo modo vocarunt ministros, ut populo potestatem eligendi concederent fatente Bellarmino. Ergo a Christo tale mandatum acceperunt.

§. CII. *Tertio*: Ex jure divino tum naturali, tum etiam scripto. *Nam jure divino scripto epiſcopi sunt pastores populi, populi sunt oves.* Joh. XXI. Act. XX. 1. Petr. 5. *Ratio autem naturalis apertissime docet, ovibus non convenire, ut pascant ac regant, sed regantur atque pascantur. At eligere pastores ad gubernationem & regimen pertinere, certissimum est, non igitur populo convenit pastores eligere.* Resp. 1.) Bellarminus in hoc ipso capite in responsione ad 5. argumentum statuit, *apostolos quandoque concessisse populo electionem.* At si electionis partes populo tribuere pugnat cum jure divino, quomodo apostoli potuissent eas populo concedere? 2.) Si eligere pastores jure divino non convenit populo; consequens fuerit contra jus divinum egisse omnes ecclesias, quæ in electione pastorum aliquas sibi partes vindicarunt. Sed hoc posterius durum est & absurdum. Ostensum enim fuit superius, tempore Cypriani per universas fere ecclesias hanc eligendi rationem fuisse receptam, & concedit ipse Bellarminus in responsione ad argumentum nostrum octavum, *jam tum tempore Niceni concilii cæpisse consuetudinem, ut populus electioni admisceretur.* 3.) Similia non probant, sed illustrant, & omne simile est etiam simul dissimile. 4.) Similitudo non extendenda ultra illud comparationis tertium, ad quod in scripturis adhibetur. Populus christianus comparatur ovibus in eo, quod debeat Christi ἀρχιποιμένος vocem audire, *mercenarios fugere*; nequaquam vero in eo, quod non debeat in electione pastorum ullum habere suffragium. 5.) Distinguendum igitur est inter oves *brutas*

3.) *ex jure divino naturali & scripto.*

&

& *rationales*, inter oves *proprie* & *metaphorice* sic dictas: ovibus brutis & proprie sic dictis non convenit electio pastoris, sed ex eo non potest inferri, quod etiam ovibus rationalibus & metaphorice sic dictis nulla ratione partes aliquæ in electione pastorum competant; quin potius cum sint oves rationales, ideo etiam in electione pastorum suas debent habere partes, nimirum ut una cum ministerio ecclesiastico pastores eligant. 6.) Invertimus proinde argumentum: Oves suas Christus sic describit Joh. X. 3. quod *vocem pastoris sui agnoscant:* v. 4. quod *pastorem sequantur propterea, quia sciunt vocem ejus:* v. 5. quod *alienum non sequantur, sed fugiant ab ipso, propterea quia non noverunt vocem alienorum:* v. 14. quod *cognoscant Christum.* Ergo convenit ovibus Christi, ut discernant veros pastores a falsis, atque illos quidem sequantur, hos vero fugiant. Jam vero si nullæ plane partes in electione pastorum populo relinquuntur, quomodo relicta ipsi erit potestas veros pastores a falsis discernendi, atque illos quidem sequendi, hos vero fugiendi? Certe inde atque ideo, quia non sunt oves brutæ, sed rationales, competit eis, ne absque ulla discretione ad quævis pascua, etiam noxia & venenata se abduci patiantur, sed fidelem pastorem eligant atque eumdem sequantur. 7.) Confunduntur in Bellarmini argumento diversa tempora. Non enim eligit populus tanquam oves, sed tanquam futuræ oves. 8.) In terrena etiam republica populi dicuntur oves, reges pastores, & tamen regis electio ad populum spectare potest. Bellarminus excipit, *aliam esse rationem reipublicae terrenae, aliam cœlestis, hoc est, christianae reipublicae, in illa nasci homines naturaliter liberos, & proinde potestatem politicam immediate habere, donec eam in regem aliquem transtulerint: in hac vero non esse ejusmodi libertatem, cum Petrus in ipsa ecclesiae institutione pastor eidem praefectus sit: in illa populum quandoque rege carere, in hac nunquam illud contingere.* Resp. eccur igitur toties ex analogia reipublicæ terrenæ ad christianam sive cœlestem Bellarminus argumentatur? Certe ecclesiæ regimen monarchicum esse debere contendit ex eo, quod monarchicum regimen in terrena republica sit optimum; lib. I. de pontif. c. 4. Præterea ut populus jure naturali obtinet libertatem eligendi regem, ita populus christianus ex Christi concessione & apostolorum praxi aliquas habet in electione pastorum sibi debitas partes. Sed quidquid sit de discrimine inter regimen ecclesiasticum & politicum, quod nos non solum libenter concedimus, sed etiam contra Bellarminum urgemus; illud certum est, nervum argumenti Bellarminiani hac ἐνστάσει fortiter incidi. Si enim inde atque ideo jure divino non competit populo eligere pastores, quia sunt oves, utique etiam inde atque ideo jure divino non competet populo eligere reges, quia itidem dicuntur eorum respectu oves. Ac vicissim: si ex ovium adpellatione non potest derogari populo jus eligendi reges; utique etiam ex ovium adpellatione non potest derogari populo ecclesiastico jus eligendi pastores. 9.) Superius §. LXXXVIII. membr. 7. aliam produximus similitudinem ex hypothesi juris canonici deductam, quæ probat non posse ecclesiam ab electione pastorum excludi.

§. CIII. *Quarto:* Ex apostolorum exemplo, *qui episcopos passim eligebant sine suffragio multitudinis, vel ex eo constat, quod episcopos a se creatos mittebant ad populos absentes & infideles.* 4.) *ex apostolorum exemplo.* Resp. 1.) Distinguendum est inter ecclesiam *plantandam* ac *plantatam*, constituendam & constitutam. Argumentum Bellarmini loquitur de ministerio in ecclesia adhuc plantanda & constituenda, quæstio nostra agit de ministerio in ecclesia, jamdum plantata & constituta. 2.) Distinguendum est officium evangelistarum in primitiva ecclesia extraordinarium ab officio pastorum & doctorum in ecclesia perpetuo & ordinario: Eph. IV. 11. Evangelistæ ab apostolis mittebantur ad populos absentes & infideles, vel una cum apostolis eo proficiscebantur, hæc evangelistarum missio distinguenda omnino est ab ordinariorum pastorum vocatione. Tempore apostolo-

ſtolorum ſacerdotes gentilium erant idololatræ, magiſtratus impius, & populus in tenebris ambulans; ergo non potuit miniſterium eccleſiæ per talem electionem conſtitui, quæ poſt factam evangelii ad omnes populos propagationem locum habet. 3.) Quando in eccleſia jamdum plantata & conſtituta paſtores populo præficiendi fuerunt, apoſtoli non prætermiſerunt populi ſuffragium, ut multis ſuperius comprobatum fuit exemplis. 4.) Illi ipſi evangeliſtæ, qui ad populos infideles & abſentes ab apoſtolis miſſi fuere, non ſunt invitis obtruſi. Si enim infideles illi tales evangeliſtas audire noluiſſent, certe nemo illos coëgiſſet, vel etiam cogere potuiſſet. Chriſtus ipſe apoſtolis talem præſcripſit regulam: Matth. X. 14. *Quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel civitate excutite pulverem de pedibus veſtris.* v. 23. *Cum perſequentur vos in civitate una, fugite in aliam.* Ergo ſi vel maxime populo, ad quem apoſtoli & evangeliſtæ venerunt, tale quoddam ſuffragium tribui nequit, quale in electione ordinariorum paſtorum eccleſia jam conſtituta obtinet; tamen conſenſum ſpontanea receptione comprobatum nemo illi denegare poterit.

5.) *ex decretis conciliorum.* §. CIV. *Quinto*: Ex decretis conciliorum, *quae prohibent turbis electionem eorum permittendam, qui ſunt ad ſacerdotium promovendi*, ut adfert concilium Laodic. can. XIII. concilium Martini papæ apud Bracarenſem c. 2. decretorum, concilium Nicen. II. can. 3. concilium Conſtantinopol. IV. quod eſt octavum generale can. 28. Reſp. 1.) Repetantur aliorum conciliorum & pontificum Romanorum decreta, quæ magno numero ſuperius ſunt adducta, ut clavus clavo trudatur, ſicut in ſimili loquitur Salmeronius. 2.) Argumentum ex decretis conciliorum eſt ſecundarium, quia patrum dicta, pontificum reſcripta, conciliorum decreta, &c. ſcripturæ ſacræ, unico & proprio theologiæ principio ſunt ſubjecta, nec ullam, niſi cum ipſo exacte conſentiant, autoritatem obtinent. 3.) Canones illi nequaquam conſenſum populi ab electione paſtorum ſimpliciter excluſum volunt, ſed hoc duntaxat requirunt, ne populus ſuo jure abutatur, ut vel ſibi ſoli excluſo presbyterio poteſtatem eligendi rapiat, vel inſolenter modum agendi presbyterio præſcribat, vel inordinate & confuſe in tam ſancto negotio procedat. Conſtat enim, & magiſtratum & populum ſuo jure in electione paſtorum ſæpius fuiſſe abuſum, cui malo canonibus illis obviam ire voluerunt, nequaquam vero veterem & per univerſas fere eccleſias receptam per ſuffragia populi eligendi conſuetudinem, ut Cyprianus eam vocat, penitus abolere. 4.) Canones ergo illi nequaquam hoc volunt, quod conſenſus & ſuffragium populi a vocatione miniſtrorum plane excludendum ſit, id enim in concilio Antiocheno fuit prohibitum; ſed ſufficere ſtatuunt, ſi primores eccleſiæ viri, ſcilicet honeſti & firmioribus judiciis prædicti reliquorum nomine negotium hoc expediant, ut omnis confuſio vitetur.

6.) *ex dictis veterum.* §. CV. *Sexto*: Ex teſtimoniis veterum. Hieronymus epiſt. LXXXV. ad Evagrium: *Alexandriae a Marco evangeliſta usque ad Heraclam & Dionyſium epiſcopos presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum nominabant epiſcopum.* Ruffinus lib. X. hiſt. cap. 9. ſcribit, *Frumentium ab Athanaſio creatum epiſcopum Indorum, Indis ipſis ea de re nihil ſcientibus neque cogitantibus.* Epiphanius in epiſt. ad Joh. epiſc. Hieroſolymitan. ſcribit, *a ſe Paulinianum Hieronymi fratrem presbyterum ordinatum. Auguſtinum Anglorum epiſcopum b. Gregorius deſignavit, Gregorius II. Bonifacium Germanis nihil ea de re cogitantibus epiſcopum ordinavit.* Reſp. 1.) De patrum dictis & eccleſiæ praxi judicandum & ſtatuendum ex ſcripturis ſacris: quidquid illis conforme, recipimus; quidquid diſſonum, rejicimus. 2.) Opponimus Bellarmino alia veterum dicta & probata eccleſiæ primitivæ exempla ſuperius enumerata. 3.) Nec dubium nobis eſt, formam

ac

ne rationem paſtores eligendi ab apoſtolis uſurpatam ab eccleſia primitiva apoſtolicæ vicina conſtanter fuiſſe obſervatam, cujus rei teſtem producimus Cyprianum lib. I. ep. 4. Quidquid tandem ſit de temporibus recentioribus. 4.) pleraque exempla, quæ Bellarminus adducit, ſunt a quæſtione aliena, loquuntur enim de miniſterio in eccleſia adhuc plantanda, nos vero hic agimus de miniſterio in eccleſia plantata & conſtituta. 5.) Exempla patrum ſubordinata ſunt praxi apoſtolorum, quæ noſtræ ſuffragatur ſententiæ. 6.) Quædam dicta populi conſenſum diſerte non excludunt. 7.) Hieronymi dictum Bellarmino fortiſſime adverſatur. Presbyteris enim Alexandrinis tribuit epiſcopi electionem & conſtitutionem; at Bellarminus ſcribit lib. I. de cler. c. 3. *a ſeculo non eſſe auditum, ut epiſcopum non epiſcopus ordinaret, neque hujusce rei ullum vel inſtitutum ex diſciplina, vel exemplum ex hiſtoriis, vel etiam uſurpationem ex haeretica licentia proferri poſſe.*

7.) *ex incommodis popularis electionis.*

§. CVI. *Septimo:* Ex incommodis, quæ popularem electionem conſequuntur. *Primo populares imperiti ſunt, nec poſſunt, etiamſi maxime velint, judicare, an aliquis ſit idoneus ſacerdotio, nec ne. Deinde, ſi populus jus habet eligendi, neceſſe erit, ut ſemper ii praeficiantur, quos praefici cupient pejores & ſtultiores, nam major pars vincet, plures autem ſunt in qualibet civitate mali, quam boni, plures ſtulti, quam ſapientes. Denique electio popularis obnoxia eſt tumultibus ac ſeditionibus.* Reſp. 1.) Hæc recte opponuntur anabaptiſtis, qui poteſtatem eligendi imperitæ multitudini excluſo magiſtratu ac presbyterio tribuunt. Nos in electione confuſiones nec adprobamus nec introducimus, nec ſoli populo eligendi partes damus, ſed omnia κατὰ τάξιν καὶ εὐχημόνως agenda eſſe dicimus, & cuique eccleſiæ ordini ſuas partes aſſignamus: miniſterio, ut eligendæ perſonæ doctrinam & qualitates exploret; populo, ut examinatum a miniſterio in concione δοκιμαστικῇ audiat, ac vel ſuo ſuffragio electionem promoveat, vel ob cauſas prægnantes & ſufficientes impediat; magiſtratui, ut electionem confirmet. 2.) Quamvis populus de eruditione & qualitatibus eligendi non poſſit tam exactum ferre judicium, quam presbyterium, tamen aliquod judicium de doctrinæ ſinceritate ex catecheſi, de donis ex concione δοκιμαστικῇ, ac de vita eligendi ex ipſa converſatione vel aliorum relatione ferre poteſt, ac proinde non eſt penitus ab electione paſtoris excludendus. 3.) Praxis eccleſiarum noſtrarum oſtendit, ſine confuſione populum ad miniſtrorum electionem admitti. Conſtituta ſunt apud nos conſiſtoria ex eccleſiaſticis & politicis honoratioribus perſonis, quæ eccleſiam repræſentant, nec univerſa multitudo populi adhibetur electioni, ſed certis perſonis, ſenioribus ſcilicet reliquorum nomine dicendi agendive poteſtas datur. In quibusdam eccleſiis populus abdicato quaſi jure ſuo magiſtratui & miniſterio, ejusdem confeſſionis ſocio, has partes cedit, & in illius voluntate ac delectu ſecure adquieſcit: in quibusdam jus ſuum confert in certas perſonas honoratiores, quæ populi nomine omnia peragunt. Neutro modo jus vocandi miniſtros ad totam eccleſiam pertinere deſinit; committitur enim aliorum fidei jus, non amittitur, cum quis libera voluntate ad tempus juri ſuo renunciat, nec in præſcriptionem vel præjudicium juris id vergere poteſt. 4.) Si illa incommoda electioni paſtorum per ſuffragia populi, qua tali, hoc eſt, per ſe & ſimpliciter, ac non potius, quatenus agendi confuſione vitiatæ, ac proinde per accidens competerent, qui factum, quod apoſtoli poteſtatem eligendi populo conceſſerunt? quod conſuetudo illa tempore Cypriani per univerſas fere eccleſias recepta, quod multis canonibus eadem non ſolum adprobata, ſed etiam ſancita?

§. CVII. Sub finem hujus quæſtionis ſuaviter philoſophatur Bellarminus, quod ratio eligendi ad ſuffragia populi, qui paulatim in eccleſiam irrepſit, debuerit proinde paulatim ſuaviterque de medio tolli. I.) *Initio*, (inquit) *hoc eſt, apoſtolicis temporibus, inſciente populo, paſtores eligebantur.* Reſp. falſum hoc eſt,

est, ut constare potest ex actis apostolorum capp. I. VI. XIV. XV. &c. Ratio eligendi per suffragia populi ab apostolis in publicis ecclesiæ conventibus usurpata est, quomodo igitur suaviter irrepsisse dicenda erit? Neque consequens est, quod paulatim in ecclesiam irrepsit, etiam paulatim & suaviter e medio tolli oportere, quid enim dicemus de hæresibus, erroribus, vitiis & morum corruptelis, quæ sæpius paulatim irrepunt, neque tamen paulatim & suaviter, sed justo severitatis zelo tollenda sunt? II.) *Deinde cæpit populus adhiberi ad testimonium dandum de eligendi vita & moribus.* Tertullianus in apol. cap. 30. *Resp.* non nudum testimonium, sed etiam suffragium populo jam tum fuisse datum, adparet ex Cypriano, qui Tertullianum proxime secutus est, & diserte scribit, suo tempore morem illum eligendi *per universas fere ecclesias* receptum fuisse. Ac quod populus ad testimonium dandum tunc adhibitus fuit, id nequaquam per quamdam sub- & obreptionem factum, sed secundum regulam ac normam praxeos apostolicæ; insuper illud populi testimonium consensus & suffragii exstitit fundamentum. III.) *Tum ut populi magis diligerent suos episcopos, cæpti sunt ii tantum ordinari, quos populus postulasset.* Leo epist. LXXXVII. Resp. Leo diserte ibi addit, *vota civium, testimonia populorum, arbitrium honoratorum*, (non nuda desideria & testimonia, sed etiam suffragia) *in constitutione sacerdotum observari ab his, qui norunt regulas patrum.* Ergo non fuit nuda quædam consuetudo, quæ occulte irrepserit, sed ratio eligendi patrum regulis & perpetuæ ecclesiæ praxi conformis. IV.) *Tandem obtinuit in quibusdam locis consuetudo, ut etiam jus suffragii sibi populus usurparet.* Chrysostomus lib. III. de sacerd. *Resp.* imo vero ex superiori diexodo intelligi potest, quod non tandem, sed in apostolicæ ecclesiæ incunabulis non irrepserit, sed publice recepta fuerit; non in quibusdam locis, sed in universis fere ecclesiis; non nuda consuetudo, sed ordinaria eligendi ratio apostolicæ praxi conformis, ut suffragium aliquod populo fuerit datum; non ut de facto, ausu nefario populus duntaxat illud usurparet. Adtende quæso, quam suaviter conetur Bellarminus eludere & elidere perpetuam ecclesiæ praxin Christi instituto & apostolorum exemplo conformem. V.) *Postquam aliquandiu* hoc toleratum est, & adparuit ejus rei confusio & indignitas, *tum etiam paulatim sublata est populo electio & postulatio, solumque relictum testimonium vitae & morum.* Resp. est hic manifestus causæ elenchus, vera enim causa, cur apostolica & probatissima pastores eligendi ratio sit sublata, non est confusio & indignitas, cum in nostris ecclesiis sine ulla confusione adhuc observetur; sed antichristianus Romani pontificis dominatus, imo tyrannis. VI.) *Etiamnum*, concludit Bellarminus, *ordinantur episcopi & presbyteri coram populo, & episcopus, qui ordines collaturus est, per diaconum populum adloquitur & petit, ut si quis est, qui habet aliquid adversus ordinandos, accedat & dicat.* Resp. praxis illa ecclesiæ Romanæ nihil aliud est, quam Dei & hominum illusio. Quando anim diaconus interrogat, num ordinandus ea sit eruditione & vitæ integritate præditus, ut censeri possit dignus, qui eligatur & confirmetur, stat quidam in angulo qui adclamat: *Doctus est, dignus est!* quod ludibrium quis agnoscere poterit pro testimonio populi christiani? Refert Erasmus similem illusionem: ordinandi omnes examinantur ab episcopo aut ejus vicem gerente, facto examine progreditur examinator coram altare, & solenniter jurat se reperisse omnes illos initiandos sacerdotio dignos, ætate, moribus & scientia idoneos, cum plerumque sint indoctissimi, moribus corruptissimi, & sæpe etiam ætate immatura, eodem teste. Observa autem vertiginem hujus disputatoris nostri: hactenus totis viribus defensare conatus est, *jure divino excludi populum ab electione ministrorum, apostolicis temporibus insciente populo pastores electos fuisse, jure naturali ovibus non convenire, ut eligant pastorem;* jam vero disputat, *etiam nunc ordinari episcopos & presbyteros coram populo, & consensum ejus adhuc in ecclesia papali requiri.*

SECTIO

## SECTIO V.

## DE JVRE EPISCOPALI ET JVRE PATRONATVS.

*Jus episcopale quid complectatur?*

§. CVIII. Cum in quotidiana praxi electionis & vocationis ministrorum frequentissima fiat mentio *juris episcopalis*, quod per pacificationem Passaviensem ad status imperii Augustanæ confessioni addictos translatum, & *juris patronatus*; ideo de utroque paucis hoc loco agendum, ut constare possit, an & quomodo jura ista eo modo in reformatis ecclesiis exerceri possint, ne ecclesiæ, cui pastor præficiendus est, debitæ partes in electione & vocatione penitus auferantur? Jus episcopale ex jure canonico definitur, quod *sit potestas episcopo legitime & canonice electo, postulato, confirmato, investito, consecrato, atque ordinato competens.* Ejus tria capita constituunt canonistæ: *ordinem, legem diœcesanam, & jurisdictionem.* Gloss. c. dilectus extr. de offic. ordin. alii, quibus lex diœcesana a jurisdictione non videtur distinguenda, ponunt *ordinem, jurisdictionem & dignitatem;* sed Laur. Ohmius jurisconsultus in tract. de jure episcopali §. 15. media via incedens quatuor summis capitibus jus episcopale absolvi statuit, videlicet *ordine, lege diœcesana, jurisdictione, statu denique & dignitate ipsa*, cujus vestigiis presse hoc loco insistemus. Ad *ordinem* dicit pertinere *potestatem publice docendi & praedicandi verbum Dei*; c. inter cetera & ibi glos. in verb. prædicationis extra de offic. ordin. *administrandi sacramenta;* c. sicut non alii de consecr. dist. 1. *peccatores in ecclesia ligandi & absolvendi*, quæ potestas clavium dicitur; c. pervenit 16. q. 1. item *ad sanctae praedicationis officium alios adsumendi;* d. c. inter cetera, qui cum idonei esse debeant: inde nascitur episcopo *jus scrutinii vel examinis* in qualitates eorum inquirendi, c. quando cum seqq. dist. 24. ac tot tit. extra de temp. ordin. & qualitate ordinandorum; ac si probati fuerint eosdem ad ministerium *ordinandi*. c. perlectis §. ad episcop. dist. 25. Item ministris ad sustentationem necessariam *beneficia conferendi*, cap. 1. de concess. præbend. in 6. eosdem in talia officia & beneficia *introducendi & investiendi*, c. præterea cum seqq. extra de jure patronat. *templa* sive loca sacra propria autoritate *erigendi* & ædificandi, utque alii erigant & ædificent, *indulgendi*, c. Nemo ecclesiam de consecrat. dist. 1. jam erecta & ædificata *consecrandi*, c. Ecclesias 16. q. 7. uti etiam loca religiosa faciendi, velut *monasteria, oratoria, xenodochia*, cap. de xenodochiis & t. t. extr. & in 6. de dom. religiosis, λόγον ἀσυλίας sive beneficium *asyli* illis concedendi, l. pateant 3. C. de his qui ad eccles. confugiunt. c. inter alia extra de immun. eccles. *abbates & abbatissas benedicendi*, c. 1. extra de supplenda negligentia prælat. *ecclesiasticas constitutiones* ad τάξιν καὶ εὐχημοσύνην spectantes *promulgandi &c.*

*Lex diœcesana.*

§. CIX. Ad *legem diœcesanam* refertur *canonica obedientia, subjectio & reverentia*, quam omnes de diœcesi tam laici quam clerici episcopo præstare tenentur: c. conquerente extr. de offic. ordin. *administratio, dispositio, & gubernatio rerum & bonorum ecclesiae tum mobilium tum immobilium*: c. Sic quidam cum seqq. 10. q. 1. *eorum, quae injuste alienata sunt, vindicatio*: c. Augustino 12. q. 2. l. sanctimus 21. c. de sacros. eccles. *œconomorum & provisorum super bona & res illas constitutio*, l. jubemus 14. c. de sacros. eccl. *rationum ab iisdem repetitio.* d. l. jubemus; *Similiter religiosarum domuum & quoad administrationem & quoad disciplinam inspectio & provisio*, t. t. ext. de relig. dom. *decimarum perceptio ac distributio*, c. decimas 16. q. 7. ex iis *canonicae portionis sive quartae retentio.* c. Conquerente extr. de off. ordinar. Item *visitatio*, c. relata cum seqq. 10. q. 1. ejusque gratia procurationis ecclesiasticæ sive *sumtuum ad visitationem collectio*,

c. cum apostolus §. prohibemus extr. de censibus, *synodorum in sua diœcesi convocatio*, c. annis dist. 18. *synodatici sive cathedratici exactio*, quod solvitur plerumque a clericis in synodo episcopali ob honorem & conservationem cathedræ episcopalis, c. conquerente extr. de off. ordin. ac nonnunquam in casu necessitatis moderata *collectatio*, quam vocant *charisterii* sive caritativi subsidii indictionem, quod est jus episcopale diœcesanum, denique *cancellariatus* in academiis suæ diœcesi insitis vel vicinis honorificentissima functio, hoc est, doctores, magistros & baccalaureos creandi & promovendi licentia, ejusve decanis facultatum gratiosa concessio.

*Jurisdictio.* §. CX. Ad *jurisdictionem* pertinet, quod episcopus in tota sua diœcesi & qualibet ejus parte potest clericorum omnium tam civiles & criminales, quam spirituales, laicorum vero spirituales potissimum causas *audire*, (quod vocant *episcopalem audientiam* l. cum clericis 25. c. de episc. & cleric.) per sententiam *definire*, c. Jurgantium extr. de sentent. *pœnas* tam ecclesiasticas sive canonicas quam seculares *decernere*, c. Presbyteri extr. de pœnis, *emendas & satisfactiones imponere*, c. dilectus extr. de offic. ordin. *clericos ob crimen, excessum vel defectum cognitum ab officio & dignitate suspendere*, c. tuarum extr. de privil. & excess. *imo prorsus removere ac deponere*, t. t. extr. de eo qui furtive ordin. eosdem ex causa *restituere*. d. c. tuarum extr. de privil. & excess. Insuper censuram ecclesiasticam in omnes diœcesanos clericos & laicos per *excommunicationem majorem & minorem*, quæ in personas dirigitur, itemque *per interdictum generale & speciale*, quod in res & loca præcipue dirigitur, ex justa ratione exercere, c. Episcopi cum seqq. 11. q. 3. iterumque *ab excommunicatione & interdicto reconciliatos absolvere*. c. nuper extr. de sent. excomm. *a juramento* illicite extorto sive alias præstito ad effectum agendi aut alium absolvere, c. si vero. c. cum quidam extr. de jurejur. de gradibus in matrimonio non jure divino sed canonico prohibitis *dispensare*. c. Quia circa extr. de consang. & affi. denique in causis scholarium sive studiosorum ex debito civili simul & delicto descendentibus *judicare*, auth. habita c. ne filius pro patre.

§. CXI. Ad statum & dignitatem episcopalem pertinent *tituli* illius dignitatis illustriores, item *privilegia*, *immunitates & securitates episcopales*, t. t. c. de episc. & clericis, tum *praerogativa gradus*, qua episcopi invicem sibi præstant: c. Nullus primas 9. q. 2. sic episcopis sive diœcesanis præferuntur archiepiscopi sive metropolitani, archiepiscopis patriarchæ seu primates &c. uti etiam *praecedentia*, qua statibus laicis antecellunt. c. duo sunt dist. 96. c. Solitæ extr. de major. & obed. Item functiones illæ, quibus episcopi *in coronandis, ungendis & consecrandis regibus* & imperatoribus fruuntur, quo pertinent etiam *bona mensalia* ad dignitatis conservationem spectantia. *Status.*

§. CXII. Atque hæc sunt quatuor illa summa capita, quibus *juris episcopalis* potestas ac dignitas includitur, circa quæ tria sunt notanda: 1.) Quamvis ex constitutione pacis religiosæ anno 1552. Passavii sancita, & anno 1555. Augustæ confirmata, electores, principes ac status imperii Augustanæ confessioni addicti jura episcopalia in suis territoriis sibi vindicent; tamen exercitium eorum ita temperant, ut quædam capita ipsimet non adtingant, sed ecclesiæ ministris relinquant, utpote prædicationem verbi & sacramentorum administrationem, potestatem clavium, examen eligendorum ministrorum, eorum ordinationem &c. quædam per consistoriales & superintendentes peragant, utpote ecclesiarum visitationem, causarum ecclesiasticarum, ad quas etiam matrimoniales spectant, dijudicationem &c. quædam sibi solis immediate reservent, utpote constitutionum ecclesiasticarum promulgationem, synodorum convocationem &c. quædam denique cum consensu ecclesiæ administrent, utpote electionem & vocationem ministrorum. 2.) Omnia, quæ ad jus episcopale,

le, præsertim ad ordinis potestatem referuntur, cum hac omnino exceptione intelligenda sunt, quod juxta canonici juris disposition ordinarie quidem & regulariter episcopis competant; interim tamen salvum & integrum relinquendum esse jus illud, quod in uno vel pluribus horum capitum inferiores antistites, principes, comites, nobiles, civitates, communiones &c. ex consuetudine, præscriptione, privilegio, pactis, transactione &c. adquisiverunt. 3.) Dicuntur ergo omnia illa ad jus episcopale pertinere, non quod jure divino ad episcopos solos excluso magistratu christiano & populo pertineant; sed quod in regno pontificio juxta canonici juris dispositionem & praxin receptissimam episcopi ea sibi & olim vindicaverint, & adhuc vindicent, cum tamen quædam ex illis ad magistratum, ecclesiæ nutritium, vel in solidum vel saltem ex parte divino jure pertineant, prætermisso interim, quod proprie ac præcipue ad jus episcopale pertinet, publice in ecclesia docendi & sacramenta administrandi munere.

*Jus patronatus.*

§. CXIII. *Jus patronatus* definit Matth. Stephani lib. III. de jurisdict. p. 1. cap. 17. quod *sit jus honorificum, utile & oneroſum competens alicui in eccleſia pro eo, quod diocæſani conſenſu eccleſiam vel fundavit, vel conſtruxit, vel dotavit*; hinc versiculus:

*Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.*

Origo juris patronatus ea est. In primitiva ecclesia pii ex sincero divinum cultum promovendi studio suis impensis oratoria, templa & alia loca sacra exstruebant, ac facultates suas ad sustentationem ministrorum illius ecclesiæ largiter conferebant, illos fundatores & donatores, qui patrimonii sui hæredem constituebant ecclesiam, vocarunt *Patronos*, similitudine adpellationis ex patronis Romani juris deducta. Vt enim more in imperio Romano tunc temporis adhuc usitato liberti manumissi dominis suis grati animi ergo reverentiam & operas ex stipulatione & jure jurando præstabant, eique obligabantur ut patronis: ita quoque illos, qui templa suis sumtibus exstruebant, & ministris sacrorum sustentationem adsignabant, patronos dici voluerunt. Effectus hujus juris est, quod patronus habet potestatem *nominandi* sive *præsentandi* instituendum. Diversum illud est a jure patronatus civili, quod in servos a se manumissos retinent domini eorumque liberi, de quo tit. ff. de jure patron. & tit. C. de bon. libert. hoc enim, de quo agimus, a canonibus ecclesiasticis conceditur iis, qui vel fundarunt vel construxerunt, vel dotarunt ecclesiam, ubi tamen monent canonistæ, non solam fundationem, hoc est, fundi adsignationem jus patronatus tribuere, sed requiri etiam operis exstructionem propriis sumtibus factam & dotationem. c. Abbatem 4. 18. q. 2. c. nobis. c. piæ mentis. c. monasterium 16. q. 7. c. Nemo de consecrat. dist. 1. Statuunt etiam, hoc jus adquiri *præscriptione immemoriali*, hoc est, quadragenaria cum bona fide. c. Querelam 24. extra de elect. gl. c. circa de jure patron. *antiqua consuetudine, titulo donationis, permutatione, venditione universitatis, cessione vel legatione cum consensu episcopi facta*; item transmitti ad hæredes. Dicitur jus *utile*, quia patronus habet jus exedræ, sepulchri, processionis &c. in ecclesia, & cum vergit ad extremam inopiam, una cum liberis debet ali ab ecclesia patronata; c. nobis §. fin. de jure patron. *honorificum*, quia patronus vacante beneficio episcopo præsentat instituendum; c. decernimus 19. q. 7. c. ex insinuatione cum seqq. de jure patronatus: *oneroſum*, quia patronus tenetur ecclesiam suam defendere & prospicere, ne bona dilapidentur; c. filiis 16. q. 7. & si bona non sufficiant ecclesiæ, ipse tenetur de suis aliis supplere. Clement. 1. de jure patron. Si patronatus jus sit penes laicos, habent ad præsentandum sibi præstitutum tempus quatuor mensium. c. Si laicus. §. verum, de jure patronatus in 6. quo tempore prælapso episcopus nulla admissa præsentatione pro habitu idoneam aliquam personam instituere, eamdemque prævio examine ordinare non prohibetur. c. si

vero, extr. eod. Si vero ecclesiastica persona jus patronatus habet, intra sex menses præsentationem facit. P. Friderus lib. III. de contin. caus. cap. 19. n. 17. Nec interest, an plures patroni sint sive unus, dummodo si plures sint, in præsentando omnes vel certe major eorum pars in eumdem conveniant, ac possunt patroni inter se pacisci, ut alternis vicibus singuli præsentent c. 2. de jure patron. in 6. *Hoc jus patronatus* in constitutione ecclesiastica electorali adprobatur, & illis, quibus lege vel consuetudine vel aliis honestis titulis competit, confirmatur.

§. CXIV. Ex illis, quæ de jure episcopali & patronatus inter se plurimum distinctis diximus, colligimus hæc consectaria: 1.) Nec institutionem, nec remotionem, sive depositionem ministrorum ecclesiæ competere iis, qui jure patronatus fruuntur, cum pertineat ad jus episcopale, qua de re exstant diserti canones c. præterea, c. quod autem, c. querimoniam cum laici, c. consuluit, c. suggestum de jure patron. Ad eum igitur, qui episcopale jus exercet, crimina ministrorum deferenda, & legitimo causæ examine præmisso de remotione disputiendum; secus quam hodie fit in locis compluribus, ubi patroni absolutum jus in ministros sibi vindicant pro lubitu eos instituendi, ac loco movendi. 2.) Visitationes vel speciales vel generales ab eo, qui juris episcopalis eminentia fruitur, institutas nihil derogare juri patronatus; secus quam sibi imaginantur multi ex patronis, qui eo nomine sanctum & maxime necessarium visitationis opus totis viribus impediunt, ne juri patronatus quidpiam decedat. 3.) Rationes ecclesiasticorum redituum, vulgo *die Kastenrechnungen*, ad jus episcopale non ad jus patronatus pertinere; secus quam statuunt multi ex patronis, qui superintendentem ad earum a præfectis ærarii ecclesiastici exactionem admittere omnino recusant. 4.) Excommunicationem tum majorem tum minorem cum certo respectu ac modo ad episcopale jus pertineat, quod per consistoriales suos reformatæ religionis principes exercent, non debere privato ministri ecclesiæ arbitrio absque autoritate & mandato consistorii exerceri, quod ipsum etiam disertis & gravibus verbis in constitutione eccles. electorali cap. de excomm. prohibetur. 5.) Non solum jus patronatus, sed etiam jus episcopale ea christianæ moderationis trutina exercenda esse, ne ecclesiæ, cui pastor dandus est, consensus & testimonium plane excludatur; ideoque si ecclesia habeat justas & prægnantes causas in personam præsentatam & publice auditam non consentiendi, audienda omnino est, nec invitæ obtrudendus est minister, quia nec episcopale nec patronatus jus ecclesiasticis canonibus introductum, præjudicare potest potestati jure divino toti ecclesiæ in ministrorum electione competenti.

## SECTIO VI.

## DE CAVTELIS IN VOCATIONE MINISTRORVM PROBE OBSERVANDIS.

*Quid cavendum sit illis, qui ecclesiæ nomine eligunt?*

§. CXV. Vt legitima & Deo grata sit ministrorum electio, diligenter in hoc negotio quædam cavenda sunt, tum illis, qui ecclesiæ nomine eligunt, tum illis, qui ad ministerium eligendi. De *prioribus* notentur sequentes canones: I.) *In nominatione, præsentatione, electione & vocatione* ministrorum non agatur quidquam temere sine gravi consilio & præmissis ad Deum feriis precibus. Quo enim augustius ac divinius est hoc negotium, eo majore prudentia & ardentioribus precibus in eo peragendo opus esse statuamus: *Rogate Dominum messis*, præcipit Christus, *ut operarios in messem suam extrudat.* Matth. IX. 38. Non est ullum præstantius & salutarius Dei donum, quam fidelis, idoneus ac sincerus verbi minister, jam vero dona

dor a Dei non possunt aliter nisi per preces obtineri. Luc. XI. 13. Joh. XVI. 24. Jac. I. 5. & 17. Deus est, *qui idoneos* facit ministros nov. test. 2. Cor. III. 5. is ergo piis precibus rogandus, ut ipse mittat, quem elegerit. Christus ipse, cum duodecim apostolos eligere vellet, Luc. VI. 13. noctem præcedentem seriis impendebat prius precibus, v. 12. suo nos instruens exemplo, quam pie & sancte hoc negotium sit tractandum. Euthymius in Marci III. *Pernoctabat Christus in oratione ad Deum instruens nos, ut si quando aliquem electuri simus, in oratione pernoctemus, quo is, qui dignus est, innotescat, ne communicemus peccatis alienis.* Idem sedulo in ecclesia apostolica observatum fuisse, colligitur ex Act. I. 24. XIII. 3. XIV. 23. ubi precibus conjunguntur jejunia, ut sint ardentiores & excitatiores. II.) Nullus ecclesiæ status suo jure in ministrorum vocatione abutatur, sed conjunctis animis ac votis omnia peragantur. Quod enim ad omnes pertinet, quod omnes tangit, ab unius arbitrio pendere neutiquam debet. Cavendum ergo modis omnibus, ne vel ambitio ordinis ecclesiastici, vel fastuosus dominatus ordinis politici, vel furor populi εὐταξίαν in legitima vocatione observandam perturbet. Peccant igitur magistratus, qui excluso ministerio, cujus præcipuæ debent esse partes in vocatione pastorum, absolutum aliquod & proprium hac in re jus sibi arrogant, pro lubitu ministros instituunt ac deponunt, ecclesiæ invitæ ac repugnanti, quin & precibus lacrimisque obluctanti pastores obtrudunt. Peccant etiam ecclesiæ, quæ personam a patronis nominatam testimonio consistorii comprobatam, donis ad docendum necessariis instructam, &c. recipere & vocare recusant, urgentes, ut plures una personæ præsententur. In arbitrio enim patronorum positum, an unam vel plures personas nominare velint, nec absolutæ necessitatis est, ex pluribus fieri electionem; sed sufficit ad legitimam vocationem, si accedat ecclesiæ consensus, quem personæ a patrono nominatæ & a consistorio comprobatæ populus denegare non debet, nisi ob graves ac prægnantes causas, doctrinam vel vitam præsentatæ personæ concernentes. III.) Patroni & consistoriales in nominatione eligendorum ad ministerium nequaquam respiciant cognationem, adfinitatem, intercessiones, solicitationes &c. ut minus idoneos vel indignos nominent, sed perpetuo sibi proponant regulam apostolicam: 2. Tim. II. 2. *Quae a me audivisti, commenda fidelibus hominibus, qui idonei sint ad docendos alios.* Sin minus, de ejusmodi patronis dici poterit, quod de Jeroboamo scriptura refert: 1. Reg. XIII. 33. *De novissimis populi aut e fece vulgi constituebat sacerdotes, qui placuerat ipsi, hujus manum implebat.* Augustus, teste Suetonio lib. II. cap. 56. nunquam suos populo commendavit, ut non adjiceret: *si merebuntur;* quanto magis patroni ecclesiarum in personarum nominatione, ac qui alios commendant, hoc adjicere debent. Dici non potest, quam graviter peccent, qui adfectibus vel muneribus in transversum sese in hoc negotio rapi patiuntur. Sanguis animarum per negligentiam indocti ac minus idonei pastoris pereuntium requiretur a manibus ipsorum. IV.) Caveant illi, penes quos jus præsentandi & ecclesiæ nomine eligendi ac vocandi, ne officia ecclesiastica faciant venalia, neve donariis & honorariis favores suos ministerii candidatis venales exponant; sed memores sint pristinæ disciplinæ ecclesiasticæ; c. Sanctum est caus. 7. q. 1. ex concilio Rothomagensi: *Sancitum est, atque omnibus modis prohibitum, ut si quis presbyter inventus fuerit alicui clerico vel laico munera dare vel dedisse, aut aliam pecuniam tribuere, ut alterius presbyteri ecclesiam vacantem pretio redimat, pro hac cupiditate seu rapina, seu praesumtione turpis lucri gratia dejiciatur a clero, & alienus exsistat a regula.* Justinianus imperator nov. 123. cap. 1. *Sancimus, quoties opus fuerit episcopum ordinari, clericos & primates civitatis, cujus futurus est episcopus, mox in tribus personis decreta facere, propositis eis sacrosanctis evangeliis periculo suarum animarum dicentes in ipsis decretis, quia neque propter aliquam donationem, neque propter aliquam promissionem, aut amici-*

*amicitiam aut aliam quamlibet causam, sed scientes eos rectae & catholicae fidei & honestae esse vitae, & literas nosse, hos elegerunt.* Cum Simon magus pecuniam offerret apostolis mercaturus ab illis potestatem conferendi Spiritum sanctum, audire cogitur a Petro: *Pecunia tua tecum sit in perditionem!* Act. VIII. 20. Vtinam proverbii loco idem usurpetur a collatoribus, patronis, consistorialibus, superintendentibus & senioribus ad eos, qui aureis & argenteis hamis ecclesiastica officia piscantur. Huc referenda sunt gravissima illa contra simoniam tonitrua ac fulmina, quae in jure canonico proponuntur, (*) sed illa hodie in regno papali sunt fulgura ex pelvi. (**) Conqueritur hac de re aliquoties Ludov. Vives in commentariis super libros Augustini de civitate Dei, cujus querelas recensuimus in loco praec. de ecclesia c. XI. sect. V. §. CXCVIII. Pulcre Leo & Anshelmus Augg. l. Si quemquam c. de episcopis & clericis: *Si quemquam vel in hac urbe regia, vel in ceteris provinciis, quae toto orbe diffusae sunt, ad episcopatus gradum provehi Deo autore configerit, puris hominum mentibus nuda electionis conscientia sincero omnium judicio probehatur. Nemo gradum sacerdotii venalitate pretii mercetur, quantum quisque meretur, non quantum dare sufficit, aestimetur. Profecto enim quis locus tutus & quae causa poterit esse excusata, si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? quem murum integritatis aut vallum fidei providebimus, si auri sacra fames penetralia veneranda prosterpet?*

*Quid illis cavendum sit,*

§. CXVI. *Posterioribus* proponendus hic canon: Qui ad ministerium eligendi sunt, sedulo caveant, ne pecuniis, fraudibus, emendicatis suffragiis, vel quibuscunque malis artibus semet ipsos ingerant, sed legitimam vocationem exspectent. Gregorius lib. II. epist. 22. ad Antonium subdiaconum: *Illud prae omnibus curae tibi sit, ut in hac electione nec datio quibuscunque modis interveniat praemiorum, nec quarumlibet personarum patrocinia convalescant. Nam si quorumdam patrocinio quisquam fuerit electus, voluntatibus eorum cum fuerit ordinatus, reverentia exigente obedire compellitur.* Nemini quidem prohibitum est, operam suam offerre ecclesiae, modo sibi conscius sit necessariae eruditionis & donorum ad docendum requisitorum: 1.) Quia apostolus diserte ait: 1. Tim. III. 1. *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* 2.) Quia servus *talentum* sibi concreditum studiose *abscondens* gravissimam Domini sui offensam incurrit. Matth. XXV. 28. 3.) Esaias propheta sanctissimus operam suam Domino quaerenti legatum ad populum israeliticum paratissimam offert. Esaj. VI. 8. *Audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam, & quis ibit nobis? & dixi: Ecce ego, mitte me.* 4.) Petere ecclesiasticam functionem nulli praecepto divino repugnat, sed potius caritatis christianae salutem proximi serio expetentis opus est. 5.) Basilius epist. X. conqueritur, quod suo tempore inepti constituti sint episcopi, *cum idonei & pii se offerre noluerint;* interim tamen qui ecclesiae operam suam offert, liberum de se aliis permittere debet judicium, nec occultis artibus & illegitimis modis sese ingerat, sed vocationem ordinariam ac legitimam exspectet, nec desiderium mutetur in cursum, nec

*qui eligantur?*

(*) (cap. 2. caus. 1. q. 1. *Quicunque studet pretii datione sacrum ordinem mercari, dum non officium, sed nomen attendit, sacerdos non esse, sed dici tantum inaniter concupiscit.* cap. 6. *Quos constiterit indignos meritis sacram mercatos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri, non sine periculo facinus tale perpetrantes, quia dantem pariter & accipientem damnatio Simonis involvit.* Glossa in principio caus. 1. q. 1. definit *simoniam*, quod sit *studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali adnexum.* Quam definitionem retinet Thomas II. 2. q. 100. art. 1 Biel lib. IV. sent. dist. 25. q. 1. Valentinianus in Thom. III. f. 1957.) GERHARDUS.

(**) Lutherus in Gen. XXV. f. 22. *Totus papatus substantialiter repletus est simonia, ac si tuleris simoniam ex papatu, jam solem inde tulisti, nihil enim aliud negotii curtisanis est, quam ut emant & vendant sacerdotia.* GERHARDUS.

nec τὸ ὀρέγεσθαι, quod commendat apostolus 1. Tim. III 1. degeneret in τὸ τρέχεσθαι, quod damnat propheta Jerem. XXIII. 21. nec honestia muneris petitio in famelicam & inhonestam ambitionem desinat. Augustinus lib. XIX. de civ. Dei cap. 19. *Locus superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque ministretur, ut decet, tamen non decenter adpetitur.* Distinguendum igitur inter desiderium ordinatum & inordinatum, unde in constitutione eccles. elect. cap. de *vocatione ministrorum*, pag. 87. ita decretum exstat: *Quamvis prohibitum non sit operam suam ecclesiae offerre; nemo tamen sibi ipsi certum locum debet nominare vel designare, sed relinquat hoc judicio eorum, qui pro ratione donorum divinitus ipsis concessorum de honesta & commoda functione ipsi prospicere possunt, qua ratione de legitima vocatione certus reddi, & in omnibus adversis promissione divinae gratiae, benedictionis & auxilii sese erigere poterit.* Cavendum etiam sedulo, ne quis insidietur functioni ejus, qui in officio ecclesiastico per legitimam vocationem constitutus, odia mundi ob fidelem muneris sui administrationem experitur, neve patiatur se surrogari in locum ejus, qui sine legitimo judicii processu loco suo motus est, qua de re videatur Joach. Mörlinus in tract. de vocatione ministrorum.

## SECTIO VII.

## DE CASIBVS QVIBVSDAM DVBIIS IN VOCATIONIS NEGOTIO OCCVRRENTIBVS.

*Quæstiones de quibusdam casibus dubiis in negotio vocationis.*

§. CXVII. Cum propter religionis diversitatem, exercitium juris episcopalis ad status Augustanæ confessionis in territoriis suis administrandum translati, contentiones de jure patronatus, & causas atque circumstantias alias complures, dubiæ quæstiones in negotio vocationis sæpius moveantur, aliquas earum hoc loco breviter explicabimus. Quæritur: I.) *An jus episcopale & jus patronatus in ecclesiis reformatis locum habere debeant, cum videantur jus vocandi ad totam ecclesiam pertinens certo duntaxat ordini vindicare?* Resp. distinguendum est inter legitimum utriusque juris episcopalis & patronatus exercitium, & ejusdem abusum. Legitimum exercitium non repugnat ordini ac modo vocationis divinitus præscripto, quia præsentatio ac nominatio, quæ ad jus patronatus pertinet, nihilominus populo reliquit liberum, an præsentatum ac nominatum eligere velit, & in vocationem ejus consentire. Pari ratione examen, ordinatio, investitura, confirmatio &c. quæ ad jus episcopale pertinent, eo moderamine exerceri possunt ac debent, ne ecclesiæ invitæ pastor obtrudatur, sed consensus, testimonium & suffragium illius accedat. Ministri ecclesiæ Gryphiswaldensis in tract. de vocat. ordinat. institutione & dimissione pastorum contra quemdam turbatorem, contendentem jura patronatus a diabolo per filium perditionis contra verbum Dei in perniciem ecclesiæ invecta esse, anno 1594. edito, inter cetera sic scribunt: *Constat, jura patronatus ecclesiae consilio patrum in veteri ecclesia ante primatum & dominatum Romani papae autoritate piorum imperatorum adprobata esse, donec a Justiniano caesare circiter annum Christi 540. publicatae sunt leges, quae patronis ecclesiae tribuunt denominationem & praesentationem pastorum, auth. de sacro S. episc. c. 18. & in novell. 57. cap. 2. leges illae imperatoriae amplius 600. annis publicatae sunt ante compilatum per Gratianum jus canonicum.* Lutheri sententia de jure patronatus exstat in prima parte libri ipsius contra cœlestes prophetas, tom. III. Jen. germ. f. 55. seqq. eadem clarius reperita in libello, cui titulus: *Unterricht an die Visitatorn der Kirchen im Churfürstenthum Sachsen*, edito anno 1528. tom. IV. Jen.

Jen. germ. f. 357. in quo Lutherus & alii theologi, qui Witebergæ tunc docuerunt, piis ecclesiarum patronis jus suum *in denominandis pastoribus & accedente ecclesiae consensu jus eosdem praesentandi seu vocandi non modo reliquerunt, sed etiam adprobarunt.* Sane occurrunt alicubi in scriptis Lutheri quædam, quæ contra jus patronatus satis duriter videntur pronunciata, sed sensus dictorum petendus ex causis dicendi. Cum enim revelata evangelii luce piæ ecclesiæ sub jugo pontificiæ tyrannidis gementes sinceros pastores expeterent; papistici vero patroni & impii episcopi evangelii persecutores pro pastoribus lupos illis obtruderent, & hac ratione vastitatem ecclesiis inducerent, ibi coactus fuit Lutherus docere, jus vocandi pertinere non ad impios patronos & hostes evangelii, sed ad ecclesiam, quo ipso nequaquam voluit jura patronatus recte & legitime usurpata penitus abolere. II.) *An illi, qui populo adsensum quidem praebente, sine tamen consensu magistratus & presbyterii ordinatione docendi munus amplectuntur, pro veris & legitimis pastoribus habendi sunt?* Resp. anabaptistis enthusiasmos & internam vocationem jactantibus hoc solenne est, qua in parte imitantur pristinos illos pseudoprophetas, de quibus 2. Tim. III. 6. *Ex his sunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quae ducuntur variis desideriis.* Sed cum præcipuæ partes in vocatione ministrorum non imperitæ plebeculæ, sed magistratui ac presbyterio tribuendæ sint, ideo circumcellionum istorum vocationes non possunt pro legitimis haberi. III.) *Si magistratus pontificius finceris ministris loco motis missificantes sacrificulos substituit, & ecclesiae obtrudit, num illi pro ministris legitime vocatis habendi & audiendi sunt?* Resp. jus vocandi & deponendi ecclesiæ ministros non pertinet ad regalia magistratus, sed toti ecclesiæ competit, ideoque qui invitæ ac repugnanti ecclesiæ obtruduntur, non sunt legitime vocati ministri. Hic ergo locum habet illud Christi: Matth. VII. 15. *Cavete a pseudoprophetis.* Joh. X. 5. *Alienum non sequuntur;* & illud apostoli: 2. Joh. v. 10. *Nolite recipere &c.* Si magistratus cogere velit subditos, ut ministros illos recipiant, missis interfint, &c. cogitandum, quod *Deo magis obediendum sit quam hominibus*; Act. V. 29. ideoque a missis ipsorum idololatricis, quæ cœnam convertunt in actionem toto genere diversam, videlicet in sacrificium propitiatorium pro vivorum ac mortuorum peccatis, penitus abstinendum, baptismus tamen in casu necessitatis ab illis accipi potest, si substantialia serventur integra, & protestatio de dissensu cum dogmatibus papalibus vel expressa vel tacita interponatur. IV.) *Si magistratus pontificius sinceros verbi ministros ob zelum, quo errores papales insectantur, loco moveat, iisque alios sinceros quidem, sed tamen mitiores substituat, repugnante in utroque facto ecclesia; num successorum vocatio pro legitima habenda est, & illorum ministerio utendum?* Resp. Kauffmannus in ἱεροδιδασκαλίᾳ pag. 86. negat hisce adductus rationibus: *primo*: jus plenum in constitutione ministrorum agendi pro lubitu & obtrudendi evangelicis ecclesiis concionatores, quos velit, ne quidem illi magistratui conceditur, qui confessioni sinceræ doctrinæ addictus est, multo minus igitur magistratui alienam religionem profitenti hoc erit integrum. *Secundo*: magistratus pontificius ne suis quidem ecclesiis sacrificulos præficiendi jus habet; ergo multo minus potestatem habet evangelicis ecclesiis ministros obtrudendi. *Tertio*: ea demum vocatio est legitima, in qua illi præficiuntur, qui possunt ἐλέγχειν τὰς ἀντιλέγοντας. Sed pontificius magistratus tales ministros ecclesiæ nunquam præficiet. *Quarto*: legitima vocatio ad hunc scopum debet collineare, ut semno Dei currat; sed pontificio magistratui hic scopus non est propositus. Hæc omnia suo loco verissima esse dicimus, interim tamen ob varias circumstantias distinguendum est inter ecclesiam *liberam & pressam*: item, inter vocationem plene *legitimam* & ex parte *vitiatam*. In ecclesia libera de iure non debet habere locum talis vocatio; quod si de facto in ecclesia pressa tale quid contingat, debet quidem ecclesia

jus

jus suum, quantum potest, urgere & tueri, interim quia magistratui terminos suæ potestatis excedenti, & sine expresso ecclesiæ consensu pastores constituendi ac removendi jus sibi soli arroganti resistere in hoc casu non potest absque evidenti periculo, ne puræ religionis exercitio plane fraudetur, ideo satius est, pastores illos, si ex hypothesi recta doceant, audire, & sacramentorum administrationem ab ipsis petere, quam jus suum arctius persequi & ansam præbere, ut publicum sinceræ religionis exercitium plane aboleatur. V.) *Si magistratus calvinianus sinceris doctoribus abire jussis alios substituat, ab ὀρθοδοξία discedentes, num illorum vocatio habenda est legitima?* Resp. invitæ ecclesiæ nec eripiendi nec obtrudendi sunt a magistratibus pastores; proinde graviter peccant, qui tale quid adgrediuntur, & re ipsa dominium in conscientias sibi arrogant. Quod si de facto contingat, quærendum remedium per serias ad Deum preces, per literas supplices apud ipsum magistratum, per implorationem auxilii a superiore magistratu, & quæ alia legitima ac licita haberi possunt media, quibus si nullus detur locus, vicinorum recte docentium ministerio utendum. Quæritur igitur VI.) *An vocatio ministri ecclesiae eo usque se extendat, ut alterius pastoris auditores ad confessionem, absolutionem & communionem admittere possit?* Resp. in jure canonico c. ut dominicis in decretalibus Gregorii tit. de paræciis statuitur, quod *dominicis vel festivis diebus presbyteri, antequam missam celebrent, plebem interrogare debeant, num alterius paræcianus sit in ecclesia, qui proprio contemto presbytero ibi velit missam audire, quem si invenerint, statim ab ecclesia abjiciant.* & cap. omnis de pœnitentiis & remissionibus statuitur, quod quilibet *proprio sacerdoti debeat confiteri sua peccata, si quis vero alieno sacerdoti voluerit justa de causa confiteri, debeat prius licentiam a proprio sacerdote postulare & obtinere.* Hanc constitutionem recipiendam dicimus, quatenus ordinarius pastor verbum Christi sincere docet, & sacramenta juxta illius institutionem legitime administrat, tunc enim turbaretur ordo divinitus constitutus, & ministerium orthodoxi pastoris contemneretur, si quis ad alienum pastorem abire vellet. Sed si ordinarius pastor verbo Dei contraria docet, & in dispensatione sacramentorum institutionem Christi violat; tunc licitum est alterius pastoris orthodoxi opera in absolutione & communione uti, quia Christus, cujus œconomi sunt fideles ministri, *neminem ad se venientem foras expellit*; Joh. VI. 37. ideoque cum in terris docendi munere fungeretur, recepit omnes, qui *ex vicinis civitatibus & pagis* ad ipsum confluebant, quod ipsum ab apostolis quoque factitatum. Neque arbitramur illud pugnare cum constitutione Passaviensi, in qua edicitur, ne quis alterius status subditos ad suam religionem cogat, adliciat, vel contra magistratum defendat: *Es soll kein Stand den andern, noch desselben Unterthanen zu seiner Religion dringen, abpracticiren, oder wider ihre Obrigkeit in Schutz und Schirm nehmen, noch verthedigen in keinem Wege*; aliud enim est sponte venientes recipere, aliud blanditiis pellicere, vel violentia cogere. Nec dici potest de pastore aliunde venientes recipiente, quod magistratui subditos suos alienare cogitet, neque enim distinctio dominiorum ac territoriorum tollitur per verbi prædicationem & sacramentorum administrationem: ut regnum Christi non est terrenum & mundanum, ita quoque distributio spiritualium bonorum in Christi regno non confundit hujus mundi dominia & regum politicorum territoria. VII.) *An probandae sint exspectativae ad certas parochias, quas quidam vivis adhuc pastoribus sede nondum vacante a patronis impetrant?* Resp. in regno papali tales exspectativæ ac præbendæ sunt frequentissimæ, contra veteres canones in concilio Lateranensi, ut & Trident. sess. XXIV. cap. 19. repetitos. Sic enim recte statuitur c. Qui in vivorum, in decretalibus Gregorii de concessione præbendæ: *Qui in vivorum sacerdotum loco ponuntur, hoc ipso sunt ab ecclesiastica communione pellendi, quo se passi sunt vivis sacerdotibus successores adhiberi.* c. Nulla

eodem: *Nulla ecclesiastica ministeria seu etiam beneficia vel ecclesiae tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent, ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium se credidit successurum. Cum enim in ipsis etiam legibus gentilium inveniatur inhibitum, turpe est & divini plenum animadversione judicii, si locum in ecclesia Dei futurae successionis exspectatio habeat, quam ipsi etiam gentiles condemnare curarunt.* Quibus rationibus addatur, quod per præbendarum illarum concessionem ecclesiæ adimitur libertas in electione ministri divino jure ipsi competens. Distinguenda tamen a præbendarum concessione adjuncti vel substituti, cum consensu ecclesiæ facta electio, qui pastorem senem atque emeritum aliqua laborum parte sublevet, nihilominus enim collatori & ecclesiæ liberum relinquitur, an post obitum pastoris senis eum ad ordinarium pastorem & successorem vocare velint? Distinguenda etiam a præbendarum concessione nominatio successoris ab episcopo ipso tota ecclesia consentiente facta, qualis fuit Eradii nominatio apud Augustinum epist. CX. *Aliud est*, (inquit Gratianus c. Apostol. 8. q. 1.) *de sui successoris electione cum fratribus deliberare, aliud est ex testamento tanquam suae dignitatis haeredem sibi quaerere.* VIII.) *An probandus sit mos quibusdam in locis receptus, quo non patet ad successionem in ministerio aditus, nisi vel viduam vel filiam antecessoris ducat, vel sit filius vel frater demortui.* Resp. non refragamur, quo minus vel filius, vel cognatus, vel adfinis defuncti pastoris, si necessariis donis instructus sit, ad vacantem ministerii sedem vocetur, neque inficias imus, pastorum de ecclesia bene meritorum viduis ac liberis prospiciendum esse; sed cavendum, ne indigni ac minus idonei propter talia connubia promoveantur, neve ecclesia privetur sua libertate in vocandis idoneis ecclesiæ ministris, denique ne ex consuetudine certis conditionibus limitata lex quædam introducatur, & successionum hæreditariarum jura ad officiorum ecclesiasticorum constitutionem transferantur. IX.) *An invito committendum sit ministerium?* Resp. quandocunque etiam pii & sancti viri recusant ecclesiasticum ministerium suscipere, cum ipsis *angelicis humeris illud tremendum esse noverint*, sicut Jeremias ad propheticum officium vocatus exceptionem ætatis opponebat, Jer. I. 6. Moses exceptionem eloquentiæ, Exod. IV. 10. illis persuadendum est, ne divinæ vocationi pertinaciter reluctentur. Gregorius lib. VI. epist. 169. *Ex verbis Christi:* Simon Johannis amas me? pasce oves meas; *colligitur, quod si is, qui valet, omnipotentis Dei oves renuit pascere, ostendit se pastorem summum minime amare. Si enim unigenitus Patris pro explenda utilitate omnium de secreto Patris ad publicum nostrum egressus est; nos quid dicturi sumus, qui secretum nostrum praeponimus utilitati proximorum? Quies itaque nobis ex corde adpetenda est, & tamen pro multorum lucro aliquando postponenda &c.* (*) Quod si nihilominus aliquis negare & remuere perrexerit, illi invito ac reluctanti non est deferendum ministerium, sed de alio idoneo dispiciendum. c. Olim 8. q. 1. ex Augustino contra Manichæos: *Olim jussus est frater praemortui fratris uxorem ducere, ut non sibi, sed illi suscitaret sobolem, ejusque nomine vocaret, quod inde nasceretur, quod si recusaret, discalceatus uno pede conspui solebat in faciem. Nunc evangelii quisque praedicator ita debet in ecclesia laborare, ut defuncto fratri, id est, Christo suscitet semen, qui pro nobis mortuus est, & quod suscitatum fuerit, ejus nomen acci-*

(*) Peraldus episcopus in summ. virtut. cap. 12. *Qui praedicatoris officio idonei esse possunt, & eligunt sibi solum vivere, licet bona intentione faciunt, ut scilicet cum puriori conscientia Deo serviant, tamen multum timendum videtur, eo quod servus is, qui talentum absondit in sudario, vocatur a Domino servus nequam, & ut Gregorius dicit, qui scientia & virtute praditi secessum speculationis adepetunt, tot animarum rei sunt, quot animabus praedicando prodesse potuerunt.* Salmeronius tr. VII. in parabola seminis jacti: *Frumentum periclitatur, dum fossis subterraneis absconditur, quod daemones praestare solent, dum perfectis hominibus persuadent, ut in eremum aut quemdam secretum locum se abdant, ut populum verbo Dei aut vitae exemplo non pascant.* GERHARDVS.

*ttcipiat. At vero qui electus ab ecclesia ministerium docendi & baptizandi renuerit, ab ecclesia ipsa digne meritoque contemnitur, qui enim & sibi prodest & ecclesiae, bene intelligitur utroque pede calceatus, unde illud:* Quam speciosi pedes evangelizantium pacem; *qui vero lucrandorum refugit curam aliorum discalceati illius non figuratum significavit, sed in se impletum portavit opprobrium.* X.) *An electio ad ministerium sortis judicio committenda?* ita olim quibusdam fuit visum, cum Prov. XVI. 33. sortes dicantur *a Domino temperari*, cumque Matthias *per sortem* in numerum apostolorum fuerit adlectus. Act. I. 26. Sed in c. Ecclesia extra de sortilegiis & l. 47. c. de episc. & cleric. ratio eligendi ecclesiae ministros per sortes merito improbatur. 1.) Deus nullibi praecepit sortibus in ordinaria ministerii constitutione uti, nec promisit se velle sortes ita dirigere, ut digno semper faveant. Sortibus ergo in re tanta uti est Deum tentare. 2.) Officia ecclesiastica per divinam & legitimam vocationem personis dignis conferri debent, nequaquam vero dubio sortis judicio committi. 3.) Quod consilio & prudentia humana perfici potest, fortuito sortium jactui committendum non est. 4.) Hieronymus in Jonae I. & Beda in Act. I. idem improbant. Ad Salomonis dictum respondemus, sensum illius esse, quod omnia gubernentur divina providentia, etiam ea, quae fortuitis casibus ferri nobis videantur, id quod in sortibus etiam locum habere facile concedimus; sed ex eo non potest inferri, quod divina providentia sortes perpetuo ita dirigat, ut semper sit melior, qui sorte eligitur: id enim duntaxat in illis sortibus locum habet, quae speciali Dei mandato ac interno Spiritus impulsu jaciuntur; sed quod, sive meliori sive pejori sors faveat, non sine Dei providentia illud fiat, ex quo nondum sequitur, quod ordinaria ministerii constitutio sortibus peragenda sit, sed potius contrarium. Ad electionis Matthiae exemplum respondet Dionysius de eccles. hierarch. cap. V. part. III. *sortes illas non fuisse proprie sic dictas, sed caeleste aliquod lumen super Matthiam a Deo effusum.* Sed rectius respondet Hieronymus in Jonae I. factum id esse *peculiari Dei inspiratione & instinctu*; jam vero privilegia paucorum non possunt facere legem communem, & casus specialis non debet trahi in exemplum ordinariae electionis. Reliqui apostoli immediate erant a Christo vocati, ideo ne Matthias in locum Judae vocandus reliquis inferior videretur, instinctu divino per sortem negotium hoc fuit transactum, ubi probe notandum, cum postea septem diaconi eligendi essent, non sorte sed χειροτονίᾳ illud factum fuisse.

## SECTIO VIII.

## DE VOCATIONE BEATI LVTHERI.

*Lis de vocatione Luthero mota.*

§. CXVIII. Egimus de ea in disputatione publica anno secularI 1617. instituta, quam huc referre non pigebit. Quemadmodum olim clerus Hierosolymitanus, cum in doctrina Johannis baptistae & salvatoris Christi, quod reprehenderet, non inveniret, de vocatione controversiam illis movebat. Qui enim Hierosolymis missi erant sacerdotes ac Levitae pharisaicae factionis adsectae, dicebant ad ipsum: Joh. I. 25. *Cur baptizas, si non es Christus, nec Elias, nec propheta?* Ad Christum etiam in templo docentem & miracula edentem accedunt principes sacerdotum, scribae & seniores populi, quaerentes: *In qua potestate, ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ, isthaec faciat, & quis illi hanc potestatem dederit?* Matth. XXI. 23. Marc. XI. 27. Luc. XX. 1. Pari quoque ratione clerus pontificius successionem in sede apostolica non minus, quam clerus Hierosolymitanus in sede Aaronica sibi soli arrogans, cum in doctrina Lutheri ad propheticos & apostolicos libros examinata, quod jure reprehendat, nusquam inveniat, quaestionem de vocatione ipsi movet:

Quare scilicet opus reformationis cœperit, cum non sit propheta vel apostolus immediata vocatione & conjuncto isti vocationi miraculorum edendorum dono instructus, in qua potestate negotium tam arduum cœperit, & quis illi hanc potestatem dederit? Sic enim scribit Bellarminus lib. IV. de notis ecclesiæ cap. 14. *Qui mittitur, debet ostendere testimonio ejus, a quo mittitur, suam autoritatem, alioquin nemo tenetur eum recipere; omnis autem, qui mittitur ad praedicandum, vel mittitur a Deo per ordinarios praelatos, vel extraordinarie a solo Deo. Et quidem qui mittitur per ordinarium praelatum, debet ostendere testimonium ordinarii pastoris praelati, nimirum literas ejus sigillo munitas; qui vero mittitur a solo Deo, debet ostendere sigillum Dei, quod nihil est aliud, quam miraculum.* Ex quo postea concludit, *Lutherum omni omnino missione ac vocatione carere, cum nec extraordinarie a solo Deo, nec ordinarie per praelatos sit missus.* Prius probat in illo ipso capite §. de nostri: ubi scribit, *Lutherum bis tentasse miracula facere, quando scilicet diaboli a quadam puella expulsionem ac Niseni in Albi suffocati excitationem est adgressus, utrumque vero successu irrito ac frustraneo.* Posterius probare conatur lib. I. de clericis cap. 3. *Non sunt veri pastores,* (inquit) *qui non sunt per manus impositionem a veris pastoribus ordinati. Lutherus non fuit per manus impositionem a veris pastoribus ordinatus, non a suis, ipse enim est primus, neque ante eum fuere Lutherani: nec a nostris, siquidem in ecclesia catholica non fuit episcopus, sed presbyter, jam vero presbyteri non habent ordinandi potestatem.* Ex quo putat argumentum indissolubile contexi posse, quod apud nos non sint veri pastores, ac per consequens nec vera ecclesia. Tribonianus Cassius a Seestervurt in pseudojubilæo Witebergensi Moguntiæ edito anno 1503. pag. 230. *Jura caesarea sanciunt, neminem mandata imperatoria qualicunque dignitate praetendentem, admittendum esse, nisi imperatoris literas in testimonia exhibeat.* l. unic. c. de mandat. princip. & l. prohibitum est c. de jure fisci. *Ipse vero scribis, Deum quotiescunque ordinarium mutare modum velit, semper miracula adjicere solere. Scribit Achates tuus, Philippus, nunquam in magnis tenebris Deum novos vocare doctores, quin semper eis addat testimonium miraculorum. Age ergo, fac nunc signa, ut a Deo te missum sentiamus. Et flagitat necessitas, urgent hostes, postulat Christi gloria & multorum hominum salus, qui de vocatione tua dubii evangelium tuum fraudes & impostoras meras esse sentiunt.* pag. 250. *Quaero ex te, Luthere, cum extraordinaria & immediata Dei voluntate gloriari non possis, utrum forte hac mediata & ordinaria ad reformandum veneris, ut honos ministerio tuo constet, neque a nobis impostor, falsarius, pseudopropheta, qui ut apud prophetam est, cucurrerit, antequam vocaretur, habeare. Quod si hic praesidium tuum figere statueris; dic nobis, quo episcopo, quo loco, quo tempore ad praedicandum missus sis, sigilla & literas tuas exhibe, quemadmodum hoc ipse a nobis subreptitiis doctoribus summo jure flagitandum docuisti. At tibi iterum hic aqua haeret, sat scio.* pag. 254. *Neque ab ecclesia, id est, a populo aut senatu Witebergensi Lutherum institutum esse, aut saltem institui potuisse ac debuisse, haud difficile est probatu. Nam primum nihil ejusmodi acta ipsius commemorant, quae docent potius, inconsulta eum temeritate, levitate, ambitione atque odio adversus familiam diaconorum, quam jussu alicujus, aut officii commissi ratione, ad indulgentias oppugnandas venisse.* Idem repetit Becanus in disp. de vocatione ministrorum, Viennæ anno 1616. instituta, in qua demonstrare conatur, Lutherum non fuisse legitime a Deo vocatum. *Lutherus* (inquit th. XI. VIII.) *non fuit ordinarie vocatus & missus, quia non ipsi collata potestas & jurisdictio. Tametsi enim a catholico episcopo sacerdos seu presbyter ordinatus sit, ac proinde ab eo acceperit potestatem consecrandi eucharistiam; non tamen accepit ab eo potestatem & jurisdictionem reformandi religionem, & statum ecclesiae in tota Saxonia & vicinis partibus, nec oppugnandi doctrinam catholicorum &c. Nec fuit immediate*

*diate a Deo vocatus & missus*, 1.) *quia non potuit ullo evidenti signo vel miraculo suam vocationem probare*: th. LV. 2.) *multa mendacia, errores & falsitates populo proposuit*: th. LXI. 3.) *doctrinam suam de abroganda missa a diabolo accepit*: th. LXVI. 4.) *nuspiam scriptum est in Dei verbo, Lutherum ad reformandam ecclesiam a Deo missum, jam vero ipsemet dicit, nihil esse credendum, nisi quod in verbo Dei scriptum*: th. LXXVII. 5.) *fuit publica infamia notatus, quia nuptias cum moniali instituit*. th. LXVIII. Vngersdorffius in gratulatione ad status Austriæ in prima acie constituit hoc argumentum pag 140. quod *Lutherus non fuerit missus a Deo, quod non possit dicere, per quod ostium intrarit, id est*, a quo & qua ratione vocatus sit, *quod modo ad immediatam, modo ad mediatam vocationem provocet.*

§. CXIX. Antequam vero ex professo de Lutheri vocatione agamus, duo præmonenda esse ducimus. *Primo*, quod in principio reformationis & certaminum nemo vel pontificiorum vel clancularioru concionatorum anabaptistarum & enthusiastarum quæstionem de vocatione ipsi unquam moverit, id quod manifeste arguit, ipsos non habuisse, quod in ea desiderarent; siquidem omnibus constabat, Lutherum ad ministerium ecclesiasticum & professionem academicam, ac proinde ad veritatem voce & scriptis propugnandam legitime vocatum esse. *Secundo*, quod discernenda omnino sit quæstio de legitima vocatione ab illa, quæ de doctrinæ veritate instituitur. Neque enim est immedlata & perpetua connexio inter vocationem legitimam & doctrinam sinceram. Potest quis vocationem habere legitimam, atque interim falsa & hæretica docere, ut adparet in illis, qui legitime ad ministerium vocati in hæresin prolabuntur. Vicissim etiam potest quis vera docere, atque interim legitima vocatione destitui. Ergo si vel maxime evictum esset, quod tamen in æternum evinci non poterit, Lutherum caruisse vocatione divina; nondum tamen sequeretur, doctrinam ipsius propterea fuisse falsam & erroneam.

*Lutheri vocatio fuit mediata.*

§. CXX. Hisce igitur adversariorum calumniis ut eatur obviam, notandum est, Lutherum nunquam & nuspiam ad immediatam & extraordinariam aliquam vocationem provocare. Sic enim disertis verbis scribit in epistola ad senatum Mülhusinum, tom. II. Jen. german. fol. 451. b. *Ich habe noch nie geprediget, noch predigen wollen, wo ich nicht durch Menschen bin gebeten und beruffen, denn ich mich nicht berühmen kan, dass mich Gott ohne Mittel vom Himmel gesandt hat.* Profert quidem Vngersdorffius locum ex Luthero, in quo sese immediate a Deo vocatum adserat, in epist. ad Fridericum, Saxoniæ electorem, tom. II. Jen. german. fol. 57. b. Sed verba ipsa diserte testantur, Lutherum non de vocatione, sed de doctrina sua ibi agere, sic enim habent formalia: *E. Churf. Gn. weiss oder weiss sie es nit, so lass sie es ihr hiemit kund seyn, dass ich das Evangelium nicht von Menschen sondern allein vom Himmel durch unsern HErrn JEsum Christum habe, dass ich mich wol hett mügen (wie ich denn hinfort thun wil) einen Knecht und Evangelisten rühmen.* Solum Christum doctrinæ suæ autorem agnoscit, ex eo vero nequaquam inferri potest, quod a solo Christo immediate ad doctrinæ illius prædicationem sese vocatum adserat. Ac si scopus verborum atque integer contextus respiciatur, non tam de doctrinæ ab aliis acceptæ cognitione, quam de interiore ejusdem in corde suo confirmatione ibidem agit. Electori non probabatur, quod Lutherus ex Pathmo suo Witebergam redierat, datis igitur ad Lutherum literis significabat sibi hunc reditum non placere, optime se ipsi cupere &c. respondet Lutherus: *Dass es E. Churf. Gn. aufs beste mit mir meyne, dess'n achte ich mich gewiss, so viel menschliche Erkundigung betrifft. Wiederumb aber, dass ichs auch gut meyne, düncket mich, ich misse es auch höher, denn aus menschlicher Erkundigung.* Vbi nequaquam loquitur de revelatione aliqua doctrinæ vel vocationis immediata, sed de reditu sui Witebergam versus susceptæ sincero studio ac proposito; postea se-

quun-

quuntur verba illa, quod doctrinam evangelii cœlitus per Christum habeat, ubi non excludit mediatam ex scripturis, & per scripturas institutionem, sed de confirmatione & obsignatione doctrinæ in corde suo per Spiritum sanctum facta loquitur, statim enim subjicit: *daſs ich mich aber zur Verhör und Gericht erboten habe, iſt geſchehen, nicht daſs ich daran zweifelt, ſondern aus übriger Demuth, die andern damit zu locken.* Negat igitur se de doctrina sua adhuc dubitare, quod elector inferebat ex eo, quia ad cognitionem & judicium aliorum de ea provocabat, sed Lutherus causam hujus rei negat esse dubitationem vel minimam, cum non per homines sed per Christum de ea confirmatus sit. Id ipsum declarat in libr. contra falso adpellatum spiritualem statum clericorum f. 107. b. *Ich nenne mich einen Eccleſiaſten von Gottes Gnaden, den ihr einen Ketzer mit Leſterwort ſcheltet, euch und dem Teuffel zu trotz. Und ob ich mich einen Evangeliſten von Gottes Gnaden nennete, trawete ich daſſelbe ehe zu beweiſen, denn einer einer ſeinen biſchofflichen Tittel oder Namen beweiſen könte, bin des gewiſs, daſs mich Chriſtus ſelbſt alſo nennet und dafür helt, der meiner Lehre Meiſter iſt, und auch ſeyn wird am jüngſten Tage, daſs ſie nicht mein, ſondern ſein lauter Evangelium iſt.* Et postea: *Derhalben laſſe ich euch hiemit wiſſen, daſs ich hinfort nicht mehr euch die Ehre thun will, daſs ich mich unterlaſſen wölle, euch oder auch einen Engel vom Himmel über meine Lehre zu richten oder zu verhören, denn der närriſchen Demuth iſt nu gnung geſchehen nu das drittemal zu Worms, und doch nichts geholfen, ſondern ich wil mich hören laſſen, und wie S. Petrus lehret, meiner Lehr Urſach und Grund beweiſen für aller Welt, und ſie ungerichtet haben von jederman, auch von allen Engeln, wenn ſintemal ich ihr gewiſs bin, wil ich durch ſie euer und auch der Engel Richter ſeyn.* Hæc verba manifeste docent, non de vocatione, sed de doctrinæ suæ certitudine in corde confirmata Lutherum id acceptum velle, quando dicit, se *evangelium suum habere non ab hominibus, ſed cœlitus per Chriſtum.* Idem sensus verborum in præf. l. contra regem Angliæ, tom. eod. f. 133. b. *Wenn ich darumb ſolte erſchrecken, daſs ein König wider mich ſchreibet, müſte mich vielmehr erſchreckt haben, daſs der Pabſt, der aller Könige Meiſter ſeyn wil, wider mich geſchrieben hat, aber ich habe meine Lehre von Gottes Gnade nicht allein vom Himmel erlanget, ſondern auch für einem erhalten, der mehr vermag in ſeinem kleinen Finger, denn tauſend Päbſte, Kœnige, Fürſten und Doctores, ſie ſollen ſie mir auch laſſen bleiben ewiglich.*

*Triplex confirmatio mediatæ vocationis.*

§. CXXI. Mediate igitur ad ministerium & docendi officium, Lutherum vocatum esse dicimus, 1.) quia ordinatus fuit *presbyter* ab episcopo suo anno Christi 1507. ætatis 24. ubi in ordinatione & inauguratione sua accepit potestatem docendi verbum Dei. Quamvis vero ritus ordinationis in ecclesia pontificia multis superstitiosis & inutilibus ceremoniis sit vitiatus, ex eo tamen ipsius ordinationis essentiæ nihil decedit; distinguenda igitur episcopi ordinantis impuritas ab ordinatione, quæ sit totius ecclesiæ nomine, & in ipsa ordinatione distinguendum est divinum ab humano, essentiale ab accidentali, pium & christianum ab antichristiano. Sicut olim in ecclesia israelitica *super cathedram Moſis ſedebant ſcribae & phariſaei*, Matth. XXIII. 2. quorum ministerio, sacrificiis, ordinationibus &c. utendum, interim tamen *a fermento* ipsorum cavendum erat: Matth. XVI. 12. ita quoque in ecclesia Romana illorum, qui erant in ordinaria successione, ministerio, sacramentis, ordinationibus utendum erat, interim tamen fermentum admixtum a puritate matsæ distinguendum. Ac tantum abest, ut ordinationem ab episcopo pontificio profectam esse plane nullam adseramus, ut cœpto jamdum reformationis opere & secessione a papatu jam facta Lutherus scribat in articulis Smalcald. art. X. pag. 3. *Si epiſcopi ſuo officio recte fungerentur, & curam eccleſiae ac evangelii gererent, poſſet illis nomine caritatis & tranquillitatis,*

*litatis, non ex necessitate permitti, ut nos & nostros concionatores ordinarent & confirmarent, hac tamen conditione, ut seponerentur omnes larvae, praestigiae, deliramenta & spectra pompae ethnicae. Quia vero nec sunt nec volunt esse veri episcopi, sed politici dynastae ac principes, qui nec concionantur, nec baptizant, nec cœnam administrant, nec ullum opus & officium ecclesiae praestant, sed eos, qui vocati munus illud subeunt, persequuntur & condemnant, profecto ipsorum culpa ecclesia non deserenda, nec ministris spolianda est.* 2.) Vocatus fuit Lutherus anno 1508. a Johanne Staupitio Augustinianorum generali, accedente confirmatione & consensu electoris Friderici, ad presbyterium & *professionem theologicam* in ecclesia & academia Witebergensi. In vocatione ad professionem vigore statutorum academicorum ipsi dictum: *Vestrum est legem divinam interpretari, & librum vitae docere.* Vocatio ejus per literas senatus Witebergensis ad presbyterium exstat tom. IX. Witeberg. fol. 104. 3.) In solenni *doctoratus* acta anno 1512. consensu totius conventus Augustiniani instituto potestatem accepit veritatem doctrinae cœlestis contra quosvis ἑτεροδόξους viva voce & scriptis defendendi. Quamvis vero doctoratus per se ac solus non sit vocatio ad ministerium, nec sit talis quædam absoluta potestas ubique & in omnibus ecclesiis docendi, qualis apostolis a Christo fuit data: tamen ad Lutheri vocationem recte etiam refertur doctoralis ipsius promotio, tum quia per eam præcedens vocatio fuit publico ac solenni ritu confirmata, tum quia præter testimonium eruditionis specialis potestas & autoritas veritatem voce & scriptis propagandi contraque adversarios propugnandi ipsi fuit data. Gerson dicit, referente Chemnitio part. III. locor. cap. de ecclesia pag. 329. *formam promotionis theologiae doctorum hanc fuisse: Do tibi facultatem disputandi, docendi, legendi hic & ubique terrarum.* Formula juramenti in actu doctorali Luthero proposita hoc complexa est: *Doctrinas vanas, peregrinas, ab ecclesia damnatas, ac piarum aurium offensivas non dogmatizabo.* Ac prius in actu licentiatus conceptis verbis sic juraverat: *Juro, me veritatem evangelicam pro virili defensurum &c.* Vtique ergo non solum potestatem accepit, sed etiam solenni juramento obstrictus fuit, ut errores, superstitiones & idololatriam notoriam ex verbo Dei redargueret ac taxaret. Regerunt pontificii: *Lutherus juravit non solum in sacra biblia, sed etiam in ecclesiam, id est, pontificis decreta.* Resp. in decreta illa non juravit, nisi sub conditione, quatenus sint verbo Dei conformia, quare cum postea deprehenderet, ea a norma verbi divini discrepare, merito illa rejecit.

*Lutherus provocat ad vocationem mediatam.*

§. CXXII. Ad hanc mediatam & solennem suam vocationem Lutherus sæpius provocat, ut in fumum plane abeant adversariorum calumniæ toties repetitæ, quasi per totum vitæ tempus non habuerit, quod de vocatione sua certo adseveraret. In comm. epist. ad Galat. I. tom. IV. Lat. fol. 8. a. *Deus vocat nos hodie omnes ad ministerium verbi vocatione mediata, quae fit per hominem &c. Mihi non licet ire extra hanc sortem meam in aliam civitatem, ubi non sum vocatus verbi minister, & ibi praedicare, quatenus sum praedicator, (quatenus sum doctor, possem in toto papatu praedicare, modo me tolerarent) etiamsi audiam falsa doceri &c. Nostra igitur consolatio, qui sumus in ministerio verbi, haec est, quod habeamus officium sanctum & cœleste, ad quod rite vocati, gloriamur contra omnes portas inferni.* In admonitione publica ad capitulum Witebergense, tom. II. Jen. germ. fol. 279. b. *Ich bin von euch (einer gantzen christlichen Gemein) zum Predigampt beruffen, habe einen gœttlichen Befehl, daſs ich die Gemeine Gottes allhier mit dem reinen Wort weyden soll.* Tom. V. Jen. german. fol. 76. b. in explicat. Psal. LXXXII. 4. *Hie sprichst du vielleicht zu mir: Warumb lehrest du denn mit deinen Büchern in aller Welt, so du doch allein zu Wittenberg Prediger bist? Antwort: Ich habs nie gern gethan, thue es auch noch nicht gern, ich bin aber in solch Ampt erstlich*

*gezwungen und getrieben, da ich Doctor der heiligen Schrift werden muste, ohn meinen Danck. Da fieng ich an als ein Doctor dazumal von Pabstlichen und Keyserlichen Befehl, in einer gemeinen freyen hohen Schule, wie einem solchen Doctor nach seinem geschwornen Amt gebühret, für aller Welt die Schrifft auszulegen, und jederman zu lehren, habe auch also, nachdem ich in solch Wesen kommen bin, müssen darinnen bleiben, kan auch noch nicht mit gutem Gewissen zurück, oder ablassen, ob mich gleich Pabst und Keyser darüber verbannen. Denn was ich hab angefangen, als ein Doctor, aus ihrem Befehl beruffen und gemacht, mus ich warlich bis an mein Ende bekennen.* Et paulo post: *Wiewol, wenn ich schon kein solcher D. were, so bin ich dennoch ein beruffener Prediger, und hab die meinen wol mœgen mit Schriften lehren. Ob nun andere mehr solche meine Schrift auch begehret, und mich darumb gebeten haben, bin ichs schuldig gewest zu thun, denn ich mich damit nirgend selbst eingedrungen, noch von jemand begehret oder gebeten, dieselbe zu lesen, gleich wie andere mehr fromme Prediger und Pfarrer Bücher schreiben, und niemand wehren noch treiben zu lesen, und damit auch in aller Welt lehren.* In glossa super edictum cæsareum tom. eod. fol. 320. b. *Zu einem guten Werck gehœret ein gewisser gœttlicher Beruff, und nicht eigen Andacht &c. Ich Doctor Martinus bin dazu beruffen und gezwungen, dass ich muste Doctor werden, ohn meinen Danck aus lauter Gehorsam, da hab ich das Doctorampt müssen annehmen, und meiner allerliebsten heiligen Schrifft schweren und geloben, sie trewlich und lauter zu predigen und zu lehren, über solchem lehren ist mir das Pabsthumb in Weg gefallen, und hat mirs wollen wehren, darüber ists ihm auch gangen, wie für Augen, und soll ihm noch immer ärger gehen, und sollen sich meiner nicht erwehren &c.* in epist. de clancularibus concionatoribus tom. eod. f. 553. a. *Ich habe es offt gesagt, und sage es noch, ich wolte nicht der Welt Gut nehmen für mein Doctorat, denn ich müste warlich zuletzt verzagen und verzweifeln in der grossen schweren Sach, so auf mir ligt, wo ich sie als ein Schleicher hette ohne Beruff und Befehl angefangen, aber nun mus Gott und alle Welt mir zeugen, dass ichs in meinem Doctorampt und Predigampt œffentlich habe angefangen, und bis daher geführet mit Gottes Gnade und Hülffe.*

*Extraordinarium aliquid in vocatione Lutheri.*

§. CXXIII. Ex quibus omnibus manifeste adparet, Lutherum ad ordinariam & mediatam vocationem ubique provocare, nuspiam vero vel immediatas revelationes vel immediatam vocationem jactitare; interim negari nec debet nec potest, in ecclesiastico Lutheri munere, atque in exactione ordinariæ illius vocationis præsertim, quod reformationis opus & antichristiani regni oppugnationem spectat, aliquid extraordinarium & peculiare concurrere, quod cum immediata & plane extraordinaria apostolorum vocatione non quidem omni ex parte congruit; interim tamen supra communem reliquorum ministrorum mediate & ordinarie vocatorum sortem Lutheri ministerium evehit, quo sensu & respectu Hunnius disp. X. in August. confess. illam vocationis partem vocat *heroicam.* Ad illa particularia & extraordinaria referimus: 1.) *Oracula & prophetias de opere reformationis & antichristi revelatione Lutheri ministerio peragendis*, quales prophetiæ tum in scripturis sacris continentur, Dan. VIII. 25. XI. 44. Jer. LI. 48. Mal. IV. 5. 2. Thess. II. 8. Apoc. XIV. 6. tum ab aliis spiritu fatidico præditis editæ sunt, utpote a Johanne Husso, Hiltenio & aliis quamplurimis. Vide locum proxime præced. de ecclesia §. CCC. Eo respicit Lutherus ipse, quando in glossa super edictum cæsareum tom. V. Jen. germ. fol. 321. sic scribit: *S. Johannes hat von mir geweissaget, da er aus dem Gefængnis in Bœhmerland schrieb, Sie werden jetzt eine Gans braten, (denn Huss heist eine Gans) aber über hundert Jahr werden sie einen Schwanen singen hœren, den sollen sie leiden, da solls auch bey bleiben, ob Gott will.* 2.) *Excellentia & singu-*

*singularia Lutheri dona*, quæ in scripturæ nervosa & fundamentali explicatione, ejusque ad doctrinam, consolationem & ἔλεγχον adcommodatione elucent, quo pertinent peculiares dotes, quibus benignissimus Deus hoc suum organum antichristi regno oppugnando destinatum clementissime ditavit, quales sunt eruditio singularis, summa linguarum peritia, judicii acrimonia, dexteritas in scripturis vertendis plane admiranda, eloquentia divina, latens in singulis pene sententiis vis spiritus peculiaris. Philippus Melanchthon adspiciens tabellam, in qua Lutheri imago erat picta, in hæc erupit verba:

*Fulmina erant linguæ singula verba tuæ.*

Idem in præfat. tom. III. operum latin. Luth. *Scio, Erasmum solitum dicere, neminem esse interpretem dexteriorem omnium, quorum exstant literae post apostolos. Et audivi ipse sapientes & graves viros & doctrinam ecclesiae intelligentes, idem de Luthero praedicare, nec obscura res est, judicium & candorem in lectione adhibenti.* Idem in præfat. III. partis in Genesin: *Res ipsa ostendit, Lutheri enarrationes longe antecellere aliorum interpretum scriptis.* Andreas Masius confessus est, *in una scriptorum Lutheri pagina plus esse solidae theologiae, quam interdum in toto libro alicujus patris.* Johan. Brentius in literis ad Tetelbachium: *Solus Lutherus vivit in suis scriptis, nos omnes sumus collatione ipsius quasi litera mortua.* Andreas Fabricius in oratione de Luthero tale fert de ipso judicium: *Est increpando formidabilis, consolando amabilis, admonendo gravis, confitendo intrepidus, orando ardens, aedificando indefessus, credendo inimitabilis, vivendo inculpabilis, patiendo admirabilis, moriendo omnibus piis relinquens sui desiderium.* Nicol. Amsdorfius in præfat. tom. I. lat. oper. Luth. *Quod si veritas ingenue & aperte exponenda est, ipsa collatio enarrationum me in hanc ducit sententiam, ut existimem, si omnes commentarios veteres & recentes etiam in unam massam conflentur, & id, quod optimum est, ex illis decerpatur, non tamen cum hujus viri scriptis conferri & comparari posse. Non ignoro, quam glorioſe haec dici videantur, & quam multos hoc Lutheri encomium offendat; sed quoquo modo alii de hac constanti asseveratione judicent, ego sic statuo, neminem tanta praeditum sapientia, fide, constantia post apostolos fuisse aut deinceps futurum esse, quam in Luthero conspeximus non sine ingenti donorum Dei admiratione, nec dubito, quin pia posteritas idem judicatura sit.* D. Vrbanus Regius in literis ad amicum quemdam Augustæ: *Talis ac tantus theologus est Lutherus, ut nulla secula habuerint similem, quo magis exsecror stultitiam & arrogantiam Carolstadianorum, qui sibi placent, quasi Luthero queant conferri, cujus umbram non adsequuntur cum omni eruditione, quam jactant.* Idem in epist. ad fratres superioris Germaniæ: *Major est Lutherus, quam ut a quovis sciolo possit aut debeat judicari. Vide quam magnifica Dei gratia sit in hominis scriptis, cujus certe me non pudet. Dicam, quod sentio, scribimus quidem passim & tractamus scripturas, absit invidia verbo, sed Luthero collati, discipuli sumus: hoc judicium non ex amore fluit, sed amor ex judicio.* Hieron. Wellerus in epist. ad Eber. *Mihi omnes scriptores ecclesiastici, quantumvis eruditi, qui non Lutheri vestigiis insistere student, suspecti sunt. Certus enim sum, nunquam exoriturum esse, qui tanta felicitate docendi & dexteritate interpretandi scripturam sacram instructus sit; nec vereor, ipsum, quod ad dona & certamina pertinet, cum apostolo Paulo conferre, certe divina sua eloquentia ipsum vas electionis superare videtur. Ego, qui tot annos virum Dei audivi, & scripta ejus adsidue legi & relegi, nunc demum incipio illum recte admirari, magnifacere & intelligere, ac doleo, quod non diligentius ipsius monumenta evolverem.* Idem ad Tetelbachium: *Ego scripta Lutheri magnifacio, nec dubito illa fere cum epistolis Paulinis conferre,* (non quoad canonicam autoritatem, sed quoad nervos argumentorum, pondera verborum &c.) *omnesque, qui illum sapientia & acumine in interpretanda scriptura*

*vincere ſtudent, ἐκ ἀγνῶν θεολογεῖς exiſtimo, de ejus plenitudine nos theologi accepimus, quod ſcimus & profitemur.* Michael Neander in præfat. catecheſeos græce verſæ: *Aliorum theologorum ſcripta politiora forte ſunt, ac habent multi alii viri praeſtantes & ipſi ſua dona, quae magnum Dei beneficium ſunt, grato pectore praedicanda & cognoſcenda, horumque ſcripta legenda. Sed cum Lutheri ſcriptis, dictis & concionibus non conferenda ſunt, nedum anteferenda.* Martinus Bucerus peculiaria illa Lutheri dona & heroica facta revocat ad novem capita: Primo: *articulum juſtificationis a temporibus apoſtolorum, quantum monumenta indicant, nemo unquam clarius & fidelius docuit.* Secundo: *antichriſtum Romanum cum ſuis membris ad extremum usque ſpiritum audentius oppugnavit nemo, fraudesque illius luculentius orbi detexit.* Tertio: *viva bona opera, puta, quae ex viva fide proveniunt, inque ſalutem proximi cedunt, nullus ex patribus tam ſanctè & ſecundum mentem Spiritus ſancti docuit, atque ipſe.* Quarto: *ſcripturam ſacram, tam pure, tanta energia, totque argumentis penetrantibus nemo ipſo felicius explicavit, maxime cum ex profeſſo locum aliquem tractare voluit.* Quinto: *adde verſionem ſcripturae ſanctae fidelem, terſam & eloquentia non parva ornatam.* Sexto: *de magiſtratu politico, quae ejus ſint officia in utraque legis tabula, nemo hactenus tam clare docuit.* Septimo: *maximorum operum in eccleſia incredibiles ſucceſſus: exemplo ſit Auguſtana confeſſio; Wobey er geweſt, und wozu er geholffen, das hat fort gemuſt, und beſtehet noch feſt auf dieſen Tag.* Octavo: *donum prophetiae, das alles, wie er ein Ding hat geſagt, geſchicht.* Nono: *preces efficaces, pſalmos & hymnos, ac cantica dulciſſima fecit. Vt oravit, ita eccleſiam bene armavit devotis cantionibus ac pſalmis.* Hæc Bucerus. Poſſent hujusmodi teſtimonia de Lutheri donis peculiaribus adferri longe plura, quæ non poſſunt hoc nomine a pontificiis vel repudiari vel extenuari, quod ſint a fautoribus & amicis profecta; ecquis enim rectius judicium de illis facere poſſet, quam qui animo ab adfectuum, odii ſcilicet, invidentiæ & præconceptarum opinionum nebulis ſerenato rem ipſam exiſtimarunt, & quotidiana Lutheri converſatione uſi fuerunt? ac ſi verbali iſtorum teſtimonio fidem adhibere nolint, reale quod ipſa ſcripta exhibent, ſepoſitis parumper adfectibus audiant. 3.) Huc referimus *animum Lutheri heroicum, & in periculis etiam maximis imperterritum.* Teſtatur enim rerum eo tempore in eccleſia geſtarum hiſtoria, quod in ſummis etiam anguſtiis & præſentiſſimis periculis animum nunquam abjecerit, ſed magno zelo, heroica fortitudine, animique robore imperterrito, adverſariis frementibus ac frendentibus, fidei ſuæ rationem reddiderit. Cum ad comitia Wormatienſia evocatus ab amicis moneretur, *ne literis ſalvi conductus nimium fidens tyrannicis legatorum pontificiorum inſidiis ſeſe exponeret, eſſe in recenti memoria, quid Johanni Huſſo Conſtantiae obtigerit;* ipſe magno animi robore reſpondit, *ingreſſurum ſe Wormatiam, etiamſi tot cacodaemones ibi eſſent, quot tegulae in tectis.* Idem animi robur elucet etiam ex ipſius ſcriptis. Expendantur verba in gloſſa ſuper edictum cæſareum tom. V. Jen. germ. fol. 316. b. *Dieſen Artickel: Der Glaub allein ohn alle Werk macht gerecht für Gott, ſoll ſtehen und bleiben laſſen, der Rœmiſche Keyſer, der Türckiſche Keyſer, der Tarteriſche Keyſer, der Perſen Keyſer, der Pabſt, alle Cardinæl, Biſchœffe, Pfaffen, Münche, Nonnen, Kœnige, Fürſten, Herren, alle Welt, ſampt allen Teuffeln, und ſollen das helliſche Fewer darzu haben auff ihren Kopff, und keinen Danck darzu &c.* 4.) *Mirandam & plane ſingularem adverſus inſidias & violentiam adverſariorum conſervationem.* Cogitetur, quæ auditæ fuerint pontificis & epiſcoporum minæ, quantæ ipſius vitæ ſtructæ fuerint inſidiæ, quot anathematum & proſcriptionum fulmina in ipſum conjecta, quantis viribus inſtructi fuerint, qui ipſum e medio ſublatum unice deſiderarunt? cogitetur hiſtoria comitiorum Wormatienſium; & liquido adparebit, ſingulari Dei patrocinio & defenſione fuiſſe conſervatum, ut reformationis o-

pus

pus non solum inciperet, sed etiam felicissime perficeret; interim tamen non defuit ipsi animus ad martyrium pro confirmanda doctrinæ veritate subeundum promtissimus. 5.) *Vaticinia ab ipso de rebus futuris edita*, quibus etiam eventus magna ex parte jamdum respondit. Vide libellum peculiarem, in quo illa omnia congesta exstant, ac si placet, locum de ecclesia §. CCC. 6.) *Mirabilem & felicissimum evangelicae praedicationis successum.* Lutherus non per cuniculos, nec per brachii secularis robur opus reformationis adgressus est, sed tuba evangelicæ prædicationis antichristiani regni muros oppugnavit, docuit veritatem, & errores redarguit ex solo Dei verbo, qui sonus evangelii non papæ solum aures perculit, sed etiam ad remotissimas provincias pervenit, & mirabili ac pene stupendo successu intra paucos annos a multis regnis & provinciis hæc doctrina susceptа, contra vero papales superstitiones & idolomaniæ ex illis exsulare jussæ. Hæc de re sic scribit Lutherus ipse tom. I. Jenens. german. contra Emserum Lipsiensem, fol. 408. *Ich habe meiner Hoffnung, daſs ich in Gottes Namen angefangen, und das rechte Wort Gottes lehre, keine ſtärcker Beweiſung und Wunderzeichen, denn daſs ſie ſo geſchwind in aller Welt ohn mein Treiben und Suchen, darzu durch unzehlich Widerſtand und Verfolgung aller Gewaltigen und Gelehrten vermehret worden iſt.* Et in libr. de utraque specie sacramenti tom. II. Jenens. german. fol. 71. a. *Ich weis, woher meine Lehre kompt, und wer mich aufgerichtet hat, darzu beweiſet es auch das Werck genungſam, denn ob ich wol der kleinen Zeichen keines gethan habe, die wir, wo es Noth were, vielleicht thun mæchten, ſo iſt doch das wol für ein groſs Wunder anzuziehen, daſs des Satans hæchſter Kopff und græſte Macht, das Babſtthumb mit ſeinem Cærper einen ſolchen Stoſs durch mich empfangen hat, den ihm kein weltlich noch geiſtlich Gewalt je hat mægen beweiſen. Der Satan fühlets auch ſelbſt wohl, wer meiner Lehre Meiſter ſey, darumb tobet er, und ſuchet alſo geſchwinde Griffe.*

§. CXXIV. Restat igitur, ut adversariorum argumentis respondeamus. Quamvis vero *immediatam* vocationem Luthero haudquaquam tribuamus, ac proinde partem illam probationis plane prætermittere possemus; tamen cum Becanus ad eam probandam falsa adsumat, breviter singula probationis membra percurremus. Ac *primo* quidem, num ad immediatam vocationem perpetuo requirantur *miracula*, & an Lutherus miracula fecerit necne, de eo in loco de ecclesia cap. XI. sect. XI. §. CCLXXXVIII. & seqq. late egimus, unde ad primum Becani argumentum ex Bellarmino repetitum desumenda est responsio. Ad *secundum* dicimus: si illa mendacia, errores & falsitates, quas Lutherus populo proposuisse dicitur, in specie proferantur, & ex scripturis sacris solide confirmetur, talia esse Lutheri dogmata, mendacia scilicet erronea & falsa; tunc statim agnoscemus, Lutherum non fuisse verum prophetam, sed nudæ adcusationi fidem habere non possumus. Becanus profert unicum duntaxat errorem, videlicet quod in libr. de servo arbitrio Lutherus docuerit, *omnia fieri necessario, & homines carere libero arbitrio*, sed ad illud ἔγκλημα vel centies a nostris responsum. Ad *tertium*, quod Lutherus doctrinam suam de abroganda missa a diabolo acceperit, solide respondit Balduinus in apolog. contra Serarium. Videatur etiam locus de ecclesia cap. XI. sect. X. §. CCLXXVIII. Ad *quartum* dicimus, exstare in scripturis hanc generalem propositionem, quod illi, qui ab ecclesia vocantur, & a presbyterio cum publicis precibus & impositione manuum ordinantur, sint legitime vocati & ordinati ministri, sub qua generali propositione facile potest subsumi singularis, quod Lutherus ab ecclesia vocatus, & a presbyterio cum publicis precibus & impositione manuum ordinatus, fuerit legitime vocatus & ordinatus minister. Referenda etiam ad hunc locum vaticinia de opere reformationis, quæ licet dissertam & specialem nominis Lutheri mentionem non faciant, implicite tamen organi, per

*Argumenta pontificiorum contra immediatam Lutheri vocationem.*

quod opus illud perficiendum erat, denotationem continent. Ad *quintum* de Lutheri nuptiis suo loco, in quæstione scilicet de votis monasticis respondetur.

*Contra mediatam Lutheri vocationem.*

§. CXXV. Contra ordinariam sive *mediatam* Lutheri vocationem Bellarminus hoc argumentum urget: *Non sunt veri pastores, qui non sunt per manuum impositionem a veris pastoribus ordinati. At Lutherus non fuit per manus impositionem a veris pastoribus ordinatus, non a suis, ipse enim est primus, neque ante eum fuere Lutherani: nec a nostris, siquidem in ecclesia catholica non fuit episcopus, sed presbyter; jam vero presbyteri non habent ordinandi potestatem.* Resp. 1.) Bellarminus aliud quærit, aliud probat, vel probare nititur. Quæstio est, an Lutherus habuerit legitimam vocationem? Negat Bellarminus, & probat ex eo, quia Lutherus non fuit per manus impositionem a veris pastoribus ordinatus. Illud cum debeat ulterius probare, addit: Lutherus non est ordinatus a suis, ipse enim est primus, neque ante eum fuere Lutherani, nec a nostris, siquidem in ecclesia catholica non fuit episcopus, sed presbyter, jam vero presbyteri non habent ordinandi potestatem. At posterius hoc membrum non pertinet ad quæstum, neque recte subsumitur sub prioribus. Sic enim debebat Bellarminus subsumere: Lutherus non fuit ordinatus nec a suis, nec a nostris, quod contra manifestam historiæ fidem fuisset negatum. Non quæritur hoc loco, *an Lutherus habuerit potestatem alios ordinandi, sive an illi, qui a Luthero ordinati fuerunt, pro vere ordinatis sint habendi?* de quo in sequenti sectione dicetur; sed hoc quæritur, *an Lutherus fuerit rite ordinatus?* id quod Bellarminus negare non poterit, nisi simul negare velit in ecclesia Romana (in qua Lutherus ab episcopo fuit ordinatus) superesse veram ordinationem. 2.) Distinguendis igitur ea, quæ sua natura sunt distincta: aliud est, si quæratur, an ordinati a Luthero sint vere ordinati, sive veri pastores? ac viciissim aliud est, si quæratur, an Lutherus fuerit vere ordinatus ac verus pastor? Posterius non potest Bellarminus ex eo negare, quod Lutherus non fuerit episcopus, sed presbyter; sed sufficit, quod Lutherus fuerit ab episcopo ordinatus, id quod ex Bellarmini hypothesi ad veram ordinationem sufficit. An vero prius ex eo deduci possit, suo loco adparebit. 3.) Non esse veros pastores, qui non sunt per manus impositionem a veris pastoribus ordinati, ambigue dicitur; per veros enim pastores intelliguntur *vel* illi, qui in doctrinæ & fidei confessione per omnia sunt sinceri, & sic negatur illa propositio, cum ordinatio peragatur a ministro totius ecclesiæ nomine, ideoque per ministri ordinantis errores nihil illi decedat, unde secundum juris canonici dispositionem etiam illi, qui ab hæreticis per manus impositionem ordinati sunt, pro vere ordinatis habentur: *vel* intelliguntur illi, qui phrasi pontificia dicuntur episcopi & veri pastores, & sic iterum negatur illa propositio, cum scriptura veros pastores & episcopos aliter definiat, ut suo loco adparebit: *vel* intelliguntur illi, qui nullam plane ordinationem acceperunt, ubi distinguendum est inter regulam ordinariam & casus quosdam extraordinarios, ut in sectione sequente de ordinatione uberius explicabitur.

§. CXXVI. Becani argumentum ejusdem roboris est. *Lutherus non fuit ordinarie vocatus & missus, quia non fuit ipsi collata potestas & jurisdictio.* Sed quam potestatem & jurisdictionem intelligit Becanus? Certe potestatem ministerii, potestatem docendi verbum & sacramenta administrandi, potestatem clavium &c. in ipsa vocatione & ordinatione Lutherus accepit; quid enim aliud est vocatio & ordinatio, quam talis actus, in quo & per quem potestas docendi, sacramenta administrandi, clavium usum exercendi &c. certæ alicui personæ traditur? Quod si vero per potestatem & jurisdictionem Becanus intelligit talem potestatem & jurisdictionem, qualem episcopi pontificii sibi arrogant; facile concedimus, talem potestatem & jurisdictionem secula-

rem

rem Luthero non fuisse datam. Sed audiamus ipsum Becanum, quomodo hoc explicet, quod Luthero non fuerit potestas & jurisdictio collata. *Tametsi* (inquit) *a catholico episcopo sacerdos seu presbyter ordinatus sit, ac proinde ab eo potestatem acceperit consecrandi eucharistiam; non tamen accepit ab eo potestatem & jurisdictionem reformandi religionem & statum ecclesiae in tota Saxonia & vicinis partibus, nec oppugnandi doctrinam catholicam.* Egregia vero illatio! Eo ipso, quando Lutherus accepit in vocatione & ordinatione sua potestatem docendi & administrandi sacramenta, accepit etiam potestatem errores, superstitiones & idololatrias taxandi. Potestas enim docendi, quæ in vocatione & ordinatione ministris ecclesiæ datur, restringitur ad Dei verbum, cum non quævis in ecclesia docere debeant, sed Dei verbum. 1. Pet. IV. 11. *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei.* Matth. XXVIII. 20. *Docentes eos servare omnia, quae praecepi vobis.* Gal. I. 8. *Si licet nos aut angelus de cælo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Quando autem verbum Dei pure & sincere docetur, quando semen illud cœleste spargitur; statim quoque diabolus zizania interspergit, & excitat adversarios veritati cœlesti contradicentes: hic ergo requirit officium fidelis ministri, non solum vera docere, sed etiam falsa refellere, quod expressis verbis docet apostolus Tit. I. 9. ubi in episcopo requirit duo munia, ut sit δυνατὸς παρακαλεῖν ἐν διδασκαλίᾳ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Vnde Augustinus de grat. & lib. arbit. cap. III. scribit, *duo esse hominum genera in ecclesia, cum quibus ministro evangelii res esse solet. Vnum eorum, qui ignorant quidem res sacras, discere tamen volunt; alterum eorum, qui neque sciunt, neque discere cupiunt, sed ignorantia & cæcitate sua delectantur, quorum illos docere, hos vero redarguere debet episcopus.* Quare cum Luthero data fuerit in vocatione & ordinatione potestas docendi verbum Dei, utique etiam eo ipso data fuit potestas redarguendi errores cum illo pugnantes, & oppugnandi non catholicam vere sic dictam doctrinam, sed papales errores, superstitiones & idololatrias. Sic igitur concludimus: Quicunque vocatur, ut verbum Dei doceat, & contradicentes refellat, is etiam vocatur, ut errores papales, verbo Dei contrarios refutet. Sed Lutherus vocatus fuit, ut verbum Dei doceret, & contradicentes refelleret. Ergo etiam vocatus fuit, ut errores papales, verbo Dei contrarios refutaret. Quare cum Lutherus in doctrina, qualis tunc temporis publice sonabat, manifestos errores, verbo Dei repugnantes videret, nihil quidquam a se & officio suo alienum fecit, quod eos ex verbo Dei refutare cœpit. Quod ad reformationis opus adtinet, dicimus in eo duo consideranda esse: *primo* errorum redargutionem, *secundo* publicam idololatricorum cultuum abolitionem & sinceri ministerii constitutionem. Errorum redargutio pertinet ad ministerium ecclesiasticum, sed publica idololatricorum cultuum abolitio præcipue spectat ad christianum magistratum; is enim exemplo piorum regum veteris testamenti, qui baaliticam idololatriam aboleverunt, cum consensu ecclesiæ debet pias reformationes suscipere, & sincerum ministerium constituere, si episcopi in officio suo negligentes deprehendantur.

## SECTIO IX.

## DE VOCATIONE MINISTRORVM IN ECCLESIIS, QVAS VOCANT, EVANGELICORVM.

*Vocatio ministrorum evangelicorum.*

§. CXXVII. Quemadmodum b. Lutheri primi ecclesiæ in novissimis hisce temporibus reformatoris vocationem in specie, ita quoque omnium ministrorum in ecclesiis a sordibus errorum papalium repurgatis docentium vocationem in genere pontificii graviter oppugnant. Bellarminus lib. I. de cleri-

clericis cap. 3. §. sed quoniam: *Non sunt veri pastores, qui non sunt per manus impositionem a veris pastoribus ordinati. Lutherus, Zwinglius, Calvinus & ceteri, qui pastores primi apud suos habentur, non fuerunt per manus impositionem a veris pastoribus ordinati. Nam si secus: a quibus obsecro? a suisne, an a nostris? non a suis, ipsi enim sunt primi, neque enim ante Lutherum ulli fuerunt Lutherani, neque ante Calvinum Calviniſtae, qui eos pastores ordinare possent; non item a nostris, siquidem in ecclesia catholica, unde recesserunt, nec Lutherus, nec Zwinglius, nec Calvinus episcopi fuerunt, sed tantum presbyteri: porro presbyteri non habent ordinandi potestatem &c. Quod si primi illi adversariorum episcopi & pastores, veri pastores & episcopi non fuerunt, certe nec secundi, nec tertii, nec ceteri, qui primis illis successerunt.* Sed de hoc discursu Bellarmini, quatenus Lutheri ministerium oppugnat, ex sectione proxime præcedente judicium fieri potest: quatenus a solis episcopis ordinationem fieri posse contendit, inferius pluribus agetur. Idem Bellarminus lib. IV. de eccles. cap. 8. §. ex quo &c. argumentum hoc adfert, quod dicit insolubile: *Ecclesia non potest esse sine episcopis. Apud Lutheranos non sunt episcopi, nam non habent ordinationem nec successionem ab apostolis; igitur apud eos non est ecclesia.* Sed quid de successione illa statuendum sit, expositum est in tract. de ecclesia. Becanus in disputatione de vocatione ministrorum ecclesiæ nov. ac vet. test. Viennæ anno 1616. instituta peculiare caput constituit, *quod Lutherani & Calviniani ministri non sint legitime a Deo vocati.* Idem in tractat. de ecclesia passim repetit. Jacobus Reihingius in explicat. fundamenti III. relig. cathol. p. 60. *Ecce, quales superintendentes, pastores, ministros habetis, a Luthero omnes descendunt, qui nec episcopum, nec ministrum ullum constituendi aut consecrandi justam potestatem ullam habuit.* Et postea: *Videte obsecro, quam miseri sitis, si Lutherus, ex quo ecclesia vestra nata, aut si vobis credimus, multis sepulta seculis renata est, episcopus non fuit, quia nec a Deo, nec ab apostolis, nec ab horum successoribus, episcopis; sed a seipso ordinatus est, episcopos aut sacerdotes profecto nullos, nisi forte a nobis apostatas habetis &c.*

*Adstruitur ex sacris literis.*

§. CXXVIII. Nos pro adstruenda legitima ministrorum in nostris ecclesiis vocatione producimus hoc argumentum: Quicunque ministri vocantur modo eo, quem Deus ipse instituit, & ecclesiæ præscripsit, illorum vocatio est legitima. At ministri nostrarum ecclesiarum vocantur modo eo, quem Deus ipse instituit, & ecclesiæ præscripsit. Ergo nostrorum ministrorum vocatio est legitima. De *majore* nulla potest esse dubitatio. Legitimum enim est, quod fit secundum leges, nec ullo modo improbari potest, quod institutione divina nititur. *Minoris* veritas confirmatur hoc argumento: Vocatio mediata legitima juxta divinam institutionem & apostolicam praxin fieri debet a tota ecclesia, & omnibus tribus illius ordinibus. Sed nostrorum ministrorum vocatio fit a tota ecclesia, & omnibus tribus illius ordinibus. Ergo nostrorum ministrorum vocatio est vocatio mediata legitima juxta divinam institutionem & apostolicam praxin facta. *Major* in præcedente sect. IV. late fuit comprobata. *Minor* ex praxi in nostris ecclesiis usitata manifeste patet, ad exemplum enim ecclesiæ apostolicæ & primitivæ homines idonei & necessariis donis a Deo instructi ab ordinariis presbyteris, magistratu consentiente & populo suffragante, post legitimam vocationem, per impositionem manuum & preces ordinantur, & hac ratione cultui divino conferantur. Vbi tamen notandum, in particularibus casibus abusus vitiosos de facto quandoque contingere posse, qui a nobis minime probantur; loquimur igitur de jure & ordinaria regula in constitutionibus nostris ecclesiasticis præscripta, ad quam ministrorum vocatio adcommodari debet, & utplurimum etiam adcommodatur.

*Argumenta pontificiorum*

§. CXXIX. Contra hanc adsertionem nostram multis modis insur-

*contra vocationem ministrarum evangelicorum.*

surgunt pontificii: I.) *quod nostri ministri non sint vocati a pontifice Romano & ipsius episcopis, quibus solis, non autem toti ecclesiae vocatio competat.* Resp. contrarium, quod scilicet ad totam ecclesiam jus vocandi pertineat, ostendimus paulo superius. II.) *Quod non habeant successionem ab apostolis.* Resp. distinguendum est inter successionem *personalem* & *doctrinalem*; sola posterior successio ad legitimam vocationem, & necessaria & sufficiens est, ea vero ministri nostri haudquaquam destituuntur. Vide tract. de eccles. §. CXC. III.) *Quod Luthero, qui est parens omnium ministrorum Lutheranorum, non sit collata potestas & jurisdictio ab episcopo.* Becanus dict. disp. th. XLVIII. Resp. contrarium ostendimus sectione proxime praecedente. IV.) *Quod non sint ordinati ab episcopis.* Resp. hac de re paulo post dicetur. V.) *Quod non sint immediate a Deo missi.* Becanus dict. disp. th. LIV. Resp. nemo nostrum dicit, ministros ecclesiarum nostrarum immediate vocatos ac missos esse; potuisset igitur Becanus labore illo supersedere, quo probat, immediatam vocationem nostris ministris haud competere. Nequaquam vero sequitur: Ministri Lutherani non sunt immediate a Deo missi & vocati: ergo non sunt legitime vocati; siquidem a negatione unius speciei ad negationem generis non proceditur legitima consequentia, vocatio immediata est una duntaxat species legitimae vocationis. Quas Luthero adspergit calumnias, eas abstersimus superius. De reliquis ἐγκλήμασι ministerio ecclesiastico in nostris ecclesiis usitato intentatis, utpote quod ministri nostri rejiciant verbum Dei scriptum, aliquos scilicet libros biblicos, & verbum non scriptum ecclesiae, scilicet traditiones: quod rejiciant quaedam sacramenta, ea scilicet, quae baptismo & eucharistiae a pontificiis adduntur: quod non offerant sacrificium aliquod externum, missaticum scilicet: quod ministerio eorum Deus non cooperetur per signa subsequentia &c. ex aliis doctrinae caelestis capitibus judicium fieri potest ac debet.

## SECTIO X.

## DE VOCATIONE EPISCOPORVM IN ECCLESIA PONTIFICIA.

*Vocatio episcoporum pontificiorum.*

§. CXXX. Multa omnino desideramus in episcopis pontificiis, ut ostensum fuit in praecedente de ecclesia tractatu. Neque enim proprio episcopi munere, quod est *verbum Dei pure docere, & sacramenta juxta institutionem Christi administrare*, funguntur, cum tamen proprii ipsorum canones dist. 36. 86. caus. 7. q. 1. &c. severe illud exigant, sed politicum dominatum exercent, chrisma conficiunt, quo in sacramentis ordinationis & confirmationis utuntur, eidemque peculiarem aliquam vim & efficaciam tribuunt, offerunt sacrificium missaticum pro vivorum ac mortuorum peccatis propitiatorium, &c. inde cum Johannes Gailerus anno 1506. die 9. Octobris in episcopum Argentoratensem eligeretur, Wilhelmus ab Hoinstein in haec verba erupisse dicitur: *In centum annis nunquam visum vel auditum est, quod aliquis episcoporum spiritualia exercuerit, non animas sed bursas visitaverunt, & hoc quidem omni anno.* Sed illis praetermissis de vocatione episcoporum pontificiorum hoc loco videamus. In primitiva olim ecclesia consensum populi in electione episcoporum requisitum fuisse, ostendimus superius ex c. Plebs. c. Cleri. c. Episcopos c. Vota. dist. 63. Postea cum imperatores Romani nomina Christo darent, ipsorum quoque suffragia etiam in ipsius Romani episcopi electione fuerunt requisita, quod itidem comprobatum dedimus superius aliquot exemplis. Si metropolitanus episcopus eligendus erat, omnes episcopos comprovinciales electioni interesse oportebat, c. Metropolitano dist. 63. ex concil. Niceno can. 4. Antiochen. can. 19. & in

decretis collectis a Martino Bracarensi c. 3. Vnde Valentinianus imperator *ad electionem Ambrosii in archiepiscopum Mediolanensem omnes provinciae illius episcopos convocasse memoratur*, c. Valentinianus dict. dist. 63. tandem vero ad collegia presbyterorum, seu ut hodie vocant, *capitula canonicorum* in ecclesiis cathedralibus jus istud eligendi episcopos cujuscunque gradus in solidum transiit, c. Cumana c. Congregato c. In Genesi &c. extr. de elect. c. cum ecclesia extr. de caus. propriet. & possess. Daniel Venatorius in anal. juris pontific. libr. I. c. 6. Matthias Stephanus de jurisdict libr. III. part I. cap. 7. num. 38. Laur. Ohmius de jure episc. thes. XIV. quamvis in exemplis quibusdam specialibus occurrat diversitas, ex jure, vel consuetudine, vel concessione singulari dependens, sed quæ generalem regulam non tollit, l. quod contra 141. ff. de reg. jur. Modus electionis fit vel per *scrutinium*, quod est usitatissimum, vel per *compromissum*, quod est rarissimum, vel per *inspirationem*, quæ prorsus fere in usu esse desiit. Vide canonem electionis ab Innocentio III. præscriptum & ibi gloss. in c. Quia propter extr. de elect. Joach. Stephanus lib. IV. de jurisd. cap. 11. num. 41. &c.

*Investitura episcoporum per pontificem.*

§. CXXXI. Episcopi electi, a pontifice Romano, quem episcoporum episcopum esse, & a quo omnem potestatem, jurisdictionem & dignitatem reliquorum episcoporum velut ex fonte promanare fingunt, Bozz. de jure statûs lib. I. cap. 10. *investituram & confirmationem* petere coguntur. Olim vero non erat sic, quia Carolus magnus, Otto tertius, Henricus & imperatores alii, qui episcopatus in Germania fundarunt, sibi & suis in imperio successoribus investituras episcoporum reservarunt, quibus etiam jure illas competere late probant Theodoricus a Niem in libro, cui titulus: *Privilegia & jura imperii circa investituras episcopatuum & abbatiarum imperatoribus Romanis totics quondam a papis restituta*; & Buxtorffius in dissert. in septem priora capita aureæ bullæ Caroli IV. concl. LXIX. ubi inter cetera sic scribit: *Olim quidem imperatores nostri de ipsis dignitatibus episcopos & abbates per annulum & baculum investire solebant, sed postmodum Henrico V. a papa Calixto II. transactio extorta est, per quam is omnes episcoporum & abbatum investituras per annulum & baculum fieri solitas pontifici cessit, sibi vero reservavit, quod in episcopos & abbates electi investituras regalium suorum per sceptrum ab imperatore debeant & teneantur accipere*, referente Sigonio lib. X. de regn. Ital. anno 1122. Cranzio lib. V. Saxon. cap. 42. &c. Accesserunt insuper pacta novissima inter Fridericum III. imperatorem & principes Germaniæ, & Nicolaum V. papam anno 1447. inita, quæ vocantur *concordata Germaniae*, quibus papa non modo sibi reservavit electiones in metropolitanis & cathedralibus ecclesiis factas, si ab electis juxta constitutionem Nicolai III. in c. Cupientes de elect. in 6. intra mensem, vel pro distantia loci alterius adhuc intra viginti dies post consensum, vel post obtentam de sua electione notitiam præsentatæ fuerint, confirmare, sed etiam si lapso dicto tempore non præsentatæ, vel si præsentatæ minus canonicæ, (pro arbitrio puta papali) fuerint, imo etsi canonicæ fuerint, ex rationabili & evidenti causa de fratrum suorum (cardinalium) consilio de digniori & utiliori persona providere &c. Ita nimirum pontifex supremam & authenticam in episcoporum electione & confirmatione sibi vindicat potestatem, unde etiam arctis juramentorum vinculis eos sibi obstringit, quorum formulas in loco de ecclesia recensuimus, & qui ad dignitatis illius fastigium ab ipso evecti, *Dei & apostolicae sedis gratia* sese episcopos esse, in titulis profitentur, ac Bellarminus lib. I. de clericis cap. 8. probare conatur, *electionem episcoporum non pertinere jure divino ad clerum, sed ad summum pontificem, ut vel ipse eligat vel praescribat eligendi modum.*

*Pallium.*

§. CXXXII. In signum confirmationis & investituræ papalis datur vel mittitur archiepiscopis, & paucis aliquot

aliquot episcopis superhumerale aliquod ex lana contextum, quod vocant *pallium*. c. Quod sicut §. super eo vers. Praeterea. extr. de elect. t. t. extr. de autor. & usu pallii. Ejus confiendi modum ex pontificiis autoribus sic describit Sleidanus lib. XIII. comment. pag. 377. *In die Agnetis virginis, qui est dies Januarii 21. in templo divae Agnetis Romae, cum immissa imploratur agnus Dei, super altare ponuntur agni duo candidi, postea traduntur basilicae D. Petri subdiaconis, hi mittunt illos in pascua, suoque tempore tondent, ex eaque lana permixta reliquae lanae cum in filum deducta fuerit, parantur pallia: latitudine sunt ad tres digitos, ab humeris propendent in pectus atque renes, ad extremum sunt laminae plumbeae tenues, ejusdem latitudinis: ad hunc modum contexta deferuntur ad corpora D. Petri atque Pauli, ac certis ibi precibus expeditis relinquuntur per noctem unam: altera die subdiaconi recipiunt, & honesto loco diligenter adservant, donec, qui opus habet, archiepiscopus aut ejus procurator sibi dari petat. Traditur autem multis cum ceremoniis, & deferentibus mandatur, ne supra noctem unam (si modo fieri possit) in eodem loco subsistant ac commorentur.* De mysticis pallii illius significationibus operose disputat Durandus lib. III. rat. divin. offic. cap. 17. p. 48. *Pallium*, inquit, *est de candida lana contextum, habens circulum humeros constringentem & duas lineas, ab utraque parte videlicet ante & retro pendentes, a sinistris est duplex, a dextris simplex, habet quatuor cruces purpureas, scilicet ante & retro, a dextris & a sinistris. Infiguntur in pallio tres acus, & quaedam sunt, quae per metropolitanum sine pallio agi non possunt, quo etiam nisi certis diebus uti non valet, quae omnia moralibus sunt imbuta mysteriis & divinis gravida sacramentis. In lana asperitas, in candore benignitas designatur, nam ecclesiastica disciplina contra rebelles & obstinatos severitatem exercet, sed erga poenitentes & humiles exhibet pietatem. Circulus pallii, per quem humeri constringuntur, est timor Domini, per quem opera exercentur. Duae lineae, quarum una post dorsum, altera progreditur ante pectus, hujus vitae curas & solicitudines significant, quibus & cor & humeri pontificis fie saepissime gravantur & impediuntur, ut a proprio statu eum avertant, & vana quaedam & transitoria cogitare & portare compellant;* (nota: testimonium hoc verum est) *hinc pallium ante & retro, a dextris & a sinistris, ante pectus & super humeros frequenter aptatur, ut his posthabitis in se ipsum saepe redire intelligatur. Quatuor cruces purpureae sunt quatuor virtutes politicae, scilicet justitia, fortitudo, temperantia & prudentia. Per tres acus intelliguntur fides, spes, caritas. Item tres acus compassionem proximi, administrationem officii, distinctionemque judicii significant, quarum prima pungit animam per dolorem, secunda per laborem, tertia per terrorem.* Plura ibi videat, qui ejusmodi ineptiis risum sibi concitare satagit. Originem hujus pallii ad ipsos apostolos quidam satis imprudenter referunt. Polyd. Virgilius lib. IV. de rer. invent. cap. 12. *Clementi* tribuit, quod primus pallium illud archiepiscopale solennibus ceremoniis consecratum honori archiepiscoporum contulerit. Baronius in annalibus ad ann. 336 num. 63. agnoscit, in rebus gestis Romanorum pontificum primo circa illius tempora mentionem haberi de pallio, potissimo Romani pontificis insigni, metropolitanis ab eodem aliquando impertiri solito; ubi etiam ad imitationem levitici sacerdotii illud in ecclesiam christianam introductum esse existimat. *Sicut olim* (inquit) *in sacerdotio Hebraeorum erat summi pontificis superhumerale insigne, quod nefas esset aliquem alium sacerdotum vel pontificum indui: ita in christianae religionis sacerdotio genus illud indumenti, quod pallium dicimus, summi tantum pontificis cessit usui, ab eo tamen compluribus episcopis magna ex causa communicatum.* Sed rectius dicitur, quod ab imperatoribus Romanis pallii usum mutuati fuerint, sic enim Cuspinianus in Valentiniano tertio: *Valentinianus frequenter versabatur Ravennae, & urbem iterum exstruens adornabat egregie, ipsamque principem constituebat 14. civitatum. &*

*potestatem faciebat illius episcopo utendi tunica, quam pallium vocant, quae tunc temporis tantummodo caesaribus gestari consueverat, & ex hoc surrexit lis illa inter episcopos Ravennates & Romanos, hi enim illis pares esse volebant.* Hinc constare potest, unde pallia sint orta, & quis primus illis fuerit usus, eorumdemque usum concesserit, & quod papa multo post demum tempore pallii gestandi licentiam impetraverit. Vt enim pontifices Romani alia regalia, & quae tantum majestate caesarea digna sunt, sibi adscisc unt, sic & illud pallium sibi vindicarunt. Isidorus Pelusiota, Chrysostomi discipulus, qui circa annum 440. in ecclesia floruit, libr. I. epist. 136. pag. 34. itidem episcopalis pallii facit mentionem. *Illud amiculum* (inquit) *ὠμοφόριον, quod sacerdos humeris gestat, atque ex lana, non ex lino, contextum est, ovis illius, quam Dominus aberrantem quaesivit, inventamque humeris suis sustulit, pellem designat; episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.* Sed pallium illud omnibus sacerdotibus commune an ejusdem figurae fuerit cum hodierno archiepiscopis & quibusdam duntaxat episcopis communi, merito dubitatur; illud certum est, quod non fuerit tanta pecuniae summa, quanta hodie postulatur a Romano episcopo, redimendum.

*Pallii emtio.* §. CXXXIII. Hodie enim mercem illam nec operosam nec pretiosam archiepiscopi magna pecuniae vi a pontifice emere coguntur. De Moguntinensis archiepiscopatus pallio refert Sleidanus lib. d. pag. 376. quod *triginta aureorum millibus* conflare dicatur, antequam domum deferatur, unde in centum gravaminibus nationis germanicae anno 1532. in comitiis Norimbergensibus legato Adriani pontificis oblatis etiam haec habentur: *Proponatur summo Pontifici & sacrosanctae Romanae ecclesiae, quod grave, imo intolerabile sit nationi germanicae, a modo tantas expensas & molestias pati, tantas pro confirmatione archiepiscoporum & episcoporum inferre annatas, praesertim quae in episcopatibus quibusdam successu temporis auctae, in quibusdam duplicatae esse dicuntur. Nam sedes Moguntina, ut dicitur, olim solum dedit decem millia florenorum, quae cum quidam illic electus dare renueret, sicque usque ad mortem suam persisteret, electus post eum confirmationis cupidus se opponere timuit sedi apostolicae, offerens antiquam summam, puta decem millium florenorum, is nec confirmationem impetrare potuit, nisi & reliqua decem millia simul redderet, quae adhuc restabant a suo praedecessore nondum persoluta, sicque cogebatur dare viginti millia florenorum, quae tunc indubie in registrum camerae sunt signata, & usque ad nostram aetatem a singulis archiepiscopis exacta, & nedum viginti millia, sed & viginti quinque millia propter nova officia & novos pontificum familiares. Tandem excrevit summa usque ad viginti septem millia, quae archiepiscopus Jacobus cogebatur nuper persolvere, ut retulit vicarius in spiritualibus Moguntinus, sicque in vita unius hominis septies viginti quinque millia a solo archiepiscopatu Moguntino pro confirmatione archiepiscopi Romam venerunt. Et cum archiepiscopus Jacobus vix quatuor annos sedisset in archiepiscopatu, mox post eum electus dominus Vriel ad minus viginti quatuor millia coactus est persolvere, quorum partem mutuo forsan accepit a mercatoribus, sed ut illis satisfaciat, imponere coactus est subsidium aut exactionem in suos populos & pauperes agricolas, quorum aliqui nondum satisfecerunt tributo aut exactioni pro pallio a suo praedecessore Jacobo impositae &c.* Proinde non sine causa Jacobus, archiepiscopus Moguntinus, jam fere moriens dixit, se de morte sua non adeo dolere, quam ob id, quod subditi sui pauperes iterum pro pallio gravem exactionem dare cogerentur. Vid. Wolffium cent. XVI. lect. memorab. p. 203. Goldastum Haimmsfeld. in volum. *Reichs-Satzungen* f. 215. Atque ut illa palliorum redemtio Romanae curiae magis esset fructuosa, prohibitum est a pon-

a pontificibus, ne quis antecessoris sui pallio utatur, sed ut quisque sibi Romæ illud comparet, ac qui vel permutatione vel alia quavis ratione fit alterius ecclesiæ patriarcha seu metropolitanus, licet antea sibi paravit illud, necesse tamen habeat, ut iterum emat, ut merito aliquis dixerit, pallia illa nihil aliud esse, quam simoniæ papalis & Romanæ avaritiæ pallia. Olim vero non erat sic, sed ut constat ex cap. Novit dist. 100. veteres pontifices pro pallio dari vel accipi aliquid tanquam incongruum sub districta interdictione vetuerunt. Platina in vita Leonis II. *Leonis institutum est, ac quidem sanctum, quod utinam* (inquit) *hodie observaretur, ne ad archiepiscopatum adsumtus pro usu pallii aliorumve officiorum quidquam ecclesiae persolveret, cum ex largitione multa mala quotidie oriantur.*

*Electio pontificis.* §. CXXXIV. De electione pontificis episcoporum episcopi sic disputat Bellarminus libr. I. de clericis cap. 9. *Ratio eligendi summum pontificem per solos cardinales est omnium optima & merito conservanda, etsi absolute posset pontifex eam mutare, si vellet.* In confirmatione hujus propositionis notat *septendecim mutationes* inveniri in electione Romani pontificis, & *viginti novem schismata* in ecclesia Romana ab Onuphrio numerari, quod est argumentum lenitatis & consensus toties deprædicati. Cap. 10. subjungit: *Si nulla exstaret pontificia constitutio de electione summi pontificis, vel casu aliquo omnes electores a jure designati, id est, omnes cardinales simul perirent, jus electionis ad episcopos vicinos & clerum Romanum pertineret, cum dependentia tamen aliqua a concilio generali episcoporum.* Addit autem, *in hac propositione non convenire omnes*, quod & in theoria & praxi est verissimum, quot enim non solum dissidia, sed etiam aperta bella propter electionem Romani pontificis sæpius fuerint mota, ex historiis est notissimum. Quamvis vero formam electionis per cardinales Bellarminus existimet omnium optimam, per quam scilicet dissidiis aptissime obviam iri possit; testantur tamen historiæ, propter discordiam cardinalium sedem papalem diu quandoque vacasse, unde Gregorius X. certas leges de tali electionis forma tulit, inter quas & illa est, *ut cardinales in conclave recludantur, & nisi electionem maturaverint, tenui cibo pascantur, ac post elapsum triduum semper de cibo aliquid detrahatur.* Consuetudo illa eligendi pontificem per senatum cardinalium originem habuit anno Christi 1059. ex constitutione Nicolai II. referente Sigonio lib. IX. regn. Ital. ex c. In nomine dist. 33. cum prius autoritas imperatorum Romanorum in electione illa esset necessaria. Sabellius lib. VI. Ennead. 8. &c.

*Vocatio clericorum pontificiorum.* §. CXXXV. Ab episcopis & eorum vicariis in spiritualibus sive suffraganeis eliguntur reliqui clerici, in quorum electione quid desideremus, expositum fuit in tractatu de ecclesia. 1.) Sæpius eliguntur indocti & ad curam animarum sibi commissarum inepti. In gravaminibus nationis germanicæ dicunt proceres art. VII. *Ecclesiarum regimina minus dignis committuntur, qui ad mulos magis, quam homines pascendos & regendos essent idonei.* Legati sedis apostolicæ ad patres Trident. conquesti sunt, *indignis sacerdotia conferri & illis, qui nihil a laicis praeterquam in vestis genere, ac ne in hoc quidem differunt.* (*) Nicolaus de Orem. in orat. coram

(*) Cardinales delecti ad reformationem ecclesiæ Romanæ in consilio suo ad Paulum III. *Primus abusus in hac parte est ordinatio clericorum ac præsertim presbyterorum, in qua nulla adhibetur cura, nulla diligentia, quod passim quicunque sunt imperitissimi, sunt vilissimo genere nati, sunt malis moribus ornati, sunt adolescentes, admittantur ad ordines sacros & maxime ad Presbyteratum. Alius abusus maximi ponderis est in collatione beneficiorum*



*ecclesiasticorum maxime curatorum & præ omnibus episcopatuum, in quibus usus invaluit, ut provideatur personis, quibus conferuntur beneficia, non autem gregi Christi & ecclesiæ.* Pontificiale Romanum Venetiis anno 1572. impressum p. 3. ab ordinandis mediocrem eruditionem requirit. *Literatura* (inquit) *in subdiaconatu & diaconatu mediocris sufficit, ut saltem sciat bene & expedite legere & competenter cantare, det operam Grammati-*

coram Vrbano V. & cardinalibus habita anno 1364. *Non adhibentur viri idonei sacerdotiis, praesertim locupletioribus, sed quos plerumque vel favor vel familia vel natales commendant, delicati, lepidi & comtis capillis nitidi; ludis, amoribus, palaestris, orbibus saltatoriis adsueti, nec raro, qui manicati & talearibus amicti ficas vibrare & sclopetis fulminare, interdum etiam qui galeati, cataphractique turmas equitum ducere, in aciem irruere, & manum cum hoste conserere didicerunt.* Gregorius de Valent. in anal. de ecclesia pag. 22. conqueritur, quod *haud raro pontificii ordines suos iis conferunt, qui nec eruditionis nec pietatis insignibus ornati, sed homines ventri plerumque & mundo dediti.* 2.) Ad sacerdotia per largitiones adspirant. Ludov. Vives in libr. XIX. Aug. de civit. Dei cap. 19. *In Osea Dominus conqueritur, episcopos laqueum factos speculationi & rete in monte Thabor, ceu de hujus temporis episcopis loqueretur, qui sacerdotiis laqueos tendunt & pecuniae larga retia, sed non raris maculis, ne nummus effluat.* 3.) Eliguntur sine ecclesiae, cui praeficiendi sunt, testimonio & suffragio, quod apostolicae praxi adversari, ostendimus superius. 4.) Coguntur ante suam ordinationem ejurare matrimonium, cum tamen plerique illorum continentiae dono non sint instructi. 5.) Coguntur jurare in decreta Romani pontificis, & concilii Tridentini, quae tamen scripturis sacris adversa sunt, ut a nostris abunde demonstratum. 6.) Eliguntur & ordinantur, non ad sinceram verbi divini praedicationem & sacramentorum a Christo institutorum legitimam administrationem, sed ad dogmata papalia, traditiones ac superstitiones Romanenses propagandas, ad sacrificium missaticum celebrandum &c. 7.) In ordinatione adhibentur vanae & inutiles ceremoniae chrismatis, rasurae, crucis, cereorum &c. quibus peculiarem aliquam vim tribuunt.

## SECTIO XI.

## DE GRADV DOCTORATVS.

*Origo gradus doctoris.*

§. CXXXVI. Circa annum Christi 1135. cum Lotharius Saxo, imperator, occasione susceptae in Italiam contra Rogerium, Siciliae regem, expeditionis leges Romanas latino sermone scriptas inveniret, admiratione & amore earum inductus, per Irnerium jurisconsultum cancellarium suum in scholas & tribunalia eas revocavit, jubens scilicet, in scholis eas explicari, & coram tribunalibus jus ex illis dici, referente Chytraeo in chronolog. verb. Lothar. p. 309. Coras. in l. 2. § fin. d. O. I. atque ut professioni isti legum debitus honor adderetur, *gradum doctoratus* (formam promotionis eodem Irnerio praescribente) in scholas introduxit, unde factum, ut Bononiae, ubi jus civile publice tradi & explicari imperator constituerat, ejusdem mandato & autoritate primi interpretes latini juris, *Bulgarus* scilicet, *Hugolinus*, *Martinus*, *Pileus* & alii in doctores juris solenniter tunc fuerint promoti. A jureconsultis morem creandorum doctorum postea etiam theologi sunt mutuati, unde a Bononiensibus ad *Parisienses* ritus promotionis in theologia doctoralis translatus est, apud quos *Petrus Lombardus* primus theologiae doctor creatus dicitur. (*) Hosce academicos gradus non modo sugillat ex jurisconsultis Ferrariensis in sua practica scribens, *se alicui nisi clerico aut adprime diviti, ut gradum doctoris suscipiat, consulere non posse, quia per gradum quis redigatur de libertate in servitutem, ut vivendi ratio-*

*maticalibus. Et sacer dote autem promovendo sufficiens literatura requiritur. Sciat Grammaticam, praesertim si sit secularis, quia illi cura animarum committi solet, quae sine literis exerceri non potest.* Conjunge Erasmum in 1. Petri V. adnotat. ubi in episcopos non praedicantes invehitur. GERHARDVS.

(*) Conferatur Petr. Heigius part. I. q. 7. num. 49. 50. quaest. 8. num. 44. & part. II. q. 11. n. 47. 48. 49. Lanfius in orat. pro Germ. p. 31. GERHARDVS.

*ratione & vitae innocentia aliis sit exemplo, & quia gradus non sine magno sumtu quaeratur, & per hujus aerumnosae vitae curriculum conservetur*, referente Matth. Stephano libr. III. de jurisdict. part. 2. cap. 14. num. 39. sed etiam quidam ex theologorum superioris seculi ordine, quos etiamnum hodie aliqui sectantur. Andreas Bodenstain Carolstadius post secessionem a Witebergensi ecclesia factam nolebat amplius vocari doctor, sed *frater Andreas*, quinimo etiam ante infelix illud schisma, cum in actu promotionis Johanni Westermanno & Godscalco Grapio doctorum titulos conferret; publice testatus est, *se posthac nemini gradum esse collaturum, eo quod promovendo alios in doctores sciens ac prudens faciat contra dictum Christi:* Matth. XXIII. 8. *Nolite vocari rabbi, unus enim est magister vester.* (*) Zwinglius in resp. ad epist. Bugenhag. scribit, *se cum fastidio legere illos titulos, doctor & professor theologiae.* Rud. Gualtherus in Joh. XXI. 407. *Paulus, quem Christus electum organum dixerat, servum Jesu Christi se nominare solet. Confer cum ista modestia illorum insolentiam ac fastum, qui titulos magnificos prae & pretio redimunt, ut apud rude vulgus sese venditent, & facile videbis, quo spiritu isti agantur. Sunt hi Judaeorum similes, quos graviter accusat Christus, quod magistri & doctores dici vellent. Excusant quidem sese publica & a multis seculis recepta consuetudine, & ipsi inde ministerio aliquam dignitatem accedere ajunt. At qui nulla consuetudo Christi praecepto praejudicare debet, qui ne quid hujusmodi fiat, graviter monuit &c.*

*Causae, propter quas in academiis retinentur.*

§. CXXXVII. Nos vero in academiis nostris gradus illos constanter retinemus: 1.) propter *ritus antiquitatem*, quam cum prohibitione Christi, Matth. XXIII. 8. pugnare, nondum a Gualthero persuaderi potuimus. Si enim absolute & simpliciter magistri ac doctoris adpellationem verbis illis Christus vellet prohibitam, consequens foret, nec patrum adpellationem genitoribus a filiis debere tribui, cum ibidem v. 9. Christus dicat: *Patrem nolite vocare vobis super terram, unus enim est Pater vester, qui in caelis est*: nec servi heros suos adpellare deberent dominos, cum de christianis pronunciet apostolus: 1. Cor. VIII. 6. *Nobis unus est Dominus Christus Jesus*; quorum utrumque est absurdum, & manifestis scripturae exemplis contrarium. Item si absolute & simpliciter esset prohibitum, ministros ecclesiae doctoris titulo insigniri, minus recte fecisset Johannes evangelista permittens se a discipulis vocari *rabbi* seu magistrum; Joh. III. 26. minus recte fecisset apostolus Paulus nominans se *doctorem gentium*, 1. Tim. II. 7. & inter ordines in ecclesia constitutos recensens *doctores*. Eph. IV. 11. Genuinus autem verborum Christi sensus colligitur ex circumstantiis. Judaei tantam autoritatem rabbinis suis tribuebant, ut eos audiendos dicerent, *etiamsi dextrum vocarent sinistrum, at quidvis etiam extra* legem proponerent, teste Lyrano, qui fuit natus Judaeus, in adnot. Deut. XVII. hoc igitur sensu ac respectu negat Christus vel *patris* vel *doctoris* adpellationem cuiquam in terris tribuendam, sed authenticam illam autoritatem & summum in articulis fidei magisterium soli Deo relinquendum esse, ac taxat Pharisaeorum ambitionem, qui titulos illos una cum re ipsa, id est, cum potestate quidvis jubendi, praecipiendi & constituendi in ecclesia sibi arrogabant. Hieronymus in comment. hujus loci: *Quaeritur, quare adversus hoc praeceptum doctorem gentium apostolus se esse dixerit, aut quomodo vulgato sermone maxime in Palaestinae & Aegypti monasteriis se invicem patres vocent? quod sic solvitur, aliud esse natura patrem, vel magistrum, aliud indulgentia. Nos si hominem patrem vocamus, honorem aetati*

(*) Lutherus tom. III. Jenens. part. I. contra coelestes proph. de Doctore Andrea Bodenstein Carolstadio Witenbergensi archipresbytero refert, *quod habitu sacerdotali deposito & rustici vestitu adsumto ligna in urbem advexerit, nec amplius doctor, sed frater Andreas, & minus salutari voluerit.* GERHARDUS.

*tati deferimus, non autorem noſtrae oſtendimus vitae. Magiſter quoque dicitur ex conſortio veri magiſtri, & ne infinita replicem, quomodo unus per naturam Deus & unus filius non praejudicat ceteris, ne per adoptionem dii vocentur & filii: ita & unus pater & magiſter non praejudicat aliis, ut abuſive adpellentur patres & magiſtri.* Chryſoſtomus hom. LXXIII. in Matth. Non vocetis patrem; *non ut neminem patrem vocent, ſed ne ignorent, quem principaliter patrem vocare oporteat. Nam quemadmodum nemo principaliter magiſter eſt, ſic nec pater praeter illum, qui tam magiſtrorum, quam patrum omnium cauſa eſt.* Theophylactus in h. l. *Non prohibet Chriſtus vocari quemquam magiſtrum, ſed tanta adfectione velle vocari, & omnibus modis curare, ut ita vocetur.* (*) Idem eſto judicium de dicto Jacobi III. 1. quod a quibusdam huc adfertur: *Ne eſtote multi doctores ſcientes fore, ut gravius judicium accipiatis.* Nequaquam vero prohibet apoſtolis doctorum nomine vel officio uti, ſed *temerarie* illud ſibi uſurpare prohibet; eos enim potiſſimum taxat, qui ambitione magis quam cura fraternæ ſalutis impulſi jus rigidæ cenſuræ in proximos ſupercilioſa temeritate ſibi arrogant & uſurpant, non tam ædificationem, quam calumniandi & obtrectandi ſtudium ſectantes. II.) *Propter adſerendam ordinis theologici dignitatem*, quæ alias in hac extrema mundi ſenecta eſt admodum exigua; negari enim nequit, aliquod autoritatis apud auditores neceſſariæ adminiculum eſſe iſtos honorum gradus. III.) *Propter rei aequitatem.* Quemadmodum in ſtudio virtutum, & in eruditione eſt differentia inter homines, ita quoque æquitati conſentaneum, ut honorum & præmiorum differentia ſtatuatur. *Virtutum praemia tribui merentibus convenit*, reſcripſerunt Theodoſius, & Valentinianus libr. IV. C. de ſtat. & imag. IV.) *Propter eximiam utilitatem.* Illæ enim honorum collationes ſunt ὁρμητήριον aliquod & incitamentum ad diligentiam in animis ſpectatorum. *Opinamur*, inquit Solon apud Lucianum in Anacharſi, *gymnaſiorum deſiderium in juvenibus magis accendi, ſi eos, qui optime ſe geſſerunt, honorari conſpexerint, & in medio Graecorum praeconis voce magnifice proclamari, & non pauci ex ſpectatoribus virtutum ac laboris amore inflammantur.* Notum eſt illud Tullii in I. Tuſcul. quæſt. *Honos alit artes, omnesque incendimur ad ſtudia gloria, & jacent ea ſemper, quae aut negliguntur aut improbantur.* Iidem gradus ſunt publica eruditionis ac donorum divinitus conceſſorum teſtimonia, ſunt privilegiorum ac jurium academiis a cæſaribus conceſſorum exercitia, ſunt improbatæ & repudiatæ confuſionis anabaptiſticæ indicia &c.

*An promotio doctoralis ſit vocatio ad miniſterium?*

§. CXXXVIII. Quæritur autem, *an promotio doctoralis ſit quaedam vocatio & ordinatio ad miniſterium?* ita ut ornati doctoris gradu poteſtatem habeant absque alia vocatione & ordinatione in eccleſia docendi, imo & alios ad miniſterium ordinandi. Adfirmant aliqui argumento ducti eo, quod non olim ſolum, referente Gerſone, hæc fuerit promotionis formula: *Do tibi facultatem diſputandi, docendi, legendi hic & ubique terrarum;* ſed etiam adhuc hodie doctoribus poteſtas illa publice docendi ſolenniter conferatur. (**) Sed rectius ſentientibus negativa probatur. 1.) Gradus academici non ſunt eo fine introducti, ut eſſent quædam vocatio & ordinatio ad miniſterium;

(*) Senſus poteſt eſſe triplex: 1.) Nolite vocari Magiſter vel doctor, tanquam primarius & unus ille qui κυρίως talis eſt natura, non indulgentia, juxta Hieronymum; 2.) vel nolite vocari ob ſolam ambitionem, juxta Theophylactum; 3.) vel nolite vocari ita ſimpliciter & absque exceptione ſuperioris, ſive comparate, nolite vocari doctores aut patres præ Deo. GERHARDVS.

(**) Aſſelmannus in tract. de ſanctor. invocat. cap. 2. th. 23. *Veriſſima ſunt verba D. Georgii Majoris a D. Leonhardo Hutthero repetita, doctoratum eſſe certum teſtimonium vocationis ad miniſterium & promotiones doctorales theologorum nihil eſſe aliud, quam commendationem publicam miniſterii evangelici ſecundum ritum apoſtolicum; ipſam promotionem eſſe veram, legitimam & ſolennem ordinationem ad miniſterium. Eadem Lutheri ſententia eſt & omnium κυρίως Lutheranorum.* GERHARDVS.

sterium; sed publicum & solenne testimonium eruditionis, virtutum & ἱκανότητος ad primaria officia ecclesiastica, prævia scilicet legitima vocatione rite obeunda. 2.) Jus vocationis, quod est totius ecclesiæ, non est ab ecclesia ad professores academiarum translatum, sed penes totam ecclesiam integrum adhuc residet; proinde honores, qui a professoribus academicis in præmium diligentiæ dignis personis conferuntur, non possunt ecclesiæ juri quidquam præjudicare. 3.) Si honorum illorum collatio esset re ipsa quædam vocatio & ordinatio ad ministerium; consequens foret, eo tempore, quo collatio ista graduum academicorum in scholas introducta, novam simul speciem vocationis in ecclesiam introductam esse, qua scilicet non omnes tres ecclesiæ status & ordines, sed unus duntaxat ordo, imo pars unius ordinis ad ecclesiasticum ministerium vocare possit. 4.) Vocatio mediata fit ad certum locum, siquidem inter reliqua differentiæ capita vocatio immediata apostolorum a mediata vocatione episcoporum, presbyterorum, pastorum & doctorum in eo etiam differre vulgo existimatur, quod illi acceperunt absolutam potestatem, imo mandatum ubique prædicandi; Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. Rom. X. 18. Col. I. 28. hi vero certum gregem in certo ac determinato loco sibi commissum habent. Sic Act. XIV. 23. *Presbyteri constituuntur per singulas ecclesias.* Tit. I. 5. *Titus relictus est Cretae, ut κατὰ πόλιν, oppidatim constituat presbyteros.* 1. Petr. V. 2. *Pascite τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον, eum, qui inter vos est, gregem;* Vnde etiam in concilio Chalcedonensi can. VI. statutum fuit, *neminem absolute ordinari debere, nisi ad certam & specialem ecclesiam.* Jam vero, quibus gradus doctoris in academia confertur, illi non vocantur ad certum locum. Ergo illa gradus collatio non est quædam ad ministerium vocatio. Si dicas, *in gradus academici collatione dari promovendis potestatem publice & ubique docendi, disputandi, legendi, errores taxandi &c. atque ea ratione honorum illorum collationem quodammodo accedere ad apostolicam vocationem*, ac Lutherum de se testari, *quod saepius consolationem hauserit ex sua promotione*, in qua publica potestas docendi evangelium, & errores taxandi sibi tradita fuerit; respondet Chemnitius in loco de eccles. pag. 329. *Licet haec ita se habeant, ac insuper causae justae esse possint, ob quas aliquis etiam legitime pluribus in locis docere possit, tamen talem vel promotionem vel docendi licentiam plurimum ab apostolica vocatione differre.* Id vero sic declaramus: datur promovendis potestas publice & ubique docendi, nimirum servato tamen ordine, quem Deus ipse in ecclesia instituit, ut exspectetur scilicet legitima ad certum locum vocatio, antequam ministerium docendi & sacramenta administrandi in eo adgrediatur, neque enim ordinem divinitus in ecclesia constitutum tollere vel voluerunt vel potuerunt illi, qui ritum promotionis doctoralis in academias olim introduxerunt, vel qui eumdem adhuc inviolatum conservant. Præterea potestas illa docendi in promotione solenniter collata eo modo exseri & exerceri etiam potest, si orthodoxia scriptis propagetur, & contrarii errores solide refutentur, etiamsi ministerium in certo loco viva voce concionibus ordinariis docendi, sacramenta administrandi &c. non suscipiatur, nec sine prævia vocatione suscipi posse statuatur.

## SECTIO XII.

## DE ORDINATIONE.

*1) An ordinatio sit absolute ad ministerium necessaria?*

§. CXXXIX. Vocationis publica & solennis declaratio sive testificatio est *ordinatio*, per quam ministerium ecclesiasticum personæ idoneæ ad illud ab ecclesia vocatæ commendatur, ad quod eadem per preces

ces & impositionem manuum consecratur, de legitima vocatione certior redditur, & officii sui publice in totius ecclesiæ conspectu solenniter & graviter admonetur, propter quas causas ritum ordinationis in ecclesiis nostris inviolatum conservamus. Quæritur autem: I.) *An ordinatio ad ministerium sit absolute & simpliciter necessaria?* De rigore juris canonici non dicitur episcopus nisi sit consecratus c. licet extr. de transl. episcop. Per consecrationem illam intelligitur ordinatio, ut patet ex gloss. in c. si archiepiscopus verb. ordinandus extr. de temp. ordinat. quam definiunt, quod *sit electionis periodus, per quam spirituale matrimonium inter episcopum & ejus ecclesiam electione inchoatum & confirmatione contractum tandem perficiatur & consummetur.* c. 2. 3. 4. extr. de transl. episcop. inde statuunt, post confirmationem *ordinationem, sive consecrationem ultra tres menses non debere protrahi*, nisi ob justissimum impedimentum c. 1. distinct. 71. c. 2. dist. 75. c. 1. dist. 100. Sed ut notat Laurent. Ohmius in tract. de jure episcopali th. XIV. lit. c. rigorem illum ne ipsi quidem pontificii episcopi vel archiepiscopi in Germania admittunt, cum præsto sint exempla natorum ex illustribus familiis, qui consecrati non sunt, nec consecrationem aut ordinationem recipere voluerunt, ac nihilominus titulum & nomen archiepiscopalis & episcopalis dignitatis usurpant. Nos ordinationis ritum nequaquam omittendum, sed extra necessitatis casum in constitutione ministerii ecclesiastici semper adhibendum esse dicimus, tum propter antiquam ecclesiæ apostolicæ & apostolorum temporibus proximæ consuetudinem, in qua presbyterium ministros ab ecclesia electos per preces & impositionem manuum ordinabat & Deo quasi consecrabat: Act. VI. 6. XIII. 3. 1. Tim. IV. 14. V. 22. 2. Tim. I. 6. tum propter fines salutares paulo superius enumeratos. Paulus licet immediate vocatus erat, tamen ad Ananiam mittitur, qui imponat manus, ut ecclesiæ conflet de vocatione Act. IX. 17. & postea cap. XIII. 3. cum inter gentes ablegandus esset, rursus impositione manuum ordinarius gentium doctor constituitur, & hic ritus ideo fuit adhibitus, ut publice ejus vocatio declararetur legitima, nec alii consimiliter de eo gloriarentur. *Quod si hoc factum fuit in eo, qui immediate fuit vocatus, quanto magis id facere decet in vocationibus mediatis?* quæ sunt verba Chemnitii parte III. loc. de ecclesia cap. 4. pag. 333. Negamus tamen ordinationem esse necessariam ratione peculiaris alicujus præcepti divini, quale non potest ostendi, vel ratione talis cujusdam effectus, qualem pontificii illi tribuunt, quasi scilicet per eam imprimatur character aliquis indelebilis, vel quasi ex opere operato conferat dona ad ministerium requisita, de quo nulla ex Christi & apostolorum dictis adferri potest promissio: vel ratione cujusdam absolutæ & simplicis necessitatis, quasi ne quidem tempore eo, quo ordinationis ritus haberi nequit, puta tempore obsidionis, pestis &c. legitime ab ecclesia vocatus ministerio suo fungi nequeat, antequam ordinetur & consecretur, de tali enim absoluta necessitate non potest ex scripturis quidquam proferri. Chytræus in Exodi XXIX. *Sciendum est, vocatos & electos voce ecclesiae fungentes ministerio etiam sine ritu impositionis manuum vere ministros ecclesiae esse, posse docere & sacramenta administrare. Non enim imprimitur hoc ritu singularis character ordinato, nec potestas ecclesiastica seu jus docendi evangelii, & administrandi sacramenta pendet ex hoc ritu, nec propter hunc ritum efficax est ministerium ordinati, sed valet ministerium & est potentia ad salutem omni credenti propter ordinationem divinam: additur autem ritus impositionis manuum publicae declarationi personae vocatae, ut renunciatio fiat illustrior, & ut hic ritus de certis officiis admoneat.*

§. CXL. II.) Quæritur: *an ordinatio sit sacramentum aliquod proprie & specifice sic dictum?* 2.) *An ordinatio sit sacramentum?* Pontificii adfirmant. Sic enim decernit concilium Tridentinum sess. XIV. de sacr. ordinis can. 3. *Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem, non esse vere & proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel*

*vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei & sacramentorum &c. anathema sit.* Bellarminus tom. III. controv. general. V. lib. de sacram. ordinis cap. 2. probare conatur, *ordinationem esse sacramentum vere ac proprie dictum.* Nostrarum ecclesiarum hæc est sententia, ordinationem posse vocari sacramentum voce *latius* accepta; si tamen propriissime loqui velimus, ita ut sacramentum dicatur duntaxat illud, quod habet externum elementum sive sacramentale symbolum ab ipso Christo in nov. test. institutum, cui adnexa sit promissio gratiæ ad remissionem peccatorum exhibendam, adplicandam & obsignandam, quo sensu & qua significatione baptismus & eucharistia dicuntur sacramenta, eo sensu, significatione ac respectu negamus ordinationem esse sacramentum.

*Argumenta partis negantis.*

*1) Destituitur parte sacramenti essentiali, elemento scil. externo.*

§. CXLI. Argumenta nostræ sententiæ præcipua hæc sunt. 1.) Quidquid destituitur elemento externo ab ipso Christo instituto, non est sacramentum specifice ac proprie sic dictum. Ordinatio destituitur elemento externo ab ipso Christo instituto. Ergo non est sacramentum proprie ac specifice sic dictum. *Majoris* veritas patet ex iis, quæ de requisitis sacramentorum in genere dicta sunt tract. de sacrament. §. XI. Excipit Bellarminus ad minorem, *ritum externumque symbolum in ordinatione esse manuum impositionem, ut constet* ex Act. VI. 13. 14. 1. Tim. IV. 5. 2. Tim. I. *quae loca de ordinatione ab omnibus interpretibus accipiantur, in quibus per manus impositionem factam esse ordinationem commemoratur.* Sed respondit jam olim Chemnitius, symbolum illud externum, manuum scilicet impositionem, adhibitum quidem fuisse ab apostolis, sed ut ceremoniam liberam, qua personam ad ministerium electam precibus Deo commendarent, sacro officio manciparent, & electionem legitime factam omnibus publico signo testatam facerent; non autem ut sacramentale aliquod symbolum divinitus institutum ac determinatum ad adplicandam promissionem gratiæ evangelio propriam. Item, mandatum quidem haberi, ut ordinentur ministri, sed non haberi mandatum, ut fiat hoc vel illo ritu, cui promissio gratiæ sit adnexa; Christus enim semel in ordinandis discipulis ritum insufflationis adhibuit, Joh. XX. 22. quod si externum aliquod elementum apostoli judicassent necessarium, adsumsissent symbolum insufflationis, quo ipse Christus fuerat usus. Matth. X. 1. Marc. III. 14. Luc. IX. 1. & X. 9. dedit Christus apostolis & septuaginta discipulis virtutem ac potestatem, cum ministerium evangelii illis commendaret, sed nullo externo symbolo usus legitur. Idem fecit post resurrectionem; Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. nec ullum exstat Christi mandatum de illa manus impositione, in ordinatione adhibenda, jam vero sacramenta debent esse ab ipso Christo immediate instituta, quia illi soli competit, sacramenta instituere, qui potest per symbola sacramentalia gratiam conferre. Sed nec apostoli usquam mandarunt, in ordinatione necessario adhibendam esse manuum impositionem, nusquam etiam significarunt, eam esse ritum divinitus institutum, per quem Deus gratiam dare velit, sed ritum illum χειροθεσίας, cum in populo illo usitatus esset, libere adhibuerunt, ut persona ecclesiæ publice designaretur, ut hoc ritu vocatus de legitima vocatione certior redderetur, ut esset solennis testificatio, in ecclesia servatam esse electionis & vocationis formam divinitus præscriptam, ut significaretur, Deum adprobare vocationem, quæ fit voce ecclesiæ, ut oratio esset ardentior, ut admoneretur vocatus, se Deo esse consecratum & sacro officio quasi mancipatum.

*Exceptiones Bellarmini*

§. CXLII. Regerit Bellarminus 1.) *impositionem manuum adhibitam fuisse non solum ad orandum, sed etiam ad ordinandum, cum scriptura non faciat mentionem orationis* 1. Tim. IV. & V. ac 2. Tim. I. *ubi de manus impo-*

*impositione agitur; cum* Act. VI. *ubi ordinantur diaconi, manuum impositio aperte distinguatur ab oratione; cum verba* 1. Tim. V. Nemini cito imposueris manus, ne communices peccatis alienis; *non possint exponi de oratione, neque enim communicat peccatis alienis, qui orat etiam pro nequissimo; cum* χειροτονεῖν Act. XIV. *non possit exponi de oratione, sed de manuum super ordinandos extensione.* Addit etiam: *si vel maxime constaret, cum manus impositione semper conjunctam fuisse orationem, nihil tamen obtinere Chemnitium, cum dici possit, verba sacramentalia esse orationem quamdam.* Resp. mirum est, quo fine Bellarminus vel contra Chemnitium vel contra nos probare voluerit, manuum impositionem non solum ad orandum, sed etiam ad ordinandum fuisse adhibitam, cum nec Chemnitius nec quisquam nostrum illud unquam negatum iverit, quin imo Chemnitius exponit quasdam causas, propter quas ritum χειροθεσίας ad ordinationem apostoli adhibuisse videantur. Illud igitur probandum erat, apostolos hunc ritum adhibuisse, ut symbolum aliquod sacramentale divinitus institutum ad adplicandam & obsignandam promissionem gratiæ evangelio propriam. Quod Bellarmini argumenta hoc loco adlata attinet, de iis, ut rectius judicium fieri possit, notandum χειροθεσίας ac χειροτονίας vocem dupliciter accipi: 1.) *specialiter* pro sola manuum impositione, sive ut Bellarminus loquitur, super caput ordinandi extensione; 2.) *generaliter* pro toto & universo ordinationis actu. In priore significatione ab oratione distinguitur, in posteriore orationem tanquam præcipuam aliquam actus hujus sacri partem in se complectitur.

2.) §. CXLIII. Aliter igitur Bellarminus excipit, ac de mandato & institutione divina hujus ritus quæstionem esse animadvertens addit: II.) *Non legimus quidem diserte verbis Christum dixisse, ordinate ministros per manus impositionem, sed evidenter id colligimus ex sanctis literis. Nam non potest ullus homo gratiam adligare certo signo, ut constat. Atqui secundum scripturas adligata est gratia manus impositioni, ut ex illis verbis patet* 1. Tim. IV. Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum; *ubi illud per prophetiam non est instrumentum, sed causa impellens & movens, instrumentum autem conferendae gratiae est illud cum impositione manuum. Sensus enim est, noli negligere gratiam illam, quae tibi data est, quando episcopus a me ordinatus es juxta revelationem de te mihi factam (Deus enim revelaverat Paulo & jusserat, ut Timotheum ordinaret, id quod etiam habetur in primo cap.) secundum praecedentes in te prophetias. Quod autem instrumentum conferendae gratiae fuerit impositio manuum, habetur adhuc clarius* 2. Tim. I. Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ in te est, per impositionem manuum mearum. *Cum igitur gratia sit adligata ordinationi per manus impositionem, necesse est Deum esse autorem & institutorem illius ceremoniae.* Resp. 1.) Non negamus, Timotheo per impositionem manuum datam fuisse gratiam; sed non videmus, qua ratione ex eo colligi possit, quod gratia manuum impositioni tanquam symbolo sacramentali divinitus instituto propterea semper & perpetuo sit adligata, ita ut sine eo simpliciter conferri nequeat. Ex verbis Bellarmini non potest aliud argumentum colligi quam tale: Per quod Timotheo data fuit gratia, ad illud tanquam symbolum sacramentale ea est perpetuo adligata. Per impositionem manuum Timotheo data fuit gratia; ergo &c. Ibi vero negamus *majorem* propositionem, quam nunquam poterit Bellarminus demonstrare. 2.) Si enim gratia esset adligata manuum impositioni; consequens foret nec datam fuisse nec dari potuisse illam gratiam absque manuum impositione. Contrarium ostendimus superius, constat enim & apostolis & septuaginta discipulis, tum ante, tum post resurrectionem, a Christo datam esse gratiam absque manuum impositione. Bellarminus regerit, *Christum non fuisse adligatum sacramentis, proinde ipsum potuisse apostolis dare effectum sacramenti sine sacramento, id est, ordinare apostolos*

*stolos sine impositione manus.* Resp. ut ritum in baptismo observandum ipsemet instituit, & susceptione baptismi aquas ad hoc sacramentum sanctificavit: ut panem & vinum in sacra cœna ipsemet ordinavit, ut essent symbola sacramentalia, hoc est, σχήματα ac media, per quæ res cœlestis, corpus scilicet & sanguis ipsius daretur; ita quoque ritum χειροθεσίας ipsemet omni dubio procul expressisset, inque ordinatione adhibuisset, si ceremoniam illam voluisset esse medium conferendæ in ordinatione gratiæ, ac talem ritum, cui gratia esset adligata. Intelligit hoc Bellarminus, ideo aliter excipit: *Non cogimur*, inquit, *credere Dominum sine impositione manus ordinationem apostolis contulisse. Nam etiamsi scriptum non sit, per impositionem manuum ordinatos fuisse apostolos, tamen neque scriptum est contrarium, & multa fecit Dominus, quae scripta non sunt.* Resp. scriptura non deficit in necessariis, at symbolum externum sacramentale est de necessitate sacramenti, quare si manuum impositio esset symbolum sacramentale proprie sic dictum, & eo fine a Christo adhibitum, ut gratiam illi adligatam esse ostenderetur, utique evangelistæ illius mentionem aliquam fecissent. Fideliter describunt integram baptismi & eucharistiæ institutionem, apostolis & septuaginta discipulis potestatem ministerii datam esse referunt; sed χειροθεσίας adhibitæ nullus ipsorum facit mentionem. Cui vero persuaderi potest, eam ab evangelistis fuisse prætermissam, si Christus facto suo hunc ritum tanquam symbolum sacramentale perpetuum ecclesiæ præscribere voluisset? Addimus ἐκ περισσοῦ, si vel maxime ritus ille a Christo fuisset in ordinatione apostolorum adhibitus, nondum tamen mandatum & institutionem ex eo evinci posse, siquidem *insufflationis* ritum Christus adhibuit Joh. XX. 22. quem tamen nec ipse Bellarminus symbolum sacramentale perpetuum & ordinarium hujus sacramenti esse adserit. Vrgemus igitur contra Bellarminum hoc argumentum: Sine quo conferri potest gratia sacramentalis, ad illud tanquam symbolum sacramentale non est gratia adligata. At qui sine manuum impositione conferri potest gratia sacramentalis; ergo ad impositionem manuum tanquam symbolum sacramentale non est gratia adligata. *Minor* negari nequit, ut constat ex dictis, & potissimum ex eo, quod Bellarminus libr. I. de sacram. ordin. c. 7. *subdiaconis gratiam sacramentalem conferri* statuit, cum tamen sine impositione manuum ordinentur. 3.) Nunquam igitur ex ritu χειροθεσίας libere ab apostolis usurpato elicere poterit Bellarminus, niti eum mandato & institutione divina, per quam gratia sacramentalis ad illum sit adligata; sed adferendum erat expressum institutionis verbum, quale in reliquis nov. test. sacramentis proprie sic dictis habemus. 4.) Χειροθεσία non est ceremonia quædam ordinationis propria, sed potius communis quædam ceremonia, qua ad collationem peculiarium Spiritus sancti charismatum, ad sanitatis restitutionem, ad commendationem quorumcunque per preces Deo factam, nequaquam vero ad solam ordinationem apostoli libere fuerunt usi. Becanus in disp. de vocat. ministr. thesi XLI. *Notandum* (inquit) *manuum impositionem in nov. test. ad varios effectus adhiberi solitam, 1.) ad sanandos aegrotos*, Marc. XVI. 18. *2.) ad impertiendam benedictionem*, Matth. XIX. 13. *3.) ad felicem comprecationem*, Act. XIII. 3. *4.) ad Spiritum sanctum conferendum*, Act. VIII. 17. *5.) ad conferendam gratiam in ordinatione ministrorum.* 2. Tim. I. 6. Hæc ille; quomodo igitur statui potest, quod χειροθεσία sit talis ritus, qui sit huic sacramento proprius, & cui gratia sacramentalis sit adligata? quinimo Bellarminus ipse statuit, *impositionem manuum in confirmationis sacramento esse de essentia*, libr. I. de sacr. ord. cap. 9. §. *nec valet &c.* Ergo non erit sacramento ordinationis propria. 5.) Si ritus χειροθεσίας cum symbolis sacramentalibus reliquorum sacramentorum proprie sic dictorum conferatur, adparebit, eam non posse symboli sacramentalis proprie sic dicti nomine venire. In baptismo aqua adfunditur, vel adspergitur baptizandis; in eucharistia panis & vinum exhibentur communicantibus, sed quodnam in ordi-

natione visibile & externum elementum? manus quidem ordinando imponitur, sed quis dixerit, manum ipsam esse elementum externum & materiale sive symbolum sacramentale? ipsa potius impositio manus est ritus libere adhibitus, non autem adplicatio elementi cujusdam sacramentalis proprie sic dicti, actio est non elementum. 6.) Quando Timotheo dicitur *gratia collata per impositionem manuum*, tunc χειροθεσία non accipitur *specialiter* ac determinate, prout ab oratione contradistinguitur, sed *generaliter* pro toto ordinationis actu, cujus præcipua pars sunt conjunctæ presbyterii & ecclesiæ preces, quibus exauditionis promissio in sacris literis facta est, sed de sola manus impositione nunquam poterit talis adferri promissio, quod gratia sacramentalis illi sit adligata. 7.) Si ex eo, quod Timotheo per manuum impositionem gratia ministerii data dicitur, legitime inferri posset, gratiam hujus sacramenti esse impositioni manuum adligatam; possem eadem ratione inferre gratiam peculiarium Spiritus sancti charismatum conferendorum eidem ceremoniæ adligatam, cum per impositionem manuum credentibus in primitiva ecclesia Spiritus sanctus, id est, peculiaria illa Spiritus sancti charismata dicantur data. Act. VIII. 17. XIX. 6. Item gratiam sanationis eidem ceremoniæ adligatam esse, cum per impositionem manuum apostoli donum miraculosæ sanationis exseruerint. Marc. XVI. 18. Act. XXVIII. 8. &c. 8.) Denique si ex χειροθεσία apostolis in ordinatione usitata recte inferri posset, hunc ritum esse symbolum sacramentale necessarium; posset ex apostolorum exemplo itidem colligi, *jejunium* inter substantialia ordinationis referri debere, cum Act. XIII. 3. cum χειροθεσία illud conjungatur.

2) *destituitur promissione gratiæ.*

§. CXLIV. II.) Quicunque ritus destituitur adnexa promissione gratiæ evangelio propriæ de adplicatione & obsignatione remissionis peccatorum, ille non est proprie & specifice sic dictum sacramentum. Atqui ordinationis ritus destituitur adnexa promissione gratiæ evangelio propriæ de adplicatione & obsignatione remissionis peccatorum; ergo. *Majoris* veritas elucet ex illis, quæ de sacramentis in genere diximus, ubi ostensum fuit, proprium ac principalem sacramentorum finem esse, quod sint media atque organa, per quæ Deus promissionem remissionis peccatorum sive reconciliationis in salutari usu adplicet & obsignet. Ad *minorem* Bellarminus excipit, *promissionem gratiae expresse haberi 1. Tim. IV.* Noli negligere gratiam, *&* 2. *Tim. I.* Admoneo te, ut resuscites gratiam. At jam olim respondit Chemnitius, ad sacramentum proprie sic dictum requiri promissionem gratiæ evangelio propriæ de adplicatione & obsignatione remissionis peccatorum; proinde Bellarminus adferens dicta apostolica de gratia per ordinationem data nihil agit, cum *minorem* argumenti nostri mutilatam & truncatam accipiat, nos enim non de quavis gratia, sed de gratia remissionis peccatorum & reconciliationis, quæ est evangelio propria, hoc loco agimus, ea vero non est in ordinatione, ut constat. Judas habuit gratiam ordinationis, non tamen peccatorum remissionis.

*Exceptiones Bellarmini.*

§. CXLV. Regerit Bellarminus: *Per promissionem gratiae sacramento adnexam intelligitur, vel quod omne sacramentum per se institutum sit ad peccati remissionem, vel quod satis sit, si conferat gratiam gratum facientem, quae sit efficax ad peccatum delendum, si illud inveniat, licet per se ad alium finem ordinetur. Si primum, non poterit Chemnitius defendere, eucharistiam esse verum sacramentum, siquidem certum est, eucharistiam non esse per se institutam ad peccatum tollendum, sed ad vitam spiritualem augendam & conservandam, datur enim post baptismum, ac proinde iis, qui non habent peccata. Si secundum, facile ostendi potest, etiam ordinationem esse sacramentum. Nam gratia, quae illi promissa est, non est donum aliquod gratis datum, ut prophetia vel donum linguarum, sed gratia justificans. Cum enim Dominus Joh. XX. tribuit apostolis potestatem remittendi peccata, quae est pars quaedam*

*dam sacerdotii, dixit*: Accipite Spiritum S. *& cum dixerat apostolus 2. Tim. I. gratiam Timotheo per impositionem manus datam, subjungit explicans, quae sit illa gratia*: Non enim dedit Deus nobis, *id est, episcopis*, Spiritum timoris, sed virtutis, dilectionis & sobrietatis. Resp. 1.) Bellarmini argumentum nititur multis falsis hypothesibus, nimirum quod *gratia justificans sit infusus quidam habitus*, quod *eucharistiae fructus non sit remissio peccatorum*, quod *baptismus ita deleat peccatum, ut nullae ejus in renatis maneant reliquiae*, qua de re suo loco dictum fuit. 2.) Repetimus hic verba Christi ex institutione eucharistiae: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Bibite, hoc est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Ex quibus apertissime liquet, promissionem gratiae de remissione peccatorum obsignari & confirmari credentibus in salutari usu sacrae coenae; siquidem accipiunt illud corpus, quod in mortem pro ipsis traditum, accipiunt illum sanguinem, qui pro peccatis ipsorum in ara crucis est effusus. Neque quidquam impedit, quod eucharistia detur illis, qui baptismum percepernut, & qui in vera poenitentia per fidem remissionem peccatorum jam ante consecuti sunt, cum & continuatione & confirmatione hujus summi beneficii, remissionis scilicet peccatorum in hac vita perpetuo illis opus sit. πρῶτον ψεῦδος erroris pontificii in hoc argumento consistit in eo, quod statuunt, *gratiam justificantem esse infusum habitum, qui peccata eo modo deleat, quo sol tenebras omnes fulgore suo dispellit.* Bellarminus lib. II. de just. c. 2. 3.) Eucharistia non semper datur immediate post baptismum, sed quandoque inter baptismi & eucharistiae usum multi intercedunt anni. Jam vero tempore illo intermedio multa contrahuntur peccata, ad quorum remissionem eucharistiae salutaris usus est institutus, ac proinde frivolum est Bellarmini argumentum: Eucharistia datur immediate post baptismum; ergo non est instituta ad peccatum tollendum. 4.) Quinimo quando eucharistia immediate post baptismum datur, nihilominus promissio gratiae de adplicanda & obsignanda peccatorum remissione non definit ei esse adnexa; praeterquam enim quod in renatis semper remanent peccati reliquiae, accedit etiam illud, quod collata in baptismo remissionis gratia & fides eam amplectens usu eucharistiae confirmatur, ac promissio gratiae obsignatur, itemque Spiritus sancti dona augentur. Sic baptismus confertur etiam illis, qui jam ante per verbum sunt regenerati ac fide donati, adeoque remissionem peccatorum consecuti; nec tamen ex eo inferri potest, baptismum non esse institutum ad remissionem peccatorum. 5.) In ordinatione gratiam justificantem conferri, nunquam poterit Bellarminus ex Joh. XX. demonstrare, cum enim non solum gratia justificans, sed etiam potestas ministerii sit Spiritus sancti donum, ideo a particulari procedit illud argumentum: *Christus in ordinatione confert apostolis Spiritum sanctum; ergo confert eis gratiam justificantem.* Idem vitium occurrit in argumento ex 2. Tim. I. deducto. *Spiritus sancti dona sunt charisma* prophetiae, charisma linguarum, charisma sanationis &c. nec tamen omnes instructi dono prophetiae, dono linguarum, dono sanationis &c. habent gratiam justificantem, hoc est, ut ex scripturis interpretamur, remissionem peccatorum & reconciliationem. Audiat Bellarminus se ipsum, quomodo alibi, videlicet lib. I. de sacram. in genere cap. 26. verba Christi exponat: *Per Spiritum sanctum* (inquit) *intelligimus illo loco Johannis potestatem remittendi peccata, ut intelligunt Cyrillus & Chrysostomus in illum locum. Potest autem haec potestas esse sine gratia gratum faciente. Quod autem nomine Spiritus sancti intelligi possint quaelibet ejus dona, licet non faciant hominem sanctum, patet ex 1. Cor. XII.* Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, aliis datur per Spiritum sermo sapientiae &c. *& 1. Cor. XIV.* Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt; *ubi spiritum vocat donum prophetandi a Spiritu sancto datum.* Item: *Autoritas conferendi sacramenta non est gratia gratum faciens, sed gratis data, nec ita pugnat cum improbitate vitae,*

*vitae, ut simul cum ea esse nequeat, quod Caiphae exemplo liquet Joh. XI. & aliorum virtutes edentium in nomine Christi. Matth. VII.* An posset apertius sibi ipsi Bellarminus contradicere? 6.) Cum manuum impositione in primitiva ecclesia apostoli fuerint usi non solum in ordinatione, sed etiam in collatione peculiarium Spiritus sancti charismatum, ideo dictum 2. Tim. I. 6. commode de utraque χειροθεσία accipi potest. 7.) Concedit Bellarminus, *ordinationem non ad gratiae justificantis collationem, sed ad alium potius finem* institutam, sive ut ipse loquitur, *ordinatam* esse. At ex eo ipso colligere possumus, ordinationem non esse sacramentum proprie & specifice sic dictum, sic enim argumentamur: Omne sacramentum institutum est fine eo, ut promissionem gratiæ adplicet & obsignet, sive ut Bellarmini verbis sano sensu utamur, ut gratiam justificantem conferat. Ordinatio non est instituta fine eo, ut promissionem gratiæ adplicet & obsignet; ergo. *Majoris* veritas elucet ex proprio sacramentorum fine. *Minorem* Bellarminus concedit, quæ etiam est certissimæ veritatis. Si enim ordinatio esset sacramentum divinitus institutum ad adplicandam & obsignandam promissionem gratiæ, certe omnibus hoc sacramento utentibus & non ponentibus obicem daretur gratia justificans, itemque ordinandi essent, qui cupiunt sibi adplicari & obsignari promissionem de gratia justificante sive remissione peccatorum.

3) *Est utrique test. commune.*

§. CXLVI. Atque hæc sunt principalia sententiæ nostræ argumenta, sequuntur minus principalia: III.) Omne sacramentum nov. test. proprie & specifice sic dictum est nov. test. proprium. Ordinatio non est nov. test. propria, sed utrique tam veteri quam novo testamento communis, cum sacerdotes levitici vet. test. itidem certis ritibus ad ministerium fuerint consecrati. Exod. XXIX. Si dicas, *ritum χειροθεσίας in novo testam. accessisse*: resp. illum ipsum ex vet. testam. ab apostolis fuisse transsumtum, ut postea demonstrabitur. In ipsa Aaronis & filiorum ipsius ordinatione mentio fit olei unctionis, impositionis mitræ sive tiaræ sacerdotalis, induitionis vestium sacrarum &c. jubentur etiam Aaron & filii ejus manus ponere super caput juvenci ad sacrificium mactandi, &, quod probe notandum, Num. VIII. 10. filii Israel jubentur *manus ponere super Levitas*, ex quo mutuatos esse ritus, quos in ordinatione sua pontificii observant, negari nulla veritatis specie potest. Bellarminus lib. I. de sacr. ord. cap. 7. statuit, *ordinem subdiaconorum esse sacramentum*; cum tamen absque manus impositione illi ordinentur, quomodo igitur manuum impositio essentialem differentiam inter ordinationem veteris ac novi testamenti constituet? IV.) Omne sacramentum est bonum totius ecclesiæ. Ordinatio non est totius ecclesiæ bonum, sed certi alicujus status, videlicet ministrorum ecclesiæ propria; ergo. V.) Qui ordines a Christo & apostolis ne quidem nominantur, illorum in ecclesiam introductio non potest esse sacramentum proprie & specifice sic dictum, siquidem omne sacramentum oportet esse a Christo institutum. Jam vero plerique ordines papales a Christo & apostolis ne quidem nominantur. Multa Christus, multa Petrus, plura Paulus ad Timotheum & Titum de verbi ministerio & ministrorum officio proferunt; sed nihil audis de ostiariis, de exorcistis, de acoluthis, de subdiaconis, de sacerdotibus missificis &c. ergo.

4) *Est bonum alicujus status.*

5) *Ordines papales Christo & apostolis sunt ignoti.*

§. CXLVII. VI.) Denique ipsimet pontificii 1.) de ordinum suorum institutione & origine divina nondum certi sunt, nec invicem de ea conveniunt, ut infra late demonstrabimus. Quo igitur colore sub fulmine anathematis eos pro sacramento proprie & specifice sic dicto nobis obtrudere possunt? 2.) Sed nec de eo certi sunt, an omnes septem ordines sint sacramenta. Biel lib. IV. sent. dist. 8. q. 1. art. 3. dub. 3. adserit, *sacramentum ordinis sub se continere septem vel octo gra-*

6) *Ipsi pontificii de illis discrepant.*

*eramenta a se ipsis invicem distincta*; sed illa Bielis adsertio a multis in dubium vocatur, de quo ipsum Bellarminum audiemus; lib. I. de sacram. ordinis cap. 5. sic scribit: *Sequitur secunda quaestio: Quinam ordines sint sacramenta? Septem esse ordines, demonstravimus in primo libro de clericis, videlicet sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, acoluthorum, exorcistarum, lectorum & ostiariorum. Ex quibus ordo sacerdotum duplex est, sunt enim alii majores sacerdotes, id est, episcopi; alii minores, id est, presbyteri. Ex his autem convenit inter omnes catholicos, ordinem presbyterorum esse vere & proprie sacramentum, de aliis non omnino convenit. Dicam igitur de singulis, quid verius ac probabilius videatur. Ac primum ordinatio episcopalis sacramentum est vere ac proprie dictum. Haec sententia etiamsi a quibusdam veteribus scholasticis negetur in IV. dist. 24. & ex recentioribus a Dominico Soto lib. X. de justitia & jure q. 1. art. 2. & in IV. dist. 24. q. 2. art. 3. tamen adseritur ab omnibus antiquis patribus & ex recentioribus a Petro Soto lect. IV. de sacram. ord. & a Cajetano tom. I. opusc. tract. 11. nec non ab antiquis nonnullis scholasticis, ut Altisiodorensi, Majori, Scoto, Durando & Paludano, licet Durandus idem sacramentum esse velit cum sacramento presbyteratus, &c.* Et postea: *Si ordinatio episcopalis non est sacramentum, non possumus ex scripturis aperte probare, ordinationem esse sacramentum; amittemus etiam loca patrum, quae pro sacramento ordinationis adducuntur, si episcopalis ordinatio non est sacramentum.* Cap. 6. *De diaconis est valde probabile & omnino tenendum, eorum ordinationem esse sacramentum; licet id non sit certum ex fide, quia non potest id evidenter deduci ex verbo Dei scripto vel tradito, neque exstat ulla ecclesiae determinatio, unde Durandus adserit, solum sacerdotium esse ordinis sacramentum in IV. dist. 24. q. 2. cum Cajetano tom. I. opusc. tract. 11.* Et postea: *Quidam dicunt, diaconatum esse perpetuum non ex charactere, sed ex consecratione. At si aliunde potest provenire quam ex charactere, ut non possit amitti diaconatus, ruet principalis ratio catholicorum, qua probant, sacramenta quaedam imprimere characterem,* Ibidem: *Cyprianus fortasse fuit in ea sententia, diaconatum non esse a Christo institutum, fortasse etiam voluit dicere, Christum non ordinasse ullos diaconos.* Cap. 7. *De subdiaconatu non est tanta certitudo, quanta de diaconatu. Nam nec in scripturis de eo fit mentio, nec ordinatio habet manus impositionem, nec subdiaconi ministrant eucharistiam, aut alia facere possunt, quae diaconi, & denique non pertinent proprie ad hierarchiam, nisi ut ministri hierarcharum. Est tamen valde probabile, etiam hunc ordinem esse sacramentum.* Et postea: *Quod magister dicit, subdiaconos ab ecclesia introductos, non sic debet intelligi, quasi ecclesia eum ordinem instituerit, sed videtur magister existimasse, usum horum ordinum non coepisse tempore apostolorum, sed postea, quod videlicet antea ob fidelium paucitatem non essent tot ordines necessarii. Sed neque hoc videtur esse verum; nam Ignatius, qui tempore apostolorum floruit, fere omnium ordinum meminit.* Cap. VIII. *De minoribus ordinibus minus probabile est, quod sint sacramenta, quam de subdiaconis, nam neque est ita communis sententia, sicut de diaconatu & subdiaconatu, & certum est, leviora esse munera horum ordinum quam superiorum, absolute tamen probabilior est sententia, quae ordines omnes sacramenta esse docet, quam ea, quae id negat: id videtur sensisse concilium Florentinum, nec dissentit Tridentinum &c.* Haec omnia Bellarminus, quae manifeste testantur, ipsos pontificios esse adhuc incertos, an omnes & singuli ordines sint sacramenta proprie sic dicta?

§. CXLVIII. 3.) De materia illorum ordinum non minus inter se dissentiunt. Cum enim in ordinatione presbyteri & diaconi duplicia signa adhibeantur, videlicet *impositio manuum & porrectio instrumenti*, ut calicis & patinae in presbyteratu, & libri evangeliorum in diaconatu, ideo quaestio exstitit, utrum horum signorum sit essentialis materia sacramenti? Alii existimant, *manus impositionem esse*

*accidentariam, & solam instrumentorum porrectionem esse essentialem.* Ita Dominicus a Soto dist. 24. q. 1. art. 4. & alii quidam. Contra vero reliqui statuunt, *non solum instrumentorum porrectionem, sed etiam manus impositionem esse materiam essentialem*, quam posteriorem sententiam Bellarminus lib. I. de sacr. ord. c. 9. judicat longe probabiliorem ac veriorem. *Si enim impositio manuum non est de essentia*, (inquit) *non possumus convincere haereticos, ordinationem esse sacramentum proprie dictum, quia non possumus in scriptura demonstrare symbolum externum hujus sacramenti.* Sed hac ratione Bellarminus sibi fortissime contradicit. Si enim manus impositio est essentialis materia hujus sacramenti, utique ordinatio subdiaconorum non erit sacramentum, cujus contrarium adseruit c. 7. praecedente; vel si ordinatio subdiaconorum, quae fit sine manuum impositione, est sacramentum, consequens est, manus impositionem non esse materiam hujus sacramenti essentialem, cujus contrarium statuit in hoc cap. 9. Postea addit: *In ordinatione presbyterorum duae conferuntur potestates: una consecrandi eucharistiam, quae dicitur potestas in corpus Christi verum; altera absolvendi a peccatis, quae dicitur potestas in corpus Christi mysticum. Propter has duas potestates duae sunt in ordinatione presbyterorum praecipuae ceremoniae: una, qua episcopus porrigit futuro presbytero patinam cum hostia, & calicem cum vino, ac dicit: accipite potestatem offerendi sacrificium. Altera cum manus ei imponit, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c. Vtraque ceremonia est essentialis, nam per unam confertur una potestas, per alteram altera, neque est probabile, quod quidam dicunt in una totum dari, & in altera tantum explicari, quod est datum in alia &c.* Atqui si credere debemus, utramque illam ceremoniam esse necessariam in ordinatione presbyterorum, proferat Bellarminus tabulas divinae institutionis, ubi Christus apostolis tradiderit patinam & calicem, atque eos constituerit missifices, ubi imposuerit illis manum? Concludit tandem Bellarminus: *Credibile est, Dominum instituisse istas omnes materias ordinum, non quidem in particulari, sed generatim monendo apostolos, ut ordines conferrent per ceremoniam instrumentorum, quibus significaretur eorum potestas.* At quomodo hoc credibile est, cum in literis fidei, in scripturis scilicet sacris, ne quidem suspicandi illud occasio contineatur?

*Argumenta pontificiorum pro adstruendo ordinis sacramento.*

§. CXLIX. Sed videamus, quae pro adstruenda pontificiorum sententia Bellarminus adferat: I.) Lib. de sacram. ordin. cap. 1. dicit, *Lutherum, Illyricum & Chemnitium negare, quod ordinatio sit sacramentum proprie dictum; sed Calvinum*, lib. IV. instit. cap. 14. §. 20. & *Philippum Melanchthonem in locis editis* annis 1536. 1552. 1558. item *in apologia confess. August.* art. XIII. *satis aperte docere, ordinationem esse sacramentum proprie dictum*; unde Chemnitium adcusat, quod *in hac controversia repugnet praecipuis Lutheranis, seque adjungat obscurioribus & paucioribus.* Resp. 1.) De Calvino quidem parum soliciti sumus; interim tamen praetermittere non possumus, quin moneamus, luculentam ipsi hoc in loco a Bellarmino fieri injuriam, cum mentem suam clarissime exposuerit, sic enim scribit d. l. *Impositionem manuum, qua ecclesiae ministri in suum munus initiantur, ut non invitus patior vocari*, (nota, non esse proprie dictum) *sacramentum ita inter ordinaria sacramenta non numero.* 2.) Vox *sacramenti* a Philippo in locis & in apologia sumitur in significatione laxiori. Bellarminus regerit, *enumerari ibi sacramenta proprie dicta, ad quae requirantur tria: ritus, promissio gratiae & mandatum, atque ex eo fundamento probari, tria esse proprie dicta sacramenta, baptismum, eucharistiam & absolutionem: deinde ex eodem fundamento rejici confirmationem, extremam unctionem & matrimonium, de ordine autem distincte pronunciari, si accipiatur pro sacerdotio, ex sacramentis excludi, si pro ministrorum ordinatione, non gravate admitti.* Resp. verba apologiae sic habent: *Sacerdotium intelligunt*

1) *Ex Augustana confess.*

*ligunt adversarii non de ministerio verbi & sacramentorum aliis porrigendorum, sed de sacrificio, quasi oporteat in nov. test. esse sacerdotium simile levitico, quod pro populo sacrificet, & mereatur aliis remissionem peccatorum &c.* quæ sententia ex epistola ad Hebræos refutatur, & postea subjungitur: *Si ordo de ministerio verbi intelligatur, non gravatim vocaverimus ordinem sacramentum. Nam ministerium verbi habet mandatum Dei, & habet magnificas promissiones. Rom. I. Es. LV. Si ordo hoc modo intelligatur, neque impositionem manuum votare sacramentum gravabimur. Habet enim ecclesia mandatum de constituendis ministris, quod gratissimum esse nobis debet, quod scimus Deum adprobare ministerium illud & adesse ministerio, ac prodest, quantum fieri potest, ornare ministerium verbi omni genere laudis adversus fanaticos homines.* Ex hisce quilibet intelligit, non tam de ritu ordinationis quam de ipso verbi & sacramentorum ministerio, nec de propriissima & specialissima, sed de generaliore quadam sacramenti significatione apologiam agere. Quando enim sacramentum accipitur propriissime ac specialissime, ut in baptismo & cœna, requirit non quemvis ritum, sed eum, qui certo & ab ipso Christo præscripto ac determinato elemento constat, nec promissionem gratiæ cujusvis, sed quæ evangelio propria est, ut alibi fuit demonstratum. Unde in ipsa apologia ibidem subjungitur: *Si omnes res adnumerari sacramentis debent, quae habent mandatum Dei, & quibus sunt additae promissiones, cur non addimus orationem, quae verissime potest dici sacramentum? habet enim & mandatum Dei & promissiones plurimas. Possent hic numerari etiam eleemosynae, item adflictiones, quae & ipsae sunt signa, quibus addit Deus promissiones &c.* unde sic colligimus: *Sacramenti* nomen apologia eo modo accipit, ut complectatur orationem, eleemosynas & piorum adflictiones. Atqui *sacramenti* nomen eo modo acceptum nondum obtinet propriissimam & specialissimam significationem, quod ne ipse quidem Bellarminus negare poterit. Ergo apologia non accipit nomen *sacramenti* in propriissima & specialissima significatione. Pontificii vero quando ordinem esse sacramentum disputant; a.) non de verbi ministerio, sed de externo ordinationis ritu loquuntur: b.) nec ἐν πλάτει, sed stricte hoc intellectum volunt, neque enim gradus & discrimen sacramentorum constituunt, sed ἰσως & συνωνύμως de ritu ordinationis ac reliquis propriissime dictis sacramentis, baptismo scilicet & cœna Domini nomen *sacramenti* prædicari statuunt.

§. CL. II.) Cap. 2. ex divinis literis Bellarminus demonstrare conatur, *in ordinatione haberi symbolum externum, promissionem gratiae, & mandatum seu institutionem divinam, ac proinde ordinationem esse sacramentum vere & proprie sic dictum,* qua de re quid statuendum sit, patere potest ex superioribus. Cap. 3. provocat ad testimonia *pontificum, conciliorum, patrum & scholasticorum.* Resp. 1.) Sacramentorum proprie dictorum institutio & essentialia requisita ex sacris literis demonstranda sunt. 2.) Epistolæ pontificum primo loco adductæ pleræque sunt suppositiciæ, ut ex stilo & rebus ipsis Erasmus demonstrat. Adde, quod ne quidem ex illis suppositiciis probare possit Bellarminus, quod intendit. Innocentius I. in epist. 18. ad Alexandr. Antioch. ordinationem cum sacramento proprie dicto, videlicet baptismo confert, sed ex eo nondum inferri potest, quod in sacramentorum proprie dictorum numero habeat. Potest enim collatio institui in generali quadam ratione, quia & per baptismum & per ordinem homo consecratur Deo; jam vero quæ in uno tertio conveniunt, non est necesse inter se plene & plane convenire. Leo epist. LXXXI. ad Dioscorum Alexand. ordinem vocat *sacramentum*, idem vero eumdem incommode leviticam ordinationem adpellat, atque ad certum diem ad vesperam scilicet sabbati adstringit. Anastasius II. in epist. ad imp. Anastasium. Gregorius I. lib. IV. comment. in I. Reg. V. *sacramenti* nomine latius utuntur pro quavis ceremonia, per quam homo peculiari

2) *Ex testimoniis pontificum, conciliorum & patrum.*

ratione Deo consecratur, quo sensu idem Gregorius comm. cod. in c. 10. & 16. Saulis & Davidis unctionem, qua in reges ungebantur, sacramenta vocat. 3.) Concilia quædam sunt recentiora, ut Florentinum & Tridentinum, quædam vero antiquiora, ut Chalcedonense & Bracarense; illorum autoritas tanta non est, ut possit apud nos aliquam probandi vim obtinere, hæc vero non adserunt, quod Bellarminus in illis quærit. Chalcedonense concilium can. II. ut & Bracarense damnat eos, qui pecunias pro ordinatione suscipiunt, quia gratiam Dei illi censentur vendere, quæ tamen vendi nullo modo debet. At si ex eo inferri posset, ordinationem esse sacramentum, eadem ratione inferri posset, impositionem manuum, qua visibilia Spiritus sancti dona in ecclesia apostolica conferebantur, fuisse sacramentum proprie dictum. Act. VIII. 4.) Inter patres primo loco ponitur Dionysius Areopagita, cujus scripta esse supposititia idoneis rationibus confirmant Laurent. Valla & Erasmus in Act XVII. Theod. Gaza præfat. in problem. Alexandri Aphrodii a se in latinum conversorum, Cajetanus, Lutherus in Genes. III. Illyricus in catal. & alii complures. Nullus ex veteribus ante Gregorium scriptorum Dionysii mentionem facit. Hieronymus ex professo catalogum ecclesiasticorum scriptorum texit, sed in eo Dionysium nuspiam recenset. Eusebius lib. III. hist. c. 4. & lib. IV. hist. c. 2. 3. commemorat, quomodo Dionysius sit factus episcopus Athenensis; sed scriptorum ejus nullam facit mentionem, quod more suo nunquam tacuisset. Videatur criticum sacrum Riveti. Martyrii dictum apud Sozomenum lib. VII. hist. c. 10. commode explicandum, ne cum fidei analogia pugnet: adserit enim, *sacerdotium esse peccatorum expiatorium*, quod non potest de ritu ordinationis accipi, cum ipse Bellarminus lib. I. de sacram. c. 26. adserat, *potestatem remittendi peccata sine gratia gratum faciente posse locum habere*; sed explicandum de ipso ministerio ecclesiastico, per quod ὀργανικῶς peccatorum remissio & salus hominibus confertur. Chrysostomus lib. III. de sacerd. dicit, *ipsum paracletum dispositisse ministrorum ordinem, ac proinde sacerdotium in rerum cœlestium classem & ordinem esse referendum*; sed ex eo inferri nequit, ritum ordinationis esse sacramentum proprie dictum, cum non tam de ritu ordinationis, quam de ecclesiasticarum personarum ordine Chrysostomus loquatur. Ordinationem esse sacramentum proprie dictum negamus, nec tamen ex ordine rerum cœlestium ministerium ecclesiasticum eximimus, vel pios ministros a Spiritu sancto constitutos negamus. Tharasius in epist. ad Adrianum papam tom. I. biblioth. dicit, *eos, qui pecunias pro ordinatione accipiunt, Spiritum sanctum vendere.* Theodoretus in 1. Tim. V. Oecumenius in 2. Tim. I. Ambrosius de dign. sac. c. 5. *in ordinatione Spiritus sancti gratiam conferri* dicunt. Sed ex illis nondum inferri potest, ordinem esse sacramentum proprie dictum, cum per cujusvis rei spiritualis venditionem simonia committatur, ac Spiritus sanctus vendi censeatur, cumque non quævis, sed justificans gratia symbolo divinitus instituto adnexa sacramentum proprie dictum constituat. Cypriani sermo de operibus cardinalibus est suppositicius teste Pamelio & Sixto Senensi lib. IV. biblioth. Augustinus nomen *sacramenti* latius accipit, ut alibi demonstratum fuit. 4.) Scholasticorum autoritas ne ipsis quidem pontificiis est infallibilis.

§. CLI. III.) Cap. 4. profert Bellarminus rationes: 1.) *Deus* (inquit) *cujus perfecta sunt opera Deut. XXXII. cum dat potestatem, dat etiam ea, quae requiruntur ad usum ejus legitimum & congruentem, ut adparet etiam in rebus naturalibus. In ordinatione autem sacra datur homini potestas conficiendi & ministrandi sacramenta, quae certe a peccatore recte exerceri non potest. Dabit igitur Deus simul cum ea potestate etiam gratiam justificantem & perficientem animam, ut rite fungatur tanto ministerio.* 2.) *Si in baptismo, in quo datur potestas suscipiendi eucharistiam & alia sacramenta, datur simul cum ea potestate gratia gratum faciens, quia sine ea non recte percipiun-* 3) *Ex rationibus.*

*piuntur sacramenta cetera; cur in sacramento ordinis, in quo datur potestas conferendi sacramenta, non simul etiam dabitur gratia gratum faciens? Si autem datur in ordine gratia gratum faciens, erit sacramentum proprie sic dictum.* 3.) *Adversarii nihil habent, quod objiciant, nisi argumenta negativa & levia.* Resp. 1.) Non ex rationis congruentia, sed ex institutione divina sacramenti veritas demonstranda. 2.) Bellarminus sibi ipsi contradicit, nam lib. de sacram. in genere cap. 26. modo plane contrario progreditur, sic enim scribit §. probatur: *Autoritas conferendi sacramenta non est gratia gratum faciens, sed gratia gratis data, non ergo ita pugnat cum improbitate vitae, ut simul cum ea esse non possit. Constat enim ejusmodi gratias in peccatoribus esse posse, ut patet de Caipha, qui prophetavit, cum tamen esset pessimus, Joh. XI. item de illis, qui Matth. VII. dicunt*: nonne in nomine tuo prophetavimus? *Secundo autoritas conferendi sacramenta non datur in utilitatem habentis, sed aliorum: igitur non erat conveniens, ut auferretur propter peccatum habentis. Tertio Deus non aufert ob peccata potestatem jurisdictionis, ergo nec ordinis. Quarto, non aufert Deus hominibus ob peccata naturales potentias ad opera naturalia, igitur nec auferre debet supernaturalem potestatem ad opera supernaturalia.* Et postea: *Haeretici non habent remissionem peccatorum formaliter, tamen habent ministerialiter, quomodo famulus, qui saepe non habet unum obolum, tamen defert multos aureos a domino suo ad aliquem alium. Adde, distinguendum esse ipsum sacramentum ab effectu ejus, & inter effectus distinguendum esse characterem a gratia, haec enim omnia separari possunt ab invicem.* Paulo post: *Potestas remittendi peccata potest esse sine gratia gratum faciente.* Haec omnia ibi Bellarminus, quae cum eis conciliari nequeunt, quae hoc loco profert. 3.) Nec scripturae dictis, nec idoneis argumentis confirmari potest, gratiam remissionis peccatorum, vel ut Bellarminus loquitur, gratiam gratum facientem ritui ordinationis divina institutione adnexam esse, cum potestas ordinis & reconciliationis gratia sint distincta, & unum eorum absque altero possit habere locum. Deus per pias preces invocatus largitur ordinandis Spiritus sancti dona, eademque in illis auget & confirmat, sed ex eo non potest vel debet inferri, gratiam justificantem esse ritui ordinationis tanquam medio & symbolo sacramentali adnexam, cum potestas ecclesiastica etiam peccatoribus conferri, & ab iis exerceri possit. 4.) Illas facultates & potentias Deus confert in collatione alicujus potestatis, sine quibus potestas illa nullo modo administrari potest. At potestas ordinis sine gratia gratum faciente administrari potest, ut docent exempla scripturae, nec diffitetur Bellarminus dicto loco. Ergo cum potestate ordinis non semper confert gratiam gratum facientem, & per consequens potestas ordinis & gratia gratum faciens non sunt individuo nexu conjuncta. 5.) Effectus ordinationis proprius est collatio potestatis docendi & sacramenta administrandi, ad illum ordinatio per se dirigitur, eumdemque perpetuo & infallibiliter consequitur, sed per accidens cum potestate ordinis conjungitur collatio gratiae gratum facientis, quippe deficiente poenitentia & fide in ordinato eam nequaquam consequitur. Jam vero ex proprio effectu de ordinatione judicandum ac statuendum, alias quasvis externas ceremonias pro sacramentis habere possemus. 6.) Ex quo etiam adparet, gratiam justificantem sive gratum facientem aliter se habere ad baptismum, aliter ad ordinationem: illius est effectus proprius, quia baptismus ad conferendam gratiam justificationis institutus est, hujus vero accidentarius duntaxat, quia ritus ordinationis non ad collationem gratiae justificantis, sed ad potestatem ordinis institutus est, quod Bellarminus non potest negare cum praeced. c. 2. fateatur, *ordinem per se ad alium finem, quam ad gratiae gratum facientis collationem institutum esse.* De reliquis judicium potest fieri ex superioribus.

§. CLII. Quaeritur III.) de *ministro ordinationis*, per quem scilicet ea peragi debeat. Pontifi- 3) *Quis sit legitimus ordinationis minister.*

*ſter? ſententia pontificiorum.*

cii autoritatem concilii Tridentini ſecuti, ſtatuunt, ſolum epiſcopum eſſe legitimum ordinationis miniſtrum, ſic enim loquitur concilium ſeſſ. XIV. c. 4. *Declarat ſancta ſynodus, praeter ceteros eccleſiaſticos gradus epiſcopos (qui in locum apoſtolorum ſucceſſerunt) ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, & poſitos (ſicut idem apoſtolus ait) a Spiritu ſancto regere eccleſiam Dei, eosque presbyteris ſuperiores eſſe, ac ſacramentum confirmationis conferre, miniſtros eccleſiae ordinare, atque alia pleraque peragere ipſos poſſe, quorum functionum poteſtatem reliqui inferiores ordines nullam habent.* Et can. 7. *Si quis dixerit, epiſcopos non eſſe presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent illis eſſe cum presbyteris communem &c. anathema ſit.* Bellarminus lib. de ſacr. ord. c. 11. *de miniſtro ordinationis res perſpicua eſt, cum nunquam eccleſia agnoverit presbyteros vel diaconos, niſi ab epiſcopis ordinatos.* Ex hoc principio inferunt ulterius, noſtrarum eccleſiarum miniſtros non eſſe legitimos paſtores, cum non ſint ordinati ab epiſcopis; nec Lutherum & ipſius ſymmyſtas habuiſſe poteſtatem ordinandi, cum non fuerint epiſcopi, ſed duntaxat presbyteri; ut ex Bellarmino, Becano & Reihingio oſtendimus ſuperius ſect. 9. Addunt etiam ex can. 4. concilii Nicæn. quod *ad minimum tres epiſcopi in ordinatione epiſcopi requirantur, qui ſi non adſint, ordinationem non eſſe legitime factam, ex diſpenſatione tamen ab uno epiſcopo, ſed adſiſtentibus abbatibus ordinationem poſſe peragi.* Inde Bellarminus lib. IV. de eccleſia cap. 8. §. *ex quo;* profert hoc argumentum, quod jactitat eſſe inſolubile: *Eccleſia non poteſt eſſe ſine epiſcopis. Apud Lutheranos non ſunt epiſcopi, nam non habent ordinationem, nec ſucceſſionem ab apoſtolis, igitur apud eos non eſt eccleſia. Et quidem quod nec Lutherus nec ulli alii ordinati ſint a tribus epiſcopis, neque ex diſpenſatione ab uno adſiſtentibus abbatibus notiſſimum eſt, nec ipſi negant. Ergo ſaltim patribus Nicaeni & Carthaginenſis concilii, imo & ipſis apoſtolis, qui ſtatuerunt, epiſcopum a tribus epiſcopis ordinari debere, iſti non ſunt epiſcopi.*

§. CLIII. Hanc pontificiorum ſententiam examinans Carletonus, theologus Anglus, conſuetudinem illam, qua poteſtas ordinandi ſolis epiſcopis tribuitur, ad inſtitutionem apoſtolorum & conſenſum totius eccleſiæ catholicæ revocat, ſic enim ſcribit in lib. de conſenſ. eccleſ. contra Tridentinos loc. de eccleſ. c. 11. p. 277. *Poſt ſacrarum ſcripturarum canonicam autoritatem eccleſiae catholicae conſenſus tantum apud me ſemper valuit, ut quaecunque ab hoc conſenſu confirmata videam, mihi ſacroſancta & immutabilia videantur. At in eo habemus eccleſiae antiquae conſenſum, epiſcopos ordinare & presbyteros ab epiſcopis ordinationem ſuam habere, apoſtolos in hunc uſum eccleſiam commiſiſſe epiſcopis, apoſtolos ſucceſſores ſuos ſtatuiſſe epiſcopos, ac proinde extraordinariam apoſtolorum poteſtatem cum ipſis finem habuiſſe, nec in eccleſia deinceps locum reperiſſe, ordinariam vero apoſtolorum poteſtatem epiſcopis commendatam fuiſſe, atque in illis permanſiſſe, ex hoc fundamento epiſcopos ſemper ordinaſſe, non fas aut licitum fuiſſe, ut inferior majorem ordinaret, quia nemo tribuit, quod non accepit. Presbyteros quidem poſſe facere, quaecunque faciunt epiſcopi, excepta tamen ordinatione, itaque presbyteros ordinare non potuiſſe. Haec apud antiquam eccleſiam magno conſenſu firma & fixa fuerunt.* Et poſtea: *Si omnia eccleſiae ſecula luſtremus ab apoſtolicis temporibus usque ad patrum noſtrorum memoriam, non alia ordinandi ratio invenietur, niſi per epiſcopos. Quam igitur ſacram ceremoniam eccleſia ab apoſtolis accepit, & per tot ſecula conſtanter conſervavit, quis poteſt rejicere, qui eccleſiae catholicae autoritatem non rejiciat?* Hactenus Carletonus, Hadrianum Saraviam ſecutus, qui tamen recte ibidem pag. 281. caſum neceſſitatis excipit: *melius* (inquit) *eſt ordinare ſine epiſcopis, quam ut eccleſia careat omnino presbyteris.* Et poſtea p. 285. *Eccleſiae quidem catholicae conſuetudo eſt, ut epiſcopi legitime ordinent,*

*dinent, sed si quis a presbytero ordinatus fuerit, ordinatio illa etiam vera est ex ejusdem ecclesiae catholicae judicio &c.*

*Sententia nostrarum ecclesiarum.*

§. CLIV. Nostræ ecclesiæ non adprobant ἀταξίαν καὶ ἀναρχίαν anabaptisticam, sed distinctos gradus inter ministros agnoscunt, ut suo loco demonstrabitur; interim tamen negamus, potestatem ordinandi jure divino ita esse episcopali muneri adligatam, ut a presbyteris exigente præsertim ecclesiæ necessitate & utilitate exerceri nequeat. Testatur ipsa praxis, nos boni ordinis causa ministrorum ordinationem permittere solis episcopis sive superintendentibus, qui non solum respectu commissi sibi gregis sive auditorum, sed etiam respectu aliorum concionatorum, videlicet presbyterorum & diaconorum, quorum inspectio ipsis comuissa est, episcopi dicuntur; interim tamen non agnoscimus tale aliquod inter episcopos & presbyteros discrimen, quasi illi soli jure quodam divino & institutione dominica potestatem ordinandi concionatores habeant, a qua presbyteri reliqui eo modo sint excluſi, ut ne quidem exigente necessitate, episcopis scilicet vel non præsentibus, vel officium suum negligentibus, ordinationis ritum peragere possint, sed consuetudine quadam ecclesiastica boni ordinis causa introducta episcopis ordinandi potestatem relictam dicimus, a qua presbyteri non sint simpliciter & absolute excluſi, 1.) quia in scripturis sacris tale discrimen inter episcopum ac presbyterum, quasi illi soli potestas ordinandi competat, huic vero nulla plane ratione, nuspiam proponitur, & suo loco manifestum fiet, in apostolica ecclesia eosdem fuisse episcopos & presbyteros. 2.) Quin potius 1. Tim. IV. 14. potestas ordinandi non obscure presbyteris tribuitur: *Noli* (inquit apostolus ad Timotheum) *negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* 3.) Quia episcopus non suo sed ecclesiæ nomine ordinationem peragit; ut enim jus vocandi ad totam ecclesiam pertinet, ita quoque ordinatio, quæ est vocationis declaratio & testificatio, ecclesiæ nomine peragitur. Presbyterium imponit manus, sed ecclesia conjungit suas preces. Etsi igitur legitimæ ἐυταξίας ratione recte fit, quod episcopus personæ ordinandæ una cum presbyterio manus imponit; is tamen non agit hic privato arbitrio ac potestate propria, sed nomine, jure, suffragio, autoritate, consensu, adprobatione, adeoque etiam conjunctis precibus totius ecclesiæ, sicque exsecutio fit per episcopum, actus autem est totius ecclesiæ, ut colligitur ex Act. VI. 3. XIV. 23. Quod autem nomine ecclesiæ episcopus peragit, idem etiam ejusdem ecclesiæ nomine presbyter, exigente præsertim necessitate, peragere potest. 4.) Presbyter habet eamdem cum episcopo potestatem docendi, sacramenta administrandi, clavium usum exercendi &c. cecur igitur, exigente cumprimis necessitate, non haberet potestatem ordinandi? In casu necessitatis etiam laicus baptismum administrare potest, cum tamen ordine divinitus constituto ad ecclesiæ ministros ordinarie spectet baptismi administratio; cur igitur in casu necessitatis presbyter ordinare non possit, cum ab ecclesia duntaxat constitutus sit ille ordo, ut episcopus ritum ordinationis peragat? 5.) Augustinus in quæst. ex utroque testamento quæst. CI. *In Alexandria & per totam Ægyptum, si desit episcopus, consecrat presbyter.* Ergo licuit presbytero in casu necessitatis, ubi scilicet episcopi adesse vel noluerunt vel non potuerunt, ecclesiæ nomine consecrare. Plura exempla commemoravimus in tract. de eccles. §. CCI. in quibus scilicet a consuetudine illa ecclesiastica fuerit recessum. 6.) Talis necessitas etiam tempore reformationis incidit. Episcopi pontificii noluerunt ecclesiæ nostræ ministros ordinare, nisi redirent ad Romanæ ecclesiæ gremium, id vero cum per conscientiam nec doctores nec auditores nóstræ ecclesiæ facere possent, utique presbyteris necessitas ordinandi injecta fuit, nisi ecclesiam ministris destitui voluissent. Lutherus art. X. Smalcald. p. 3. *Si episcopi suo officio recte fungerentur, & curam ecclesiae ac evangelii gererent, posset illis nomine caritatis &*

*& tranquillitatis, non ex neceſſitate, permitti, ut nos & noſtros concionatores ordinarent & confirmarent; hac tamen conditione, ut ſeponerentur omnes larvae, praeſtigiae, deliramenta & ſpectra pompae ethnicae. Quia vero nec ſunt nec volunt eſſe veri epiſcopi, ſed politici dynaſtae ac principes, qui nec concionantur & docent, nec baptizant, nec cœnam adminiſtrant, nec ullum opus & officium eccleſiae praeſtant, ſed eos, qui vocati munus illud ſubeunt, perſequuntur & condemnant, profecto ipſorum culpa eccleſia non deſerenda, nec miniſtris ſpolianda eſt. Quapropter ſicut vetera exempla eccleſiae & patrum nos docent, idoneos ad hoc officium ipſi ordinare debemus & volumus, & hoc nobis prohibere non poſſunt, etiam ſecundum jura, quae adfirmant, ab haereticis ordinatos eſſe vere ordinatos, & illam ordinationem non debere mutari.*

*An ordinati ab haereticis iterum ordinandi?*

§. CLV. Quæritur IV.) *An ordinati ab haereticis in eccleſia iterum ordinandi ſint?* Lombardus lib. IV. ſent. diſt. 25. lit. A. dicit, *quod hanc quaeſtionem perplexam ac pene inſolubilem faciant doctorum verba, qui plurimum diſſentire videntur*, ac poſt recitata contraria veterum dicta ſubjungit lit. C. *Haec quidam ita determinant. Dicunt, haereticos accepta ſacerdotali vel epiſcopali unctione ab eccleſia recedentes baptiſmi quidem dandi jus retinere, ſed non habere facultatem tribuendi ſacros ordines vel conſecrandi dominicum corpus, poſtquam praeciſi & damnati ſunt ab eccleſia, ſicut degradatus epiſcopus non habet poteſtatem largiendi ſacros ordines, facultatem tamen baptizandi non amiſit &c. Alii vero dicunt, ſacramenta ab haereticis & praeciſis ſecundum formam eccleſiae celebrata vera eſſe & rata, quia recedentes ab eccleſia jus dandi & conſecrandi non perdiderunt, & qui ſic ab haereticis ordinantur, cum redeunt, iterum ordinandi non ſunt. Quae vero ab haereticis aliter, quam in eccleſia fiunt, falſa ſunt & inania, & qui a talibus ordinari videntur, non munus, ſed vulnus accipiunt. Quidam vero dicunt, eadem ſacramenta ab haereticis praeciſis poſſe celebrari, quae a catholicis, ſi ab illis forma eccleſiae ſervetur, & ab eis celebrata vera eſſe & rata, quantum ad ſe, quantum vero ad effectum, falſa eſſe & inania, & in his, qui male tractant & qui male ſuſcipiunt, & ideo irrita & falſa, quia quod promittunt & conferre creduntur, non tribuunt. Damnanda etiam dicuntur, quia illicite dantibus vel accipientibus ſunt in judicium: polluta etiam dicuntur, non quantum ad ſe, ſed propter indignam haereticorum tractationem. Nonnulli vero tradunt, illos haereticos, qui in eccleſia ordinati ſunt, jus ordinandi & conſecrandi etiam, cum ſeparati fuerint, habere: qui vero in ſchismate vel haereſi poſiti, ab eis ordinati & inuncti fuerint, illo jure carent, ideoque cum ordinare volunt, vulnus potius infligunt, quam gratiam conferant.* Hæc Lombardus lectorem magis incertum, quam eumdem accipit, a ſe dimittens.

§. CLVI. Nos in hac quæſtione ſic procedimus: Vbicunque adhuc aliqua Deo colligitur & conſervatur eccleſia, ibi per impoſitionem manuum presbyterii & publicas eccleſiæ preces collata ordinatio pro rata habenda, ac proinde non eſt iteranda, quamvis ipſum presbyterium ſive miniſterium illius eccleſiæ non ſit undiquaque purum & ab omnibus erroribus liberum. 1.) Quia ordinatio non confertur privato presbyterii, ſed publico totius eccleſiæ nomine. Jam vero etiam illis in locis, in quibus miniſterium non eſt undiquaque purum, & ab omnibus erroribus liberum, colligitur & conſervatur Deo eccleſia, modo retineatur baptiſmus, decalogus, ſymbolum apoſtolicum, hiſtoria paſſionis dominicæ & alia ſubſtantialia ac fundamentalia doctrinæ chriſtianæ capita, ut in tractatu de eccleſia oſtendimus. Ergo etiam illis in locis, in quibus miniſterium non eſt undiquaque purum, & ab omnibus erroribus liberum, ordinatio eccleſiæ nomine conferri poteſt, & collata pro rata eſt habenda. 2.) Vbicunque ſubſtantialia alicujus ritus obſervantur, de ritus integritate nulla debet eſſet dubitatio. Sed in ordinatione

ne facta a ministerio non undiquaque puro substantialia illius ritus observantur, puta preces solennes ecclesiæ & impositio manuum. Ergo ibi de ritus integritate nulla potest esse dubitatio. 3.) Si ab hæreticis baptismi sacramentum dari censetur integrum, ut nulla repetitione opus sit, modo substantialia illius sacramenti fuerint observata, adsperfio scilicet aquæ in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti facta; multo magis ritus ordinationis ab hæreticis collatæ integer censendus, ut nulla repetitione opus sit, modo substantialia illius ritus observentur. Sed verum prius, ut ostendimus in tractatu de baptismo §. XXIII. ergo & posterius. Connexio *majoris* patet ex superioribus, nimirum quia ordinatio non est sacramentum aliquod vere & proprie sic dictum, quale est baptismus, sed ritus duntaxat ecclesiasticus. 4.) Qui in vet. test. a sacerdotibus variarum opinionum & corruptelarum labe maculatis ad ministerium sacrum ordinabantur ac consecrabantur, illorum ordinatio censebatur rata; Christus enim Matth. XXIII. 2. *in cathedra Mosis scribas ac pharisæos sedere dicit*, hoc est, per sacerdotalem consecrationem ad sacri ministerii functionem evectos esse, quorum tamen antecessores, a quibus ordinati ac consecrati fuerunt, variorum errorum & corruptelarum cœno fuerunt immersi. Ergo idem judicium fieri debet de ordinatione in nov. test. ab hæreticis facta. 5.) Eadem fuit ecclesiæ veteris sententia. Augustinus lib. II. contra epist. Parmen. c. 13. non longe a principio: *Illud, quod quidam dicunt, baptisma, quod accepit, non amittit, qui recedit ab ecclesia, jus dandi amittit, multis modis adparet frustra & inaniter dici. Primo quia nulla ostenditur causa, cur ille, qui illud baptisma amittere non potest, jus dandi possit amittere. Utrumque enim sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, & istud, cum ordinatur, ideo non licet in catholica ecclesia utrumque iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam praepositi, pro bono pacis correcto schismatis errore susceptí sunt, etsi visum est opus esse, ut eadem officia gererent, quae gerebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita manfit ordinatio integra, quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace est correctum, non in sacramentis, quae ubicunque sunt, ipsa vera sunt. Et cum expedire hoc videatur ecclesiae, ut praepositi eorum venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed super eos manent; ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini sed ipsi sacramento fiat injuria &c. Sicut autem habens in baptismo est, quod per eos dari possit: sic in ordinatione jus dandi, utrumque quidem ad perniciem suam, quamdiu caritatem non habent unitatis. Sed tamen aliud est non habere, aliud perniciose habere, aliud salubriter habere.* Ibidem: *De his, qui ab ecclesiae unitate separati sunt, nulla jam quaestio est, quin & habeant & dare possint, sed pernicioseque dant, quia extra vinculum pacis sunt &c. Neutri sacramento facienda est injuria &c. sicut non recte habent, qui ab unitate recedunt, sed tamen habent, & ideo redeunti non redditur: sic etiam non recte dat, qui ab unitate recedit, sed tamen dat, & ideo qui ab eo accipit, venienti ad unitatem non iteratur &c.* Lombardus adducit locum ex lib. II. de unic. baptism. *Aliud est non habere aliquid, aliud est non jure habere vel illicite usurpare. Non ergo ideo non sunt sacramenta Christi & ecclesiae, quia eis illicite utantur non modo haeretici, sed etiam omnes impii, sed illi corrigendi sunt & puniendi, illa autem sunt agnoscenda & veneranda.* Lombardus dicit, *hoc intelligendum de haereticis, qui non sententia ecclesiae, sed pravitate sensus sui a fidei veritate ac doctrinae unitate divisi sunt, qui licet tales sint, jus tamen ordinandi & consecrandi habent.* Sed hæc glossa est contraria textui, quia Augustinus diserte loquitur de hæreticis damnatis, schismaticis ac præcisis. Gregorius lib. II. ep. 32. ad Joh. episc. Ravennatens. *Quod dicitis, ut is, qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est. Absit autem a fraternitate vestra, sic sapere.*

*sapere. Sicut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine non debet consecrari;* quod Gregorii responsum relatum est in jus canonicum c. sicut semel dist. 68. & ad hanc quæstionem adcommodatum a Lombardo d. l. Conj. c. Quod quidam. 1. q. 1. ubi dicitur, *eos qui a catholica ecclesia deficiunt, nihilominus ordinem retinere, non modo actu primo, verum etiam actu secundo quoad baptismi collationem.* c. Si qui c. Ostenditur. c. rebaptizare. dist. 4. de consecrat. & ordinis translatione. c. Non licet. eodem.

§. CLVII. Ex hisce prænotatis facili negotio responderi potest ad cavillum Jacobi Reihingi jesuitæ in fundam. III. relig. cathol. p. 59. *Quis te,* (inquit) *Luthere, sacerdotio inauguravit? quis tibi offerendi, & peccata remittendi potestatem impertivit? catholicus episcopus? verus an falsus? pastor an lupus? Si pastor, ab illo discedens lupus factus es. Si lupus, quis te a lupo factum pastorem agnoscat? praeclare profecto actum, si quis ovem lupo committat? Vide in quem te gurgitem injeceris. Si episcopi catholicae ecclesiae, cum ab iis te segregares, veri pastores fuerunt, apostasiae tuae crimen est manifestum. Si omnes illi lupi, primo mendacium de nunquam interitura verorum episcoporum serie scripsisti, deinde de mediata tua vocatione causa cecidisti.* Resp. 1). Illud in genere objici posset omnibus, qui ab hæreticis ordinati ad ecclesiæ gremium redeunt. Jam vero jura pontificia adfirmant, etiam ab hæreticis ordinatos vere esse ordinatos, & illam ordinationem non debere mutari, quod merito urget Lutherus art. X. Smalcald. p. 3. 2.) Episcopus ille, a quo Lutherus fuit ordinatus, quamvis papisticis erroribus fuerit immersus, tamen fuit vocatus & constitutus ecclesiæ episcopus. Diverso igitur respectu fuit & verus & falsus episcopus. *Verus* episcopus fuit, quatenus in officio episcopali constitutus, aliqua doctrinæ capita retinuit ac docuit incorrupta, administravit baptismum (si tamen administravit) & per ritum ordinationis ministerium idoneis personis commendavit. *Falsus* episcopus fuit, quatenus sinceritatem divini verbi fallis interpretationibus corrupit, papalium traditionum fermentum illi immiscuit, sacrificium missæ loco cœnæ dominicæ celebravit &c. Proinde cum ordinatio ministrorum sit pars officii episcopalis, ideo episcopus ille, a quo Lutherus ordinatus est, hactenus & hoc respectu, hoc est, quando Lutherum & alios ordinavit, non fuit lupus, sed verus episcopus. Vicissim quando idem episcopus amplexus est ac propugnavit errores papales, quibus fuit immersus, tunc hactenus & hoc respectu non functus est veri episcopi sive pastoris officio, sed falsum episcopum, imo lupum hac in parte se præstitit, & hactenus secessionem ab ipso facere Lutherus non solum jure potuit, sed etiam omnino debuit. 3.) Declarari illud potest simili exemplo: Tempore Christi in his terris docentis *scribae & pharisaei sedebant in cathedra Mosis,* hoc est, constituti erant in munere ecclesiastico. Quatenus igitur in cathedra Mosis sedebant, hoc est, consentanea Mosaicæ doctrinæ proferebant, & actus ad officium ipsorum pertinentes exercebant, eatenus erant audiendi, & eatenus ipsorum sacris erat utendum; Matth. XXIII. 2. quatenus vero *fermentum suum,* hoc est, falsam doctrinam immiscebant, Matth. XVI. 6. & 12. eatenus erant fugiendi, & ab ipsorum fermento erat cavendum. Sic episcopus ille, a quo Lutherus fuit ordinatus, quatenus in officio ecclesiastico constitutus quædam divino verbo consentanea docebat, eatenus audiendus erat, & quatenus officii sui partes exsequebatur, eatenus ipsius sacris utendum erat; sed quatenus corruptelas proferebat, spargebat ac propugnabat, eatenus erat deserendus. 4.) Semper igitur distinguendum officium a persona. Quod episcopus ille Lutherum ordinavit, ad ipsius officium pertinuit; quod papalibus erroribus fuit immersus, personale fuit; jam vero ex vitio personæ sacramentorum, nedum ordinationis integritati nihil decedit, modo substantialia observentur. 5.) Ac probe notandum, quod episcopus ille pontificius, a quo Lutherus fuit ordinatus, non suo sed ecclesiæ,

cleſiæ, quam in medio papatu conſervatam fuiſſe conſtat, nomine & autoritate ordinationem peregerit, quodque in ipſo ordinationis ritu ad docendum verbum Dei ipſum adſtrinxerit, quare cum Lutherus videret dogmata quædam tunc temporis publice recepta cum verbo Dei pugnare, vi ipſius vocationis & ordinationis ea reprobare & impugnare obſtrictus fuit. 6.) Superius etiam monuimus, quamvis ordinationis ritus in eccleſia pontificia multis ſuperſtitioſis & inutilibus ceremoniis ſit vitiatus, ex eo tamen ipſius ordinationis eſſentiæ nihil decedere, ideoque in ipſa ordinatione diſtinguendum eſſe divinum ab humano, eſſentiale ab accidentali, pium & chriſtianum ab Antichriſtiano. 7.) Ex quibus omnibus colligitur, nec mediata ſua vocatione Lutherum cecidiſſe, nec mendacium de nunquam interitura eccleſia ſcripſiſſe. Scribit quidem in comm. Galat. I. *mediatam vocationem eſſe neceſſariam, eamque uſque ad finem mundi duraturam*, ſed nuſpiam addit, miniſterium eccleſiaſticum, a quo mediate vocati ordinantur, ſemper ac perpetuo fore purum & incorruptum.

5) *An ordinandus ſit non vocatus ad certum locum?*

§. CLVIII. Quæritur V.) *An ordinandus ſit, qui nondum vocatus eſt ad certum aliquem locum?* Negamus, quia ordinatio eſt vocationis declaratio & teſtificatio, proinde ubi nulla vocatio præceſſit, ordinatio conferri haudquaquam debet. (*) In Jure canonico exſtat peculiaris diſpoſitio, *quod nullus ſine titulo ordinari debeat*, diſt. 70. in qua Gratianus ſic loquitur: *Ab epiſcopis alterius civitatis clericus ordinari non poterit, nec etiam a proprio abſolute ordinandus eſt, abſoluta enim ordinatio in Chalcedonenſi concilio prohibetur, & vacuam habere manus impoſitionem præcipitur, in quo ſic ſtatutum eſt:* cap. 6. act. 15. *Neminem abſolute ordinare jubemus presbyterum neque diaconum neque quemlibet in eccleſiaſtica ordinatione conſtitutum, niſi manifeſte in eccleſia ſuae civitatis ſive poſſeſſionis aut in Martyrio aut in monaſterio hic, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicæ vocabulum, eos autem qui abſolute ordinantur decrevit ſancta ſynodus vacuam habere manus impoſitionem, & nullum tale factum valere ad injuriam ipſius, qui eum ordinavit.* Item ex concilio Urbani habito Placentiæ: *Sanctorum Canonum ſtatutis conſona ſanctione decernimus, ut ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur.*

6) *Quid de ceremoniis ordinationis ſtatuendum?*

§. CLIX. Quæritur VI.) *Quid de ceremoniis ordinationis ſtatuendum ſit?* Duæ potiſſimum in ordinatione ab epiſcopis Pontificiis adhibentur ceremoniæ: *Impoſitio manuum* atque *unctio*. 1) χειροθεσία Impoſitionem manuum in noſtris eccleſiis retinemus, unctionem repudiavimus. χειροθεσίαν illam adhibemus, non quaſi ſit ſymbolum aliquod ſacramentale ab ipſo Chriſto inſtitutum, & in hoc ritu adhiberi mandatum, ſed libere hac ceremonia utimur, tum quia ex uſu eccleſiæ

(*) Ita pronunciatum a Theologis Jenenſibus in literis ad Auguſtum ab Aſſenburg 11. Jul. anno 1601. Anno 1597. incidit hac de re controverſia inter theologos Jenenſes, Fiſcherus & Reudenius judicarunt ad poſtulatum ſenatus Strahlſundenſis, Marthiam Cnopfium eſſe ordinandum, qui tamen ad certam functionem eccleſiaſticam nondum erat vocatus, Mylius contrarium judicavit uſus his rationibus: 1) ab *autoritate ſacroſancta*; 1. Tim. V. 22. *Manus cito nemini imponas &c.* Cito autem & temere videtur imponere, qui ab eccleſia non vocato & ad eccleſiam certam non vocato manus imponit. Et cum miniſterio poſthabito, nedum plebe, ſenatus ſolus hoc illegitime flagitet, alienis peccatis conſenſu noſtro communicabimus. 2) Ab *autoritate eccleſiaſtica.* In concilio Chalcedonenſi aperte ſancitum legitur anno 483. in conventu 630. epiſcoporum: *Nullus abſolute ordinari debet presbyter aut diaconus, nec quilibet in gradu eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter eccleſiæ, civitatis aut poſſeſſionis, aut monaſterii, qui ordinandus eſt, pronuncietur. Qui vero abſolute ordinantur, decrevit ſynodus, irritam haberi hujusmodi manus impoſitionem, & nusquam poſſe miniſtrare ad ordinantis injuriam*; tom. II. conc. f. 325. 3) A *firma ratione.* Qui abſolute ordinatur, non eccleſiæ miniſter ordinatur, ſed apoſtolus conſtituitur, qui extra certum locum ubivis docere queat. At hoc illicitum. GERHARDVS.

siæ apostolicæ descendit Act. VI. 6. 1. Tim. IV. 14. V. 22. 2. Tim. I. 6. ubi pie cogitandum, cum Christus non impositione manuum sed insufflatione usus sit, quando apostolis dabat potestatem ligandi & solvendi, Joh. XX. 22. quare apostoli ritu χειροθεσίας potius uti voluerint, quam insufflatione Christi exemplo comprobata? procul dubio ideo noluerunt uti insufflatione, *primo* ne existimaretur ad ritum illum ab ipso Christo usurpatum gratiam ministerii esse adligatam, id enim ex Christi exemplo, apostolorum praxi comprobato, facile quis colligere potuisset, *deinde* ut maneret evidens discrimen inter Christum & apostolos. Christus per insufflationem confert Spiritum sanctum, quia Spiritus sanctus *ut spiraculum omnipotentis* ex intimo ore essentiæ ipsius ab æterno ab ipso ut & a Patre procedit, sed apostoli non possunt eo modo conferre Spiritum sanctum. Tum quia utiles præbet commonefactiones. Cum enim ordinatio complectatur publicam vocati designationem ac preces, quæ ab universa ecclesia super personam vocatam fiunt, ideo notante Chemnitio in exam. concilii Trident. part. II. cap. de sacr. ord. p. 401. ad utrumque ritus χειροθεσίας, in populo israelitico alias usitatus, apostolis visus fuit accommodatus: 1.) ut persona illa ecclesiæ publice designaretur ac renunciaretur, legitime esse electa & vocata, hoc enim ritu Moses Num. XXVII. 18. Deut. XXXIV. 9. populo designat & renunciat vocationem Josuæ successoris sui. 2.) Vt hoc ritu ille, qui vocatus erat, de legitima & divina sua vocatione confirmaretur, & simul admoneretur, se destinari, addici & quasi devoveri ad ministerium & cultum Dei. Sic victimis olim imponebantur manus Levit. I. 4. &c. 3.) Vt esset quasi publica & solennis ecclesiæ coram Deo protestatio, in electione & vocatione servatam esse formam & regulam a Spiritu sancto præscriptam, ideo Paulus inquit 1. Tim. V. 22. *Manus cito nemini imposueris, nec communices peccatis alienis.* 4.) Vt illo visibili ritu significetur, Deum adprobare vocationem, quæ fit voce ecclesiæ; sicut enim voce ecclesiæ ministros eligit, ita etiam testificatione ecclesiæ vocationem adprobat. Ita diaconorum vocatio adprobatur Act. VI. 6. & inde fit, quod Deus largitur gratiam per impositionem manuum. 5.) In orationibus quando super personam aliquam invocabatur nomen Domini, adhiberi solebat impositio manuum, quia persona illa quasi offerretur Deo, & sisteretur in conspectu ipsius, additis supplicationibus, ut Deus gratiam & benedictionem suam illi largiri dignaretur. Sic Jacobus patriarcha *imponit manum pueris*, quibus benedicit: Gen. XLVIII. 14. ita Christus *imponens manum* benedicit parvulis: Matth. XIX. 15. Marc. X. 16. ac presbyteri *orant super aegrotos.* Jac. V. 14. Vt igitur in ordinatione ministrorum considerata muneris illius utilitate & difficultate, propositis etiam impedimentis satanæ, mundi & carnis significaretur, quam necessaria sit peculiaris gratia & benedictio divina, atque ita oratio ecclesiæ accenderetur, & juxta Jacobum redderetur actuosa seu operosa, ideo adhibitus fuit externus ritus impositionis manuum, additum etiam fuit jejunium ordinationi &c. Hactenus Chemnitius, quibus addi potest, a.) quod Num. VIII. 10. *Israelitae jubentur manus suas ponere super Levitas*, ad ministerium consecrandos. Ita quoque totius ecclesiæ nomine presbyterium imponit manus in ordinatione ministrorum. b.) Quod in *conferendis visibilibus Spiritus sancti donis* manuum impositio adhiberi fuerit solita: Act. VIII. 15. XIX. 6. ita quoque impositio manuum est signum, quod Deus piis ecclesiæ precibus invocatus dona Spiritus sancti ad ministerium necessaria personæ ordinatæ conferre velit. Ob hasce rationes χειροθεσίας ritum in ecclesiis nostris in ordinationibus ministrorum adhuc retinemus, nec probari nobis potest illud, quod referente Bucano loco XLII. de min. pag. 507. quidam (Calvinianorum) *ad vitandam necessitatis vel cultus opinionem manus porrectione tanquam fidei, amoris, societatis & consensionis in doctrina symbolo uti malint apostolorum exemplo, qui Paulo & Barnabae dextram societatis dederunt* Gal. II. 9.

§. CLX.

2) *Unctio.* §. CLX. *Unctio*, quam pontificii in ordinatione adhibent, peragitur modo eo, ut chrismate consecrato caput & manus ordinandi, a pollice dextro versus sinistræ manus digitum indicem, & vice versa a sinistro pollice versus indicem in manu dextra ab episcopo vel ejus suffraganeo illinantur. De hujus unctionis significatione mystica tractat Innocentius lib. I. decretalium tit. 15. de sacra unctione: *Unctio visibilis & exterior* (inquit) *signum est interioris & invisibilis unctionis, ad exhibendum autem exteriorem & visibilem unctionem benedicitur oleum & conficitur chrisma, quod ex oleo fit & balsamo, mystica ratione. Per oleum enim nitor conscientiae designatur, per balsamum odor famae exprimitur. Hoc ergo chrismate ungi debet episcopus, non tam in corpore quam in corde, ut & interius nitorem conscientiae, quantum ad Deum, & exterius habeat odorem famae, quantum ad proximum &c. Hoc unguento caput & manus episcopi consecrentur. Per caput enim mens intelligitur, per manus opera intelliguntur. Manus igitur inunguntur oleo pietatis, ut episcopus operetur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Caput autem ungitur balsamo caritatis, ut episcopus diligat Deum ex toto corde, & ex tota anima & ex tota mente sua, & proximum suum sicut se ipsum. Caput inungitur propter autoritatem & dignitatem, & manus propter ministerium & officium. Caput inungitur, ut ostendatur illius repraesentare personam, de quo dicitur per prophetam: Sicut unguentum in capite, caput enim viri Christus, caput Christi Deus &c. Manus episcopi inunguntur, ut ostendatur, accipere potestatem benedicendi & consecrandi.* Durandus lib. I. rational. div. offic. cap. 8. num. 14. *Circa unctionem ordinandorum notandum est, quod manus presbyteri ab episcopo inunguntur, ut cognoscat, hoc sacramento se per Spiritum sanctum suscipere virtutem & gratiam consecrandi, unde episcopus ea inungens dicit: Consecrare & sanctificare digneris, Domine, manus istas, per istam unctionem & nostram benedictionem, ut quaecunque consecraverint, consecrentur, & quaecunque benedixerint, benedicantur in nomine Domini; ideoque viri devoti osculantur manus sacerdotum statim post ordinationem eorum, credentes per hoc orationum illorum & bonorum operum participes fieri. Et unguntur oleo sacro, quod opera misericordiae pro viribus ad omnes debeant exercere, per manus enim opera, per oleum misericordia designatur. Unguntur etiam oleo, ut humidi sint ad offerendum Deo hostiam pro peccatis, & largi ad certa officia pietatis; rursus ideo impositio manus cum oleo super caput ordinandi fit, quia per manus opus, per digitos dona Spiritus sancti, & per caput mens intelligitur. Manus ergo imponitur, quia donis Spiritus sancti imbutus ad opera Christi mittitur.*

§. CLXI. Quamvis vero unctionis ritus non simpliciter a nobis damnetur, cum non solum in vet. test. ex mandato & institutione divina sacerdotes ac reges uncti fuerint, sed etiam in coronatione & investitura regum in nov. test. libere usurpari possit, ut docet exemplum regis Daniæ a Bugenhagio consecrati; tamen pontificiam illam unctionem, quam in ordinatione adhibent, probare nec possumus nec debemus. 1) Quia conjunctam habet opinionem necessitatis, cum tamen nec Christus nec apostoli externam unctionem in ordinatione ministrorum adhibuisse, multo minus mandatum aliquod de hoc ritu tradidisse legantur. Christus insufflatione, apostoli manuum impositione leguntur usi, sed de unctione verbum nullum. Regerit Bellarminus libr. de sacram. ordinis cap. 12. *contrarium probari posse, cum Dionysius cap. 4. hierarch. eccles. dicat, pontificem uti sacro oleo in omni fere consecratione pontificali, idque traditum esse ab apostolis.* Resp. Dionysii illud scriptum supposititium esse, multis argumentis confirmari potest, quæ videantur apud Illyricum in catal. testium veritatis. Adde, quod nititus ille Dionysius in sua hierarchia quidem tradat, *episcopum uti unguento ad omnem ferme sacer-*

*dotalis officii functionem*; interim tamen in ordinatione nullam faciat unctionis mentionem, sed adhiberi tantum impositionem manuum referat, ut constat ex cap. 5. Nunquam igitur ex Dionysio probare poterit Bellarminus Christum & apostolos unctionis ceremonia fuisse usos, quod agnoscit ipse Piggius, ideo aliter ad argumentum nostrum respondet, *videlicet in rudi illo christianitatis exordio, nondum ordinata constitutaque hierarchia & disciplina ecclesiastica, plurima perfunctorie ex quadam Spiritus dispensatione peracta fuisse ab apostolis, quae postea praescriptam certamque formam receperint.* Unctionis igitur ceremonia non descendit ab institutione vel exemplo apostolorum, sed ex κακοζηλία levitici cultus aliquot post Christum natum seculis in ecclesiam introducta est. Ambrosius enim de dignit. sacerdot. cap. 5. non unctionis sed tantum impositionis manuum meminit: *Homo* (inquit) *imponit manus, Deus largitur gratiam, sacerdos imponit supplicem dextram, & Deus benedicit potenti dextra.* Augustini etiam tempore in concilio Africano IV. ubi ritus ordinationis describuntur, non unctionis sed tantum impositionis manuum & aliorum rituum fit mentio. Et in tota ecclesiastica historia, item in tripartita, ubi multa exempla ordinationis describuntur, nusquam mentio fit adhibitae unctionis, sed tantum impositionis manuum. Adferunt quidem ex Cypriani sermone de chrismate aliquid, sed constat illum sermonem non esse Cypriani; ipse Cyprianus in veris suis scriptis, cum sæpius de ordinatione scribat, unctionem fuisse adhibitam non meminit, imo Innocentius de sacra unctione fatetur circa annum Domini 1200. *in graeca ecclesia nondum fuisse morem unctionis in ordinandis presbyteris & consecrandis episcopis.* Et addit, *fuisse antiquos quosdam, qui dixerunt, ecclesiam judaizare, cum unctionis celebrat sacramentum.* Hæc Chemnitius in exam. conc. Trid. iisdem verbis proponit; sed Bellarminus audacter respondet, *ista omnia esse mendacia, cum lib. X. hist. eccles. Eusebii cap. 4. fiat aperta mentio unctionis sacerdotalis, ac Simeon metaphrastes in vita sancti Joh. Chrysostomi tom. I. apud Surium scribat, eum inunctum fuisse, cum episcopus fieret Constantinopolitanus, quod ipsum etiam referat Petrus Chrysologus de S. Severo: cumque unctionis sacerdotum mentionem faciant Pacianus in epist. III. ad Sempronianum & Gregorius lib. IV. in lib. Regum, cap. V. In verbis Innocentii pro* antiquis *legendum censet* aliqui, *negat denique judaismum esse uti rebus, quibus utebantur Judaei, si id fiat cum alia verborum forma & alio ritu atque ad alium finem, aliosquin etiam foret judaismus, uti aqua in baptismo & pane in eucharistia.* Resp. 1) Quæstio est non de unctione per se & simpliciter considerata; sed de unctione *pontificia*, sub opinione necessitatis tanquam ceremonia vere sacramentali ab apostolis instituta in ordinatione adhibita. Quamvis igitur a veteribus unctionem adhibitam fuisse doceri posset; nondum tamen evictum foret, quod sub opinione necessitatis tanquam ceremonia vere sacramentalis ab apostolis tradita ab ipsis adhibita fuerit. 2) Verba Eusebii orationem panegyricam recitantis sic habent: *Amici Dei & sacerdotes, qui sacra talari, tunica, cælestisque gloriae corona & divino chrismate, denique sacerdotali sancti Spiritus stola decorati estis &c.* At ex eo nondum firmiter colligi potest, in sacerdotum ordinatione adhibitam fuisse unctionem, cum non describatur historice, quid in consecratione actum fuerit, sed in panegyrico illo encomio dicantur *divino chrismate decorati*, quod de interiore Spiritus sancti unctione recte accipi potest, ut oppositio fiat inter externam sacerdotum unctionem in vet. test. usitatam, & inter internam Spiritus sancti unctionem, qua nov. testi. ministri sint decorati. 3) Metaphrastis testimonium ex Surio mendaciorum architecto petitum parum obtinet roboris. Adserit ibidem fictitius ille metaphrastes, *cum episcopus Antiochenus Chrysostomo manus imponeret, continuo descendisse in eum visibiliter Spiritum sanctum in forma columbae*, quas nugas recitat & probat Bellarminus de sacr. ord. cap. 9. § denique. 4) In Am-

Ambrosio, Augustino & Cypriano negavit Chemnitius in ordinationum descriptionibus mentionem unctionis fieri, quod si vel maxime in recentioribus, videlicet Gregorio & autore libri de operibus cardinalibus Christi, unctionis mentio fiat, illud tamen Chemnitium nullius mendacii convincit. Pacianus sacerdotem vocat *unctum*, id nondum probat, in ipsa ordinatione unctionem adhibitam fuisse; potest enim denominationis ratio a spirituali unctione descendere, ac si vel maxime etiam ab externa unctione petita sit, tamen potuerunt in confirmatione, in professione religionis, ut vocant, inungi. 5) Innocentius utrumque adserit, *& neglectam unctionis ceremoniam a graecis fuisse, & ab antiquis ob judaicam καχοζηλίαν eamdem explosam;* temere igitur suspicatur Bellarminus pro *antiquis* legendum esse *aliqui*. 6) Lombardus disertis verbis testatur, *unctionem ex vet. test. transsumtam fuisse*, quod cum fine Christi & apostolorum exemplo factum sit, ac nihilominus sub opinione necessitatis ecclesiæ obtrudatur, merito καχοζηλίας judaicæ loco habetur. Nec quidquam proficit Bellarminus, aquam baptismi & panem eucharistiæ huc adferendo, est enim ratio maxime dispar inter hæc signa sacramentalia ab ipso Christo divinitus instituta & definita, & inter ritum ordinationis liberum atque adiaphorum; sola Christi institutio, non autem ecclesiæ usus liber atque adiaphorus ceremoniam vere sacramentalem conficere potest. Adde, quod aqua & panis ad illum finem & cum illa verborum forma non fuere in vet. test. usurpata, sed in ordinatione vet. ac nov. test. communi idem finis, idem ritus, nec ullibi certa verborum forma exstat præscripta.

§. CLXII. 2) Improbamus etiam pontificiam unctionem hoc nomine, quod statuunt, eam non solum necessariam, sed etiam vere *sacramentalem ceremoniam* esse, hoc est, non signum duntaxat, sed etiam *medium spiritualis & invisibilis unctionis*. Bellarminus de sacr. ordin. c. 12. Atqui ut ceremonia aliqua sit vere sacramentalis, requiritur divina institutio; proinde si vel maxime perpetuam ecclesiæ praxin in ritu unctionis demonstrare possent, nondum tamen ex ea inferri posset, esse ceremoniam vere sacramentalem, quia ad id requiritur expressa Dei institutio, quæ non potest de hac unctione ostendi. Durandus lib. VI. rational. div. offic. c. 74. num. 4. *Alii dicunt, quod oleum infirmorum apostoli instituerunt, qui cum illo aegrotos ungebant: oleum vero chrismatum & catechumenorum apostolici viri constituerunt; ideo consideratio olei infirmorum prior est tempore quam chrismatis, & etiam quam olei sancti, quia prior & major & venerabilior est doctrina apostolorum quam papae.* 3) Denique propter exorcisationes, quibus cum abusu nominis divini in præparatione chrismatis, quod ad ordinationem adhibere cogitant, utuntur. Videatur ceremoniale Romanum, & Durandi rationale loco proxime citato.

*Vestis linea. Cerei accensi. Signa crucis. Rasura ordinandorum.*

§. CLXIII. Præter manuum impositionem atque unctionem episcopi pontificii etiam alias in ordinatione adhibent ceremonias, utpote *vestem lineam, ceros accensos, signa crucis &c.* Ordinandi & consecrandi jubentur etiam uti rasura capillorum, de qua Bellarminus l. d. adserit, *quod etsi sit ceremonia sacerdotum, non tamen fiat in ipsa consecratione sacerdotali.* Fabius Incarnatus in scrutinio sacerdotali part. I. tract. 2. c. de sacram. ordin. p. 107. de tonsura dicit, quod *sit signum distinctivum ministrorum ecclesiæ a plebe communi*; p. 108. quod *fiat circulariter ad modum coronae*; item quod *fiat in ea ratio capillorum ad denotandum, quod qui vult servire Deo, debeat renunciare superfluitati terrenorum*; quod *ratio illa fiat in summitate capitis ad denotandum, quod clerici mentem debeant habere ad Deum elevatam.* Ibidem concludit, quod *tonsura non sit ordo, sed dispositio ad ordines, non necessitate sed congruitate, quia si non tonsuratus ordinaretur, vere reciperet ordinis sacramentum, quamvis etiam ipse ordinator talem scienter ordinans graviter peccaret, quia ordinari non debet nisi clericus,*

*clericus, & sine tonsura clericus non est.* arg. dist. 83. c. Psalmista §. Clerici. Sed hæc omnia magis distincte explicat Durandus lib. II. ration. div. offic. cap. 1. num. 26. *Circa coronam clericorum* (inquit) *tria attendenda sunt, scilicet capitis abrasio, capillorum detruncatio, formae circulatio. Ad capitis abrasionem tria sequuntur, scilicet, munditiae conservatio, deformatio & denudatio. Munditiae conservatio, quia ex capillis sordes in capite adgregantur. Deformatio, quia capilli ad ornatum sunt, significat ergo tonsura, quod clerici non debeant habere exquisitum habitum exterius. Denudatio in superiore parte capitis significat nullum debere esse medium inter Deum & nos. Radi...us caput relictis inferius in modum coronae capillis, quia caput mentem significat, capilli vero seculares cogitationes. Detruncatio capillorum significat, quod clerici omnes superfluas cogitationes debent a mente abscindere. Formae circulatio fit propter multa, 1) in signum, quod rex noster Christus in ara crucis, se ipsum oblaturus spineam coronam portavit; 2) circulus capillorum virtutem aequalitatis undique rationi congruentem designat; 3) haec figura non habet principium nec finem, per quod datur intelligi, quod clerici sint ministri Dei, qui non habuit principium nec habebit finem; 4) haec figura nullum habet angulum, per quod significatur, quod clerici non debent habere sordem in vita, quia ubi angulus, ibi sordes; 5) haec figura est omnium figurarum pulcerrima, per quod significatur, quod clerici debent habere pulcritudinem interius in mente & exterius in conversatione: 6) haec figura est omnium simplicissima, per quod significatur, quod clerici debeant habere simplicitatem columbinam; 7) corona clericos specialiter esse regnum Dei demonstrat.* Videat ibi plura, qui hisce ineptiis delectatur.

*Ordinatio episcopi in papatu.*

§. CLXIV. Episcopus cum ordinatur, duo episcopi tenent evangeliorum codicem super caput & cervicem sive humeros ejus capiti ejus imponitur mitra, datur ei annulus, baculus, chirothecæ &c. quæ esse substantialia hujus sacramenti statuit Durandus lib. I. rationalib. div. offic. cap. 11. atque eorum omnium mysticam rationem late exponit. Episcopi etiam in die consecrationis consueverunt equitare in equis albo panno coopertis, quod idem lib. I. cap. 8. num. 22. propterea dicit fieri, ut repræsentetur illud quod legitur Apoc. XIX. *Exercitus, qui sunt in cælo sequuntur illum in equis albis; siquidem exercitus, qui sunt in cælo, sunt boni & justi viri & praelati, qui quotidie sequuntur pro cælestibus Deum in omnibus operibus bonis, qui ideo dicuntur esse in cælo, quia sola cælestia diligunt & quaerunt.* Sed relinquamus tandem illas inutiles, superstitiosas & pomposas ceremonias apostolicæ & primitivæ ecclesiæ penitus ignotas.

*7) Quis sit effectus & fructus ordinationis?*

§. CLXV. Quæritur VII.) *Quis sit effectus & fructus ordinationis?* Bellarminus de sacram. ordin. cap. 10. scribit, *duplicem esse hujus sacramenti effectum*: Primo *potestatem spiritualem perpetuam, in cujus signum imprimatur character.* Secundo *gratiam gratum facientem, qua possint ordinati rite fungi suo munere.* Sed de fictitio illo charactere egimus in tract. de sacram. quem non injuria quis dixerit esse characterem illum, qui describitur Apoc. XIII 16. Nos in ordinatione conferri & augeri Spiritus sancti dona ad partes ministerii ecclesiastici obeundas necessaria non negamus; interim tamen distinguimus inter *gratiam reconciliationis*, sive remissionis peccatorum, & inter *gratiam ordinationis* cum multi accipiant gratiam ordinationis, qui tamen non accipiunt gratiam reconciliationis; deinde collationem & augmentum donorum ad ministerium necessariorum nequaquam tribuendum dicimus impositioni manuum tanquam symbolo alicui sacramentali vere sic dicto ac divinitus instituto, sed precibus ecclesiæ & presbyterii, quibus promissio de exauditione divinitus est facta.

SECTIO

## SECTIO XIII.

## DE EXAMINE ORDINANDORVM.

*Examinis ordinationi præmittendi necessitas.*

§. CLXVI. Graviter monet apostolus Timotheum episcopum 1 Tim. V. 21. *Testor coram Deo & Christo JEsu, & electis angelis, ut haec custodias sine præjudicio, nihil faciens in partem alienam declinans.* v. 22. *Manus cito nemini imposueris, neque communices peccatis alienis;* ubi posterius membrum est αἰτιολογικὸν prioris, ideo scilicet manus in ordinatione non esse cito, hoc est, absque gravi judicio & diligenti exploratione alicui ab episcopo imponendas, ne peccatorum alienorum fiat particeps, quidquid enim hujusmodi inepti ecclesiæ ministri postmodum delinquunt, ejus culpa aut certe pars culpæ promotoribus imputatur. Ambrosius in comm. illius loci sic scribit: *Sub testatione ea, quae ad ordinationem mandat custodiri, praecipit nihil fieri sine praejudicio, ne facile aliquis accipiat ecclesiasticam dignitatem, nisi prius de vita & moribus ejus fuerit disputatum, ut dignus adprobatus minister aut sacerdos constituatur, ut non postea, si reprehensibilis videatur, pœniteat forte principem populi non ad liquidum praejudicasse, quid mereretur, quem improbabiliter ordinavit, nec illum, cujus peccata ad suspicionem veniunt, ordinandum, ne commaculetur ordinator vitiis & delictis ejus. Si ergo omnino latentia sunt delicta, immunis erit rector, quia conscientia ejus libera est, suspicio enim trepidum facit. Peccat enim, si non probat, & sic ordinat, melior enim ceteris debet probari, qui ordinandus est. Non sufficit, si sine crimine sit, quia merita ejus debent praeire bonorum operum, ut dignus habeatur ad ordinationem.* Requiritur igitur δοκιμασία, sive examen aliquod ordinationi præmittendum juxta præscriptum apostoli: 1. Tim. III. 10. ἔπειτα (διάκονοι) δοκιμαζέσθωσαν πρῶτον, εἶτα διακονείτωσαν, *probentur primum, & tunc suscipiant diaconorum munus.* Hincmarus, Remorum episcopus, tale dedit rescriptum: *Adducite examinandum, quia ut longe ante nos dictum est, non est facile dimittendus, cui est proximus committendus. Qui enim loco docti ordinat indoctum, is facit eum magistrum, qui debebat esse discipulus, & offert cœcum animal.*

§. CLXVII. Exstat decretum concilii Carthaginensis IV. de examine ministrorum, citatur c. Qui episcopus. dist. 23. *Qui episcopus ordinandus est, antea examinetur, si naturæ sit prudens, si docilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si pervigil, si semper suis negotiis cavens, si humilis, si adfabilis, si misericors, si litteratus, si in lege Domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus vel acutus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus, & ante omnia, si fidei documenta verbis simplicibus adserat &c.* Postea enumerantur præcipua doctrinæ cœlestis capita eo tempore in ecclesia maxime controversa, de quibus ordinandus examinari præcipitur. Concilium Laodic. can. XII. & citatur c. Episcopi dist. 24. *Episcopi judicio metropolitanorum & eorum episcoporum, qui circumcirca sunt, promoveantur ad ecclesiasticam dignitatem, ii videlicet, qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei quam rectae conversationis exemplo.* Ivo Carnotensis lib. III. de consecr. episc. ex concil Nannetensi, & citatur c. Quando. dist. eadem: *Quando episcopus ordinationem facere disponit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem vocandi sunt ad civitatem una cum presbyteris, qui eos repraesentare debent, & tunc episcopus a latere suo eligere debet sacerdotes & alios prudentes viros gnaros divinae legis, exercitatos in ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, aetatem, institutionem, locum ubi educati sunt, si sint bene literati, si instructi in lege Dei, ante omnia diligenter investigent, si fidem catholicam firmiter teneant, & verbis simplicibus adse-*

*adſerere queant. Ipſi autem, quibus cura committitur, cavere debent, ne aut favoris gratia aut cujuscunque muneris cupiditate illecti a vero devient, ut indignum & minus idoneum ad ſacros gradus ſuſcipiendos epiſcopi manibus adplicent, quod ſi aliter fecerint, & ille qui indigne acceſſerit, ab altari removebitur, & illi qui donum Spiritus ſancti vendere conati ſunt, coram Deo jam condemnati eccleſiaſtica dignitate carebunt, igitur per tres continuos dies diligenter examinentur, & ſic ſabbato qui probati ſunt, epiſcopo repraeſententur; alias autem ſine clericorum videlicet conſilio & populi teſtimonio nullum epiſcopus ordinare praeſumat.* Examen illud ſi omittatur vel negligenter tractetur, evenire ſolet illud, de quo graviter conqueritur Nazianzenus in apologia: *Illotis manibus ac membris profanis ſacratiſſimis ſe rebus ingerunt, gradumque ſibi vindicant haud ſecus, quam ſi hunc ordinem non virtutis exemplar, ſed principatum quemdam, in quem inquirere non liceat, eſſe putent.* (*) Similia exſtant apud eumdem in monodia in laudem Baſilii, apud Chryſoſtomum lib. I. de ſacerd. Cyprianum ſerm. V. de lapſis, Auguſtinum epiſt. CXLVIII. Hieronymum Tit. I. &c.

*Materia examinis.* §. CLXVIII. In hoc examine diligenter inquirendum in ordinandi qualitates, an ſcilicet ἱκανότης ad miniſterii eccleſiaſtici partes rite obeundas neceſſario requiſita in ipſo adſit. 2 Tim. II. 2. *Ea, quae audiviſti a me per multos teſtes, commenda fidelibus hominibus, ὅτινες ἱκανοὶ, qui idonei erunt etiam alios docere.* Si dicas, negari ab apoſtolo, quemquam eſſe ad tantum ac tam arduum munus idoneum; 2 Cor. II. 16. reſp. explicationem capite ſequente ſtatim addi ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ. 2 Cor. III. 5. Pertinet vero ad illam ἱκανότητα 1) *Confeſſionis ſinceritas.* Inquirendum igitur ſedulo, an ordinandus ſit confeſſioni verae doctrinae in propheticis & apoſtolicis ſcriptis propoſitae, & in libris ſymbolicis repetitae ſincere addictus. Cum enim primarium ac principale paſtoris officium ſit, puram & incorruptam doctrinam populo fidei ſuae commiſſo proponere; Mal. II. 7. Matth. XIII. 52. &c. ideo omnino requiritur, ut a fanaticis opinionibus & haereticis erroribus immunis ſit, qui huic muneri praeficiendus, ne paſcua dominici gregis veneno haereticо inficiat ad aeternum ovicularum Chriſti ſanguine redemtarum perniciem & exitium. 2) *Docendi dexteritas.* Cum enim epiſcopus, hoc eſt, quilibet miniſter eccleſiae debeat eſſe διδακτικός, 1 Tim. III. 2. ideo in examine ordinationi praemittendo inquirendum, an dono docendi ſit inſtructus. Quae ad illud docendi donum requirantur, duobus vocabulis Chriſtus complectitur Luc. XXI. 15. *dabo vobis στόμα καὶ σοφίαν*, ubi per *σοφίαν* intelligitur *σύνεσις πνευματικὴ*, per *στόμα* vero *δύναμις ἑρμηνευτικὴ*, quorum utrumque ad docendi donum requiritur, & cui illa adſunt, is etiam docendi dono inſtructus eſt. De *συνέσει* dicitur Mal. II. 7. *Labia ſacerdotis cuſtodiant ſcientiam, ut legem requirant ex ore ejus*; de *δυνάμει ἑρμηνευτικῇ* 2 Tim. II. 2. *Commenda ea, quae a me audiviſti, fidelibus hominibus, qui ſint idonei ad docendum alios.* Ad *σύνεσιν πνευματικὴν* pertinet cognitio ſanae doctrinae, cujus fundamenta ex verbo Dei ordinandus debet omnino ſcire, ut eam pro ratione vocationis contra adverſariorum corruptelas adſerere ac tueri poſſit, ita namque inter cetera deſcribit apoſtolus epiſcopum: Tit. I. 9. quod debeat eſſe *ἀντεχόμενος τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατὸς ᾖ, καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν.* *Ἀντέχεσθαι eſt rem aliquam arcte tenere, fortiter alicui rei adhaerere, ac velut unguibus ita ei adfixum eſſe, ut ab ea avelli nequeat*, interprete Wellero in libro de offic.

(*) Imperat. nov. 123. c. 12. *Clericos non aliter ordinari permittimus, niſi literas ſciant, & rectam fidem vitamque habeant honeſtam, & neque concubinam neque naturales habuerint aut habeant filios, ſed caſte viventes, aut uxorem legitimam habentes.* Cap. 1. diſt. 36. *Illiteratos nullos praeſumat ad clericatus ordinem promovere.* GERHARDVS.

offic. eccles. polit. & œcon. requiritur igitur ab episcopo, ut in veritate doctrinæ fundamentaliter & recte cognitæ sit constans, nec patiatur *se quovis novarum opinionum vento circumagi.* Eph. IV. 14. Requiritur etiam ab ipso, ut veritatem doctrinæ contra adversarios, ἀντιλέγοντας, possit tueri, ac vanitatem & falsitatem objectionum adversariarum detegere. Qui absque tali συνέσει & necessaria articulorum fidei cognitione in cathedras irruunt, illi, ut habet Nazianzeni dictum in apologet. fugæ fol. 22. ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνουσιν, *figulinam in dolio discunt*, hoc est, aliarum animarum periculo pietatem meditantur. Eccl. XVIII. 23. *Ipse disce primum, antequam alios doceas. Levitae* per quinquennium instituebantur, antequam ministerio adplicarentur, ut colligitur ex collatione Num. IV. 47. cum VIII. 24. Ad δύναμιν ἑρμηνευτικὴν pertinet eloquentia, ut possit cogitata sua ordine, perspicue & diserte exponere. Audiendus igitur est ordinandus in concione δοκιμαστικῇ, ut adpareat, an illo docendi dono instructus sit, ubi tamen monendum, utriusque doni, videlicet tum συνέσεως πνευματικῆς tum δυνάμεως ἑρμηνευτικῆς esse certos gradus, nec summum illorum donorum gradum exigendum ab eo, qui ad inferius aliquod ecclesiæ ministerium promovetur. 3) *Vitae ac morum integritas*, quo pertinent membra descriptionis apostolicæ, qua Spiritus S. episcopi ἱκανότητα & officium exprimit, quod debeat esse ἀνεπίληπτος καὶ ἀνέγκλητος, 1 Tim. III. 2. Tit. I. 7. quod *debeat habere bonum testimonium ab iis, qui foris sint*, 1 Tim. III. 7. item quod *diaconi debeant habere mysterium fidei in conscientia pura.* v. 9. Videatur constitutio ecclesiastica electoralis Saxonica in capite de examine ordinandorum, p. 89. ubi hæc omnia latius explicantur.

*Tempus examinis.*

§. CLXIX. Examen illud tunc demum institui consuevit, quando jamdum ad certum aliquem locum persona quædam legitime ac solenni ex est vocata; sed convenientius foret examen illud præmitti, antequam ad concionem δοκιμαστικὴν ministerii candidatus populo sistatur sive præsentetur, & literas vocationis accipiat. 1) Quia præsentatio sive nominatio illa præsupponit personæ denominatæ ἱκανότητα, jam vero ἱκανότης illa in examine demum innotescit. 2) Si examen præmitteretur præsentationi, rectius cognosci ac decerni posset, cui ecclesiæ destinandus esset ministerii candidatus; ut enim eruditionis ac donorum docendi, ita quoque officiorum ecclesiasticorum sunt certi ac distincti gradus. 3) Qui jamdum vocationis literas accepit, illi non potest sine summa ignominia ordinatio denegari, si vel maxime in examine non satisfecerit presbyterii exspectationi, at si examen præmitteretur præsentationi, posset sine ulla ignominia repulsa fieri. Consuevit etiam examen illud institui cum illis duntaxat, qui primum ad ministerium ordinantur, sed rectius & convenientius fieri censendum, si omnes omnino examini subjiciantur, qui ad ministerium ecclesiasticum promoventur, etiam illi, qui per translationem ad aliam ecclesiam transferuntur, qua de re constitutio ecclesiastica d. l. sic statuit: *Serio volumus, ut in posterum examina ministrorum ecclesiae sive ordinati sint, sive non, singulari diligentia suscipiantur &c.* Quomodo vero examen illud instituendum sit, late ibidem exponitur.

## SECTIO XIV.

## DE INVESTITVRA MINISTRORVM.

*Investitura ecclesiae ministrorum.*

§. CLXX. Vocationem, confirmationem & ordinationem ministrorum in nostris ecclesiis subsequitur *investitura*, quæ est actus ecclesiasticus solennis, ad jus episcopale per Passavienſem pacificationem ad principes Augustanæ confessioni addictos translatum pertinens, quo persona ad ministerium legitime

vocata & ordinata gregi, cui præficienda est, per superintendentem sistitur, ac prælectis confirmationis literis solenniter introducitur, cui actui conjungi solent feriæ adhortationes, quibus tum novus minister, tum auditores officii sui admonentur, ac stipulata manu ad sedulam illius exsecutionem obligantur, feriæ item preces, quibus officium ministri Deo commendatur. Differt investitura ab ordinatione, quod ordinatio fiat duntaxat semel, sed investitura repetitur, quoties aliquis jam ante ordinatus ad ministerium vocatur ad aliam ecclesiam, vel ad alium officii gradum in eadem ecclesia. Formam investituræ docent constitutiones ecclesiasticæ. Notandum autem hoc loco, quod investitura pertineat ad jus episcopale, ideoque summo magistratui competat, etiam illis in locis, in quibus jus patronatus ad alios pertinet, frustra igitur metuunt ac reluctantur quandoque illi, ad quos jura patronatus spectant, quo minus investitura ex jure episcopali descendens per principum superintendentes suscipiatur; ut enim jus patronatus non tollit jus episcopale, ita quoque non tollit nec excludit, imo etiam non potest tollere nec excludere investituram ad jus episcopale pertinentem. Investitura autem illa non est de substantia ministerii, unde Nicolai papæ tale exstat decretum cap. I. dist. 23. *Postquam electio pontificis fuerit facta, si bellica fuerit tempestas, vel qualiscunque hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is, qui electus est, in apostolica sede juxta consuetudinem inthronizari non valeat, electus tamen sicut verus papa obtinet autoritatem regendi Romanam ecclesiam, & disponendi omnes facultates illius, quod b. Gregorium ante suam consecrationem cognovimus fecisse.* Apud pontificios investituræ videtur respondere *missio*, de qua sic scribit Becanus in disp. Viennæ de vocat. ministr. th. XLII. *Missio differt ab ordinatione. Nam in ordinatione confertur potestas ordinis, cujusmodi est potestas baptizandi, consecrandi eucharistiam, remittendi peccata. In missione confertur jurisdictio in ordine ad exsecutionem, hoc est, adsignantur subditi, quos illi, qui dicuntur mitti, debeant docere, sacramenta administrare, gubernare. Sic parochi dicuntur mitti in parochiam, quando illis adsignantur parochiani &c.* sed rectius iste actus, quem descripsimus, dicitur initiatio vel investitura quam missio, quia missio est ipsa vocatio, vel certe ab ea realiter non differt, ut ostendimus superius.

## SECTIO XV.

## DE TRANSLATIONE MINISTRORVM.

*Translatio ecclesiae ministrorum.*

§. CLXXI. In quæstione de translatione ministrorum tum in *defectu*, tum in *excessu* a quibusdam peccatur. In *defectu*, dum quidam existimant, plane illicitum esse ministrum ecclesiæ ab uno loco in alium transferri. Statuunt enim, vocationem apostolorum differre a mediata vocatione reliquorum ministrorum cumprimis etiam in eo, quod apostoli non fuerint ad certum aliquem locum cum suo ministerio adligati, sed de reliqnorum ministrorum vocatione id omnino adfirmari debere, ac proinde eorum translationes illicitas esse. In *excessu* a quibusdam peccatur, dum desultoria quadam levitate absque urgente necessitate, & absque evidente ecclesiæ utilitate functiones & sedes subinde mutant, adeoque mangonum & collybistarum in morem parochias ut equos & nummos habent, ac quod Seneca de ægrotis dicit, *mutationibus utuntur pro remediis.* Vt autem priorum morositati recte opponitur, quod *Dominus messis* potestatem habeat ministros suos ut vocandi, ita quoque eosdem transferendi ab una ecclesia ad aliam, quodque ecclesia Domini *materfamilias* eamdem habeat

beat poteſtatem, modo omnia fiant ordine legitimo, non temeritate propria, non privato judicio, non cauſa ambitionis, dominationis, præſumtionis, delectationis, ſtipendii amplioris, &c. ſed ex utilitate, neceſſitate & ædificatione eccleſiæ omnia æſtimentur: ita poſteriorum levitati merito opponendum, quod tales mutationes, niſi gravi judicio ſuſcipiantur, facile poſſint ſcandalum in eccleſia concitare. (*)

*Non temere ſuſcipienda.* §. CLXXII. Exſtant hac de re utiles canones. c. Non oportet. cauſ. 7. q. 1. ex concilio Nicæno cap. 15. *Non oportet epiſcopum vel reliquos ordines de civitate ad civitatem migrare, non epiſcopus, non presbyter, non diaconus transeat. Si quis autem poſt definitionem ſancti & magni concilii tale quid agere tentaverit, & ſe hujusmodi negotio mancipaverit, hoc factum prorſus in irritum ducatur, & eccleſiae reſtituatur, cujus fuit epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus ordinatus.* c. Si quis presbyter. cauſ. & quæſt. iisd. ex concil. Antioch. cap. 3. *Si quis presbyter vel diaconus vel quilibet clericus deſerta ſua eccleſia ad aliam transeundum eſſe credíderit, & ibi paulatim tenet, quo migravit, perpetuo manere, ulterius miniſtrare non debet, praeſertim ſi ab epiſcopo ſuo ad revertendum fuerit exhortatus. Quod ſi poſt revocationem ſui epiſcopi non obedierit, ſed inobediens perſeveraverit, omni modo ab officio ſuo deponi debere, nec aliquando ſpem reſtitutionis habere decernimus. Si vero propter hanc culpam depoſitum alius epiſcopus ſuſceperit, & ipſe a communi ſynodo pœnam merebitur increpationis tanquam eccleſiaſtica jura diſſolvens.* c. Epiſcopum. cauſ. & quæſt. iisd. ex eodem concilio Antiocheno cap. 21. *Epiſcopum de diœceſi ad diœceſin non debere tranſire, neque ſi ſe ipſum ingeſſerit, neque ſi a populis fuerit violenter adtractus, neque ſi etiam hoc ei ab epiſcopis ſuaderetur, manere autem eum debere in eccleſia Dei, quam ab initio ſortitus eſt, & non ab ea alibi demigrare, ſecundum regulam ſuper hoc olim a patribus conſtitutam decernimus.* c. Si quis Epiſcopus. cauſ. & quæſt. iisd. ex Leonis epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſium epiſcopum part. I. epiſt. 82. cap. 8. *Si quis epiſcopus ſuae civitatis mediocritate deſpecta adminiſtrationem celebrioris loci ambierit, & ad majorem plebem ſe quacunque ratione tranſtulerit, a cathedra quidem pellatur aliena, carebit etiam propria, ut nec illis praeſideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per ſuperbiam ſprevit. Suis igitur terminis contentus quisque ſit, nec ſupra*



(*) Conſtantinus in epiſtola ad Euſebium, quam recitat ipſe Euſebius lib. III. de vita Conſtant. cap. 59. *Prudenter abs te factum, quod & Domini mandatum, apoſtolorumque eccleſiæ canonem ſervare decreviſti, epiſcopatum eccleſiæ Antiochenæ prorſus repudiando, & in eo epiſcopatu jungendo permanere laborasti, quem ab initio Dei voluntate ſuſcepiſſes.* Huc referenda dicta ſcripturæ, quæ conſtantiam in munere ſemel ſuſcepto probant: 1. Cor. VII. 17. Matth. X. 22. Luc. IX. 62. Apoc. II. 10 eadem enim valent ad eam ipſam in loco ſemel placito, qui muneri ſuſcepto individuſe connexus eſt, urgendam. Propria argumenta ſunt triplicia: 1.) ab *exemplis ſcripturae.* Moſi, prophetis & apoſtolis non licuit, quo voluerunt, ire. Ex. IV. 10. Jerem. I. 7. Jon I. 4. III. 3. Act. XVI. 9. Rom. I. 13 2 Cor. I. 15. Ergo multo minus vulgaribus eccleſiæ miniſtris. 2) Ab *autoritatibus veterum*, c. Non oportet. c. Si quis cauſ. 7. q. 1. Conſer Euſebium lib. III. de vita Conſtant. cap. 59. Niceph. lib. VIII. cap. 45. ac recentiores Lutherum tom. V. Jen. germ. f. 507. b. Matheſium ſerm. IX. ſecundæ partis de vita Chriſti, cujus verba repetuntur a Conr. Porta in paſtorali Lutheri p. 23. Calvinum epiſt. CCIX. Chytræum in epiſt. p. 150. & 678. 3.) *Ex rationibus*: a) nulli miniſtro licet citra conſenſum domini ſui verſari pro arbitrio in ejus domo ex una parte in alteram migrando. Omnes paſtores ſunt miniſtri Chriſti ejusque ſponſæ eccleſiæ. Ergo nulli eorum licet in ejus domo, quæ eſt eccleſia, pro arbitrio verſari migrando ex una ejus parte in aliam citra conſenſum Chriſti & eccleſiæ. b) Si eccleſiæ & loco, cui ſemel operam addixit paſtor, non eſt jure devinctus perpetuo, habet hoc aut ex generali vocationis lege, aut ex ſpeciali indulgentia & contractu ſingulari. Non hoc, nemini enim licet contrahere cum eccleſia vel ad certos annos, vel indefinite ad quemcunque ipſi viſum eſt terminum, nec illud, quemadmodum ex definitione de vocatione conſtat, cujus jus eſt penes ſolum Deum Matth. IX. 38. Act. XVI. 9. Jer. X. 23. vel mediate vel immediate agentem. Ergo. Tarnovius diſp. de miniſt. q. 2. GERHARDVS.

*mensuras juris sui adfectet augeri.* c. Si quis. de ordine cauſ. & quæſt. iisd. ex concilio Meldenſi. *Si quis de ordine ſacerdotali contemtu minoris eccleſiae ambitioſe & improbe ad potiorem adſpiraverit, canonica erga eum definitio conſervetur, hoc eſt, ut utraque careat.*(*)

*Nec ſimpliciter repudianda.*

§. CLXXIII. At nequaquam translationes ſive translocationes epiſcoporum ſimpliciter ſunt prohibitæ, ſed ſi gravi judicio ſuſcipiantur ob evidentem aliquam eccleſiæ utilitatem, omnino probandæ ſunt. 1) Quia de diaconis dicit apoſtolus: 1 Tim. III. 13. *Qui bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi adquirunt.* Poſſunt igitur diaconi recte & fideliter in officio ſeſe gerentes ad altiora etiam, vel in iisdem, vel in aliis eccleſiis munia promoveri. 2) Quia Paulus Timotheum & Titum propter eccleſiæ utilitatem de loco in locum tranſtulit. 3) Nuſpiam exſtat peculiaris quædam prohibitio, qua eccleſiæ interdictum, ne eum, qui in alio loco miniſtrum agit, ad officium eccleſiaſticum evocet. 4) Huc etiam pertinent ſequentes canones. c. Mutationes cauſa 7. q. 1. ex epiſtola Anthenii ad epiſcopos Beticos & Toletanos: *Mutationes epiſcoporum ſcitote communi utilitate atque neceſſitate fieri licere, ſed non propria cujusquam voluntate aut dominatione. Petrus ſanctus magiſter noſter & princeps apoſtolorum de Antiochena civitate utilitatis cauſa eſt translatus Romam, ut ibidem potius proficere poſſet. Euſebius quoque de quadam parva civitate apoſtolica autoritate mutatus eſt in Alexandriam. Similiter Felix de civitate, in qua ordinatus erat, electione civium propter doctrinam vitamque bonam, quam habebat, autoritate hujus ſanctae ſedis & communi epiſcoporum & reliquorum ſacerdotum ac populorum conſilio translatus eſt Epheſum. Non enim tranſit de civitate ad civitatem, nec transfertur de minore ad majorem, qui hoc non ambitu, nec propria voluntate facit: ſed aut vi a propria ſede depulſus, aut neceſſitate coactus, aut utilitate loci vel populi non ſuperbe, ſed humiliter ab aliis translatus eſt &c. alia enim eſt cauſa utilitatis, alia avaritiae & praeſumtionis ac propriae voluntatis.* c. Scias cauſa & quæſt. iisdem ex epiſtola Pelagii II. ad Benignum archiepiſcopum: *Scias, frater dilectiſſime, aliud eſſe cauſam neceſſitatis & utilitatis, aliud praeſumtionis ac propriae voluntatis. Non ergo mutat ſedem, qui non mutat mentem, id eſt, qui non avaritiae cauſa, aut dominationis, aut propriae voluntatis vel delectationis ſuae migrat de civitate ad civitatem, ſed cauſa neceſſitatis & utilitatis mutatur. Nam plurimorum utilitas unius utilitati vel voluntati praeferenda eſt. Aliud enim eſt mutare, & aliud mutari. Nam aliud eſt ſponte tranſire, aliud coacte aut neceſſitate venire, unde non iſti mutant civitatem, ſed mutantur, quia non ſponte ſed coacte hoc agunt. Non ergo bene intelligunt eccleſiaſticas regulas, qui hoc negant, cauſa neceſſitatis vel utilitatis fieri poſſe, quoties communis neceſſitas aut utilitas perſuaſerit.* c. Omnis, cauſa & quæſt. iisdem ex eadem epiſt. Pelagii. *Negant miſericordiam neceſſitatem patientibus, qui populis indigentibus divinis miniſteriis & non habentibus proprium epiſcopum, qui eos inſtruat, cauſa neceſſitatis atque utilitatis, ut ex alia civitate, licet minor ſit, in eam quae non habet epiſcopum doctiorem vel potiorem & utiliorem meliori conſilio non ſponte tranſeuntem, ſed majorum exhortatione mutare negant, aut epiſcopum dejectum & perſecutionem patientem cauſa utilitatis aut neceſſitatis nolunt inthronizare.* c. Epiſcopus. cauſa & quæſt. iisdem ex concilio Carthag. III. vel potius IV. cap. 27. *Epiſcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus. Sane ſi utilitas eccleſiae popoſcerit decreto pro eo clericorum & laicorum epiſcopis porrecto in praeſentiam ſynodi transferatur nihilominus alio in locum ejus ſurrogato. Inf rio-*

(*) Bernhardus epiſt. 87. adſerit, *indiſſolubile vinculum inter eccleſiam & miniſtrum non minus quam inter conjuges eſſe.* Simile quid habetur c. ſicut vir ex Euariſti epiſt. 2. cauſ 7. q. 1. ſed illud ſimpliciter probari nequit. GERHARDVS.

*ferioris vero gradus sacerdotes vel alii clerici concessione suorum episcoporum possunt ad alias ecclesias transmigrare.* c. Sicut. caus. & quæst. iisdem. *Si persecutus fuerit* (episcopus) *in sua ecclesia, fugiendum est illi ad alteram ecclesiam, eique est fœdandus. Si autem utilitatis causa fuerit mutandus, non per se hoc agat, sed fratribus invitantibus cum autoritate hujus sanctæ sedis faciat, non tamen ambitus causa sed aut utilitate aut necessitate faciendum est, hoc non solum de episcopis, verum etiam de quibuslibet ecclesiæ ministris intelligitur, ne videlicet in locum viventis alteri obrepat.* (*)

## SECTIO XVI.

## DE REMOTIONE MINISTRORVM.

*Remotio ministrorum pertinet ad totam ecclesiam.*

§. CLXXIV. Quemadmodum *vocatio* ministrorum ad totam ecclesiam, ita quoque eorundem *remotio* ad totam ecclesiam pertinet; ideo probari nequit illorum pseudopoliticorum opinio, qui *ad jura regalia* magistratus remotionem ministrorum pertinere censent, ita ut pro lubitu possit mutare ecclesiastica ministeria, & prioribus ministris loco motis, & in exsilium pulsis alios substituere. Contra quam καισαροπαπίαν graviter detonant b. Lutherus in epistola, quæ exstat tom. VI. Jen. germ. fol. 376. in fideli admonitione ad quemdam pastorem tom. V. fol. 358. in scripto, quod exstat tom. VIII. Jenens. fol. 188. & Joachimus Morlinus in judicio de vocatione pastorum, quod una cum aliis istius generis scriptis exstat in utili libello edito Jenæ anno 1602. sub hoc titulo: *Vom Beruff und Enturlaubung der Prediger, wie ferne weltliche Obrigkeit Macht habe, dieselbe ihres Ampts zu entsetzen, nötiger Christlicher Bericht aus Gottes Wort und fürtrefflicher Lehrer Bedencken, als* Lutheri, Philippi, *der Theologen zu Leipzig*, Brentii, Mörlini, Heshusii, Simonis Pauli, Chemnitii, ministerii Gryphisvaldensis, & vicinarum ecclesiarum in Pomerania. Vicissim quemadmodum *legitima vocatio* debet fieri juxta leges divinitus præscriptas, ita quoque *legitima ministri remotio* fieri debet juxta præscriptas divinitus constitutiones. Vt enim jus vocandi principaliter ad solum Deum pertinet etiam in mediata vocatione, ita quoque jus removendi principaliter ad solum Deum pertinet, etiam in mediata remotione. 1. Sam. II. 30. *Loquens locutus sum de ministerio tuo, ut ministrares in conspectu meo, usque in sempiternum. Nunc autem absit hoc a me, dicit Dominus.* Oseæ IV. 6. *Quia tu scientiam repulisti, & oblitus es legis Dei tui, repellam & ego te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Vt autem vocatio, ita quoque remotio plerumque fit per media, videlicet per legitimum ecclesiæ judicium divinæ voluntati conformandum. Divina voluntas hæc est, quod minister ecclesiæ debeat verbum Dei sincere docere & inculpatæ vitæ exemplo auditoribus præire. Ergo quando minister ecclesiæ vel in hæresin incidit, vel enormibus delictis scandalum præbet ac facit, ut nomen Dei blasphemetur, tunc ecclesia habet potestatem eum removendi. Tria enim possunt constitui ministrorum genera:

(*) Quæritur ulterius: 1.) *An justa mutationis causa sint sola studiorum impedimenta aut avocamenta, quæ ab agricultura proveniunt, si cætera adsint vitæ subsidia, & ecclesia pastorem dimittere nolit?* Negamus. 2.) An probari debeat, quæ scribit Junius lib. III. de eccles. cap. 3. p. 183. *Nonnulli sancta humilitate præditi viri propter quædam in se offendicula, quibus pie religioseque movebantur, episcopatus officium non solum sine culpa, verum etiam cum laude posuerunt?* Negamus. 3.) *An in ejusmodi deliberatione de mutanda functione ad tranquillandam conscientiam sufficiat hic syllogismus:* Vbi Deo majori cum fructu ecclesiæ servire possum, eo teneor migrare. In loco ad quem vocor, possum Deo majori cum fructu ecclesiæ servire. Ergo. Affirmativa exstat consil. I decad. IX. sub nomine Martini Hammeri p. 35. Negativa est Chemnitii in locc. theoll. part. III p. 322. Conferi Hemmingium in pastore p. 211. edit. Lubec. Junium in Deut. XVIII. p. 122. GERHARDVS.

ra: 1) Quidam sunt *doloſi περιπατοῦντες ἐν πανουργίᾳ καὶ δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ*, 2. Cor. IV. 2. Eph. IV. 14. qui doctrinæ cœlestis lucem hæreticis nebulis obscurant, & sinceritatem ejus adulterant, illos ecclesia non solum potest, sed & debet tanquam *anathema* quoddam, Gal. I. 8. hoc est, tanquam rem detestandam, quæ adtractu suo polluit, a se removere, tales erant, quos apostolus cupit *abscissos* Gal. V. 12. & quibus nec *domum* nec *aures* aperiendas esse præcipit Johannes 2. epist. v. 10. 2.) Quidam sunt *onerosi*, quorum crimina sunt & enormia & notoria, qui itidem ab officio removendi, ne propter illos nomen Dei blasphemetur, neve auditoribus scandalum præbere pergant. 3.) Quidam vero sunt *morosi* levioribus nævis obnoxii, qui tolerandi sunt. (*)

*Causa & processus remotionis.*

§. CLXXV. Ceterum in remotione ministrorum, si legitima esse debet, requiritur tum *adcurata causae cognitio*, tum *sedula legitimi processus observatio*. (**) 1. Tim. V. 19. *Adversus presbyterum noli adcusationem recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* Neque enim permittendum plebis temeritati vel potentiorum arbitrio, absque legitima causæ cognitione & examine ministrum loco movere, & in exsilium ejicere. Illa causæ cognitio pertinet ad totam ecclesiam, sed ut omnia fiant ordine & sine confusione, cum jura episcopalia, quæ per pacificationem Passaviensem ad principes Augustanæ confessionis sunt translata, exerceantur ab illis per consistoria, coram illis causæ de ministrorum remotione tractandæ: proinde illi, qui habent jura patronatus, non debent nec possunt propria autoritate ministrum deponere, sed causam deferant ad consistoria, quia jus patronatus non adfert secum jurisdictionem episcopalem, cujus exercitium est in dimissione pastorum. In concilio Hispalensi II. cap. 6. circa annum Christi 621. habito statutum est, *presbytero non nisi per synodum honorem & officium abrogandum esse. Episcopus* (inquit concilium) *solus potest honorem presbytero dare, auferre solus non potest;* quod notent, qui ob jus vel patronatus vel episcopale sibi licere existimant, ministrum ecclesiæ proprio arbitrio ab officio deponere. Quod si quis non est legitimo judicii processu, nec ob causas legitimas & sufficientes, puta propter zelum in arguendis hominum vitiis, propter privata odia, propter levicula errata &c. loco motus; tunc is qui ipsi surrogatur, non est pro vero ministro legitime vocato habendus, qua de re aliquot theologorum sententiæ exstant in dicto libello de vocatione & remotione ministrorum.

*Canones de remotione.*

§. CLXXVI. Exstant hac de re aliquot canones c. Factus est. causa 7. q. 1. ex Cypriano lib. II. epist. 4. *Factus est Cornelius episcopus de Dei &*

(*) Causæ dimissionis ad duos fontes revocari possunt. Unus est *defectus facultatis* utiliter inserviendi ecclesiæ. Alter *voluntatis* sive *operum ministerialium neglectus* intolerabilis. *Facultatis* defectu comprehenduntur partim doctrinæ sanæ, in fundamentalibus præsertim, corruptelæ sive errores pugnantes cum fundamento: partim illius utiliter & cum fructu auditorum tradendæ organorum privatio, qualis esse potest vel animi, utpote ingenii, judicii, memoriæ; vel corporis, ut linguæ aliorumque membrorum ad officii administrationem necessariorum usus morbo aut calamitate aliqua interceptus. *Voluntatis* appellatione comprehenditur cum enormis in demandati muneris partibus exsequendis negligentia, tum vitæ & morum turpitudo, sive ea tantum ecclesiæ scandalosa, sive etiam civiliter damnabilis sit. Harum causarum vel unam vel utramque esse justam dimissionis causam colligitur ex pari, quod enim valet ad legitimum vocando impedimentum adferendum, idem ad vocatum abdicandum valere debet. GERHARDVS.

(**) Legitima causæ cognitio requirit, ut ratione rei sive deponendi causa aliqua ex enumeratis sit quodammodo notorialis & manifesta, de occultis enim non judicat ecclesia, Actorem certum exsistere minime necessarium est, ubi ipsum crimen palam clamat, sufficit, si de eo aliquid constet superintendenti vel consistorio, sive inquisitione propria ex officio, sive rumore publico, sive delatione & indicio unius aut plurium de ecclesia. Testes criminis locupletes & omni exceptione majores esse oportet, eosque e numero auditorum sive de ecclesia, cui præest pastor, quamvis & alii idonei non sint rejiciendi. Judex talis requiritur, qui & sciat & velit, utraque parte audita, jus administrare &c. GERHARDVS.

& Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quae tunc adfuit, suffragio, de sacerdotum antiquorum & bonorum verorum consensu, cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, hoc est, cum locus Petri & gradus cathedrae sacerdotalis vacaret, quo occupato & de Dei voluntate atque omnium nostrum consensione confirmato, quisquis jam episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui ecclesiae non tenet unitatem, quisquis ille fuerit, licet de se multum jactans & plurimum sibi vindicans, profanus est, alienus est, foris est, & cum post primum esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debet, factus est, jam non secundus ille, sed nullus est. c. Novatianus, caus. & quæst. iisd. ex eadem Cypriani epistola: *Novatianus episcopus non est, qui Cornelio episcopo in ecclesia a sedecim coepiscopis facto adulter atque extraneus episcopus fieri a desertoribus per ambitum nititur &c.* c. denique causa & quæst. iisd. ex ejusdem Cypriani lib. 1. epist. 6. *Denique quam sit inseparabile unitatis sacramentum, & quam sive spe sint, & perditionem sibi maximam de indignatione Dei adquirant, qui schisma faciunt, & relicto episcopo alium sibi foris pseudoepiscopum constituunt, declarat scriptura divina in libris regum, ubi a tribu Juda & Benjamin decem tribus scissae sunt, & relicto rege suo alterum sibi foris constituerunt.* Et indignatus est (*inquit*) Dominus omni semini Israel, & demolivit eos, & dedit eos in direptionem, donec abjiceret eos a facie sua, quia dissipatus est Israel a domo David, & constituerunt sibi regem Jerobram filium Nabath. *Indignatum esse dixit Dominum & eos in perditionem dedisse, qui ab unitate dissipati alterum sibi regem constituissent. Tanta indignatio Domini exstitit adversus illos, qui schisma fecerunt, ut etiam cum homo Dei ad Jeroboam missus esset, qui ei peccata sua exprobraret, atque ultionem futuram praediceret, panem apud illos edere & aquam bibere vetaretur, quod cum non custodivisset, & contra praeceptum Domini prandisset, statim divina censura percussus est, ut inde regrediens impetu ac morsu leonis in itinere necaretur &c. Quod vero eumdem, quem nos Deum Patrem, eumdem Filium, eumdem Spiritum sanctum nosse dicuntur, nec hoc adjuvare tales potest. Nam etiam Chore, Dathan & Abiron cum sacerdote Aaron & Mose eumdem Deum noverant, pari lege & religione viventes, unum & verum Deum, qui colendus atque invocandus fuerat, invocabant, tamen quia loci sui ministerium transgressi, & contra Aaron sacerdotem, qui sacerdotium legitimum dignatione Dei, atque ordinatione perfecerat, sacrificandi sibi licentiam vindicaverunt, divinitus percussi poenas statim pro illicitis conatibus penderant &c. Et tamen illi schisma non fecerant, nec foras egressi contra Domini sacerdotes impudenter atque hostiliter rebellaverant, quod nunc hi ecclesiam scindentes, & contra pacem atque unitatem Christi rebelles cathedram sibi constituere, & primatum adsumere, & baptizandi atque offerendi licentiam vindicare conantur.* c. praeceptum; caus. 2. q. 2. ex Zepherino: *Praeceptum est in antiquis statutis, ejectos atque suis rebus exspoliatos ecclesias propias recipere, & demum si quis eos juste adcusare voluerit aequo periculo facere, judices esse decernendos episcopos recta sapientes & in ecclesiam convenientes, ubi testes essent singulorum, qui oppressi videbantur, nec prius eos respondere, quam omnia sua eis & ecclesiis eorum legibus integerrime restituantur.* c. in scripturis; caus. & quæst. iisd. ex Eusebio: *In scripturis vestris reperimus quosdam episcopos vestris in partibus a propriis ovibus adcusatos, aliquos videlicet ex suspicione & aliquos ex certa ratione. Et idcirco quosdam suis rebus esse exspoliatos, quosdam vero a propria sede depulsos, quos sciatis, nec ad synodum comprovincialem nec ad generalem posse convocari, nec in aliquo judicari, antequam cuncta, quae eis ablata sunt, legibus potestati eorum redintegrentur.* c. Audivimus; caus. 3. q. 2. ex Euaristi epist. II. *Audivimus quosdam a vobis infamatos & dilaceratos episcopos a civitatibus propriis expulsos (quia alibi constitui episcopi non possunt, nisi in civitatibus non minimis) & alios ipsis viventibus*

*tibus constitutos; ideo hoc scribimus vobis, ut sciatis hoc fieri non licere, sed proprios revocari & integerrime restitui debere. Illos vero, qui adulterina fœditate suas sponsas (quas uxores eorum praefixo tenore esse intelligimus) tenent, ejici & adulteros atque infames fieri eosque ab ecclesiasticis honoribus arceri jubemus. Si autem adversus eos aliquam querelam habueritis, his peractis inquirendum erit, & autoritate hujus sanctae sedis terminandum.* c. Sicut vir; causa 7. q. 1. ex eodem: *Sicut vir non debet adulterare uxorem suam, ita nec episcopus ecclesiam suam, hoc est, ut illam dimittat, ad quam fuit sacratus absque inevitabili necessitate aut apostolica vel regulari mutatione, ut alteri se ambitus causa conjungat. Et sicut uxori non licet dimittere virum suum, ut alteri se vivente eo matrimonio societ, aut eum adulteret, licet fornicatus sit vir ejus, sed juxta apostolum aut viro suo debet reconciliari, aut manere innupta: ita ecclesiae non licet dimittere episcopum suum, aut se ab eo segregare, ut alterum vivente eo accipiat, sed aut ipsum habeat, aut innupta maneat, hoc est, alterum episcopum suo vivente non accipiat, ne aut fornicationis aut adulterii crimen incurrat.* c. Non furem; caus. & quæst. iisd. ex Leone ad Vernonem Britanniæ ducem: *Non furem & latronem, qualem Gillandum esse sentimus in Nannetica sede, qui viventis, quod non licuit, locum non timuit usurpare pro cujuscunque muneris donis ultra debes defensare.* c. Quod autem; caus. & quæst. iisdem ex concilio apud Arverniam celebrato: *Quod vivente episcopo alius superponi aut superordinari non possit, ex concilio apud Arverniam celebrato definitum est, in quo legitur, ut nullus vivente episcopo alius superponatur aut superordinetur episcopus, nisi forsitan in ejus locum, quem capitalis culpa dejecerit.* c. Petimus; caus. 11. q. 1. ex concilio Carthag. III. cap. 38. *Petimus, ut dignemini dare fiduciam, qua necessitate ipsa cogente liberum nobis sit rectorem provinciae secundum statuta gloriosissimorum principum adversus illum adire, qui plebem, quam invaserat, usque hodie commonitus (secundum quod statutum fuerat) relinquere contemnit, ut qui miti admonitioni sanctitatis vestrae adquiescere noluerit, & emendare illicitum, autoritate judiciaria protinus excludatur. Aurelius episcopus dixit: Servata forma disciplinae non existimabitur adpetitus, si vestra caritate modeste conventus recedere detrectaverit, cum fuerit suo contemtu & contumacia faciente judiciaria potestate conventus. Honoratius & Vrbanus episcopi dixerunt: Hoc ergo omnibus placet.* c. Qui in vivorum ex de conces. præbend. ex Gelasio ad Romanos: *Qui in vivorum sacerdotum loco ponuntur, hoc ipso sunt ab ecclesiastica communione pellendi, quo se passi sunt successores sacerdotibus vivis adhiberi.* c. Inprimis; caus. 2. q. 1. ex Gregorio lib. XI. epist. 50. *Inprimis requirendum est de persona presbyteri dilectissimi fratris & coepiscopi nostri Januarii, & si ita veritas se habet, sicut ejusdem episcopi petitio continet, in ecclesia atque loco suo idem presbyter modis omnibus revocetur. Si autem dictum fuerit, quia contra ipsum causa aliqua mota sive probata est, subtiliter ipso praesente & rationem pro se reddente quaerendum est, & genus causae & modus probationis, ut ex hoc colligere valeas, utrum adhuc in exsilio vel deportatione demorari, an certe in ecclesia & officio suo debeat revocari. De episcopi persona hoc faciendum est, ut si nulla contra eum criminalis causa, quae exsilio vel depositione digna est, mota sive probata est, is episcopus, qui eo superstite perverse & contra canones in ecclesia ejus ordinari praesumserit, sacerdotio privatus ab omni ecclesiastico ministerio repellatur &c. Si autem aliter quam antefati episcopi petitio continet, actum esse forsitan perhibetur, subtiliter quaerendum est, & cognita veritate cum Dei timore, quod justitiae ordo suaserit, judicandum est &c.* Vide ibidem formam processus in hoc negotio observandi præscriptam. c. Enm qui; causa 7. q. 1. ex eodem Gregorio lib. II. ep. 14. *Eum, qui contra justitiae regulam in archidiaconatum alterius se promoveri consenserit, ab ejusdem archidiaconatus honore deponimus, qui si ulterius in loco eodem ministrare praesumserit, se participi-*

*ticipatione sacrae communionis noverit esse privatum.* Gloss. in c. Consideravimus de elect. & elect. potest. *Non debet fieri secunda electio prima non cassata.* Conjunge c. Notum. causa 2. q. 1. c. Nullus. caus. ead. q. 2. c. Episcopis. caus. 3. q. 1. &c.

*Ex historia ecclesiastica.*

§. CLXXVII. Possunt etiam ex ecclesiastica historia quædam huc referri. Theodoretus lib. II. hist. eccles. c. 17. & Nicephorus lib. IX. c. 25. referunt, quod *Felix, qui in locum Liberii episcopi Romani injuste ab imperatore Constantio in exsilium pulsi successerat, licet incorruptam fidem Nicaeae expositam servaret, populo tamen tam exosus fuerit, ut nemo omnium civium Romanorum in aedem orationis sit ingressus, cum ipse intus foret.* Ibidem refert, quod *cum Liberius biennium in exsilio egisset, matronae nobiles Romanae pretiosissimis vestibus ornatae, quo magis imperator nobiles ratus precibus voluntatique ipsarum gereret morem, imperatorem adierint, ipsumque deprecatae fuerint, ut misereri vellet tantae civitatis spoliatae pastore suo, & expositae luporum insidiis.* Cumque imperator responderet, *non indigere eam pastore alio, quae prudentem bonumque haberet, puta Felicem, unum ex diaconis in illius locum suffectum*; matronae ipsi significarunt, *quam exosus sit omni populo, itaque imperator flecti se passus jussit Liberium de exsilio revocari, sed amborum esse communem ecclesiae administrationem. His literis lectis in circo exclamavit multitudo, egregiam esse imperatoris sententiam, qui spectatoribus in duas partes divisis, & a colore cognominatis, his unum itemque alteris unum praficeret, ita dicteriis incessentes imperatoris literas, uno ore exclamant: unus Deus, unus Christus, unus episcopus. Post has plebis voces revertitur Liberius, cui cedens Felix in aliam urbem sese contulit.* Ambrosius lib. X. epist. 79. ad Theophil. & Anisium excusat se *de judicio ferendo inter Bonosum episcopum & accusatores ejus*, illisque causam committit, ex quo adparet, in casibus remotionis judicium vicinorum episcoporum fuisse requisitum. Apud Sozomenum lib. VIII. hist. eccles. c. 26. exstant literæ Innocentii episcopi Romani ad clericos Constantinopolitanos, in quibus conqueritur de injusta remotione Chrysostomi, & inter cætera sic loquitur: *Nunc praeposiero modo de primatu ecclesiarum suarum deturbantur sacerdotes insontes, quo quidem primus frater noster & in ecclesiastico munere socius Johannes* (Chrysostomus) *episcopus vester injuste oppressus est, cui ne id quidem contigit, ut se defensurus audiretur, nullum crimen objicitur, nullum auditur. Quod igitur hoc commentum est tam deploratum, ut ne vel suppetat vel quaeratur occasio judicii, in locum sacerdotum viventium alii substituantur? quasi illi, qui per hujusmodi perversitatem irrepunt, vel habere ipsi vel agere quidquam recti, a quoquam judicari possint, neque enim unquam a patribus nostris talia patrata fuisse cognovimus, sed interdictum potius fuisse decreto, quo cavebatur, ne cui fieret copia, qua in viventis locum inautoraretur. Nec enim reproba ordinatio sacerdotis dignitatem auferre potest, quando nec episcopus quidem esse potest ille, qui injuste surrogatur &c. sed quodnam remedium hisce rebus in praesentia adferemus? necessaria erit synodalis cognitio, ea quippe sola est, quae hujusmodi procellarum impetus retundere potest.* Nicephorus lib. XIII. hist. eccles. c. 34. recenset ejusdem Innocentii literas ad imperatorem Arcadium & Eudoxiam, in quibus inter cetera sic loquitur: *Pacis tempore persecutionem magnam adversus Deum & ecclesiam ejus concitasti, ejecisti e throno suo re non judicata magnum totius orbis doctorem,* (Chrysostomum) *persuasione unius mulieris fabulam hanc & spectaculum exhibentis.* Et postea: *Arsacium quem pro magno Johanne in thronum episcopalem produxistis, etiam post obitum exautoramus una cum omnibus, qui consultio cum eo communicarunt, episcopis, cujus etiam nomen sacro episcoporum albo non inscribatur, indignus enim eo honore est, ut qui episcopatum quasi adulterio polluerit: Omnis siquidem plantatio, quae a Patre nostro in caelis plantata non est, eradicabitur.* Theodoretus lib. V.

cap. 34. de Conſtantinopolitanis dicit, quod *Aſacium, qui in locum Iohannis Chryſoſtomi injuſte in exſilium pulſi ſucceſſerat, ne compellatione quidem fuerint dignati.* Talia exempla occurrunt plura apud eumdem Theodoretum lib. I. hiſtor. cap. 20. lib. II. cap. 8. 31. & 44. lib. III. cap. 4. lib. IV. cap. 14 15. 20. &c. Coronidis loco monemus, Canoniſtas ſtatuere duplicem Clericorum depoſitionem *actualem & verbalem.* Illa proprie *degradatio* dicitur, ejusque forma deſcripta eſt c. degradatio de pœnis in 6. hæc ſit per *ſententiam epiſcopi* c. 2. eod. in 6. junct. c. 3. cum ſeqq. 15. q. 7. Cauſas utriusque recenſet Caniſius lib. III. ſumm. juris canon. c. 22. §. *actualis* & §. *verbalis*, ubi inter utramque hanc ſtatuit differentiam, quod per *depoſitionem removetur tantum clericus ab honoribus & dignitate clericali ſalvo manente privilegio & ordine, ſed in degradatione omnia amittit.* (*)

(*) Quæritur: 1.) *An fas & juſtum ſit exorta publica inter concionatores diſcordia de doctrina fidei, itemque de aliis miniſteriis partibus, ita ut indicia illius in publicis concionibus non obſcura adpareant, utramque partem h. e. tam defenſores veritatis & juſtitiæ, quam falſitatis & injuſtitiæ autores ac patronos removere & expellere?* Ita quibusdam videtur, qui ſcandali amovendi & publicæ tranquillitatis promovendæ ſchemate opinionem ſuam veſtiunt. Negativa probatur a) ex lege divina ſcripta, quæ jubet audire fideles miniſtros non minus quam ipſum, a quo miſſi ſunt, Luc. X. 16. eosdem injurioſe tangere vetat, Pſalm. CV. 15. Zach. II. 12. vult nos *cavere pſeudoprophetas*, Matth. VII. 15. & *a fermento phariſæorum*, XVI. 6. *redarguere & obturare ora hæreticorum*, 2 Tim. IV. 2 Tit. I. 11. *clamare, non ceſſare;* Eſaj. LVIII. 1. reprehendit negligentes in hac officii ſui parte. Eſaj. LVII. 2. Ezech. XIII. 3. b) ex lege naturæ, quæ dictitat bonos eſſe defendendos, malos puniendos, nec hos cum illis perdendos, Gen. XVIII. 25. triticum una cum zizaniis non eſſe eradicandum. Matth. XIII. 29. c) ex ratione: Quod gloriæ Dei, ad quam pertinet libera cœleſtis veritatis confeſſio & errorum refutatio, nocet, dilectionem proximi violat, ejusque ſalutem impedit, exemplo ſcandaloſo aliis ſimilia molientibus præit, denique canibus mutis & lupis rapacibus januam aperit, illud eſt illicitum & injuſtum. Ejectioni bonorum miniſtrorum cum malis male concordantium illa competunt. Ergo. Tarnovius de miniſt. q. 7. 2.) *An ab officio etiam injuſte remotus & e regione aliqua abire a domino territorii juſſus nihilominus in ea ſalva conſcientia manere poſſit?* Negamus a) a mandato divino Matth. X. 23. *Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*, cujus emphaſin urget Lutherus tom. III. Jen. germ. f. 126. *Er ſpricht nicht, wenn ſie euch in eine Stad verjagen, ſo bleibet darinnen und nehmet die Stad ein dem Evangelio zulobe und rottet euch wider die Herrn der Stad wie man jetzt thun will und lehret, ſondern fliehet, fliehet immer ſo fort in eine andere.* b) ab exemplis ſanctorum fugientium ut apoſtolorum aliorumque piorum, Act. VIII. 5. Pauli, IX. 25. & aliorum ſanctorum, Hebr XI. 27. Athanaſii, Chryſoſtomi &c. c) a rei illius indignitate & incommodis. Manſio invito domino terræ eſt indecora evangelio jubenti reddere cuique, quod ſuum eſt, Matth. XXII. 21. Rom. XIII. 7. & parere omnibus in eminentia conſtitutis, 1. Petr. II. 13. ſcandalum præbet infirmis, occaſionem ſeditionis &c. GERHARDVS.

# FINIS

## TOMI XII.

# CONSPECTVS
## LOCORVM,
## CAPITVM, SECTIONVM, ET RELIQVORVM CONTENTORVM
## IN TOMO HOC XII. OCCVRRENTIVM.

## LOCVS XXIII.

### CAP. XI.

### DE NOTIS ECCLESIAE A BELLARMINO ADSIGNATIS

IN SPECIE

### SECTIO VII.

*de septima ecclesiae nota videlicet*

*unione membrorum inter se & cum capite.*

Q. I) An unio membrorum inter se & cum capite sit nota ecclesiae? Argumenta nostra continet §. CCXXXI. sequitur antithesis *Bellarmini*, qui provocat ad dicta scripturae §. CCXXXII. auctoritatem veterum §. CCXXXIII. loca patrum §. CCXXXIV. experientiam §. CCXXXV.

*Editor*, praeter literaria quaedam passim adspersa, copiosius paulo egit inprimis de idololatria *Marcellini*, de criminibus *Liberii*, de libro *Gersoniano* de *auferibilitate papae*, item de scriptoribus pontificiis, qui pro superioritate conciliorum scripserunt.

II) An in ecclesia *romana* sit unitas vere catholica? refutantur, quae *Bellarminus* ad quaestionem adfirmandam in medium producit de consensu veterum §. CCXXXVI. patrum & conciliorum §. CCXXXVII. decretorum pontificiorum §. CCXXXVIII. omnium pontificiorum §. CCXXXIX. contra quod ultimum adsertum ostenditur, in medio esse dissensiones pontificias fidei unitatem discerpentes & generales §. CCXL. & speciales §§ CCXLI — CCXLIII.

*Editor* ad scandalosas de *Formosi* pontificatu contentiones, ad decreta papae Joannis XXII. & Nicolai III. ad scriptores, qui fontes hebraeos corruptos esse statuerunt; nec non ad scriptores, qui pontificem rom. conciliis superiorem esse, comprobare adnisi sunt; atque ad monumenta, quae controversiae (an b. Maria speciali quodam privilegio a labe originalis peccati fuerit immunis?) lucem adfundunt, quaedam adnotavit.

III) An in ecclesiis evangelicis sit vera unitas? quod contra objectiones *Bellarmini* probatur. §§. CCXLIV. & CCXLV. & ostenditur, quotuplex sit ecclesiarum evangelicarum unitas §. CCXLVI. ac quid de dissensionibus in nostra ecclesia statuendum sit? §. CCXLVII.

### SECTIO VIII.

*de octava ecclesiae nota,*

*quam Bellarminus adsignat, quae est sanctitas doctrinae.*

Q. I) An doctrinae sanctitas sit nota ecclesiae? §. CCXLVIII.

II) An ecclesiae romanae doctrina sit sancta? Asserta *Bellarmini* refutantur, quod ecclesia rom. nullum errorem §§. CCXLIX. & CCL. nulla peccata habeat. §. CCLI.

ubi *editor* de *Claudii Espencaei* commentariis & digressionibus in priorem epistolam ad Timotheum literaria quaedam adspersit; nec non *catechismum jesuiticum*, & librum *Mariauae* de rege & regis institutione, & opinionem communem, quod *Casa* de sodomiae laudibus scripserit, notis litterariis illustrat.

refutatur porro adsertum, quod ecclesia rom. nulla paradoxa doceat §. CCLII. & CCLIII.

III) An doctrina nostrae ecclesiae vere sit sancta? Probatur hoc §. CCLIV. & contra Bellarminum defenditur §. CCLV.

## SECTIO IX.

### *de nona ecclesiae nota,*

### *quam Bellarminus adsignat, quae est efficacia doctrinae.*

Q. I) An efficacia doctrinæ genuina sit & propria ecclesiæ nota? §. CCLVI.

II) An doctrina rom. ecclesiæ sit efficax §. CCLVII.

III) An doctrina evangelicarum ecclesiarum sit efficax §. CCLVIII.

## SECTIO X.

### *de decima ecclesiae nota,*

### *quam Bellarminus adsignat, quae est vitae sanctitas.*

Q. I) An vitæ sanctitas sit nota ecclesiæ §. CCLIX. Bellarmini pro hac nota ecclesiæ argumenta refelluntur §. CCLX.

II) An vitæ sanctitas rom. ecclesiæ doctoribus competat §. CCLXI.

ubi *editor* in notis de libro de *conformitatibus S. Francisci* cum *Jesu Christo* egit.

Consideratur sanctitas urbis Romæ §. CCLXII. pontificum rom. §. CCLXIII. cardinalium §. CCLXIV. episcoporum & clericorum pontificior. §. CCLXV. monachorum §. CCLXVI. jesuitarum §. CCLXVII.

*Editor* librum *Suarezii, defensionem fidei catholicae adversus anglicanae sectae errores*, & historiam *Jacobi Clementis*, qui Henrici III. Galliæ regis vitæ insidias struxit, nec non *Johannis Castelli*, notis illustrat.

denique etiam pontificiæ plebis §. CCLXVIII.

III) An vitæ sanctitas sit in ecclesiis evangelicis? Confutantur, quæ *Bellarminus* de *Luthero* §. CCLXIX. & de Lutheranis scribit? CCLXX.

## SECTIO XI.

### *de undecima ecclesiae nota,*

### *quam Bellarminus adsignat, quae est gloria miraculorum.*

Q. I) Sintne miracula genuina & infallibilis ecclesiæ nota? Hoc ut evidentius demonstretur, præmittuntur miraculorum divisiones §. CCLXXI.

*Editor* ampliores notas adposuit de miraculi definitione, & de variis miraculorum generibus.

quibus præsuppositis argumenta nostræ sententiæ adferuntur sequentia:

1) quod miracula non sint ecclesiæ propria, siquidem ea facere videntur gentiles §. CCLXXII.

de quorum miraculis *editor* scriptores recenset insigniores.

pseudoprophetæ §. CCLXXIII.

*Editor* mentionem addit scriptorum de miraculis Aegyptiorum & Muhammedanorum.

subjungitur responsio ad exceptiones quasdam Bellarmini contra hoc primum argumentum.

2) quod miracula ecclesiæ non conveniant semper §. CCLXXV.

Locus, a b. *Gerhardo* adlegatus, typothetæ incuria mancus, ita suppleri debet p. 104. sub finem: Chrysost. in Matth. hom. 4. & 33. & 47. multis docet, *hodie postquam plantata est religio christiana, nullam esse miraculorum necessitatem. Legi Moisi eompluribus miraculis quondam per desertum auctoritas concilabatur, quae postea, cum ad terram promissam venirent, desinebant.* August. lib. de vera relig. c. 25. *Miracula in nostra tempora durare permissa non sunt, ut anima semper visibilia quaereret & eorum consuetudine frigefeeret genus humanum, quorum novitate flagravit.*

3) quod miracula sine doctrina nihil probent §§. CCLXXVI — CCLXXVIII.

porro solvuntur argumenta *Bellarmini* duo:

1) quod miracula sint necessaria ad novam fidem vel extraordinariam missionem persuadendam §§. CCLXXIX. CCLXXX & CCLXXXI.

2) quod sint efficacia & sufficientia fidei testimonia §. CCLXXXII.

II) An in ecclesia Romana vigeant miracula?

præmittitur necessaria admonitio, quod quædam narrationes de miraculis in ecclesia Rom. celebratis sint falsæ ac fabulosæ, etiam ipsorum saniorum pontificiorum judicio §. CCLXXXIII.

deinde ostenditur, miracula pontificia quædam esse fallacia, magica, absurda & pudenda, ludicra & puerilia, idololatriam confirmantia, & si vel maxime quædam vera & divina miracula in ecclesia Rom. fiant, ea nequaquam ad confirmationem illius inservire, quod in doctrina ecclesiæ illius est corruptum & depravatum. §. CCLXXXIV.

retunditur denique Bellarmini de ecclesiae suae miraculis gloriatio §. CCLXXXIV.

III) An in ecclesiis evangelicis fiant miracula? eruitur §. CCLXXXV.

SECTIO

## SECTIO XII.

*de duodecima ecclesiae nota,*

*quam Bellarminus adsignat, quae est lumen propheticum.*

Q. I) An lumen propheticum sit ecclesiae nota? Nostra sententia exponitur §. CCLXXXVII. Bellarminus refutatur §. CCLXXXVIII.

II) An in ecclesia Rom. vigeat donum propheticum? §. CCLXXXIX.

III) An in ecclesiis evangelicis fulgeat? §. CCLXXXX. & vindicantur vaticinia a Luthero §. CCLXXXXI. & de Luthero edita §. CCLXXXXII.

## SECTIO XIII.

*de nota ecclesiae decima tertia,*

*a Bellarmino adsignata,*

*quae est confessio adversariorum.*

Q. I) An confessio adversariorum sit nota ecclesiae? §. CCLXXXXIII. §. CCLXXXXIV.

II) An ab adversariis testimonium detur Rom. ecclesiae? III) An pontificii testimonium veritatis doctrinae nostrae largiantur §. CCLXXXXV.

## SECTIO XIV.

*de nota ecclesiae decima quarta,*

*quam Bellarminus adsignat, quae est infelix exitus eorum, qui ecclesiam oppugnant.*

Q. I) An infelix exitus adversariorum sit nota ecclesiae? §. CCLXXXXVI. §. CCLXXXXVII.

II) An Rom. ecclesiae adversarii infeliciter perierint? III) Infelix vero exitus persecutorum evangelii commemoratur §. CCLXXXXVIII.

## SECTIO XV.

*de nota ecclesiae decima quinta,*

*quam Bellarminus adsignat, quae est felicitas temporalis.*

I) Sententia nostra exponitur §. CCLXXXXIX. cum refutatione Bellarmini §. CCC.

II) Agitur de felicitate ecclesiae Rom. §. CCCI. & III) de felicitate ecclesiae evangelicae §. CCCII.

## CAP. XII.

*Causa finalis ecclesiae,*

&

## CAP. XIII.

*Usus hujus loci subjungitur.*

---

* * *

Adnectuntur capiti huic p. 168 — 184.

*Vindiciae Observationum*

quas

Editor ad Locum *Gen. XIV. 18, 19. tom. X.* hujus *operis p. 455. seqq.* inseruerat.

Contra observationes editoris de facto *Melchisedeci Gen. XIV.* 18, 19. in quo coetus romani doctores, quando dogma de *sacrificio missatico* e sanctioribus literis comprobare adnituntur, praecipuum causae suae fundamentum quaerunt, prodiit in universitate Friburgo-Brisgoica auctore *Franc. Ferd. Willio* dissertatio, inscripta: *Christus Dominus sacerdos secundum ordinem Melchisedech.*

Quam cum editori data opera insinuandam curaverit, eique igitur a respondendo calamum eo minus absti-

nere liceat, quo magis adversarius ille in silentio causae desperatae judicium quaerere amat: exhibentur hoc loco observationum istarum vindiciae.

Secundum ipsius illius dissertationis filum & ordinem

1) Primaria ejus hypothesis, quod in *externo ritu*, oblatione nimirum panis & vini, similitudo *Christi & Melchisedeci* ponenda sit, maxime ex loco *Paulino* Hebr. VII. refellitur.

2) Ad quaestionem: *qualis* fuerit illa oblatio?

1) recitantur textus narrationis hujus Mosaicae hebraeus & variae ejus versiones.

2) ostenditur collato ex aliis locis aevi illius usu, fuisse illud nonnisi *epulum triumphale, regium*, quo *Melchisedecus* gratum & pium animum erga *Abrahamum* testatus fuerit.

3) Sed contendit adversarius, quod fuerit *sacrificium eucharisticum*. Ad hoc

a) respondetur, id, si vel concederetur, tamen nil pertinere ad sacrificium missae, *propitiatorium* ex mente romanensium.

b) argumentum, quod verba: *& erat sacerdos* conjungantur hoc loco cum oblatione panis & vini, adeoque *oblatio* haec fuerit *sacerdotalis*; ex eo refellitur, quod haec ipsa verba non ad oblationem panis & vini pertinent, sed, quod ipsa textus inspectio docet, ad *benedictionem*.

c) nec *Cohen* cum Dost. *Willio participialiter* potest sumi, cum interpretatio *Paulina Hebr. VII, 1.* clare doceat, vocem illam *nominaliter* esse accipiendam.

d) urget vero adversarius noster & hoc, quod hac ratione inter sacerdotium *Melchisedeci* & *Aaronis* nulla sit differentia. *Resp. Melchisedeci* sacerdotium ab *Aaronico* satis jam in eo differt, quod *Melchisedecus tantum* benedixit, cum e contrario in illius sacerdotio obtinuerint etiam maledictiones. Praeterea non nihil discriminis inter utriusque sacerdotium situm est etiam in *decimatione*.

e) addit auctor ille, verbum יוציא ἐξενεγκε *Jud. VI. 18.* adductionem sacram hostiae significare. At vero ostenditur, & hoc falso adseri, & in praesenti loco mosaico hostiae ne volam quidem vel vestigium reperiri.

f) porro dissertatio illa in oblatione panis & vini per *Melchisedecum* facta quaerit singularem sacerdotii *Melchisedeciani* prae *Aaronitico* praerogativam. At vero quis est, qui ignoret, in *Aaroniticis* etiam sacrificiis panem & vinum fuisse oblationis materiam?

g) additur tandem & vindicatur, per panem & vinum secundum omnes circumstantias hoc loco intelligi quemvis cibum ac potum; & ostenditur, non quadrare huc instantiam adversarii a pane & vino in institutione s. coenae petitam; nec Mosen denique quidquam habere de *sacrificio* oblato a *Melchisedeco*.

III) Operam sibi dat adversarius, ut probet

1) *hebraicae gentis magistros* celebriores adfirmare, a Melchisedeco oblatum in pane & vino fuisse verum sacrificium.

At vero cum supersedere possimus labore cognoscendi de privatis istiusmodi singulorum Rabbinorum placitis, qualia in dissertatione *Williana* adducuntur: in medium potius adferuntur majoris nominis scriptores judaici, *Flavius Josephus*, *Philo*, & ex patribus judaicae sententiae interpres, *Ambrosius*, e quibus rectius disci potest, quaenam fuerit hebraeorum de facto *Melchisedeci* opinio communis.

2) *ineluctabilia patrum testimonia* suae sententiae favere contendit adversarius.

Verum enim vero

a) obvertitur ei delectus patrum, quem fecerunt *Peverius* & *Maldonatus*, qui diserte ostendunt, non unanimiter hic consentire patres, sed in *duas* abire sententias.

b) quoad excitata patrum testimonia ostenditur, quod *quaedam* sola commatum translatione adulterentur; *alia*, quidquid dicant, in panis tamen oblatione dativum *Deo* non exprimant; *alia*, in quibus *Melchisedecus* protulisse dicitur panem sacrificatum, innuant in genere *sanctificatum*.

c) eidem responsioni singularem lucem adfundi observatur ex *Picherellio*, Sorbonnista, ingenuo veritatis confessore.

d) conceditur, caeteroquin pias fuisse patrum in hunc locum meditationes & allegorias, modo hujusmodi expositiones non torqueantur ad confirmandum missae sacrificium.

3) opponit, *nos patrum consensu destitui*. respondetur ita, ut ex patrum nobis saventium sententiis duae adornentur classes,

*una* illorum patrum, qui panem & vinum non Deo, sed *Abrahamo* data esse diserte dicunt.

*altera* eorum, qui similitudinem inter Melchisedecum & Christum evolventes alte de sacrificio panis & vini silent, presse autem, aeque ac nos, vestigiis *Pauli* insistunt.

IV.) Notantur denique & removentur adhuc objectiones quaedam levioris momenti; quo facto finis imponitur vindiciis hisce, & ea, quae de *Aarone*, figura Christi, ac de significatione vocis *Cohen* dicenda supererant, verbis celeb. Dn. D. *Ernesti* ex programmate paschali 1769. exponuntur.

Sup-

* * *

# Supplementum Editoris ad Locum DE ECCLESIA.

## OBSERV. I.

*de Ecclesiae tum generatim spectatae, tum speciatim christianae natura atque indole variisque ejus speciebus.*

I) Agitur de *natura atque indole* ecclesiæ,

1) *Generatim* spectatæ.

Definitur §. I. Et quum homines, qui Deum ea, qua par est, ratione colunt, duplici modo considerari queant, *vel* qua in cœlum jam recepti, aut certe recipiendi aliquando sunt; *vel* qua in hisce terris adhuc degunt:

Dividitur ecclesia in *militantem* & *triumphantem* §. II.

Militans in duas temporum periodos universe revocari potest, *veteris* & *novi* testamenti §. III. Hinc transitus fit ad

2) Ecclesiam *speciatim christianam*. Hæc

Definitur §. IV.

Instituta est a Christo per apostolos eorumque successores §. V.

Complectitur *docentes* & *discentes* §. VI. utque priores illi finem suum consequantur, *antistites* & *inspectores* §. VII. adeoque

*Clericos* & *Laicos*; ita tamen, ut hac distinctione clericis nulla ἐξοχὴ aut imperium concedatur §. VIII.

*Finis* enim ministerii eo tendit, ut homines Deo *reconcilientur*; hinc ad eum obtinendum nulla *vis coactiva* requiritur §. IX.

Atque ita in ecclesia quoque primitiva, apostolica, nil conspicitur, quod imperii cujusdam aut societatis, quæ *imperantium* & *parentium* ordine constet, speciem quandam referat. §. X.

Ecclesia igitur non est civitas, sed *collegium* in civitate erectum, nec societas inæqualis, sed *aequalis* ac libera §. XI. hoc sensu, ut statuatur, ad prima ecclesiæ incunabula, ad hanc societatem coadunandam, nulli in alterum imperium quoddam primitus competisse §. XII.

Et hæc prima erat ecclesiæ facies, quæ vero postea valde mutata, ac post Constantini M. tempora successive in præsulum romanorum tyrannidem sacram conversa est. Subsecuta seculo XVI. sacrorum emendatione relinquebantur ecclesiis, quæ originarie ipsis competebant, *jura collegialia*, at *exercitium* horum jurium tacito quodam ecclesiarum consensu in summos imperantes fuit translatum §. XIII.

II) Agitur de *variis ecclesiae speciebus*.

1) Inter eas maximi momenti est divisio in *visibilem* & *invisibilem* §. XIV.

2) Ob locorum temporumque distantiam sunt ecclesiæ *particulares*, quae omnes conjunctim spectatae efficiunt ecclesiam *universalem* § XV.

3) Sanctis cum misceantur etiam ii, qui *vel* evadere demum cupiunt veri christiani, *vel*, cum tales esse desierint, a caeteris in viam reducendi sunt: existit ecclesia *sanctorum* & ecclesia *vocatorum*. §. XVI.

4) Vti varium in hominibus cognitionis metrum & anceps inprimis ac varium in religionem christianam studium est: ita in variis *vocatorum* ecclesiis variant quoque doctrina & reliqua instituta sacra. Hinc oritur divisio ecclesiæ in *puram* & *impuram*; *veram* & *falsam*. §. XVII.

5) Ipsa hæc in variis ecclesiis doctrinæ cultusque varietas distinguit ecclesiam in *pontificiam*, *reformatam*, *augustanae confessioni addictam*, *graecam*, *remonstrantium*, & quæ aliæ a diversis fidei symbolis denominationes frequentantur. §. XVIII.

6) Quoniam vero non omnes iisdem ubique *juribus* & *privilegiis* gaudent, ecclesia in imperio quodam aut provincia vel *privilegiata* est, vel *minus privilegiata*, *tolerata* vel *pressa* §. XIX.

7) Cæterum ejusdem confessionis ecclesiarum, ubi libero quoque religionis exercitio gaudent, alia alii subordinata passim est, cui, quia proprias ædes sacras non habet, *unitur*, ejus templum frequentat, communemque cum ea parochum habet. Hinc alia ecclesia est *mater*, alia *filia* vel *filialis*; vel alia *parochialis*, alia *semiparochialis* §. XX.

8) Ecclesiæ parochiali opponuntur *cathedralis* & *collegiata* §. XXI.

9) A *forma regiminis ecclesiastici* petitur divisio ecclesiæ in *episcopalem* & *non episcopalem* §. XXII. cui divisioni conjuncta est

10) Alia, quæ exercitium jurium ecclesiasticorum spectat, in *symbeticam* & *repraesentativam* §. XXIII.

Aliæ divisiones vel a scopo hujus supplementi longius absunt, vel explicatione minus indigent §. XXIV.

## OBSERV. II.

*An cognitio eccleſiae praecedere debeat cognitionem fidei chriſtianae?*

an vero

*ipſius doctrinae chriſtianae examen prius ſit inſtituendum, quam ad cognitionem eccleſiae verae perveniri queat?*

Statu quæſtionis diſtincte ante oculos poſito §. I.

1) *Praemittitur* tractationi ipſi *hiſtoria* hujus controverſiæ inter nos ac pontificios agitatæ.

1) Jam ipſo reformationis tempore ab *eccleſia* diſputationis ſuæ initium fecit *Eccius* §. II.

2) Subſequenti ſeculo *Franc. Veronius* & *Bartholdus Nihuſius* in eam deſcenderunt ſententiam, eccleſiæ rom. non incumbere onus probandi in rebus ad religionem ſpectantibus, quia ſit in poſſeſſione veritatis, tituloque *praeſcriptionis* ſe tueri queat. §. III. Hos ſecuti ſunt

3) *Petrus* & *Adrianus* de *Wallenburch*, qui ſtatuerunt, methodum præſcriptionis atque *auctoritatis*, quam *Auguſtinianam* vocabant, præcipue contra proteſtantes adhibendam, concluſiones vero theologicas amputandas, nec pro verbo Dei agnoſcendas eſſe §. IV. His adponitur

4) *Valerianus magnus*, qui in controverſiis de religione exortis vocem *eccleſiae* regulam, quam nos ſequi oporteat, præbere contendit, & *Sforzia Pallavicinus*, qui etiam auctoritate eccleſiæ omnia inniti docuit §. V.

5) In ipſa quoque Anglia ſuperiori ſeculo viri quidam romanenſium ſacris addicti auctoritatem eccleſiae contra proteſtantes ſtrenue urſerunt, inprimis *Joh. Fiſcherus* §. VI.

6) Nullibi tamen argumentum hoc majori cura atque induſtria fuit excuſſum, quam in Gallia, ab eo cumprimis tempore, quo conſilia eccleſiam reform. ibi penitus exſtirpandi ſerio fuerunt agitata. Eminet inter eos, qui hanc contra reformatos diſputandi methodum adhibuerunt, inprimis *cardinalis Perron.* §. VII.

7) Eandem viam poſt eum ingreſſi ſunt in Gallia *Richelius*, *Maimburgius*, *Peliſſonius*, *Papinus*, §. VIII.

8) Nullus tamen majorem viæ *auctoritatis* defendendæ operam ibidem impendit, quam *Nicolius* §. IX. quem ex reformatis Galliæ theologis refutarunt *Jo. Claudius*, *Claudius Pajonius*, *Petrus Juriaeus*, nec non Hagæ comitum *Jac. Saurin* §. X.

9) *Fenelonius* methodum *auctoritatis* non tantum *haereticis*, ſed & *deiſtis* convertendis egregie inſervire exiſtimavit. §. XI.

10) Licet recentiori ætate non deſuerint, qui methodum illam magno cum fervore urgerent, in quibus, poſt *Boſſuetum*, *Scheffmacherus* præcipuum tenet locum; illud tamen memoratu dignum, quod recentiores Gallicanæ eccleſiae antiſtites hanc diſputandi rationem, quam eorum anteceſſores tantopere deprædicarunt, prorſus deſerendam eſſe cenſuerunt, & e contrario viam *examinis* ac *diſcuſſionis* commendarunt §. XII.

Hæc ad cœtus rom. doctores ſpectant.

*Proteſtantium* ſententia ut copioſe edifferatur, vix opus eſt, cum ſatis conſtet, eos nullam aliam, quam *examinis* ac *diſcuſſionis* viam adoptare. §. XIII.

II) Præmiſſis hiſce de controverſiæ hujus hiſtoria ſtricturis jam *ad ſtatum controverſiae recte formandum* ſequentia notantur:

1) non ſimpliciter negare pontificios, quod via *examinis* in rebus fidei adhiberi poſſit,

2) nec negare eos, quod ipſa *auctoritatis via* alicui ſubſit examini, ſed

3) hoc ipſos negare, quod dogmatum diſcuſſio ex ſola S. Scriptura, tanquam unica fidei norma, omnibus chriſtianis, ne laicis quidem exceptis, competat;

4) urgere eos potius graviter, ad ſolam eccleſiam viſibilem atque catholicam, tanquam infallibilem controverſiarum judicem eſſe recurrendum, inque ejus deciſione adquieſcendum,

5) hanc, addunt, viam eſſe facilem ac brevem, &

6) præcedere debere examen ipſius doctrinæ, ſiquidem fides ex eccleſia potius, quam eccleſia ex fide cognoſci debeat. §. XIV.

III) *Argumenta theologorum proteſtantium*, qui ſolam *examinis* viam ſequendam eſſe ſtatuunt, deſumta ſunt §. XV.

1) partim ex *praxi Chriſti & apoſtolorum*, nec non clariſſimis ſacræ ſcripturæ effatis.

Oſtenditur hoc ſpeciatim

a) de Chriſto ipſo §. XVI.

b) de apoſtolis §. XVII.

c) ex mandato in inſtitutione baptismi a Chriſto dato & ab apoſtolis poſtea ſemper obſervato, §. XVIII.

2) partim *ex principiis ſanae rationis ac ipſa rei natura.*

Deducitur hoc

a) ex regulis ſapientiæ, quæ in omnibus rebus, maxime gravioribus, examen ſerium injungit §. XIX.

b) ex multitudine religionum & ſectarum, quarum veritas aut falſitas non, niſi cognita prius doctrina, cognoſci poteſt. §. XX.

c) ex

c) ex naturali illo ordine, quo ingressus in ecclesiam datur, mediante nimirum fide, quæ verbi divini cognitionem supponit. §. XXI.

d) denique ex eo, quod *via auctoritatis* ipsa supponit *viam examinis*. §. XXII.

3) partim *ex testimoniis patrum ecclesiae vetustissimis*, & speciatim quidem

Irenæi &
Clementis *Alexandrini* §. XXIII.
Avgvstini &
Cyrilli §. XXIV.

IV) Multis præterea aliis incommodis laborat *via auctoritatis*, §. XXV. & quidem

a) falsissima nititur *hyporbesi* de infallibilitate ecclesiæ, & quidem Romanæ, ejusdemque solius §. XXVI.

b) innumeris *difficultatibus* obsepta. §. XXVII, &, propter ipsius *ecclesiae* ambiguum in pontificiorum systemate significatum *moraliter impossibilis* est §. XXVIII.

c) in adorandas *Dei perfectiones*, bonitatem, æquitatem, sapientiam injuria est §. XXIX.

d) *religionem christianam ludibrio incredulorum exponit* §. XXX.

e) *Pyrrhonismo* seu scepticismo latam portam aperit. §. XXXI.

f) *Fanaticismo* atque enthusiasmo patrocinatur. §. XXXII.

g) *Tyrannidem* conscientiarum atque *intoleranziam* inter christianos introducit §. XXXIII.

h) præter alia *absurda*, etiam perpetua miracula facit, & sic tum revelationis tum judicis universalis utilitatem ac necessitatem evertit, & in vitiosum denique circulum redit. §. XXXIV.

V) Subjunguntur *argumenta pontificiorum*, quibus *viam examinis* proscribere, & hac ratione *viam auctoritatis* confirmare adnituntur. §. XXXV.

1) Desumta ea sunt *ex difficultatibus*, quibus examen religionis involutum sit, §. XXXVI. Sed ostenditur

a) difficultates illas non adeo multas & magnas esse, quam quidem in *via auctoritatis*.

b) easdem examen fidei aut doctrinæ nullo modo superfluum aut impossibile reddere;

c) hanc objectionem non protestantes modo, sed ipsum salvatorem atque apostolos, examen religionis commendantes, ferire, & operationibus gratiæ divinæ cum verbo conjunctis limites ponere.

2) ex *periculo* gravissimorum errorum, *scepticismi* inprimis & *indifferentismi*, in quos *examinis* libertas homines præcipitet §. XXXVII. Verum

a) *examinis* libertas tantum *per accidens*, non *per se*, origo errorum esse potest;

b) hoc argumentum ab erroribus petitum, nimium probat;

c) dissensus in rebus religionis, quem inde oriri dicunt, *partim* per rei naturam est inevitabilis, *partim* tantus non est, quantum illi faciunt, *partim* hic æque ac scepticismus & indifferentismus in ipsos pontificios majori jure retorquetur.

3) ex *fanaticismo*, quem *via examinis* promoveat §. XXXVIII. Sed

a) nititur hæc objectio tum nimia exaggeratione difficultatum in *via examinis* obviarum, tum falsa doctrinæ nostræ de testimonio Spiritus S. interno intelligentia, aut malevola illius interpretatione,

b) *fanaticismi* prædicata ecclesiæ Romanæ omni respectu conveniunt.

4) ex *Tolerantismo*, quem hoc modo introduci, & per quem summas confusiones in imperiis generari dicunt §. XXXIX.

Verum

a) mutua tolerantia, quam protestantes tuentur, & rationi & religioni revelatæ conformis est;

b) illa neutiquam *per se & necessario* confusiones gignit, quod potius est effectus Zeli insani & intolerantis;

c) confusiones, quæ *per accidens* in imperiis oriuntur, mediis lenioribus & evangelicis impediri aut sedari possunt;

d) mala, quæ ex mutua *tolerantia* oriuntur, tanta non sunt, quam quidem ea, quæ ex *intolerantia* atque tyrannide consequuntur.

## OBSERV. III.

### *De successione episcopali, speciatim ea,*

quæ

### *in ecclesia anglicana adhuc viget.*

De *Successione episcopali* plura se dicturum esse, cum promiserit editor: jam huic promisso satisfacit, & iis, quæ olim hanc in rem scripserat, nonnulla heic subjungit. §. I.

1) Ante omnia *in genere* notatur, successionis episcopalis valorem tum in *electione* ad veteres canones adtemperata, tum in *ordinatione* canonica quærendum esse.

Quod vero

1mo ad *electionem* adtinet, ea olim ad totam pertinebat ecclesiam; in ecclesia *orientali* exeunte seculo IV. ad concilium episcoporum devoluta, in

in *occidentali* vero diutius adhuc toti ecclesiæ conservata fuit; postea vero regum consensus simul requirebatur; tandem universa electio ad imperatores regesque transiit; quin & præsul Romanus hanc facultatem, ubi potuit, sibi arrogavit. Subsequentibus temporibus jus eligendi, quod olim *clero plebique* competebat, eidem fuit restitutum, sed ad capitulares potius devolutum, licet iis a regibus subinde rursus ademtum, pontifice romano confirmationem sibi reservante. Ex quibus facile perspicitur, nullam nostris temporibus dari successionem *electionis* canonicæ, nunquam turbatæ. §. II.

2do *ordinatio* peragi olim debuit ab ipsis episcopis, & quidem non ab uno aliquo ex illis, sed tribus, vel saltim duobus, valide ordinatis, orthodoxis, non intrusis, non excommunicatis, non hæreticis, non schismaticis, non simoniacis. Eadem, quæ in *ordinationibus*, olim quoque in *ordinandis* cautela fuit observata. *Forma* denique ordinationis *essentialis* olim in sola manuum impositione precibusque ad Spiritum S. fusis constitit; verum sequiori ævo in ecclesia latina signa quædam externa fuerunt addita. Distinguunt etiam doctores ecclesiæ rom. inter ordinationes *illegitimas* atque *irritas* s. *invalidas*. §. III.

Jam si quis hæc omnia expendat & historiam patriarchatuum s. episcopatuum principalium variosque episcoporum catalogos conferat, facile perspiciet, successionem episcopalem canonicam in tota ecclesia christiana dudum periisse. Posito tamen, eam in ecclesia romana obtinere, hæc tamen sola non est, quæ hac prærogativa gaudet, siquidem successio ista in ecclesiis quoque protestantium, maxime vero Anglicana, in hunc usque diem fuit conservata. §. IV.

II) De successione igitur episcopali, quæ in *Anglicana* ecclesia obtinet, *speciatim* nunc agitur, ita quidem ut primo historia hujus controversiæ exponatur, deinde controversia ipsa tractetur.

1) In recensenda *origine* & *historia controversiae* hujus

a) observatur, equidem inde a tempore reformationis inter romanenses ac protestantes de hocce argumento disceptatum, nunquam tamen majori fervore id factum fuisse, quam ubi *Bossuetus* & *Massuetus* inprimis validitatem ordinationis Anglicanæ adgressi sunt, & diversam ab his sententiam *Courayerius* ingressus est. §. V.

b) originem igitur controversiæ hujus repetendam esse inde ab eo tempore, quo, occasione infelicis bullæ, *Vnigenitus* vocatæ, ecclesiam Anglicanam cum Gallica consociandi consilium ceperunt theologi quidam Galli, abbas de *Girardin*. *Lud. Ell. Du Pin* aliique.

α) hi scil. ante omnia mentem archiepiscopi Cantuariensis, *Wackii*, explorabant, qui ipsorum institutum calculo suo adprobavit, & leges quasdam ineundæ unionis proposuit §. VI. VII. quæ exhibentur §. VIII. quo facto legatus britannicus ad theologos Gallos, & vicissim theologi Galli in Britanniam mittebantur, licet irrito eventu. §. IX.

β) hæc consilia cum vix divulgata essent, propugnatores præsulis romani necessarium esse ducebant, ut ipsum fundamentum intentæ illius unionis ecclesiasticæ, nempe validitatem ordinationis anglicanæ subruerent. Fecerunt hoc *Thomas Wardus*, refutatus mox a *Daniele Williams*, & abbas *Gouldius*, qui suo libello adjunxit commentariolum quendam ab *Eusebio Renaudotio* concinnatum contra consecrationes Anglicanas omnia brevibus continentem dubia.

γ) Excitati vero sunt hac ipsa ratione bini viri, quorum unus, doctor quidam parisiensis, suppresso nomine dissertationem hisce *Renaudotii* objectionibus opposuit; alter vero erat §. X.

δ) *Courayerius*, qui *Renaudotio* peculiarem librum magna cura concinnatum opposuit §. XI. eo cum effectu, ut primo jesuitæ parisienses in *memoriis Trivoltiensibus* acerbiori calamo eum perstringerent, deinde *Jac. Gervasius* opusculum, licet exigui momenti, ei opponeret. At majori veritatis specie eum

ε) impugnarunt *Joh. Harduinus* & *Michael Le Quien*, nec non *Jacobus Fennel*, qui tamen priori illa biga non uno tantum nomine longe fuit inferior, aliique, quorum scripta, quæ levioris ut plurimum sunt momenti, infra in nota indicantur. §. XII.

ζ) responsionem *Harduino* cumprimis & *Lequienio* opposuit *Courayerius*, edita *defensione dissertationis* suæ, cujus altera pars maxime est memorabilis, quia, occasione quæstionis principalis de *validitate ordinationum Anglicarum*, in formas docendi & doctrinas incidit systemati Romano penitus adversantes. §. XIII.

η) quod scriptum licet multi in Gallia & Anglia magno cum adplausu exciperent, tamen longe major eorum erat numerus, qui, pontifici Romano addicti, librum illum non calamo tantum adoriebantur, sed & alios eosque potentiores ipsi concitabant adversarios. Fecerunt hoc *Claudius Pelletierus*, Jesuitæ *Parisienses*, *Pictavienses*, *Rhemenses*, & maxime etiam *Henr. Franc. Xav. Debelzunce de Castel Moron*, nec non inprimis

ϑ) Cardinalis de *Bissy*, qui conventu quodam episcoporum instituto eo rem deduxit, ut communi horum suffragio librorum *Courayerii* censura comprobaretur. Quibus præivit cardinalis *Noaillius* animadversione sua publicæ luci exposita,

posita, quam deinceps secuta est horum episcoporum censura, subjuncta consilii regii sententia. §. XIV. propositiones e libris *Courayerii* excerptae, quae condemnabantur, septem actriginta, ad octo autem capita commode revocatae, exhibentur §. XV.

ι) dum in Gallia haec agerentur, theologi Oxonienses *Courayerium* doctoris theologiae titulo ac juribus ornarunt, cum contra ejus in Gallia inimici quovis modo eum lacessere pergerent §. XVI.

κ) *Courayerius* tandem fuga sibi consuluit & in Angliam trajecit §. XVII ubi 1) non solum ab archiepiscopo *Wackio* faventer exceptus, sed & a rege 200. libr. Sterling. stipendio mactatus fuit; 2) *relationem* edidit de tota controversiarum & fatorum suorum historia, 3) eo ipso autem tempore denuo a scriptoribus Gallis, *Claud. Pelletierio*, *Theodorico de S. Rene*, *Joh. Harduino*, *Franc. Vivant*, *Michaele Lequienio* lacessitus fuit, sed uni *Lequienio* librum opposuit, qui ultimum erat *Courayerii* scriptum in argumento *de consecratione Anglorum*. 4) nam postea aliis rebus, utilioribus, inprimis versioni gallicae *historiae concilii Tridentini a Paulo Sarpio* compositae, totum se consecravit, qui vero ipse liber 5) dilplicuit episcopis gallicanis. Licet vero 6) in quamplurimis protestantium partes potius, quam catholicorum, defenderet *Courayerius*, maluit tamen in unione ecclesiae romanae perseverare, quam ad Anglicanam transire. §. XVIII.

Hisce de origine hujus controversiae propositis

2) de ipsa controversia, quam *Courayerius* recentiori aevo renovavit, nimirum *successione episcopali in Anglia*, ejusque *veritate* & *pretio* agitur. neque vero

a) de ecclesia anglicana antiqua, qualis illa inde a prima sua fundatione usque ad sacrorum emendationem extitit, sermo est, nam hujus ecclesiae originem ipsi pontificii fatentur inde ab apostolorum temporibus esse derivandam, inque ea successionem episcopalem semper servatam fuisse atque propagatam; quin ea antiquior adhuc est ipsa romana ecclesia §. XIX. sed sermo est

b) de ecclesia anglicana post reformationem. Et in hac

α) *ostendit Courayerius*, requisita ista ad verum legitimumque episcopum adfuisse, ex triplici ratione:

ℵ) quia omnes episcopi ab ejusmodi consecrati fuerunt episcopis, qui & ipsi fuerunt veri episcopi riteque ordinati;

ב) quia eorum ordinatio facta est in loco legitimo ac idoneo; &

ג) suscepta ex praescripto formulae ab *Eduardo* VI. sancitae. §. XX.

β) *confirmat* idem contra objectiones dissentientium. Et hic quidem

ℵ) adducuntur hae *objectiones*, non omnes, nec antiquiores, sed recentiores & *Courayerio* oppositae §. XXI. quarum

*Sex* potissimum sunt, nimirum:

aa) forma hujus ordinationis erat plane nova, non auctoritate *ecclesiastica*, sed *civili* tantum introducta.

bb) inscia ecclesia romana, *matre omnium ecclesiarum*, facta est & introducta.

cc) ordinatio, quae in Romana ecclesia obtinet, divinam habet originem.

dd) episcopi Anglicani, qui eam condiderunt, fuerunt *presbyteriani*.

ee) a nulla ecclesia, ne anglicana quidem, eo tempore, quo *Parkerus* consecratus fuit, auctoritatem obtinuit, nec

ff) veteres episcopi Anglicani novos sub *Elisabetha* consecratos pro veris episcopis habuerunt §. XXII.

ב) adferuntur *responsiones Courayerii* ad has objectiones. Quod ad

aa) adtinet, forma ista concepta, composita & introducta fuit auctoritate ecclesiastica, nec objici hic potest titulus ille, quem inde ab *Henrico* VIII. reges Angliae sibi sumserunt. ad

bb) distinguunt Angli inter res, quae partem quandam ipsius *religionis* conficiunt, & inter res, quae ad *externam* duntaxat *disciplinam* spectant. Praeterea negant ecclesiam romanam esse ecclesiam *universalem*, quae a reliquis ecclesiis petere queat, ut illae suis legibus sese objiciant.

cc) 3tia objectio vix meretur adtentionem. ad

dd) falsum esse ostenditur, quod conditores illius formae fuerint *presbyteriani*. ad

ee) non exemplis, sed rationibus, & quidem ex veteri jure ecclesiastico res aestimanda est, qua ipsa ratione etiam

ff) sexta objectio diluitur §. XXIII.

ג) adduntur *vindiciae* exemplorum, quae opponunt pontificii, nimirum *Cranmeri*, *Parkeri* & *Tillotsonii*. §. XXIV.

# LOCVS XXIV.
## DE
# MINISTERIO ECCLESIASTICO.

## *PROOEMIVM.*

Exponit
Rationem ordinis §. I.
Tres status in ecclesia §. II.
Ministerii eccles. necessitatem §. III. utilitatem ac dignitatem §. IV.

# CAP. I.

## *De Onomatologia Miniſterii Eccleſiaſtici.*

I) Agitur de Onomatologia *miniſterii.*
*Miniſterium* vocatur
1) in S. *Scriptura*
a) *ordo* eccleſiaſticus §. V.
b) διακονια §. VI. reſpectu α) doctorum, β) auditorum §. VII.
c) λειτουργια §. VIII.
ex qua tamen adpellatione neutiquam probari poteſt ſacrificium miſſae §. IX. id quod contra *Bellarmini* inſtantias ulterius oſtenditur §. X,
d) *cuſtodia*, e) *militia*, f) *inſpectio*, g) œconomia §. XI.
2) in *ſcriptoribus eccleſiaſticis* vocatur ιερουργια & ιερωρχια §. XII.

II) Agitur de Onomatologia *Miniſtrorum.*
*Miniſtrorum*
1) in S. Scriptura variae ſunt adpellationes §. XIII.
2) in *Vet. Teſt.*
α) *propriae*, ubi vocantur
א) *ſacerdotes* §. XIV. unde tamen ſtabiliri nequit ſacrificium miſſaticum §. XV. & *Bellarmini* hoc adſtruentis exceptiones & inſtantiae tolluntur §. XVI.
ב) *patriarchae* §. XVII.
ג) *prophetae* §. XVIII. quod ipſum, quo ſenſu fiat, diſtinctius exponitur §§. XIX. & XX.
ד) *videntes* §. XXI.
ה) *viri Dei* §. XXII.
ו) *angeli* §. XXIII.
ז) *uncti* §. XXIV.
β) *metaphoricae*, ubi vocantur
א) *ſpeculatores* §. XXV.
ב) *architecti*
ג) *paſtores*
ד) *patres* §. XXVI.
b) ex *novo Teſtam.* exhibentur adpellationes
α) *propriae.* Dicuntur
א) *epiſcopi* §. XXVII.
ב) *preſbyteri* §. XXVIII. & XXIX.
ג) *diaconi* §. XXX.
ד) *doctores* §. XXXI.
ה) *praefides* §. XXXII.
ו) *praepoſiti* §. XXXIII.
ז) *ſcribae* §. XXXIV.
β) *metaphoricae.* Dicuntur
א) *Sal terrae*, ב) *lux mundi*, ג) *operarii vineae*, ד) *ſervi invitantes ad nuptias*, ה) *ad cœnam*, ו) *piſcatores*, ז) *operarii meſſis*, ח) *agricolturae συνεργοι*, ט) *oeconomi*, י) *legati Dei*, כ) *teſtes*, ל) *praecones*, מ) *tubicines*, נ) *venti* §. XXXV.
2) in *Scriptoribus eccleſiaſticis* vocantur *praepoſiti*, *paroeci*, *ſacerdotes* §. XXXVI.
3) apud *pontificios* noſtri miniſtri per contemtum *praedicantes*, ipſorum contra miniſtri *clerici* vocantur §§. XXXVII & XXXVIII.

# CAP. II.

## *An detur miniſterium eccleſiaſticum?*

A) Dari miniſterium probant
I) *Adpellationes* antea enumeratae,
II) *Doctorum* eccleſiae ſeries a prima mundi origine uſque ad noſtra tempora continuata. Fuerunt
1) in *Vet. Teſtam.*
patriarchae §. XXXIX.
ſacerdotes & prophetae §. XL.
2) in *novo Teſtam.*
*Johannes Baptiſta*, apoſtoli, epiſcopi §. XLI.
patres, doctores ſcholaſtici §. XLII.
III) *Divinae promiſſiones* de conſervatione eccleſiae & conſequenter miniſterii eccleſiaſtici uſque ad finem ſeculi §§. XLIII & XLIV.
IV) *Ordinis hujus* a reliquis ordinibus & ſtatibus *diſtinctio* §. XLV.

B) Ad argumenta contra miniſterii neceſſitatem reſpondetur, quorum *primum* eſt illud, quod fideles novi teſt. dicantur non amplius docendi §. XLVI.
*ſecundum*, quod habeant unctionem a Deo §. XLVII.
*tertium*, quod Deus abſque miniſterii opera nos illuminare poſſit in iis, quae ad ſalutem neceſſaria ſunt §. XLVIII.

# CAP. III.

## *De cauſa efficiente miniſterii eccleſiaſtici.*

Cauſa efficiens principalis miniſterii eſt SS. Trinitas §. XLIX. id quod ſpeciatim de ſingulis tribus perſonis oſtenditur §. L.

# SECTIO I.

## *De vocatione ad miniſterium eccleſiaſticum.*

Declaratur
I) Quid ſit vocatio §. LI. an ab electione diſtinguatur §. LII. quot modis accipiatur §. LIII.
II) Quaeſtio an ſit neceſſaria? §. LIV. ubi
1) *noſtrae ſententiae adfirmativae argumenta* proponuntur, petita
a) ex *ſcripturae* dictis
α) *Jerem.* XXIII. 21. §. LV.
β) *Jerem.* XXVII. 9. §. LVI.
γ) *Job.* III. 27. §. LVII.
δ) *Rom.* X. 15. §. LVIII.
ε) *Hebr.* V. 4. §. LIX.
ζ) *Sirac.* VII. 4. §. LX.
b) ex probatis *exemplis* §§. LXI & LXII.
c) ex *rationibus* §. LXIII.
Sequitur
2) *Antitheſis* a) Anabaptiſtarum & b) Photinianorum §. LXIV. horumque *Argumenta*, petita
α) ex

a) ex Scripturae dictis
α) 1 Cor. XIV. 29. §. LXV.
β) 1 Tim. III. 1. §. LXVI.
γ) 1 Pet. II. 9. §. LXVII.
b) ex variis *exemplis*
α) eorum, qui a morte Stephani hinc inde dispersi evangelium praedicarunt §. LXVIII.
β) eorum, qui fuerunt ex familia Stephanae §. LXIX.
c) ex *rationibus*, quae sunt
α) requisiti hujus in canonibus apostolicis praeteritio §. LXX.
β) clavium ecclesiae omnibus ejusdem membris facta traditio §. LXXI.
γ) caritatis impulsio §. LXXII.
δ) prohibita talenti defossio §. LXXIII.
ε) libera divinorum donorum elargitio §. LXXIV.

## SECTIO II.

### *De divisionibus vocationis.*

Inter divisiones vocationis §. LXXV. indicatas praecipuum locum habet illa in *mediatam* & *immediatam* §. LXXVI. quarum differentia ulterius enodatur §. LXXVII & LXXVIII.

## SECTIO III.

### *De vocatione immediata.*

Quaeritur
I) Quot modis fiat immediata vocatio §. LXXIX.
II) An cum ea semper conjuncta sit potestas clavium §. LXXX.
III) Quomodo discernenda sit ab impostura fanaticorum §. LXXXI.
IV) Num adhuc hodie exspectanda sit §. LXXXII.

## SECTIO IV.

### *De vocatione mediata.*

I) Proponitur *nostra thesis*, quae duo potissimum continet,
1) quod mediata vocatio non minus divina sit quam immediata §§. LXXXIII & LXXXIV.
2) Quibus modis peragatur §. LXXXV. & quid ecclesiae statui circa vocationem ministrorum competat §. LXXXVI.
II) Sequuntur *argumenta nostra*
1) ex *Scriptura* & rationibus inde deductis,
a) *ex traditione clavium* Matth. XVI, 19. §. LXXXVII.
b) *ex probatione doctorum* Matth. VII. 15. Joh. V. 39. &c. §. LXXXVIII.
c) *ex adpellatione ministrorum* 1 Cor. III. 21. §. LXXXIX.
d) *ex utilitate auditorum* 1 Tim. III. 7. §. XC.
2) *ex praxi apostolica*
a) *electione Matthiae* Act. I. 23. §. XCI.
b) *electione diaconorum* Act. VI. 3. §. XCII.
c) *vocatione presbyterorum* Act. XIV. 23. §. XCIII.
3) *ex praxi primitivae ecclesiae*, & quidem speciatim ex
a) *conciliorum decretis* §. XCIV. & rescriptis pontificum romanorum §. XCV.
b) *patrum* dictis §. XCVI.
c) ecclesiae primitivae exempl. §§. XCVII & XCVIII.
III) *Antithesis pontificiorum* ante oculos ponitur §. XCIX. &
*Bellarmini* argumenta adducuntur deducta
1) ex *Aaronis* exemplo §. C.
2) *Christi* verbo & exemplo §. CI.
3) *jure divino* naturali & scripto §. CII.
4) *apostolorum* exemplo §. CIII.
5) *decretis conciliorum* §. CIV.
6) *dictis Veterum* §. CV.
7) *incommodis* popularis electionis §§. CVI & CVII.

## SECTIO V.

### *De jure episcopali & jure patronatus.*

I) *Juris episcopalis* quatuor sunt capita
1) Ordo §. CVIII.
2) Lex dioecesana §. CIX.
3) jurisdictio §. CX.
4) dignitas §§. CXI. & CXII.
II) *Jus patronatus* explicatur §§. CXIII. & CXIV.

## SECTIO VI.

### *De cautelis in vocatione ministrorum probe observandis.*

Dispicitur
I) Quid cavendum sit illis, qui ecclesiae nomine eligunt? §. CXV.
II) Quid cavendum sit illis, qui eliguntur? §. CXVI.

## SECTIO VII.

### *De casibus quibusdam dubiis in vocationis negotio occurrentibus.*

Quaestiones de ejusmodi casibus quibusdam dubiis in medium proferuntur §. CXVII.

## SECTIO VIII.

### *De vocatione beati Lutheri.*

I) *Recensetur lis* de vocatione Luthero mota §. CXVIII. & duo momenta ad rite dijudicandam hanc controversiam praemonentur §. CXIX.
II) Sequitur *nostra probatio*, quod
1) *Lutheri* vocatio fuerit *mediata* §. CXX.
2) tripliciter confirmata §. CXXI. & quod
3) *Lu-*

3) *Lutherus ad hanc* mediatam & solemnem vocationem sacpius *provocet* § CXXII. interim negari nec debet nec potest, *extraordinarii* quid in vocatione *Lutheri* fuisse. §. CXXIII.

III) Respondetur ad *argumenta pontificiorum* contra
1) immediatam §. CXXIV. &
2) mediatam Lutheri vocationem §§. CXXV. & CXXVI.

## SECTIO IX.

*De vocatione ministrorum in ecclesiis, quas vocant, evangelicis.*

I) Vocatio ministrorum evangelicorum §. CXXVII. adstruitur ex sacris literis §. CXXVIII. &

II) ab objectionibus pontificiorum vindicatur §. CXXIX.

## SECTIO X.

*De vocatione episcoporum in ecclesia pontificia.*

Proponuntur desiderenda circa
I) episcoporum vocationem §. CXXX.
II) investituram per pontificem §. CXXXI.
III) pallium §. CXXXII.
IV) pallii emtionem § CXXXIII.
V) electionem pontificis §. CXXXIV.
VI) vocationem clericorum pontificiorum §. CXXXV.

## SECTIO XI.

*De gradu doctoratus.*

Recensetur
I) *Origo* gradus doctoris § CXXXVI.
II) *Causae*, propter quas in academiis *retinetur* §. CXXXVII.
III) Negatur, quod promotio doctoralis sit *vocatio ad ministerium* §. CXXXVIII.

## SECTIO XII.

*De ordinatione.*

Quaest. I) An ordinatio sit absolute ad ministerium necessaria? §. CXXXIX.
II) An ordinatio sit *sacramentum?*
1) Argumenta *nostrae* sententiae *negantis* sunt:
a) quia destituitur parte sacramenti essentiali, elemento externo §. CXLI.
exceptiones *Bellarmini*,
α) quod impositio manuum adhibita fuerit ad ordinandum §. CXLII.
β) quod gratia alligata sit impositioni manuum §. CXLIII. refelluntur.
b) quia destituitur promissione gratiae §. CXLIV. id quod ab exceptione *Bellarmini* vindicatur §. CXLV.
c) quia utrique test. communis,
d) bonum alicujus status est,
e) ordines papales Christo & apostolis ignoti sunt, §. CXLVI.
f) ipsi denique pontificii de ordinibus suis, & speciatim quidem
de eorum institutione divina,
β) de eo, an sint sacramenta §. CXLVII.
γ) de materia eorum discrepant §. CXLVIII.
2) Argumenta *pontificiorum* pro adstruendo ordinis sacramento desumta sunt,
a) ex Augustana confessione §. CXLIX.
b) ex testimoniis pontificum, conciliorum & patrum §. CL.
c) ex rationibus variis §. CLI.

III) Quis sit legitimus ordinationis minister? §. CCII.
Exponitur
1) Sententia pontificiorum §. CLIII.
2) Sententia nostrarum ecclesiarum §. CLIV.

IV) An ordinati ab haereticis in ecclesia iterum ordinandi sint?
1) status quaestionis figitur §. CLV.
2) distincte per aliquot membra respondetur §. CLVI.
3) cavillationes contra ordinationem *Lutheri* removentur §. CLVII.

V) An ordinandus sit, qui nondum vocatus est ad certum aliquem locum? §. CLVIII.

VI) Quid statuendum sit de ceremoniis ordinationis?
1) χειροθεσια §. CLIX.
2) unctione §§. CLX. CLXI & CLXII.
3) veste linea, cereis accensis, signis crucis, rasura ordinandorum &c. §. CLXIII. qua occasione narratur ordinatio episcopi in papatu §. CLXIV.

VII) Quis sit effectus & fructus ordinationis? §. CLXV.

## SECTIO XIII.

*De examine ordinandorum.*

I) Ostenditur examinis ordinationi praemittendi necessitas §. CLXVI.
II) Afferuntur de examine instituendo conciliorum decreta §. CLXVII.
III) Disjicitur de materia § CLXVIII. &
IV) de tempore examinis §. CLXIX.

## SECTIO XIV.

*De investitura ministrorum.*

Absolvitur §. CLXX.

## SECTIO XV.

*De translatione ministrorum.*

Translatio ecclesiae ministrorum §. CLXXI.
non temere suscipienda §. CLXXII.
nec simpliciter repudianda §. CLXXIII.

## SECTIO XVI.

*De remotione ministrorum.*

Remotio ministrorum pertinet ad totam ecclesiam §. CLXXIV.
In censum hic veniunt
causa & processus remotionis §. CLXXV.
canones de remotione §. CLXXVI.
nec non quaedam ex historia ecclesiae huc referenda §. CLXXVII.

Jg 1830
(11/12)

f

ULB Halle 3
002 610 841

Sb.

W018

# IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM JENENSIS
CELEBERRIMI

# LOCORVM THEOLOGICORVM

## TOMVS DVODECIMVS

DENVO EDIDIT
VARIISQVE OBSERVATIONIBVS
ADAVXIT

## IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS.



*TVBINGAE*
SVMTIBVS IO. GEORGII COTTAE
MDCCLXXIV.